



Biblioteca Universitaria
ORANADA
821a a
Edic. 15
Tabla
103

1
14-103

3-a-39

R-5665

Compto el Sr. Pedro de Montenegro

R. P. EMMANUELIS

DE NAXERA

TOLETANI,

E SOCIETATE JESU,

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETIS,
REGIIQUE CONCIONATORIS

EXCURSUS MORALES

In secundum Librum Regum.

PARS SECUNDA, & in ordine QUARTA.


OPUS NON SOLUM THEOLOGIS,
sed etiam Verbi Divini Praeconibus perutile.

CVM QVATVOR INDICIBVS,

Primo Paragraphorum, Secundo ad Conciones construendas, Tertio Locorum sacra
Scriptura, Quarto denique Rerum & Verborum.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.

Del Col. de la
& Granada.



Comf. & Defur



LUGDUNI,

Sumptibus JOANNIS-ANTONII HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXVI.

CUM PRIVILEGIO ET APPROBAT.

REMPERMANENTIS

DE INAEXIA

TOLLE TANI

E SOCIETATE IESU

SACRARUM LITTERARUM INTERPRETIS
REGIUM GONGONATORIS

EXCURSUS MORALES


In sequenti Librum

...ARS SECUNDA & in ordine QUARTA

...SOLUM THEOLOGIS

...INDICIBUS


...PRIMO IN BUCHEM PRODIT



FUGDUM

...ET ALIIS

...CUM PRIVILEGIO ET ALIIS



PRÆCLARISSIMO HEROI,
 EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
 DOMINO AC D. MEO
 IOANNI FRANCISCO
 DE LA ZERDA,
 ARAGON, FOLCH, DE CARDONA,
 HENRIQUEZ, DE RIVERA, ET SANDOVAL,

DUCI DE MEDINA, DE SEGORBE,
*de Cardona, de Lerma; Castella Præfecto, (quod Hispanè dicitur Ade-
 lantado:) Marchioni de Denia, de Cogolludo, de Comares, de Alcala,
 de Zea, de Villamizar, & Pallars: Comiti de S. Gadea, de Civitate,
 & Portu de S. Maria, de Buendia, de Empudia, de Molares, de Am-
 purias, & Pradas: Vicecomiti de Villamur, Domino Civitatum Lu-
 zena, & Solsona, & (ut Hispanè dicitur) de las Varonias de Enthenza,
 Iuneda, & Arbezsa: Adelantato, Notarioque præcipuo Andalucia;
 Equiti nobilissimi Ordinis Aurei Velleris: inter Nobiles Regis Cubicu-
 larios præcipuo (quod Vulgò dicitur Sumiller de Corps:) Duci Generali
 Maris Oceani, Adiacentium Plagarum, & Exercituum Andalucia.*



VM solemnè decantatissimis etiam Scriptoribus fuerit, quò
 sua gloriosis inscriptionibus nobilitarint Volumina, Mœce-
 nates Regia stirpe prognatos asciscere. Nam Virgilius Geor-
 gica, Carminum libros Mœcenati Horatius dicavit, tantò-
 que nomine insignitos lucem videre voluit:

*Mæcenas atavis edite Regibus.
 O & præsidium, & dulce decus meum!*

E P I S T O L A

Scriptis Horatius contra cavillas quæsit Mœcenatis præsidium, & libro ob egregium Patronum plausum. Ergo mihi non adeò vivo, perspicacique ingenio prædito potiori jure curandum fuit ad Principis favorem confugere, ut de Patroni fulgentissima luce *Quartus hic in 2. Regum Tomus* quiret illustratus, faustisque auspiciis prodire. Et quidem opus non fuit, cujus exambienda foret tutela ambigere, aut diù studiosa sollicitudine excogitare, cum grata necessitate hoc opus tibi debitum, & mihi solvere ejusmodi litterarium tributum, sit auspiciatum. In familiæ censum admissus, & tibi à confessionibus adstans, nec debui alium Patronum quærere, nec honorabile propensi in tuum obsequium animi pensum fore tibi gratum potui ambigere. Quis te Regiis Aravis satum non novit? Annales passim evulgant, nec vel rustici ignorant. Majorum tuorum Regia stemmata, accepta, attritis sæpè hostibus, spolia, virtutesque referre, operosum satis famæ negotium fuit: & licet eundo, mentiendoque vires frequenter acquirat, quidquid de tuis vulgavit, minus fuit, quam origo, splendor, virtusque exegit. Semper Regibus fortunatum fuit, tuos sibi associare, & ad bella, aut prima regni munia deligere: convenienter Majorum series ab omnibus æstimatur eximia, cum semper fullerit de probatissimis congregata. Quam aptè de te, tuisque Theodoricus, quod apud Cassiodor. 10. Var. 11. de Anitiis, potuit referre: *Decet etiam priores suos vincere, qui ad nostra meruerunt tempora pervenire. Anitios quidem penè Principibus pares atas prisca progenit: quorum nominis dignitas ad te sanguinis fonte perducta, collectis viribus, instaurata rutilavit.* Veritatis fides magnitudine tua laborat, cum videantur excedere tot, & tanta, quæ ad tuos, & ad te Cæleste Numen, æquus meritorum censor, voluit confluere. Ab externis incipiam: corporis habitus, modesta oris venustas non solum intuentium grata vi oculos detinent, sed quid, solito majus, animo tuo latere, non obscuris argumentis suadent. Difertè Pacatus: *Augustissima quaque species plurimum creditur trahere de cælo.* Te plurimum de cælo trahere, & venusta facies ostendit, & quod potius est, singularis morum concinnitas vel æmulis persuadet. *Accusandus decor non est* (aiebat Tertullianus) *ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut anima aliqua vestis urbana.* Præterco ista, nam & tu prætexis, & parvi facis; venio ad majora, non ut tibi blandiar (nam laudes animitus refugis) sed, ut quanta Numini debeas, semel & iterum gratus agnoscas. Sponsam tibi cælum honorabili conjugio associavit, Excellentissimorum Ducum Segorbe, Cardonæque non solum filiam, sed virtutis, statusque hæredem: cujus in venis Aragoniæ Regum sanguis emicat, tot, tantisque eximiis dotibus exornatus, ut non solum regiam originem æqualiter semper retineat, sed magnificis virtutibus oculis adspicientium ostendat. Dicam vno verbo: sponsam duxisti in omnibus tibi parem. Jam si quod de honestate meretur, de felici proles numerositate colligitur, pulcherrima filiorum copia, & meritum asseruit, & conjugium felicitavit. Gemino radiant posteris patris, ac matris regio decore conspicui; nec solum æternandæ sunt fulcimenta familiæ, sed ipsi decus: fulgent nobilitatis, virtutisque communionem; inuenies tamen in singulis de propriis posse laudari. Facie sanguinis decus proditur, animi ingenuitas per vultum conspicitur, mentis serenitas intuentibus declaratur:

erga


De cult.
sent. c. 2.

DEDICATORIA.

erga eos publicus amor; quod eximia gloria est. Sed, vt ad te reuertatur, generalitatis tibi deuincis affectus affabili comitate, grauitate decenti. Factis ostendisti, posse consociari cum morum elegantia dignitatis celsitudinem, & profapia Regiæ splendorem: odiosum nelcis supercilium, ingratum fastum. Oceani, adiacentiũmque Plagarum Generalis effectus, patris eodem munere functi dilaudanda vestigia secutus es: videbatur tanto muneri ætas nondum matura, sed pro canitie fuit miranda cunctis prudentia, solertia cauta. Temporis adfultibus diruta cessere præsidia; verum adeo celeriter tua indefessa vigilantia sunt instaurata, vt hostium spes auida penitus fuerit elusa: ad nocendum nunquam voluisti, imò saluberrimi syderis adinstar modestos fouebas, & audaciam iniquorum frænabas. Supra cæteras etiam virtutes in regimine amasti amicam sapientibus tolerantiam, & incorruptam iustitiam: eligebas benigna, adhibebas compulsus aspera. Facilis erat aditus, & nullis custodibus impeditus: plurium ianuis seras adhibuit conscientia; sed tu in aperto viuebas, quin timeres deprehendi, si subito contingeret adspici, Te in tanta potentia semper ostendisti defensorem æquitatis, custodem legis. In pauperes benignitas, in oppressos iniqua fortuna largitas semper tibi innata, qua & viges, & luces, & flores: ad te miseri confluebant, & ærumnas calamitatis leuabant. Ad nostri Caroli II. Curiam aduentasti; sed in Curia idem ac extra: nihil est de morum disciplina corruptum, nihil de tumentium, ambientium, ac superbiorum consortio allinitum. Salamandræ adinstar inter fumigeras flammæ intactus rutilas, & illæsus: sollicita, cautaque Augustissimæ Reginæ nostræ Marianæ prudentia te elegit, vt filio Regi & parvulo assisteres, & exemplis tacitis informares. De te repetere posset datus Aurelius: *Accusarentur secula, si talis potuisset latere.* Augusta nostra electione sibi, filio, Reipublicæque consuluit: electio generali acclamatione, vniuersalique plausu celebrata est; & tanta est vis meritorum, vt etiam eiusmodi dignitatis ambitores electionem commendare fuerint compulsi, veriti, si aliter, inuidiæ nota, & malignitatis inuri. Dignitatem, quæ Hispanâ linguâ dicitur, *Sumiller de Corps*, ea modestia, ea prudentia geris, vt licet inter cæteros, qui in cubiculo Regis adstant, emineas præcipuus, è cæteris videaris vnus. Nulla tibi supercilij asperitas, nullus in verbis tumor. *Hæc est natura syderibus* (aiebat Plin. in Paneg.) *vt parua & exilia validiorum exortus obscuret.* Tu verò dignitatem nactus, fulges, non vt vllum obscuraueris, sed vt omnes de tuo splendore irradiatos promoueris. Talem delegisse probatur Regina, quem nulla possit prosperitas immutare: qui Regis lateri adiungitur, in laudem gremio collocatur. Nulla dignitas, felicitas nulla videri potuit tuis moribus, aut natalibus maior: Carolo nostro proximus gloriosis actionibus comprobaris: Maiorum tuorum regius splendor, quo cresceret vltra, non habuit. Verum etsi laudati hæctenus sint parentes tui, non sunt tanta coniunctione decorati. Cùm Reges omnia possideant, hoc vno solent carere, nempe qui verum dicat, & inter blandas aliorum adulationes malit proficere, quàm placere. Verum noster Princeps te nactus, huius rei non laborabit inopia, nec omnia possidenti deerit, qui verum dicat, qui à consensu concentuque falsorum vindicet, nec consuetudine pro reëctis blanda audiendi ad ignorantiam veri perducere dissimularit. Magna felicitas est inuenire, qui teneram ætatem exemplis instruat, qui à supervacuis &

EPISTOLA DEDICATORIA.

futilibus retrahat, qui digna Principe edoceat. Existimant plures gratiam referre felicibus, & in summo humanarum opum fastigio positis, si gratis adulationibus aures impleverint, & quævis vota promoverint; tu verò Principi tuo gratiam reddis, dum salubria, & tantæ majestati digna suades. Mos est in aulis per aliorum ruinam inscendere, & benevolentiam obmurmuratione sapida inire: de te nullus timuit, non magis præsens, quam absens securus est. Laudanda refers, alia altissimo silentio sepulta abscondis: summis atque infimis charus dignitatem muneris adiisti, quam generalitatis suspirabant vota, & anxia desiderabant suspiria. Prævidebat populus quam Principi, quam Aulæ, quam Reipublicæ commodus fores: sic Principis ætati attemperatus indulges, ut eius animum, ut facile genium ad virilia & grandia incitare coneris. Tuum otium operosum est; quoties tuam modestiam prudentiamque Regina nostra intuetur, te delegisse lætatur: prouentibus ambitiosa insequitur semper inuidia: Tu, quod perrarum est, & Principis lucraris gratiam, & nosceris effugere inuidiam. Sisto calamum: nam si omnia vel summatim referre vellem, ardua tentarem. Mihi gratulor, quod Libro meo tale decus & præsidium inuenerim: nullus malè politas lucubrationes audebit contemnere, si adspexerit veneranda tui nominis inscriptione insigniri. Æternùm viue, Excellentissime PRINCEPS, & debiti tributum nomine exiguum hoc officium benignis oculis aspice.



FACULTAS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV
in Provincia Toletana.

IOSEPHVS DE VILLA-MAIOR, Societatis IESV in Provincia Toletana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. N. PAVLO DE OLIVA Præposito Generali, facultatem facio, vt liber inscriptus *Excursus Morales in secundum Librum Regum*, Patris EMMANVELIS DE NAXERA, sacrae Scripturae interpretis, Regijque Concionatoris, & ejusdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro signatas dedimus. Matrì in nostro Imperiali Collegio, die secunda Maij, anno Domini 1675.

JOSEPHVS DE VILLA-MAIOR.

CENSURA R. P. M. PHILIPPI COLVMBO
ex sacra Religione Virginis de la Merced Redemptionis
Captivorum.

PERILLVSTRIS DOMINE,

EXCURSVS *Morales in lib. 2. Regum, tomum scilicet in hoc ordine quartum*, R. P. M. EMMANVELIS DE NAXERA Societatis IESV, Regijque Concionatoris, ac huius ætatis Concionatorum Magistri, de mandato vestrae Dominationis legi, & cæterorum Authoris inveni germanum, ita vt mihi contigerit, quod de scriptis Nazianzeni aiebat magnus Basilius: *Agnovi enim opus, ut hi facere solent, qui amicorum libros ex similitudine in eis conspicua agnoscunt.* Sic enim in libros relucet styli elegantia, ingenij *Estif.* profunditas, sacrae eruditionis locupletissimus thesaurus, Scripturae sanctae claritas, & circa *Greg.* mores amplissima doctrinae messis ex sanctis Patribus indefesso labore collecta, vt nihil in opere fidei contineatur dissonum, sed potiùs ad Theologos, & Concionatores valdè utile. Sic sentio Matrì in Conventu S. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum: die quarta Decembris, anno 1674.

MAG. FR. PHILIPPVS COLOMBO.

LICENTIA ORDINARII.

NOS DOMINVS FRANCISCVS FORTEZA, Vicarius Madriti, ejusque Ditionis, Abbas sancti Vincentij in sancta Ecclesia Toletana, facultatem facimus R. P. EMMANVELI DE NAXERA è Societate IESV, Concionatori Regio, ut in lucem possit edere *Morales Commentarios in secundum librum Regum* approbatos à doctissimis viris, quorum censuram expectavimus, dignamque invenimus. Madriti die vigesima secunda Decembris anno 1674.

DOMINVS FRANCISCVS FORTEZA.

De ejus Mandato,

JOANNES BAPTISTA SAEZ BRABO.

FACULTAS

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis Iesu in Provincia Lugdunensi.


PETRVS BOYER Provincialis Societatis IESV in Provincia Lugdunensi, juxta Privilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Martij 1583. Henrico IV. 20. Novembris 1608. Ludovico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludovico XIV. 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab ejsdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, permittit JOANNI ANTONIO HUGVETAN & SOC. Mercatori Bibliopolæ Lugdunensi, vt librum cui titulus est, R. P. EMMANVELIS DE NAXERA, Toletani ejsdem Societatis *Excursus Morales in secundum Librum Regum, &c.* in decem proximos annos imprimere, ac liberè divendere possit. Datum Lugduni 14. Novembris 1675.

PETRVS BOYER.

IN *Regum secundum Librum* à R. P. EMMANVELE DE NAXERA Societatis IESV, *Excursum* *Moralem*, perlegimus nos infra scripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi, luceque dignum judicavimus. Lugduni die Novembris octava, anni 1675.

F. PAVLVS LOMBARD, *Exprovincialis Carmelitarum.*

E. VIAL.





INDEX

PARAGRAPHORVM,

qui in hoc libro continentur.

CAPVI XIV.

1. BSTRVSVS corde affectus sæpe coniecturis deprehenditur, & vel ipso silentio proditur. pag. 2
2. Sæpe assiduis Dei amicorum precibus obtinetur, quod nostris excessibus impeditur. 3
3. Deus ad speciem sæuis doloribus diuexatur, si optatus reditus peccatoris differtur. *ibid.*
4. Sumptuosius Evangelici Concionatoris elogium est peccatorem reducere, non plausus euanidos elucari. 4
5. Prudens opportunum temporis expectat suffragium, vt assequatur facilius votum. *ibid.*
6. Bona politices non attendit affectum, sed munij perquirat aptum. 5
7. Viduis commiserationis debetur affectus, dum statui non contradicit corporis cultus. *ibid.*
8. Preces à lachrymis sortiuntur efficaciam, & à rigida tractione corporis energiam. 6
9. Aulici videant ne, dum exhibere conantur obsequium, iniquæ suspicionis incurrerint præiudicium. 7
10. Viduitatis status multis litibus, & iniurijs inuenitur obnoxius. *ibid.*
11. Verè vidua liberum ad Deum habet accessum, & impetrat citò solatium. 8
12. Honorabilis, castaque viduitas ad magna negotia inuenitur electa, & feliciter assecuta. *ibid.*
13. Diuitiarum cupiditas iurgijs frequenter obnoxia, & naturæ legum probatur ignara. 9
14. Crimina habent suam linguam, qua produnt delinquentis offensam. *ibid.*
15. Viduarum filij discriminibus inueniuntur expositi. 10
16. Sæpe cognatorum mors exambitur, vt hæreditas adeatur. *ibid.*
17. Lex cognationi debet præferri, sed affinitas solitat legibus anteponi. 11
18. Punitio criminis, si lacrum afferat, affectatur, si desit, faciliè omittitur. *ibid.*
19. Si ex sceleribus reportetur commodum, bonæ politices perniciosum erit excidium. 12
20. Bona politices viduarum causas citissimè curat absoluere, ne cogantur domos Iudicum frequentare. 13
21. Ni reclamauerint iura, decet Principem plausibili relucere clementia, nec rei exaggerare delicta. *ibid.*
22. Thronus iustitia firmatur, & iniustitia subruitur. 14
23. Res magni momenti importuna sollicitudine

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V,

- est stabilienda, & omnimodis conatibus confirmanda. *ibid.*
24. In non præmeditatis, sed repentinis erroribus locum habet clementia, quia minor culpa. 15
25. Iudex in suorum causis seuerior, in aliorum resplendet mitior. 16
26. Erga filios est rigiditas temperanda, ne grauior emergat culpa. *ibid.*
27. Superior exoretur faciliè ad veniam, difficulter inflammetur ad iracundiam. 17
26. Arduum est diu inter improbos habitare, & eorum mores non fugere. *ibid.*
29. Prudentia est populi tumultum vitare, & grauiora detrimentis minoribus præcauere. 18
30. Sæpe dum virtutis opus procrastinatur, interueniente morte impeditur. 19
31. Nimijs defunctis luctus otiosè impenditur, quia inutilis prorsus probatur. *ibid.*
32. Urbana in Principe humanitas omnium corda sibi deuincit, & sui desiderium facit. 20
33. Talem erga aliorum errores se exhibeat, qui suis Deum propitium exoptat. *ibid.*
34. Optimi ingenij est, alieni excusationem erroris querere, maligni, culpam nimis exaggerare. 21
35. Spes firma præstat orationi efficaciam, aufert infirma energiam. *ibid.*
36. Talis sit oratio, vt in publicam exire non erubescat, nec sciri, quod deprecatur, refugiat. 22
37. Sæpe filij parentum precibus effugerunt pericula, & inimicorum frustrarunt machinamenta. *ibid.*
38. Perfecta charitas reputat vt proprium, damnum, aut periculum alienum. 23
39. Concedere aduersario veniam, est offerre plurimam hostiam. *ibid.*
40. Data ritè à Regibus, aut Magnatibus fides consistere debet firma, & permanere inuiolata. 24
41. Egregius Dei imitator nec elogijs inflatur, nec vituperijs deijcitur. *ibid.*
42. Quàm intimè Deo adhæreas, ostendit in prosperitate modestia, in aduersis tolerantia. 25
43. Laus ad conciliandam gratiam efficacissimum est illicium, imò honestum incantamentum. *ibid.*
44. Plus homine videtur, qui nec adulatoribus impertit gratiam, nec in veraces effundit iram. 26
45. Coniecturæ non extorqueant fidem, sed suadeant studiosius inquirere veritatem. 27
46. Aduersa fortuna amicum probat, & publicat. *ibid.*

Index Paragraphorum.

47. Pro manibus, & armis est consilium à prudentia profectum, & temporibus opportunum. 28.
48. Facile præbentur consilia, non adeò facile ad consilium necessaria. 29
49. Charitas aliena commoda propria reputat incrementa. *ibid.*
50. Commendabilis est sapientia veritate fundata, & innocentia munita. 30
51. Qui Principem tentat, grauissimis pœnis est dignus, & rigidè castigandus. *ibid.*
52. Inglorium est, vsquead iuuentutem extendisse pueritiam, vsquead senectutem adolescentiam. 31
53. Lex non est subiecta iudicis arbitrio, sed iudex legis decreto. *ibid.*
54. Quò quis Dei fauoribus probatur ornatior, laudabili inuenitur humilitate depressior. 32
55. Plures vota affecti, gratitudinis tributum tardant, aut negant. 33
56. Gloriosum est, quam apud Principem sortiaris gratiam, aliorum beneficijs ostendere, nec vni tibi exambire. *ibid.*
57. Eximius Dei fauor est eligi ad peccatores reducendos, & exules diuinis conspectibus præsentandos. 34
58. Orationis perseverantia feliciter vota assequitur, & vicissè ardua gloriatur. *ibid.*
59. Efficax est oratio meritis petentis innixa, & exhibitis obsequijs armata. 35
60. Cui munus magni momenti committitur, fas non est moras nectere, & executionem tardare. *ibid.*
61. Reprehensibile est, si possis à Dei conspectu exules quàm citò non reuocare, & anxia desideria differre. 36
62. Laudabile est, Dei præsentia, orationique te tantisper substrahere, vt valeas peccatorem reducere. *ibid.*
63. Acerrimus dolor est, palatio interdici, & Principis aspectu priuari. 37
64. Etiam demissa culpa, ob reatum diuturna discutiat pœna. *ibid.*
65. Eximia corporis pulchritudo esse solet virtutis naufragium, calamitatis auspicium. 38
66. Oris pulchritudo allicit humanos oculos, ad se trahit animæ venustas diuinos. *ibid.*
67. Pulchritudo milites contra virtutem solet adlegere, & in campum profligare. 39
68. Pulchelli, & compti frequenter inueniuntur virili robore enerues, & ad fortia prorsus inhabiles. *ibid.*
69. Eximiam pulchritudinem leuis etiam nauus obscurat, & macula quæuis infamat. 40
70. Ad corporis culturam tempus statuitur certum, & fixum, ad animæ ornatum casuale relinquitur, & incertum. *ibid.*
71. Auaritia probatur in homine priuato indecora, in Principe spurca. 41
72. Aurum sæpè adquisiuit, quod natura denegauit. *ibid.*
73. Ad pompæ, cultusque vanitatem aurum profunditur, obligationibus, & virtutibus denegatur. 42
74. Plures cum de alieno fulgeant vestiti, se ostentare solent superbi. *ibid.*
75. Nonnulli sollicitiores sunt de cultus decore, quàm de salute. 43
76. Multis solent peccatores commodis exundare, iusti vel necessarijs carere. *ibid.*
77. Qui pœnitundinis cultro differt culpas rescare, non dissectis, solet perire. 44
78. Non adeò molestus est squalida pœnitentiæ rigor, ac polituræ, & speciositatis splendor. 45
79. Aliud est rerum pondus iuxta sæculi opinionem, aliud iuxta veram rationis lancem. *ibid.*
80. Quæ inutilem molestiam afferre solent possessa, leuamen, & lucrum attulere sæpè præcisa. 46
81. Ad emenda euanida exhibemus monetam integram, & probatam, ad comparanda cœlestia sæpè adulteratam, aut reprobam. *ibid.*
82. Fœminas commendat oris elegantia, nimia homines dedecet politura. 47
83. Est quasi non sit, qui factis non meretur elogium, sed solum adauget numerum. *ibid.*
84. Alienis precibus reatus sæpè temperatur supplicium, sed proprijs meritis citius peruenitur ad gaudium. 48
85. Inter delicias, & sæculi voluptates potioris irrepit obliuio, & tardius salutis agitur procuratio. *ibid.*
86. Sæpè qui differunt ad Deum venire leniter inuitati, vexatione veniunt compulsi. 49
87. Quæuis amicissimi offensa grauius exulcerat, & graui digna videtur pœna. 50
88. Magnates, si quid contra eorum auctoritatem perpetratum præsumant, grauius vlcersi anhelant. *ibid.*
89. Graui pœna videtur dignum, magna tentasse, & ob exiguum laborem non perfecisse. 51
90. Magnates delinquere palam affectant, nec lucem ad delinquendum formidant. 52
91. Magnatum serui non attendunt, an sint licita, sed explere gestiunt mandata. *ibid.*
92. Frequentius serui dominorum minuunt substantiam, quàm doleant eius iacturam. 53
93. Ad instar miraculi est, alienam culpam minuere, nec amplificatam referre. *ibid.*
94. Frequenter asper casus refertur Principibus temperatus, & imminutus. 54
95. Rarum est, si serui, aut ministri iurisdictionem, aut facultatem ad nocendum non extenderint, sed breuiarint. *ibid.*
96. Prudentia est irritatam iracundiam frenare, & maturius irritationis causas expendere. 55
97. Contra se inuidiam minister excitat, si meliores fortuna inflatus despiciat. 56
98. Minister graui dignus pœna inuenitur, si à se pendentes differre causas probetur. *ibid.*
99. Principum gratia vsi, aliorum accessum de industria aut vetant, aut tardant. 57
100. Dum felicitas proximior, vrit, si differatur, acerbior. 58
101. Infelix est, qui Dei gratia non fruitur, etsi fortuna cumulatissima vtatur. 59
102. Dei molestè absentiam ferre, ad salutem est properare. *ibid.*
103. Qui in parente regiam potestatem veretur, in Rege parentis indulgentiam sortitur. *ibid.*
104. Sæpè quos Deus, diu austerè tractauit, dulcissima postea suauitate repleuit. 60

Index Paragraphorum.

CAPVT XV.

1. **E**T si, deficiente opportunitate, non erumpant vitia, intus foueri solent venena. 62
2. Nimia filiorum pompa & ipsis ominosa, & parentibus inuenitur nociua. *ibid.*
3. Sæpè peccator in sceleris perpetrati supplicium domesticum fouet, & experitur venenum. 63
4. Frequenter diabolus specioso virtutis fuce tentat exigua, vt facilius peruenire possit ad magna. 64
5. In pace debent disponi, quæ belli tempore constat proficere. *ibid.*
6. Sæpè peccator cum deberet esse deuotior, de ipsa sit cœlesti benignitate insolentior. 65
7. Sæpissimè despiciuntur iura, si aurum attenditur, aut potentia dignitatis suspicitur. *ibid.*
8. Minus prodest ad honores assequendos clarissima originis vena, quam auri, famulitijque copia. 66
9. Sæpè vertimus contra ipsum in arma, accepta à Numine beneficia. 67
10. Non seuel quos extulit originis claritas, indecore decrescere suasit ambitionis anxietas. *ibid.*
11. Ipsa, quibus renuntiantur in aliorum obsequium commoda, efficacissima sunt ad affectus promerendos illicita. 68
12. Nimia erga filios indulgentia, ipsis, & parentibus attulit grauissima damna. 69
13. Plures præcipuè Principes, vt cupiditatibus famulentur, antelucani resurgent, aliter iura temporum inuertunt. *ibid.*
14. Urbana Principum humanitas animos sibi deuincit, & quod vult, facile trahit. 70
15. Obscurus splendor est de aliorum obscuracione quæsitus, & de infamia comparatus. *ibid.*
16. Ambitio semper ingrata, & iuris naturæ neficia. 71
17. Facile Principi popularis conciliatur inuidia, si æquitas à iudicibus præsumatur neglecta. *ibid.*
18. Si iudex acceperit dona, facile despiciet iura. 72
19. Aduersus parentes impius, nec longà vita, nec fortuna vtitur prospera. *ibid.*
20. Maledica lingua populi sibi fauorem conciliat, præcipuè si Principes, superioresque arrodant. 73
21. Ambientium, obmurmurantiũque verba aliud sæpè significant, aliud sonant. *ibid.*
22. De regimine obmurmurare, est seditionem periculosam mouere. 74
23. Dignitas inexpertis apparet speciosa, sed expertis intuenitur molesta. *ibid.*
24. Qui iniquis artibus sibi comparat dignitatem, maturare solet perniciem. 75
25. Respublica stabit firma, si iustitiæ, æquitatisque ponderibus gubernata. *ibid.*
26. Sæpissimè ignaui arroganti præsumptione turgescunt, & aliorum facta abrodunt. 76
27. Inueniuntur minus habentes, qui minus ritè obituros præsumpserant arrogantes. *ibid.*
28. Si speret commodum, pendet populus debite subiectionis tributum. *ibid.*
29. Sæpè, vt effectum sortiatur dolosus ambitus, *Eman. de Naxera. in Reg. Tom. IV.*

- affectatur vtilitatis publicæ zelus. 77
30. Honore se indignum prodit, qui ardentè honores assequi cupit. *ibid.*
31. Plures honorem ambiunt fugiendo, & aduersari affectando. 78
32. Ambitio certissimum affert dispendium, cum sit dubium assequi magistratum. *ibid.*
33. Immetatae sunt ambitionis vires ad incommoda deglutienda, & onera grauissima supportanda. 79
34. Plures frui satagunt honorabili dignitatis plausu, sed excusato laboris censu. 80
35. Ambitio honoris consortem respuit, & agglomerare sibi dignitates omnes exambit. *ibid.*
36. Ministri regium nomen excusare probantur, sed aliquando potestatem regiam affectare videntur. 81
37. Prudens, modestusque Princeps non permittit exterius eis ceremoniis se coli, quibus Numen constat adorari. *ibid.*
38. Magnates, si cum priuatis nimis familiariter agant, frequenter aliquam fallaciam concinnant. 82
36. Vt plurimum ritè munus obit, qui accepit inuitus, non qui sollicitat ambitiosus. 83
40. Iurgia implacabilia seminat, si parens erga filios naturæ ordinem non custodiat. *ibid.*
41. Si diuersi gradus inæquali æqualitate tractentur, lædi ipsa æqualitate probantur. 84
42. Indigni dignitatum ambitores affectationis sollicitant sibi suffragia, benemeriti æqua non recusare iudicia. *ibid.*
43. Si sua elector attenderit, electionem facillimè adulterabit. 85
44. Princeps exordio curet famæ adaugere thesaurum, vt possederit tutius dignitatis fastigium. *ibid.*
45. Contra se superior sæpè excitabit naufragia, si impunita abire sinat delicta. 86
46. Timeat de infausto, qui religione abutitur, vt infans cupiditatibus aduletur. 87
47. Aliqui cum ad exercendam virtutem sanctuarioria proxima queant facile adire, distantiora affectant petere. *ibid.*
48. Promissa sæculo citò soluuntur, Numini promissa tardantur. 88
49. Prudenter emittenda sunt vota, quia ritè non soluta degenerant in scandala. 89
50. Sunt qui dum oculis hauriunt odiosæ rapacitatis supplicium, gestiant perpetrare rapacitatis peccatum. *ibid.*
51. Superstitiosi vni præ altero loco, aut tempore alligatam arbitrantur aut fortunam, aut miseriam. 90
52. Vota ritè, religiosèque emissa sæpè aduersis casibus attulere remedia. *ibid.*
53. Qui superiorem coloratis admittitur causis fallere, sibi probatur nocere. 91
54. Quæ difficillima videbantur, ad criminis supplicium facillima reperiuntur. *ibid.*
55. Facile dolus disponitur, si auris musicæ oblectamento capiatur. 92
56. Gula dum densis vaporibus obscurat mentem, trahit facile ad prauitatem. *ibid.*
57. Iuuenibus præcipuè Magnatibus, candido etiam animo adhærentes, improuisis periculis adurgentur, & cæcis difficultatibus implicantur. 93
58. Vt contra nos militares instruat acies, prius *dæmon*

Index Paragraphorum.

- dæmon adnititur debilitare virtutum vires. 94
59. Plures, vt suspicionibus occurrant, culpamque tegant, probos sibi associare non sine studio adlaborant. *ibid.*
60. Principibus præcipuè in regni exordio expedit optimos consiliarios asciscere, & auscultare. 95
61. Qui læsi honoris auctorem nequit armis subruere, tecta solet astutia euertere. *ibid.*
62. In suam partem adnititur dæmon trahere, quos agnouit miris dotibus præluere. 96
63. Non semel virtute eximius, si à statu cadat, præ alijs sordescit vitijs infectus. *ibid.*
64. Princeps, si præcipuos ministros exasperauit, sibi calamitatem asciscet. 97
65. Fucata aliquando deuotioni tempus tantum impenditur, quantum opus est, vt iniquitatis opportunitas disponatur. 98
66. Lentiùs consulitur Principis saluti, celerius mos geritur voluptati. *ibid.*
67. Sollicitè studet inimicus periculi impedire notitiam, ne periclitans salubrem confugerit ad cautelam. 99
68. Quique tendit, quò lucrum, aut studium ducit, non quò tendere ratio suadet. *ibid.*
69. Grauiissimus dolor est, si, à quo sperabas solatium, tibi promanarit infestissimum odium. 100
70. Qui dignitate fulget, non solum ambitionem vereatur extraneam, sed timeat etiam domesticam. *ibid.*
71. Cum omnis ætas periculis inueniatur obnoxia, prouida est opus cautela. 101
71. Deus vti misericors pater, cum statim valeat punire culpam, mavult protelare patientiam. *ibid.*
73. Felix, quem ad se Deus flagellis traxit, infelix, quem discedens impunitum derelinquit. 102
74. In curia periculum faciliùs solet vrgere, & difficiliùs vitium eludi. *ibid.*
75. Pij superioris est, vt à suis imminens auertat periculum, aliquale subire auctoritatis dispendium. 103
76. Hostilia hebetantur atma, si placita Deo humilitate cœlestis sopiatur ira. 104
77. Periculum lentè fugere, sæpè est tarditate laborem perdere. *ibid.*
78. Obedientia de alacritate accipit prætium, & commendat debitæ subiectionis officium. 105.
79. Perfecta obedientia laudabili cæcitate obsequitur, nec discutere mandatum adnititur. *ibid.*
80. Satiùs est aliqualem honoris, aut salutis subire iacturam, quam extremam pati miseriam. 106
81. Superioris exemplum difficultates emollit, & laborem mellit. 107
82. Nihil de sæculi oneribus secum ducat, qui effugere periculum, & consequi salutem anhelat. *ibid.*
83. Qui in Dei domo negotia curat libidinis, durissimæ reus inuenitur stragis. 108
84. Miserum est Dei domum inhabitare, & fœdis cupiditatibus inferuire. *ibid.*
85. Qui regia in aula sine Deo degit, criminibus polluitur, & crebris lapidibus descædatur. 109
86. Felicior est, qui per labores, ærumnâque Christi Domini lateri adhæret, quam qui distans commodis, & otijs indulget. *ibid.*
87. Publica Principis pœnitentia diuinam temperat iram, & imminentem Reipublicæ auertit periculosam procellam. 110
88. Christum Dominum afflictum, & laborantem pauci sequuntur; sæculum ferè vniuersi sectantur. 111
89. Christo Domino adhærentes aliorum student calamitates leuare, & seipso iugi mortificatione comprimere. *ibid.*
90. Qui religionis exactè sequitur obseruantiam, validam dæmonibus infert pugnam. 112
91. Qui discipit stragem vitare, à periculo studeat longè recedere. *ibid.*
92. Religiosi Christum secuti, laboribus, sed ferendis fatigantur, & durioribus eximuntur. 113
93. Qui in sæculo, sæculo renuntiarunt, libenter Christum sequuntur, & contra dæmonem strenui bellatores esse probantur. *ibid.*
94. Plures vbi quærunt sitienter placidam requiem, anxium experiri solent laborem. 114
95. Ingens beneficium est, si vel compulsus Christo adhæreas, & sæculi vanitatem effugias. 115
96. Non est iniuria iactis contra auctorem conuiijs solanda; imò verba ad modestiæ, prudentiæque trutinam sunt pendenda. *ibid.*
97. Vir strenuus ad patientiam indurat honestè animum, erga alios humanum commiserationis prodit affectum. 116
98. Sæpè virtutis nouiciolos Deus laboribus experitur, & dæmon impetere tentationibus studiose conatur. *ibid.*
99. Perfecta amicitia fortunam non sequitur, sed personam. 117
100. Dei erga nos sollicitior cura ad maiora gratitudinis cogit obsequia. *ibid.*
101. Christi Domini amatores, si pro eo pati non permittantur, anxie affliguntur. 118
102. Lachrymæ Dei indignationem sopiunt, & homini felicitatem restituunt. 119
103. Temporalibus pressi incommodis amare lugemus, denigrati culpis pœoratum non fundimus. *ibid.*
104. Oportet in infortunijs auxilium Dei implorare, & simul gressum, vt tibi prouideris, promouere. 120
105. Fratrum pax, & inuiolata concordia validissima sunt contra hostiles aduersus arma. *ibid.*
106. Lachrymosi plurimum clamores apud Deum magni habentur; & facile impetrare probantur. 121
107. Bonus Princeps plus satagit repellere à subiectis periculum, quam sibi acquirere commodum. *ibid.*
108. Per misericordiæ viam ad cœlum tenditur, & aduersus aduersarios effugitur. 122
109. Tuta sunt nobis salutis profugia, vbi Christus passus est, loca. 123
110. Sanctissima Virgo suos in afflictionibus non deserit, imò vires addit, & terrorem hostibus incutit. *ibid.*
111. Qui Dei seruos beneficijs obstrinxit, opportunum sibi subsidium ad afflictionis tempus parauit. 124
112. Sanctorum imagines abigunt sæpè pericula, & afferunt afflictis solatia. *ibid.*
113. Per Mariam citò obtinentur, quæ tardiùs aliorum precibus impetrantur. 125

Index Paragraphorum.

114. Melius sacerdos Reipublicæ proficit, à confusis turbis semotus, quàm inter sæculares admixtus. 126
115. Qui circa agenda à Deo cupit edoceri, studeat à populo separari. *ibid.*
116. Viri grauis præsentia quodammodò cogit ad promouenda in itineris virtutis vestigia. 127.
117. Vir pius, ac religiosus eliger laboribus premi, ne contingat sacra minùs decenter tractari. *ibid.*
118. Qui Deiparæ curat honorem, à se propellit calamitatem. 128
119. Humilitas nunquam tumescit superba, quia suo videri est cœlestibus beneficijs indigna. 129
120. Perfecta cùm Dei voluntate consensus amara temperat, & cumulum virtutis declarat. *ibid.*
121. Nihil sagax prudentia omittit, & fiducia constans à Numine solùm pendet. 130
122. Strenui ducis est, sua celare, & consilia aduersariorum prænoscere. *ibid.*
123. Iusti corde cum Numine sunt coniuncti, etsi externis occupationibus implicati. 131
124. Dei ministri plùs Rempublicam iuuant, minus implentes, quàm Principi adstantes. 132
125. Generosos spiritus Deus durius examinat, quia plùs ab illis sperat. *ibid.*
126. Bonus superior mavult furenti subsidio cedere, quàm repugnando irritare. 133
127. Miseranda victoria est, quæ pietatis reportatur dispendio, & lamentabili cognatorum excidio. 134
128. Aliquando hæres litibus oppugnat, vt hostis. *ibid.*
129. Maiori subsidio opus est contra interna bella, quàm contra externa certamina. 135
130. Quò aciora sunt calamitatum, tentationumque bella, ad validiora recurrendum est arma. 136
131. Fixa in Domino confidentia, etsi aliquando aduersitatis flatibus affligatur impetita, triumphat tandem spolijs hostilibus coronata. *ibid.*
132. Oratio corporis asperitatibus adipatur, & virtus duritia exstruitur. 137
133. Per misericordiæ viam aduersariorum conatus eluditur, & ad Dei clementiam citiùs acceditur. 138
134. Eximie iusti minùs illata sibi incommoda, & plùs inferentium dolent peccata. *ibid.*
135. Constantem virum dedecet ob temporalia nimis dolere, & copiosas lachrymas fundere. 139.
136. Qua Princeps incesserit, eadem via populus ibit. 139
137. Etsi nos mundus deserat, rarus est, qui à corde mundum abijciat. 140
138. Qui præ alijs forduit culpa, antecedit cæteros pœnitentiã. *ibid.*
139. Verè pœnitentis argumentum est, non solùm sibi pœnam impositam ferre, sed de suo addere. 141
140. Minùs Reipublicæ nocet malus Princeps, si probus, prudentique Consiliario vtatur, quàm si probus iniquo, & improbo gubernetur. 142
141. Iusti in sibi aduersantes muliebria maledicta non congerunt, sed ad Numinis opem recurrunt. *ibid.*
142. Ea solùm amico sunt committenda, quæ, si in aduersarium transeat, commississe te non pœniteat. 143

143. Superbi acri dolore cruciantur, si eorum reiiciatur sententia, & aliorum præferatur doctrina. 144
144. Valdè timenda est astutia, si potentia armata, & potentia, si sagacitate munita. *ibid.*
145. Consuetudo pro natura inolefcit, & obstacula quæque vincit. 145
146. Qui discupit pericula euadere, studeat dirigere ad Deiparam votum, & eius deprecetur auxilium. *ibid.*
147. Luctus debet cum causa concordare, non dissidere. 146
148. Virilis constantia minùs in proprijs ærumnis dolet, vera compassio plùs lugeat. *ibid.*
149. Non vrgetur vero dolore oculus, si in feces, sicut serenus, etsi, expectante aliquo, fuerit lachrymis superfusus. 147
150. Aliquando consolatores sunt oneri, non leuamini. *ibid.*
151. Miles ignauus, & inexpertus exercitui aliquando attulit infaultam fortunam, & peperit aduersarijs victoriam. 148
152. Simulatus amicus est sæuior hostis, grassantior pestis. *ibid.*
153. Reipublicæ profunt ingeniosi, genium secuti, non si contrarijs actionibus occupati. 149
154. Politicorum studium est, vt recta possint prænoscere, aliquem sibi de seruis Principis conciliare. *ibid.*
155. Non dedecet sacerdotem sæcularia tractare, si ad salutem Reipublicæ indubium sit conuenire. 150
156. Nihil omittendum est Duci, vt præcallear hostis consilia, & prænoscere possit machinamenta. 151
157. Sæpè calamitas solamine venit nuda, felicitas aliquo infausto associata. *ibid.*

CAPVT. XVI.

1. **Q**ui Numinis vult elucrari gratiam, luctuosam egenis impendat misericordiam. 152
2. Beneficium auget, non expectans rogari, sed verecundiam gestiens præire. 153
3. Tantò liberalitas æstimatione probatur dignior, quantò liberalis pauperior. 154
4. Aliquando serui Dominorum facultatibus sibi comparant gratiam, & conquirunt beneuolentiam. *ibid.*
5. Index, aut superior egens, muneribus capitur, & facillè ius euertitur. 155
6. Adulatores, ambitoresque, vt parentum sibi conciliauerint gratiam, dilargitis muneribus erga filios ostentant beneuolentiam. *ibid.*
7. Magnates putant accipiendo fauere, & ob id nec gratis verbis dignantur officia sibi exhibita compensare. 156
8. Si gratitudinis argumentis euincat plebeius, graui nobilis censura videtur dignus. *ibid.*
9. Non semel, vt pupillorum sibi facultates vsurpauerint tutores, architectantur mendacia, & varia calumniarum molimina. 157
10. Superior, iudexque confusibili errori exponitur, si, indiscussa causa, promere sententiam noscatur. *ibid.*
11. Qui maledicis, & susurrionibus præbet aures, nequit non prolabi in errores. 158
12. Ingratitudinis nota aspergitur, qui magnis à parente beneficijs obstrictus, contra filium leuè suspicione

Index Paragraphorum.

- suspicione irascitur indignatus, *ibid.*
13. Obturbatis animis pro vero habetur, quod manifestè repugnare veritati cognoscitur. 159
14. Aliqua eò colore,artificioque proponuntur composita, vt nullatenus existimentur conficta. 160
15. Etsi nequeant prodire in opera, pœnis subiacent iniqua animi desideria. *ibid.*
16. Qui ad munus ineptior, munus sæpè suspirat ambitiosior. 161
17. Aliquando Politices Magnatum facultates imminuit, & ne quid audacter tentare quinerint, anteuertit. *ibid.*
18. Fortunatissima esse solent apud Principes adulatoria mendacia, & alios dehonestantia commenta. 162
19. Ingratus grauissimis multari pœnis est dignus. 163
20. Astuta politices tegit ambitiosam flammam, & solum Principum suspirare mentitur gloriam. *ibid.*
21. Pia deuotio parui æstimat temporalia lucrari, quia solum suspirat Numinis gratiam mereri. 164
22. Sæpè exterius penditur obsequium, sed euomitur cœlatum opportuna occasione odium. *ibid.*
23. Nescias an ingenuo viro grauior ingesta ab hoste contumelia, aut impensa à seruo misericordia. 165
24. Rabida ira etsi ne queat malum inferre, non desinit, vt exsatiatur, tentare. *ibid.*
25. A culmine cadere, idem est ac mortem subire. 166
26. Odium odioso culpas imponit, aut saltem admissas auget. *ibid.*
27. Qui legis iugum excussit, calamitatem sibi grauissimam comparauit. 167
28. Dei seruus iniurias proprias patienter remittit, sed Dei sine dolore graui non audit. *ibid.*
28. Minus exasperat inflicta plaga, quam maledicta, venenataque lingua. 168
30. Homuntio abiectus esse solet lingua solutus, *ibid.*
31. Procax, & soluta lingua sibi negotiatur mortem, & sollicitat stragem. 169
31. Qui honorem de se benemeriti non conatur defendere, notam sibi videtur inurere. *ibid.*
33. Plures ambiunt Magnatum lateribus adherere, sed pauci curant eius saluti, & opinioni prospicere. 170
34. Reus non veretur culpam committere, si eadem cognouerit iudicem inquinari, *ibid.*
35. Præsentanea non extimescunt supplicia, quia in fastigio perpetrare peccata. 171
36. Prudens sustinet patienter grauiora, ne cogatur sustinere grauiora. *ibid.*
37. Nonnulli affectant Deo adherere, sed volunt simul appetitibus inseruire. 172
38. Modicum videbitur, quidquid patimur, si, quæ ob admissas culpas mereamur, expendimus. *ibid.*
39. Elinguis tolerantia est honesta iniuriarum vindicta. 173
40. Sæpè quæ auersamur vti contraria, esse inueniuntur auxilia. 174
41. Nostræ ignauitæ tribuendum est, quod deficimus, & tentationibus cedimus. *ibid.*
42. Patientia, iniuriarumque venia pingue est sacrificium, & ad impetrandam misericordiam esse a sibi num probatur inuentum. 175
43. Iusti sæpè exterius afflictantur, sed interius placida tranquillitate fruuntur. 176
44. Eximie iusti non solum non vlciscuntur iniuriam, sed iniurij suscipiunt causam. *ibid.*
45. A creaturis gaudet affligi, qui de se honestam ob perpetrata vltionem cupit expetere. 177
46. Quia inualidus non timetur, contra æquitatem affligitur. *ibid.*
47. Peccatum peccatum parit, & fœtibus detestandis augetur. 178
48. Etsi aliquando mutetur materia, peccandi perseuerat frequenter insania. *ibid.*
49. Christum secuti via lassantur, sed in termino reficiuntur; secuti vitium, in via gaudent, in termino lugent. 179
50. Inter desertorum aspera, & dura respirat animus, inter curiæ delicias quietem ignorat spiritus. *ibid.*
51. Sunt qui se insinuarint ad amicitiam, quod facilius explorarint conscientiam, & euerterint fortunam. 180
52. Sibi notam inurit; qui necessitatis tempore ab amico prorsus recedit. 181
53. Plures delectat manifesta adulationis fallacia, etsi veritatis repugnarit notitia. *ibid.*
54. Nonnulli quod melius colorarint fallaciam, amare ostentant semper iustitiam. 182
55. Spes reconciliationis ad speciem præditur, si eius in sponsis Numinis honor fœdetur. *ibid.*
56. Politici dum assequantur votum, parum curant, an honestum, aut inhonestum sit medium. 183
57. Perniciosus est consiliarius, si ingenio attemperetur Principis, & solum conditionem attendat temporis. *ibid.*
58. Qui implacabilia inter domesticos odia seminatur, miserandam sibi stragem maturat. 184
59. Aliqui ea audent consilia præstare, quæ (si fas est dicere) puderet dæmonem exhibere. 185
60. Eodem sæpè loco, quo culpa perpetratur, multa pœnalis infligitur. *ibid.*
61. Libido nunquam quiescit satuta, sed nouis semper ardoribus gliscit anhela. 186
62. Peccatoris imprudentia solet plausum ambire ex his, quæ fas esset tegere. *ibid.*
63. Qui omnem verecundiam exuens, scandalum præbuit, contra se cœlestem indignationem exactit. 187
64. Qui apud vulgum celeberrima opinione floruit, famam etiam erroribus conseruabit. *ibid.*
65. Magni habentur aliquando Consiliarij, etsi æquitatem despiciant, si vtilitatem promoueant. 188

CAPVT XVII.

1. **D**ensissimis tenebris inuoluitur, qui offendere Deum adnititur. 190
2. Iniquis votis spontè sæpè fauetur, & fauor virtutibus denegatur. *ibid.*
3. Ita sitibunda est aliquorum ambitio, vt nec splendoris guttulam alijs permittat, sed sibi rapiat. 191
4. Sunt qui satagant, alijs delinquendo præire, & primatum detestabilem gerere. *ibid.*
5. Curandum est Duci omnem tumultus occasionem præcidere, & nullam discordiæ causam militibus suis præbere. 192
6. Victoria non tam reportatur militum numero, quam alacritate, & animo. *ibid.*
7. Sara

Index Paragraphorum.

7. Satagendum est, ne hostes se quiuerint commu-
nire, & locorum arduitate defendere. 193
8. Magnates, dum ceteri sollicitant somno indul-
gere, inueniuntur bellum contra virtutem in-
struere. *ibid.*
9. Dæmon Christum deserentes non solet afflige-
re, sed lactare. 194
10. Quibus peccator inficitur, eisdem cæteris mo-
ribus denigrari arbitratur. 195
11. Strenuus miles mavult honestè cadere, quàm
sibi vituperabili fuga consulere. *ibid.*
12. Detestabilis est pax ex delictis orta, & oble-
quijs indebitis comparata. 196
13. Difficiliter populus ad virtutem adducitur, fa-
cilè sequi prauitatem suadetur. *ibid.*
14. Quidquid Principi placet, sæpè probatur, et si
æquitas aduersetur. 197
15. Citò annuitur consulenti illecebròsa, tardiùs
consulenti salubria. 198
16. Periculosa politices est inexplorata ad se-
cretiora admittere, & probatis suffragio tem-
poris anteponere. *ibid.*
17. Plures, vt vituperarint, laudant, vt denigra-
rint, commendant. 199
18. Aliqui non minus quàm filijs orbari dolent
dignitatibus interdicti. 200
19. Virtutis proceres nec humanam gloriam, nec
ingloriam attendunt; sed soli Deo seruire exam-
biunt. *ibid.*
20. Qui ardua ob virtutem tentat, tentando su-
perat. 201
21. Mala conscientia hominem stupore solet illi-
gare, & veluti fascino labra impedire. *ibid.*
22. Acer timor, & ad extrema redactus audaciam
armat, & temerarias vires inspirat. 202
23. Sæpè qui debuissent virtutem tueri, dæmonis
partes probantur agere. 203
24. Quò quis ab hominibus remotior, contra dæ-
monis adsultus inueniri solet validior. *ibid.*
25. Opus est omnia tempore inuigilare in excu-
bijs, quia omni tempore contra nos perstat
inimicus in armis. 204
26. Qui ab hoste ingemit dispoliatus, insurgat
honesto contra dispoliantem ardore succensus.
205
27. Qui infortunium alicuius audit, multis incre-
mentis adauctum refert. *ibid.*
28. Rerum exordia sæpè sunt non dubia futuro-
rum aspacia. 206
29. Celeris improborum ruina salubri pauore au-
daciam reprimat, & pauidam cæteris cautelam
suadet. *ibid.*
30. Prudentia est, dum hostis robur nequit igno-
rari, præsidio prouidenter muniti. 207
31. Qui alterius spe inuitantem occasionem omit-
tit, pœnam sæpè frustratus soluit. 208
32. Si inceptus muneribus præficiatur, Reipublicæ
salus periclitatur. 209
33. Si aliqua vitiorum permittatur scintilla, ig-
nem suum explicabit, & in incendium flabella-
lata transibit. *ibid.*
34. Sæpè in Concionatore plauditur nitida ver-
borum copia, et si careat cohærentia, aut me-
dulla. 210
35. De Imperatoris præsentia ardor militum ada-
getur, de absentia sæpè minuitur. 211
36. Sæpè errorem dissimulare, est duram vindi-
ctam sumere. 212
37. Cœlestis indignatio media in luce permittit
cæcutire, & Consiliarios errorem manifestum
amplecti. *ibid.*
38. Misera Respublica, si manifestè erranti nullus
audeat Principi oblistere, aut repugnare. 213
39. Si Princeps, aut superior vnus tantùm consi-
lio regitur, Respublica alperis obnoxia casi-
bus inuenitur. 214
40. Non ita alieno fidendum est patrociniò, vt
tibi non prospicias labore proprio. *ibid.*
41. Sæpè ancilla ad seruilia mittuntur opera, vt
ad deferenda exoptantibus tendant nuntia. 215
42. Nil aded sic occultere potest solertia, vt aliqua
non effluerit notitia. 216
43. Virtutem secuti, improborum odia, & peri-
cula inueniuntur frequenter passi. *ibid.*
44. Pueri deteriore partem sequuntur, ni ab in-
fantia bonis moribus expoliantur. 217
45. Facile declinat periculum humilia tenens, non
facilè celsis lucens. 218
46. Opus est nobis amicorum profugium, vt per-
nix inimicorum frustremus odium. *ibid.*
47. Vbi Mariæ sanctissimæ adest hominibus pa-
trociniùm, desperat de victoria dæmonium.
219
48. Si carnis lasciuiã per continentia rigorem
frænatur, hostilis conatus eliditur. *ibid.*
49. Conatus dæmonum precibus iustorum tar-
dantur, peccatores Sanctorum mortificationis
meritis proteguntur. 220
50. Qui mulieri facilè credit, fraudem sæpissimè
incurrit. 221
51. Religiosè obsequentes vrgent sæpè pericula,
sed cœlestis abigit prouidentia. *ibid.*
52. Imminetia sibi inuenitur propulsare, qui pie
adlaborat pericula proximorum auertere 222
52. Vt proficiat, nesciat religiosus dormire zelus,
quia vt aduletur, non dormit ambitus. 223
54. Faciliùs referunt homines, quod audientis in-
flamat iram, quàm quod demeretur gratiam.
ibid.
55. Prudentis est, vrgente periculo, moras non
trahere, sed ad tutiora confugere. 224
56. Sacerdotis est, etiam Magnates de periculo vi-
tæ admonere, & prudentis Principis statim,
quod admonetur, perficere. 225
57. Superbi mallunt interire, quàm alios plausi-
bus celebratos videre. *ibid.*
58. Stultitia est, ne moriatis, mori. 226
59. Non semel morti proximus sibi non consu-
lit, & commodis suorum attendit. *ibid.*
60. Sæpè iniqui contra se mortis sententiam pro-
ferunt, & carnificis munus agunt. 227
61. Plures cadaueri honorabile sepulchrum dis-
ponunt, sed animæ non attendunt. *ibid.*
62. Sapientem dedecet sine testamento mori, &
hæredibus iurgia relinquere. *ibid.*
63. Sibi aliquando apparet stultus, qui de ingenij
perspicacitate ab omnibus celebratus. 228
64. Olim regij Consiliarij non utebantur florenti
pompa, neque famulicij caterua. *ibid.*
65. Probi, improbique similes subeunt dolores,
dissimiles fortiuntur fines. 229
66. Amicus amico consentiat, dum virtus colitur,
resiliat, si honestas læditur. 230
67. Qui calamitatibus iactatur, in Angelorum
confugere patrociniùm conetur. *ibid.*
68. Sæpè dum inexpertus, quia cognatus, præfici-
tur, Respublica periculis adurgetur. 231
69. Qui iniustam defendendam suscipit causam,
lædit conscientiam, & sibi conciliat etiam in-
uidiam. *ibid.*

Index Paragraphorum.

70. Plures eligunt læsa conscientia fulgere, quàm illæsa, dignitatibus viduari. 232
71. Nonnulli affectant dignitatem, & dignitatis respuunt laborem. *ibid.*
72. Sæpè quis, ne cœqualibus obscurior videatur, vt exæquet, culpis inficitur. 233
73. In bene constituta Republica non magni habitus, qui ex concubitu illegitimo exorti. *ibid.*
74. Qui præ alijs constat fulgere, debet officijs cæteros anteire. 234
75. Inflicta alijs pœna est sapientibus pro doctrina. 235
76. Impendendę misericordię sit taxa, facultatum mentura. *ibid.*
77. Vel exigua pauperibus dilargita afferunt ingentia lucra, & æterna assequuntur præmia. 236.
78. Liberali satis est, alterius necessitatem conijcere, vt gestiuerit sibileuare. *ibid.*

CAPVT XVIII.

1. Satius est, antequam vitia prodeant in campum, inferre cupiditatibus bellum. 238
2. Plures dum recusant viriliter contra inimicos pugnare, solent, quia inertes, perire. *ibid.*
3. Parum est ab hoste non læsi, nitendum est expugnare. 239
4. Magnis virtutibus stipatus in campum potest procedere, non aded instructus conetur aufugere. *ibid.*
5. Si animus ignauo timore contrahitur, audacia aduersariorum augetur. 240
6. Qui contra dæmonem ad pugnam accingitur, castitate, & fide Trinitatis muniatur. *ibid.*
7. Languet exercitus, si Princeps subtrahitur bello, vt inertis indulget otio. 241
8. Oratio, elemosyna, & corporis afflictatio associata citò restaurarunt amissa, & optima de hoste reportauere trophæa. 242
9. Victoria non minùs sæpè iustorum orationibus acquiritur, quàm strenuis sudoribus militum obtinetur. 243
10. Diabolus non magni æstimat mediocres vincere, sed de proceribus sanctitatis triumphare. *ibid.*
11. Prudentis est propriam sententiam pertinaciter non tueri, sed iudicio plurimum postponere. 244
12. Æque molestum est, aliquando in certamine vincere, ac superari. *ibid.*
13. Iniquus beneficijs obstrictus lædit, iustus ingratitude læsus parcat. *ibid.*
14. Vera charitas non videt, quo fulgeat, videt, quo ardeat. 245
15. Vera charitas plus horrescit proximi animum dispetire, quàm commodis omnibus denudari. 246
16. Vitium sequentes, falsis sibi spebus blandiuntur, sed durissimis prælijs vrgentur. *ibid.*
17. Peccatores sæpè vt fugiant incommodum, in perniciosius incidunt detrimentum. 247
18. Adolentes citò morti tradit luxuria, nec opus est inimicorum violentia. *ibid.*
16. Assueti voluptatibus indulgere, instante morte, contingit spurcis cogitationibus oblectari. 248
20. Diuitiæ viuentem sollicitudinibus grauant, morientem, intricatis difficultatibus ligant. 249
21. Profusa luxuria sterilitate mulctatur, & posteritate interdicatur. *ibid.*
22. Qui gehennales pœnas nouit, nullum, vt vitaret, tormentum fugit. 250
23. In impios filios creaturæ obarmantur, & meritis supplicij distorquere nituntur. *ibid.*
24. Sæpè qui distulit pœnitentię opportunam arripere medicinam, instante morte induratur ad pœnam. 251
25. Sæpè quæ naturæ beneficia, & ornamenta putantur, inauspicata, & insidiosa inueniuntur. *ibid.*
26. Ipsa peccatoris oblectamenta conuertuntur in supplicia. 252
27. Superiori culpa denuntianda est non degeneri desiderio, sed honesto correctionis studio. *ibid.*
28. Frequenter Magnates corrigens, non assequitur præmium, frequentius subit periculum. 253.
29. Reprehensibilis est, qui alterius vitia nec audet carpere, nec silentio patitur tegere. *ibid.*
30. Sæpè qui ad perpetranda crimina hortatur, postea accusatorem agere adnititur. 254
31. Parum iuuat honoribus, & delicijs cumulari, si animam contingat perire. *ibid.*
32. Perfectè obediens satis est superioris voluntatem conijcere, nec mandatis opus vrgeri. 255
33. Etiam in improbo est dignitas suspicienda, & reuerentia præstanda. *ibid.*
34. Miserum est ibi pati luctuosam stragem, vbi cæteri adinuenerunt salutem. 256
35. Iusti, zelotypique est, facillè propriam remittere, & Dei offensam acriter vindicare. 257
36. Princeps sit clemens in humiliter subiectos, seuerus in duos. *ibid.*
37. Ingenuus, nobilisque cognationis leges ignorat, vt Principi fideliter seruiat. 258
38. Peccatum iterum, & iterum est expugnandum, etsi semel fuerit deletum. *ibid.*
39. Milites, Magnatesque affectant exoculatam audaciã, & legibus inferre violentiam. 259
40. Qui iniquis artibus sitit plausum, adauget sibi tormentum. *ibid.*
41. Sorores sunt pertinax cordis duritia, & mollis carnis illecebra. 260
42. Qui ad peccandum multiplex inuenitur, ad pœnas etiam soluendas multiplicatur. *ibid.*
43. Vbi patitur scelestus supplicium, inde emanat cæteris refrigerium. 261
44. Perniciosa ambiuntur si dulcia, salubria repudiantur si amara. *ibid.*
45. Ingratus omnibus habetur odiosus. 262
46. Execrandus conuincitur, quem durè punit amicus, & sententiam rigidam noscitur fulminare patronus. *ibid.*
47. Vitia non solùm contra animam, sed contra temporalem etiam vitam sunt tela. 263
48. Vitio penitus interempto, contentio cessat certaminis, & timor etiam discriminis. 264
49. Sæpè bonæ politicæ congruit generalitatis errori parcere, nec seuera distinctione scire. *ibid.*
50. Temperanda est ira, ne tibi ipsi afferas detrimentum, dum anhelas alijs inferre supplicium. 265.
51. Superbus, & in ambiendis honoribus nimius, ab omnibus habetur despectus. *ibid.*
52. Magnates pœnam à lege decretam sæpè frustrantur, sed soluere post mortem noscuntur. 266.

Index Paragraphorum.

53. Bona politices est post inflictam mortem oculis scelestos obijcere, & alios horrore spectaculi præmonere. *ibid.*
54. Qui honore sepulturæ iurè priuatur, magnis criminibus defædatus conuincitur. 267
55. A cadauere promanar honor sepulchro, non è sepulchro cadaueri. *ibid.*
56. Homines detorquent ad vanitatem, quæ promouere possent virtutem. 268
57. Sæpè homines affectant gloriari, de quibus fas erubescere. 269
58. Qui improbes aurum deberet bene collocare, sumptibus non profuturis solet expendere. *ibid.*
59. Manus, gloriosius est epitaphium, quàm lapidi pulchris litteris exaratum elogium. 270
60. Omnia naturæ ornamenta morte delentur, sed honesta opera immortalitate donantur. *ibid.*
61. Nonnulli ex solo corpore videntur constare, & de solo corpore curam gerere. 271
62. Tranquillitas Reipublicæ perturbatur, si ambitio debitum virruti honorem assequitur. *ibid.*
63. Quia euanidis infumimus, tempore ad vtilia caremus. 272
64. Militi non licet quid sine ducis licentia tentare, etsi præsumperit plus seruire. 273
65. Sic aliquando scelesti incidunt in supplicium, vt speciali prouidentia agnoscatur dispositum. *ibid.*
66. Magnatum scelera fountes, aliquando statutam à lege frustrarunt, pœnam, sed seueriorem soluerunt Numini multam. 274
67. Verus amor amati cupiditatibus non blanditur, imo arcere à desiderijs noxijs conatur. *ibid.*
68. Ardor merendi extinguitur, si spes remunerationis aufertur. 275
69. Perseuerans constantia assequitur, votisque fruatur. 276
70. Nimia, importunaque instantia solet extorquere, quod sibi non conuenit impetrare. *ibid.*
71. A superiore non semel dilectis commendantur vtilia, alijs iniunguntur molesta. 277
72. Ireuerentiæ genus est sollicitè munus ambire, & tractis moris postea differre. *ibid.*
73. Gratitude non debet differri, sed beneficium ipsum comitari. 278
74. Ferè semper Principibus prospera denuntiantur, & infausta reticentur. 279
75. Humilitas itineris docet compendia, vt citò ad virtutum valeas deuenire fastigia. *ibid.*
76. Dum milites Martio certamine sanguinem fundunt, decet Principem à delicijs temperare, & sollicitis curis vrgeri. 280
77. Præ alijs laborare debent sollicita vigilantia, qui pro Republica celsa occupauere fastigia. *ibid.*
78. Pauci sunt, qui nuntiare gestiant prospera; plures, qui prænuntiare adnitantur infausta. 281
79. Qui plana, rectaque via probantur incedere, tardius ad laboris præmium solitant peruenire. *ibid.*
80. Quoduis Magnatum vestigium linceis oculis denotatur, & actionum tenor proditur. 282
81. Magnatibus coràm profunda penditur reuerentia, sed à tergo tetra obmurmurat sæpè lingua. 283
82. Victoria non tam ducis, aut Principis viribus applicanda, quàm Numini est adscribenda. *ibid.*
83. Deus pro illo aggreditur bellum, qui pro Deo intrepidus processit in campum. 284
84. Non sunt filiorum crimina parentibus exaggeranda, sed sub generalitate prodenda. *ibid.*
85. In curia citius solent assequi præmium mentiti, quàm integram veritatem professi. 285
86. Qui nobilior, sit ciuilitate etiam cultior, & urbanitate exornator. *ibid.*
87. Cui minor debetur, aliquando reuerentia amplior, & cui maior, minor impenditur. 286
88. Virtutum legitima progenies etiam inimicorum salutem curat sollicitus, sed Deus eius iniurias punit seuerus. 287
89. Aspectus regius nullo casu debet immutari, sed idem semper aspicientibus apparere. *ibid.*
90. Sic iustos charitas vrget, vt temporali discrimini exponant vitam, ne proximus perdiderit animam. 288

CAPVT XIX.

1. **D**eus dulcia amaris miscet, & amara dulcibus lenit. 290
2. Aliquando qui videtur obsequijs obligare, dolore constat incutere. *ibid.*
3. Durissimum est sustinere supercilium, qui amplissimum probatur merere præmium. 291
4. Sæpè creaturis deseruienti pro fructu est rubore confundi, & sera pœnitentia vrgeri. 291
5. Magnatum defectus secretò sunt corrigendi, non in populum euulgandi. 292
6. Sæpè veluti legitima consequentia, cogitatur plures committere, qui vnicum errorem decreuerat perpetrare. *ibid.*
7. Prudentia est iniuriæ dolorem premere, & maiora damna serena facie vitare. 293
8. Sæpè non licet Magnatibus se miseros prodere, sed opus est felicitatem mentiri. 294
9. Verus amicus prodesse satagit, displicere, cum oportet, non metuit. *ibid.*
10. Idem esse videtur mori, & splendenti pompa nudari. 295
11. Frequenter domini de seruis non habent sollicitam curam, ab eis tamen exactissimam exigunt obedientiam. 296
12. Præmium reputant milites, si Princeps eos benignè alloquatur, & grato vultu soletur. *ibid.*
13. Alienos defectus semper graua extendit suspicionis audacia, minuere virtutes peruersa sollicitat æmulationis inuidia. 297
14. Aliquando eximia virtus arguitur, & apud sæculum carpitur. *ibid.*
15. Sic peccatores errant, vt contrariam antecedentibus consequentiam deducant. 298
16. Princeps, si vtilem remunerationis emittat curam, angustat sibi coronam. 299
17. Superior non est durè increpandus, sed comiter admonendus. *ibid.*
18. Magnates, si debitam eis quis violauerit reuerentiam, nunquam obliuioni tradent iniuriam. 300
19. Magnitudine celsi ad plurima coguntur inuiti. *ibid.*
20. Peccatores à Deo celeri gradu fugiunt, iusti gressu non adè concito veniunt. 301
21. Quisque adnititur à perpetrata culpa immunem se asserere, & alteris applicare. *ibid.*
22. Si accepta à Deo beneficia subeant memoriam, suadent ingratitude pœnitentiam. 302



Index Paragraphorum.

23. Quæ imminet temporalium iactura, præcauetur sollicita diligentia. *ibid.*
24. Admissus semel error cautæ deseruiat respicientiæ, non cæcissimæ pertinaciæ. 303
25. Consortis in eadem culpa lamentabilis casus ad respiscendum instigat, & moram omnem condemnat. *ibid.*
26. Qui præ alijs festinauit ad culpam, alios etiam ad impetrandam anteuerit veniam. 304
27. Digna Magnatibus actio, temperate Principis iram, & reducere ad eius populum obedientiam. 305
28. Iuuat ad impetrandam facilius veniam, implorare per Magnates misericordiam. *ibid.*
29. Si Reipublicæ Proceres virtutem sequantur, laudabili cæteri adulari imitatione adnituntur. 306
30. Opus est aliquando munus suum sacerdotem admonere, quia obliuioni contingit tradere. *ibid.*
31. Peccatori nimio rubore confusi animus est addendus, & ad respicientiam humaniter prolectandus. 307
32. Nulli parti debet esse suspectus, qui vtramque ad concordiam reducere fuerit admissus. *ibid.*
33. Bene sonat audienti querela, dum ab amore constat exorta. 308
34. Diuini amoris erga homines est argumentum, missis prædicatoribus excitare, & peccatorum veniam offerre. *ibid.*
35. Sæpè consanguinitatis nexu coniuncti ad exhibenda officia immorantur præ cæteris tardi. 309
36. Magna Principis gloria est victricia trophæa reportare, & clementi in deuictos humanitate fulgere. *ibid.*
37. Sic nonnulli tuentur semel decreta, vt non demutent, etsi rationi, & legi contraria. 310
38. Lentiùs ad virtutem solent accedere, quos originis, aut naturæ constat dotibus cæteros anteire. 311
39. Tutet Superior, ne subiectus se præsumperit odio habitum, aut de æstimatione despectum. *ibid.*
40. Prudens cognati offensam remittit, & quid sibi ipsi debeat ad remittendum, attendit. 312
41. Sæpè Deus specialibus attrahit beneficijs, grauioribus inquinatos peccatis. *ibid.*
42. Aliqui difficilis ingenij asperitate assequuntur, quæ alijs titulis non merentur. 313
43. Eximij amoris, & fidelitatis est testimonium, dignitatibus renuntiare, vt meliùs possis Principis commodis inferuire. 314
44. Plures recusant ad virtutis castra transire, quia ab antiquo splendore verentur cadere. *ibid.*
45. Sæpè dum spes inhiat ad votiuua commoda, accepta non attendit officia. 315
46. Aptior videtur regimini aliquando culpa denigratus, quàm duro ingenio, & inflexibili præditus. *ibid.*
47. Qui admisit culpam, alios ad virtutem reduciendo, satagat inaurare, & virtutibus anteire. 316
48. Quæ videbantur ardua, Dei fauore inueniuntur sæpè facilia. 317
49. Principis auctoritati fortè quis obfistet, sed humanæ vrbانيتati nullus non cedit. *ibid.*
50. Quem culpa à felicitate expulit, pœnitentia, & tolerantia restituit. 318
51. Qui ad delictum oculos non erubuit intrepidus, non refugiat, ad pœnitentiam plectibili rubore irretitus. *ibid.*
52. Qui grani deliquit crimine, ad petendam veniam anteuertat alios celeritate. 319
53. Ad iustorum patrociniũ se conferat, qui veniam consequi anhelat. *ibid.*
54. Sæpè politici, vt interna meliùs dissimalauerint odia, præ alijs exhibere adnituntur officia. 320
55. Prodest ad vitandam criminis pœnam patronus iudici acceptus, & exhibitis officijs gratus. 321
56. Nullus sic pœnitentia peracta fidat, vt Sanctorum patrociniũ non ambiat. *ibid.*
57. Paterfamilias non solum virtutem colat, sed familiam etiam instruat. 322
58. Pœnitentia abradit delicta, & innocentia vicinatur correctionis celeris diligentia. 323
59. Dei seruus faciliè factam sibi remittit offensam, cum inferre alteri animatus vereatur iniuriam. *ibid.*
60. Nonnulli conceptam nesciunt indignationem sopire, quantumuis agnouerint causas cessare. 324
61. Magnum affert periculum socijs nimis iracundus, & prudentiæ moderamine non frænatus. 325
62. Vices dæmonis agit, qui proximi culpas exaggerat, & ad pœnas infligendas irritat. *ibid.*
63. Numquam deest, qui ad virtutem prouum impedit, & ad prauitatem exacuat. 326
64. Prudenter, vtiliterque Princeps adnititur stabiliri clementia, dum subiectorum corda videntur esse sollicita. *ibid.*
65. Princeps maiestati detrahit, si alieno regatur impulsu, commendat, si prudenti non reluctetur consilio. 327
66. Decens est Principi sacramentum emittere, & erga suos beneuolentiam ostendere. *ibid.*
67. Rationabilis regnum stabilit clementia; feralis euertere solet sauitia. 328
68. Sæpè quod natura denegat, assequi industria artificiosa adlaborat. *ibid.*
69. A dignitate expunctus lugetur vt mortuus. 329
70. Sæpè homines queruntur erga se omissa, quæ displicerent, si facta. *ibid.*
71. Sæpè serui, ne exiguum laborem subeant, dominis pericula creant. 330
72. Non semel famuli domnos student fallere, vt periculum possint augere. *ibid.*
73. Ingenuus ægrius dolet honore lædi, quàm facultatibus dispoliari. 331
74. Iudex si versata fuerit pecunia, contra largientem accusationem non audiet, aut auditam prorsus contemnet. *ibid.*
75. Ni exuat naturam, acceptis muneribus, equam non proferet iudex sententiam. 332
76. Modestus factiosam contra se repellet calumniam, nec iudicialem dabit contra calumniatorem querelam. 333
77. Subiectus laudabiliter cæcus à superiore veneretur decreta, & æquitati reputet consona. *ibid.*
78. Iusti illatam sibi amplectuntur pœnam, quia non recordantur merita, sed delicta. 334
79. Humiles contra se perpetrata adnituntur excusare, & ruborem offendentis minuere. 335

Index Paragraphorum.

80. Qui cœlesti epulo quotidie pascitur, eximia nitere perfectione tenetur. *ibid.*
81. Iudex magna sibi nouerit conquirere detrimenta, si alteri fauens, alterius corrumpat iura. 336
82. Iudex muneribus corruptus non solum reum absoluet, sed præmijs dignum censebit. *ibid.*
83. Adulatio, detractioque gratis auribus excipitur, sed afferre grauiissima detrimenta probatur. 337.
84. Sæpè iudices honori ducunt malè decreta tueri, et si malè decreuisse nequiuerint ignorare. 338
85. Alia vitia inueniuntur regna quassare, iniustitia probatur prorsus subruere. *ibid.*
86. Sæpè, ne videaris ingratus, conuinceris esse ingratiſſimus. 339
87. Maius Dei beneficium est inuicta inter aduersa patientia, quam splendens inter commoditates fortuna. 340
88. Quæuis iusto dulcescit molestia, ut Deus accepta de inimicis redimatur victoria. *ibid.*
89. Qui Christum desiderat comitari, deponat cella, sequatur humilia. 341
90. Virtutis studiosus metam sibi non figit, sed semper gradum promouere contendit. *ibid.*
91. Senectus dum occasui proximior, esse debet in virtutibus actuosior. 342
92. Vetuli inueniuntur plures, senes pauciores. *ibid.*
93. In senibus aliquando est auaritia tenacior, & ambitus acquirendi uiuidior. 343
94. Diuitias pauperibus erogare, est honestis lucris censum augere. *ibid.*
95. Non adeò ingens præmium est facultatibus cumulari, ut interna, & imperturbanda requie potiri. 344
96. Placida requie non fruitur, prospera fortuna vsus, sed vestigia Christi imitatus. *ibid.*
97. Cœlestis mensa est eximium pro laboribus præmium, & faustum æternæ felicitatis auspici-um. 345
98. Opus est, Christum in itinere comitari, si velis in termino imperturbando gaudio potiri. 346
99. Facile spernit volaticum sensuum oblectamentum, qui apertum sibi intuetur sepulchrum. 347
100. Cordati senis onerosa est præsentia, euanida suspirantibus gaudia. *ibid.*
101. Prudens senex à tumultu secedens, proximum meditatur sepulchrum, imprudens ætatis negligit documentum. 348
102. Honestum est debitam virtutibus mercedem ambire, sed generosius, ob seipsam honestatem amplecti. *ibid.*
103. Etiam qui generosè cæteris omnibus renuntiarunt, aliquando posteriorum splendoribus studuerunt. 349
104. Plus amat filios, qui satagit moribus expolire, quam qui sollicitat diuitijs, & honoribus adaugere. *ibid.*
105. Inter prosperas sæculi fortunas nequit cor humanum non ingemiscere, & solum probatur virtutibus expoliturum quiescere. 350
106. Non magni æstimandum est sepulchris operosis recondi, sed iustorum, parentumque consortium sortiri. 351
107. Eleemosyna dilargienti producit salutem, & posteris conciliat felicitatem. *ibid.*

Eman. de Naxera. in Reg. Tom. I V.

108. Deus quodammodò eius subiicitur placido, qui se prorsus Numinis dicauit arbitrio. 352
109. Efficacissimæ sunt apud Deum eius preces, qui larga manu aluit egenos, & pauperes. 353
110. Magnam à Deo benedictionem assequitur, qui felici clausula vitam consumasse probatur. *ibid.*
111. Qui decreuit Dei domum inhabitare, omne cum sæculo commercium tenetur effugere. 354
112. Qui speciali titulo obstrictus, cæteris antecedit deuotus. *ibid.*
113. Multiplicem timeat calumniam, qui sortitur Principis gratiam. 355
114. Doloris materia est alijs honore postponi, qui meritis indubium est anteire. *ibid.*
115. Nihil omittendum est, ut iniquam à te suspicionem depellas, & honoris integritati prouideas. 356
116. Nequit Reipublicæ status non conuicti, si consanguinitatis priuilegio honores existimentur acquiri. 357
117. Si iustis superior querelis neglexerit satisfacere, nouerit contra se certamina promouere. *ibid.*
118. Nonnulli alios accusant, ut propriæ ignauiæ aliquem colorem prætendant. 358
119. Inciuilis superbia plurima excitare solet diffidia. *ibid.*
120. Ingenuus fidelisque subditus non attendit mercedem, sed seruit ut impleat obligationem 359.
121. Plures honestos non æmulantur labores, sed sitiunt utilitates. *ibid.*
122. Dignitatis ambitio suffragia sollicitat officiosus, post electionem non semel obliuiscitur inurbanus. 360

CAPVT XX.

1. Sæpè cogitur duriora pati, qui leuia refugit sustinere. 361
2. Ambitio dum inuolat cæca, sibi periculum maturat improuida. 362
3. Imprudentia est, generalitatis causam sibi specialiter applicare, & sumere vindictam gestire. *ibid.*
4. Humana temeritas etiam dum horribile intuetur supplicium, consimile aggreditur perpetrare peccatum. 363
5. Satis est bonis moribus non imbutus, ad honesta plurium debilitanda propòsita, imò aduertenda in contrarium studia. *ibid.*
6. Plures spebus ducuntur euanidis, & experimentis non detinentur certissimis. 364
7. Superior, si lites discupit euitare, discat funambuli adinstar incedere. 365
8. Superior temporis expectet suffragium, ut supplicarit salubre remedium. *ibid.*
9. Pœnæ obnoxius est, quisquis peccat, sed grauiori quisquis ad peccandum irritat. 366
10. Omnis occasio culpæ est prouidenter vitanda, & ab oculis amouenda. 367
11. Qui discupit inuolatam à foemina fidem seruari, satagat necessaria præbere. *ibid.*
12. Impuritas etiam inculpata à Regis mensa inuenitur exclusa. 368
13. Sæpè qui sollicitarunt ad munus eligi, electi solent executionem tardare. *ibid.*
14. Bona politices satagit alium sufficere, si ad munus designatum moras agnouerit trahere. 369.

Index Paragraphorum.

15. Periculosum est, inimico adurgente, vires recolligere, tutum collectas habere. *ibid.*
16. Pietas est scelestum persequi, & Reipublicæ pestem abigere. 370
17. Laxæ, pompaticæque vestes sunt decertanti impedimenta, & aduersariorum auxilia. 371
18. Exhibita à Magnatibus officia inueniuntur sæpè insidiosa. *ibid.*
19. Nulla attenditur generis cognatio, si cæca gliscat ambitio. 372
20. Politica vafricies casui disponit adscribi, quod studiosa industria constat disponi. 373
21. Periculosum est, dignitatem ambire, sed periculosius est, à possessione alterum deturbare. *ibid.*
22. Plures si miserandus casus occurrat, gradum sistunt, vt curiositatem pascant, non vt veris documentis proficiant. 374
23. Sæpè qui ad virtutem videtur ducere, ipsa in via scandalum probatur apponere. 375
24. Grato obsequio est dignus, qui, vt honesta expleueris vota, quæ tardare possent, amouit impedimenta. *ibid.*
25. Ambitio ingenti labore euanidam gloriam sollicitat, & plures, dum sollicitat, hostes armat. 376
26. Iniquis receptaculum exhibere, est sibi calamitatem asciscere. *ibid.*
27. Deipara à suis auertit periculum, & hostilem reprimat gladium. 377
28. Oportet accedere, si Deiparæ consilia desideras auscultare. 378
29. Magna felicitas est habere, à quo consilium petas, & tormentum ambiguitatis euadas. *ibid.*
30. Nequit florere Respublica fortunata, si veritas, aut æquitas probatur euersa. 379
31. Cum nostræ nos calamitatis præstemus causam, proferimus de alijs querelam. 380
32. Deus affligit, vt corrigat, non affligit, vt affligat. *ibid.*
33. Sanctissima Virgo laudabiles dæmoni molitur insidias, & assequitur decantandas victorias. 381
34. Vbi peccatores tutum sibi æstimauere profugium, luctuosum sæpè experti sunt detrimendum. *ibid.*
35. Sanctissima Virgo honesta hominum vota fouet, & ad effectum salutarem perducit. 382
36. Expuncto peccato, quæ premebat, fugit calamitas, & antiqua redit tranquillitas. *ibid.*
37. Etsi alijs indulgeat blanda clementia, auctorem criminis seuera vrgeret solet iustitia. 383
38. Quisque potest contractam maculam factis decantandis delere, & pristinum in statum redire. 384
39. Strenui milites ægrè ducem patiuntur imbellem, spontè sequuntur fortem. *ibid.*
40. Tributis colligendis præfectus, æquitate, & prudentia lucere debet ornatus. 385
41. Historiographus est Reipublicæ utilis, si nulla adulatione obscuratus, & indefessa veritatis inquisitione sollicitus. *ibid.*
42. Subsidia egentibus ministrare, est quodammodo Numini sacrificium offerre. 386
-
- CAPVT XXI.
1. Si ad vnum Principis confluerint dona, nequibit non laborare Respublica. 387
2. Generalis oriri solet inopia ex iustitia, & æquitate neglecta. 388
3. Diu calamitatibus adurgemur, quia calamitatis causas scrutari negligimus. *ibid.*
4. Etsi pœna diu videatur dilata, nunquam culpa remanet impunita. 389
5. Inualidi, oppressique gemitus contra opprimentem est durissimus aduersarius. 390
6. Si fides sacramento sancta violetur, calamitatem violentibus auspicatur. *ibid.*
7. Sibi Superior inuidet, si inualidi tacentis iniuriam vindicare contemnit. 391
8. Degener sæpè affectio laudabilis zeli fucosostitur, & imponendo grassatur. *ibid.*
9. Nonnulli imprudentissimè peccant, vt à peccatis alios eripiant. 392
10. Inglorium est offensæ veniam auro diuendere, & pretio sanguinem effusum taxare. *ibid.*
11. Qui repetere sauiam ultionem exambit, se Dei legitimam esse prolem ostendit. 393
12. Horrendum est truculentissimi, sauiissimeque inimici manibus tradi, & pœnam eius arbitrio decerni. *ibid.*
13. Aliquando non leni lapsu descenditur, sed fortunæ impetu ruitur. 394
14. Magna prudentia est beneficijs obstringere, à quo potes durissimis pœnis mulctari. *ibid.*
15. Qui in homines Deo sacros probantur audere, honori suo, & saluti inueniuntur periculum procreare. 395
16. Defunctis iustorum prosunt suffragia ad pœnam minuendam, & ad veniam impetrandam. 396
17. Eximia charitas est, ob aliorum commodum vigilijs insistere, & fœtoris molestiam ferre. *ibid.*
18. Magnatibus inflicta pœna, est ad mores componendos schola. 397
19. Grauior est morte calamitas, auium postea rostris dilacerari, ferarum truculentia discerpi. *ibid.*
20. Nec probitas, nec iniquitas potest latere, sed ipsis in recessibus constat prodi. 398
21. Pium est, quos honorabili sepulchro aduersa fortuna visa est interdiceret, honorabili funere tumulare. 399
22. Quos innoxios crux dura afflixit, cœlesti prouidentia sepulchrum affabrè factum futuris sæculis commendauit. *ibid.*
23. Pietas erga defunctos impensa Deum nobis conciliat, & temporalia bona incrementat. 400
24. Iustis crux sæpè productior, sed post mortem & honor amplior. *ibid.*
25. Etsi ingruant dura bella, Deo propitio, reportatur victoria. 401
26. Hostibus citò occurrendum, & alacriter depreliandum. *ibid.*
27. Sæpè quos ceteris altiores commendabat fortuna, celeris deiecit tragædia. 402
28. Etiam triumphis plurimis nobilitatum adurget, si languescat virtus, periculum. 403
29. Dum quis clariori fulget virtute, actori impeti solet tentationum certamine. *ibid.*
30. Graue semel euasisse periculum, non sit fomentum audaciæ, sed documentum cautelæ. 404
31. Religiosi viri est, in graescente etiam senectute communés labores non recusare, & prudentis superioris defatigato indulgere. *ibid.*
32. Sæpè qui occumberet detriumphatus, piorum detriumphat orationibus adiectus. 405
33. Qui

Index Paragraphorum.

33. Qui periclitanti opportunum confert auxilium, adquiret sibi trophæum. 406
34. Foret fortunata Respublica, si Princeps factis præluceat, & subditorum mores expoliat. *ibid.*
35. Bonus Princeps nunquam tentabit emissum sacramentum violare, nec bonus subditus Principi violando blandiri. 407
36. Sæpè cum cautelam suadet miseranda alterius ruina, periculum despicit cæca audacia. *ibid.*
37. Qui deuota in Deiparæ honorem præstat officia posteris adquisiuit trophæa. 408
38. Bellum fastidit delicatos, & comptos, adlegit durè innutritos, & omni imbonitati assuetos. *ibid.*
39. Grande patriæ decus est tulisse filios virtute celebres, & triumphis reportatis insignes. 409
40. Parùm iuuat præ cæteris excellentia, si miserum casum blasphemix sollicitauerit culpa. *ibid.*
41. Infelicitas est nasci cæteris antelatum, & occumbere præ cæteris miserum. 410

CAPVT XXII.

1. **Q**ui accepit eximia, pluraque beneficia, pluriès gratias debet referre, & iugi gratitudine compensare. 412
2. Difficilius est, tectas, domesticasque insidias euadere, quàm hostem legitimè decertantem deuincere. *ibid.*
3. Omnipotentix adscribendum est, inermem; inopemque periculum eludere, si potentissimus penitus anhelat delere. 413
4. Apud Deum semper inuenies fidelissimam protectionem, apud creaturas infidam sæpè securitatem. 414
5. Qui Deo adhæret, vegeto robore vtitur, qui appetitum sequitur, infirmatur. *ibid.*
6. Minus non est, mala patienter subire, quàm spolijs triumphalibus splendere. *ibid.*
7. Gloriosum est externos aduersarios euincere; sed gloriosius de interioribus triumphum agere. 415
8. Firma in Deo spes hominem roborat, & inimicum debilitat. 416
9. Qui cælestis protectionis scuto protegitur, hostiles repellit ictus, & victoriæ assequitur plausus. 417
10. Excelsis opus est tuto profugio, & valido fulcimento. *ibid.*
11. Grande beneficium est, à vitæ liberari periculis, sed grandius, à conscientix absolui periculis. 418
12. Dei laudes canere, est inimicos ferire. 419
13. Sæpè adest Dei opportunum auxilium, cum nullum sperabas à cæcis difficultatibus exitum. *ibid.*
14. Homo culparum ligaminibus irretitus, mortem pati solet improuidus. 420
15. Sæpè calamitas recurrere compellit ad orationem, & oratio depellit calamitatem. 421
16. Nullum contra Dei indignationem tutum inuenitur profugium, nec stabile permanere poterit regnum. *ibid.*
17. Deus misericorditer prænuntiat iram, vt peccator effugere possit pœnam. 422
18. Vt hominibus beneficiat, non dedignatur Deus splendorem contrahere, & regium thronum delerere. *ibid.*
19. Deus morosus punit, celerrimis beneficia

- impertit. 423
20. Deus faciem puniturus abscondit, benefactor ostendit. *ibid.*
21. Qui affectauit aures salubribus monitis denegare, velle probatur perire. 424
22. Vbi corrumpit impius peccatorum pondere prægrauatus, iustus graditur cælesti auxilio protectus. *ibid.*
23. Sic accepta celebranda sunt beneficia, vt nulli expressè impingatur obscura nota. 425
24. Solus Deus potest eripere, quem prauitas robore, & potentia armata animitus tentat euertere. *ibid.*
25. Totum studium dæmonis est adoriri incautum, & delere malè securum. 426
26. De Numinis fauore venit pericula effugere, vt etiam virulentos hostes amore amplecti. 427
27. Omnia potest sperare secunda, qui studiosè Domini colit præcepta. *ibid.*
28. Specialem erga se Dei experitur curam, qui aduersarijs largitur veniam. 428
29. Qui vlticia Dei meditatur iudicia, timet violare præcepta. *ibid.*
30. Appetitus est adulator insidiosus, culpa domesticus fraudulentus. 429
31. Qui sibi ab admissio crimine, vult cauere, studeat egregijs virtutibus exornari. 430
32. Plures studiosius mundiciæ sollicitant opinionem, quàm veritatem. *ibid.*
33. Qualem se quisque experitur, talem esse alterum arbitrat. 431
34. De iusti consortio ad modestiam peruersus instruitur; modestus iniqui contubernio peruertitur. *ibid.*
35. Superbia fœcunda calamitatum est vena, humilitas felicitatis est causa. 432
36. Plures lucere exambiunt, vt vanè splendeant, non vt cæteris proficiant. *ibid.*
37. Cælesti lumini debes obscuris tenebris non inuolui; nec tricis multiformibus implicari. 433
38. Virtutis ingressus viam sæpè obicibus impeditur, sed victis Dei auxilio difficultatibus, coronatur. 434
39. Ipsa in senectute non sunt arma deponenda, sed studiosè contra vitiorum fraudes præstanda. *ibid.*
40. Mundis vendit fallacijs mixta, virtus offert prorsus sincera. 435
41. Sapiens antequam verba proferat, trutinæ considerationis examinat. 436
42. Deus sua generosus communicat; homo tenaci avaritia denegat. *ibid.*
43. Qui celsa dignitatum occupauit fastigia, se studiosè accingat ad prælia. *ibid.*
44. Qui nesciunt valida depræliari dextera, audaci insurgere solent lingua. 437
45. Nequit ad serenitatis peruenite tranquilla, qui voluptatum non transilit retia. *ibid.*
46. Iustus ad eam militiam vocatus est, vbi non otium, sed vndique periculosum adurget bellum. 438
47. Eneruiter pugnare, est victoriam hosti concedere. *ibid.*
48. Christi Domini cruce dæmonis ictus retundimus, sospitatique prouidemus. 439
49. Mansuetudo fortunatum amabilem reddit, asperitas odibilem facit. 440
50. Humilis mansuetusque lubrica nouit euadere,

Index Paragraphorum.

- & ad lata, expeditaque itinera peruenire. *ibid.*
51. Plenam victoriam non reportauit, qui quem ex aduersarijs remanere permisit. 441
52. Plures contra vitia bellum aggrediuntur, sed breui tempore dilassantur. *ibid.*
53. Ad speciem terribilia, cœlesti auxilio viribus probantur orbara. 442
54. Sibi infamiam architectantur, qui iustum odio cœcissimo persequuntur. *ibid.*
55. Infelicissimum est, magnis sumptibus eum collere, à quo certum est in afflictione destitui. 443
56. Detestanda improbitas misericordiæ aures solet ocludere, & clamores inanes reddere. *ibid.*
57. In caput iustorum eligendus multis in periculis inuenitur cœlesti prouidentia seruatus. 444
58. Laudanda politices est, sic inimicos demulcere, vt grata vi feceris in amicos transire. 445
59. Qui à iustitia, & æquitate defecit, vrgentissimas sibi angustias præmaturauit. *ibid.*
60. Seueriorem Deus pro homine sumit vindictam, si ipse suam Numini dedicauit patientiam. 446
61. Sæpè quò viuidior ardet inimicus nocere, inuenitur præter opinionem commoda incrementare. *ibid.*
62. Accepta à Deo beneficia benè compensas, si peccatores ad Dei adducere famulatum exambias. 447

CAPVT XXIII.

1. **I**usti in vita ingemiscunt afflicti, sed in morte Deo Laudes concinunt læti. 449
2. Vera celsitudo non est dignitatum culminibus resplendere, sed virtutibus exornari. *ibid.*
3. Prudens inter fortunæ prospera, primordia recordatur humilia. *ibid.*
4. Quò quisquis apud Deum clarior, apud se deiectionior est, & humilior. 450
5. Dei timor Principes edocet æquitatis custodire mensuram, & æquitas tuetur coronam. 451
6. Deum timens specialem sortitur tutelam, & salubri adauget metu fortunam. *ibid.*
7. Deum timens cœlestibus ornatur animæ donis, & specialibus fruitur priuilegijs. 452
8. Virtutibus hoc in sæculo amplissimus debetur honor, & in futuro nunquam deciduus splendor. *ibid.*
9. Deus nostra merita impensis beneficijs transgreditur, & longè fauoribus euicisse probatur. 453.
10. Cui peccatis contigit aliquando inferuire, conetur miris virtutum fructibus exundare. *ibid.*
11. Fundata humilitas est virtutum disciplina, & sanctitatis tutela. 454
12. Qui se totum in Dei voluntatem transfudit, Deum sibi in omnibus salutarem inueniet. *ibid.*
13. Duro, intractabilique ingenio præditi citò euelluntur, & sibi asciscere calamitatem probantur. 455
14. Virtus sibi nomina æternat; vitium caliginibus tectis obscurat. *ibid.*
15. Præmium dignis dilargitum, cæteris vires inspirat, indignis, robur eneruat. 456
16. Mira laus est sapientia radiare, & simul fortitudine bellica prælucere. *ibid.*
17. Omnibus debet virtutibus exornari, qui ad dignitatum culmina probatur efferri. *ibid.*
18. Sapiens non inflatur aura superbiæ, nec circumuoluitur flatibus arrogantia. 457
19. Inanis est sapientia fructibus viduata, nec pro-


- ficere alijs attenda. *ibid.*
20. Prælati iusto zelo debet inardescere, nec Magnatum ab æquitate terroribus deuiare. 458
21. Plures laboris expertes vtilitatis anhelant esse participes. *ibid.*
22. Sæpè salus honestè despecta viget, indecorè quaerita marcet. 459
23. Vir fortis, deficiente etiam corpore, integro animo constat, & contra fortunam repugnat. 460
24. Fortitudo non minùs lucet in minutis rebus asseruandis, quàm in magnis aggrediendis. 461
25. Opus est in secessu armis spiritualibus communiti, vt in aperto possis cum hoste manus conferere. *ibid.*
26. Superflua Principum desideria periculosa sunt subiectionum tentamina. 462
27. Contemnunt sæpè Principes suorum vitam, vt futilem expleuerint appetentiam. 463
28. Principum gratia emi solet animæ piaculo, & salutis etiam periculo. *ibid.*
29. Noxia sitis potationibus non est sedanda, sed interdicto potu extinguenta. 464
30. Qui commisit prohibita, pœnitens deneget sibi concessa. *ibid.*
31. Fortior est qui seipsum edomuit, quàm qui aduersarios euicit. *ibid.*
32. Plures gestiunt perpetrare peccatum, vt insanum alij expleuerint appetitum. 465
33. Bonus Princeps suorum non bibit sanguinem, vt inutilem satiauerit sitim. 466
34. Crucis Christi Domini eleuatio est inimicorum euersio. *ibid.*
35. Qui cum alijs degit, singularitatem fastu non ambiat, sed strenuis operibus excellentiam sibi conquirat. 467
36. Vir perfectus, alijs tepescens, contra vitia inardescit, delereque exambit. *ibid.*
37. De leonibus triumphum reportauit, qui iram, & concupiscentiam edomuit. 468
38. Prouocatus sæpè ferocissimum hostem vicit, & de laceffente triumphauit. *ibid.*
39. Qui insolentem contra Deum linguam gerit, miserè frequenter occumbit. 469
40. Eius armis inimicum conficere, specialem triumphatori gloriam dignoscitur adaugere. *ibid.*
41. Ad dignoscenda Principis arcana eleuari meretur, qui heroicis virtutibus emicuisse probatur. 470
42. Grande meritorum est testimonium in præcipuum Principis deligi secretarium. 471
43. Famam innubilat, qui plectibilem dolositatem affectat. *ibid.*

CAPVT XXIV.

1. **P**lus ostendit Deum iratum permissa culpa, quam altissima inflata plaga. 472
2. Præcipuum dæmonis studium est Principem deprauare, vt omnem possit generalitatem affligere. 473
3. Qui de virtutibus acquisitis superbit, ab ipsa elatione diminuit. 474
4. Generali multa generalis debet puniri offensa. *ibid.*
5. Populo probatur calamitas imminere, si ad colligenda tributa plures contigerit assignari. 475
6. Sine causa ad tributum cogere, cogentis est culpa, & tributatorum miseria. *ibid.*
7. Sine causa tributum adijcere est ad peccandum populum

Index Paragraphorum.

- | | | |
|--|--|---|
| <p>populum instigare. 476</p> <p>8. Principes populi sæpè detrimento tueri malunt semel decreta, quàm prudentiam audire consilia. <i>ibid.</i></p> <p>9. Mirum est si quis, vt populo consulat, votis Principis contradicat. 477</p> <p>10. Sæpè cogitur populus pati incommoda, & pendere efflagitantibus alimenta. <i>ibid.</i></p> <p>11. Quisque quæ ad se pertinent, studet amplificare, quæ pertinent ad alios, minuere. 478</p> <p>12. Magna Dei misericordia est, admissi sceleris conscientia vri, & sollicitis stimulis adurgeri. <i>ibid.</i></p> <p>13. Infelix est, qui admittit culpam, sed felix, qui accelerat pœnitentiam. 479</p> <p>14. Grauitatem culpæ videtur ignorare, qui ea infectus potest dormire. 480</p> <p>15. Quia peccator ob admissam culpam dolore aduritur, deliciarum renuntiatio testatur. <i>ibid.</i></p> <p>16. Vtilissimus est amicus virtutibus exornatus, nec placendi desiderio corruptus. 481</p> <p>17. Deus aliquando se attemperat eius arbitrio, qui se attemperauit cœlesti placito. <i>ibid.</i></p> <p>18. Clementis iudicis est, dignam meritis sententiam proferre, & quantum in se est, executionis acerbiter lenire. 482</p> <p>19. Bonus superior mavult communem calamitatem subire, quàm sibi, alijs patientibus, providere. <i>ibid.</i></p> <p>20. Sæpè plusquam pœnæ grauitas molestare solet & lentitas, & diurnitas. 483</p> <p>21. Ingenuis, nobilibusque terga hosti vertere, turpius videtur, quàm cadere. <i>ibid.</i></p> <p>22. Deus in exigendis pœnis benignus; homo rigidus, & seuerus. 484</p> <p>23. Deus in remuneratione præmia dilatat, in punitione tempora breuiat. <i>ibid.</i></p> | <p>476</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>477</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>478</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>479</p> <p>480</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>481</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>482</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>483</p> <p><i>ibid.</i></p> <p>484</p> <p><i>ibid.</i></p> | <p>24. Missæ sacrificium Dei indignationem sopit, pestem impedit, aut repellit. 485</p> <p>25. Vel Mariæ Virginis umbra est secuta hominibus contra calamitates tutela. <i>ibid.</i></p> <p>26. Aurum in Numinis reuerentiam impensum, esse probatur cumulatissimum lucrum. 486</p> <p>27. Vbi Dominicæ passionis resplendet meritum, pestiferum populus euadit contagium. <i>ibid.</i></p> <p>28. Amara, veraque peccatorum contritio est mortis, & calamitatis euasio. 487</p> <p>29. Tardiùs districtio percutit, quos tenerè affectus diligit. <i>ibid.</i></p> <p>30. Verè pœnitens leuem inflictam reputat pœnam, & augeri discupit multam. 488</p> <p>31. Durius sæpè charitas quàm proprio vritur dolore alieno. <i>ibid.</i></p> <p>32. Angeli nos edocent pericula euadere, & à Domino veniam consequi. 489</p> <p>33. Quædam à Domino prædestinata probantur, si hominum meritis impetrentur. <i>ibid.</i></p> <p>34. Pœnitentia lugentem quodammodò in sacerdotem initiat, & ad aram accessum parat. 490</p> <p>35. Qui à Deo speciali fauore nobilitati, humilitatem colunt, & ipsi accedere gestiunt. <i>ibid.</i></p> <p>36. Deo solemnitas proprijs sumptibus est dicanda, non alienis detrimentis facienda. 491</p> <p>37. Urbanus Princeps non solùm impetrat petita, sed assequitur auctaria. <i>ibid.</i></p> <p>38. Non recusat subiectus Principi dilargiri, quæ in omnium constat vtilitatem expendi. 492</p> <p>39. Principem tenax dedecet auaritia, & congruit largitas generosa. <i>ibid.</i></p> <p>40. Homini proficit, quod Deo seruit. 493</p> <p>41. Quisque dum ambit, in officijs præstandis inuenitur præstantior, si assequatur, tepidior. <i>ibid.</i></p> <p>42. Ingenuus, si officium præstitit candidatus, etiam exhibet assecutus. 494</p> |
|--|--|---|





INDEX

AD SACRAS CONCIONES Pulchrè , & aptè exornandas.

DE TEMPORE, ET SANCTIS.

*Prior numerus Caput , Alter Paragraphum , Postremus
paginam indicat.*

DOMINICA I. ADVENTVS LVCÆ XXI.

1. **E**RVNT *signa in sole, & luna, & stellis.* Creatura turbantur, sol caliginem induit, venustatem luna deponit, obscurantur sidera, & veluti indicem doloris lugubrem cœlum induit amictum: & dum peccator viscera indurat, doloris, & quidem sæuissimi, astrorum confusio proditur argumentum. Nam Deus ad speciem sæuis doloribus diuexatur, si optatus reditus peccatoris differtur. cap. 14. §. 3. p. 3
2. Sidera splendenti lingua Dei gloriam peccatoribus enarrarunt, iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Modò splendori suo detrahunt, si plus peccatori obtenebrata proficiant: nam sumptuosius Euangelici Concionatoris elogium est, peccatorem reducere, quàm plausus, aut splendoris luminibus fulgurare. c. 14. §. 4. p. 4
3. *Erunt signa in sole, &c.* Sol tenebras induit; & peccator, qui sibi promittebat diem, inopinè patitur noctem, vt externa sint interiorum indicia. Sæpè namque dum virtutis opus procrastinatur, interueniente morte impeditur. c. 14. §. 30. p. 19.
4. *Erunt signa in sole, &c.* Quæ ad delicias hominibus sidera deseruiebant, iam pauenda mutatione acrem timorem sollicitant; si fortè resipiat, timoribus exagitatus, qui desipiebat, voluptatibus circumfusus. Et quidem inter delicias, & sæculi voluptates animæ irrepit obliuio, & tardius salutis agitur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48.
5. *In terris pressura gentium.* Pressuris, terroribusque ad desenda peccata peccatores vrgentur; si fortè det intellectum vexatio. Nam sæpè qui differunt ad Deum venire leniter inuitati, vexatione veniunt compulsi. c. 14. §. 86. p. 49
6. *Respicite, & leuate capita vestra.* Discipuli, Apostolique, qui dum alij delicijs affluiebant, pressis ærumnis, molestisque suspirabant, modò liberos oculos ad cœlum sustollunt, & de felicitatis proximitate lætantur. Sæpè namque Deus, quos austerè diù affixit, dulcissima postea suauitate repleuit. c. 14. §. 104. p. 54
7. *Leuate capita vestra, &c.* Inter pressuras, & mundi spirantis angustias Christi Discipuli caput leuant, & de conscientie securitate do-

- lores mitigant. Est namque vel inter tormenta felix, qui Dei fruitur amicitia, vt econtrà probatur infelicissimus, qui gratia fruitur, quantumuis fortuna cumulatiſſima vtatur. c. 14. §. 101. p. 59
8. *Leuate capita vestra.* Apostoli indulgentiſſimum parentem veluti seuerum iudicem salubri metu colebant; modò seuerum iudicem confidenter aspiciunt, & oculos veluti ad parentem sustollunt. Nam qui in parente iudicalem potestatem verentur, in iudice parentis gratiam beneuolam experiuntur. c. 14. §. 103. *ibi.*
 9. *Sol obscurabitur.* Difficillimum videbatur solem, luminis fontem, caliginem induere, & obscuris vaporibus deturpari; & tamen sol obscuratur, vt peccator pœnis dignissimis affligeretur. Nam quæ difficillima videbantur, ad criminis supplicium facillima repertiuntur. c. 15. §. 54. p. 91.
 10. *Sol obscurabitur.* Vel in ipsa irarum significatione Numinis misericordia relucet, & insolitis siderum varietatibus imminere periculum monet: quò peccator ad tutum recurrat pœnitudinis profugium, & imminens eludat naufragium. Econtrà diabolus sollicitè studet periculi impedire notitiam, ne periclitans salubrem confugerit ad cautelam. c. 15. §. 67. p. 99

DOMINICA II. ADVENTVS.

MATTHÆI II.

1. **C**vm audisset Ioannes in vinculis. Ioannes, vt consuleret Principis saluti, non exhorruit vincula, imò gratis vinculorum oculis adspexit pondera. Aulici conuiuæ impijs plauderant votis, & gerebant morem plectendis rigidè desiderijs. Nam rarò, aut lentè consultatur Magnatum saluti, cum celeriter geratur mos voluptati. c. 15. §. 66. p. 98
2. *Mittens duos de Discipulis suis.* Ratio ad Christum suadebat tendere, opus tamen fuit à Ioanne mitti, vtque ad salutem tenderent, discipulos adurgeri. Nam quisque tendit, quò lucrum, aut studium ducit, non quò tendere ratio suadet. c. 15. §. 68. p. 99
3. *Ioannes in vinculis.* Ioannes castitatis speculum, sanctitatis apex, veritatis præco ignotum sibi carcerem intrat, & vinculorum onera tolerat, & nihilominus Deus patientiæ suæ quodammodo

Index ad Sacras Conciones.

- modò detrahit, & Herodi tempus indulget, vt respiscat: non punit statim Ioannis iniuriam, non castigat publicæ libidinis insolentiam. Nam etsi statim valeat rigidè punire culpam, misericorditer mavult tempus concedere ad pœnitentiam. c. 15. §. 72. p. 101
4. *Ioannes in vinculis.* Ioannes iacet in carcere, ferreis vinculis præpeditus; exultat Herodes scelestus, & propudiosis libidinibus sordidatus. Ecquis tibi videtur felicior, & fortunatior! Certè Ioannes felicior erat, cum augeter metum mirabilis tolerantia. Miserrimus erat Herodes, quem exoculata præcipitabat licentia. Est namque felix, quem Deus sibi laboribus expoliuit; & infelix, quem dissimulando ad supplicium asseruauit. c. 15. §. 73. p. 102
5. *Ioannes in vinculis.* Ioannes ferreis compedibus illigatur. Aulicus insanis Principis votis blanditur; sed fortunatiora sunt vincula, infelicissima aulicorum augmenta. Nam qui regia in aula sine Deo degit, criminibus fœdis polluitur, & crebris lapsibus defœdatur. c. 15. §. 85. p. 109.
6. *Ioannes in vinculis.* Ioannes premitur in custodia, Herodes libidinis seruus exultat in aula; sed felicior est Ioannes, dum per ærumnosa labores strictius Christo adhæret, quam qui à Christo distans commodis, & otijs indulget. c. 15. §. 86. *ibid.*
7. *Mittens duos de Discipulis.* Ingentissimum Ioannes Discipulis beneficium contulit, dum ad Christum suavitè tendere, & veluti compulit eius discipulatum subire. Est namque ingens beneficium, si Christo vel compulsus adhæreas, & sæculi vanitatem effugas. c. 15. §. 95. p. 115
8. *Ioannes in vinculis.* Qui ad Christi Domini præsentiam materno exultauit in ventre, exultat etiam vinculus in carcere: Vinculis gratulatur: & quia ob virtutem patitur, ingenti gaudio perfunditur. Nam Christi Domini amatores, si pro eò pati non permittantur, laudabili anxietate affliguntur. c. 15. §. 101. p. 118
9. *Cæci vident, &c.* Cæci, claudique Christo accesserunt, non à Ioanne missi, sed salutis recuperandæ studiosi. Nec mirum, nam apud sæculum magni habetur salutis vitrum, non tanti conscientie margaritum. Temporalibus pressi incommodis amarè lugemus, denigrati culpis, vel lachrymulam non emittimus. c. 15. §. 103. p. 119
10. *Cæci vident.* Claudus, cæcusque vel retardati promouerunt gressum, vt impetrarent à Christo Domino auxilium. Et quidem dum sollicitant auxilium, adinuenerunt calamitatis remedium; vt discamus in infortunijs auxilium Dei implorare, & simul gressum, vt tibi prouideris, promouere. c. 15. §. 104. p. 120
- vti Messiam adorare studebant. Ioannis vero firma, profundaque humilitate fundatus non intumuit populari plausu superbus. Nam humilitas nunquam tumescit superba, quia, suo videri, est honore, & beneficijs indigna. c. 15. §. 119. p. 129
3. *Tu quis es?* Sacerdotes, & Leuitæ accedunt ad Ioannem noscendæ ad speciem veritatis studio, sed reuerà in Christum odio: Ioannes veritatem apertè confessus est, sed audientes non audierunt, liuore in Christum præoccupati, aut varijs passionibus impediti. Ioanni vaticinia de Messia non conueniebant, sed nihilominus Messiam consalutare tentabant. Nam malè affectis, obturbatisque animis pro vero habetur, quòd manifestè repugnare veritati cognoscitur. c. 16. §. 13. p. 159
4. *Sacerdote, & Leuitas.* Ad Ioannem, qui de genere erat sacerdotali, sacerdotès, Leuitæque inuolant, vt dum congenerem extollunt, sibi quid gloriæ conquirant. Sæpe namque astuta politices tegit ambitionis flammam, dum alterius suspirare mentitur gloriæ. c. 16. §. 20. p. 163
5. *Confessus est, & non negauit.* Ioannes arundinis adinstar non mouebatur suauis adulationis aura, nec euanida tumebat gloria; veritate, humilitatèque radicans adulantium neglexit officia, & spreuit delegatorum obsequia. Cum videas plures, vel repugnantia veritatis notitia, delectari adulationis fallacia. cap. 16. §. 53. p. 181
6. *Miserunt Iudæi.* Iudæi erga Christum non benè affecti, & erga Baptistam benè animati, ad Messie dignitatem gestiunt promouere, & veritati oculos claudere. Nam politici, dum assequantur votum, parum sæpè curant, an honestum, aut inhonestum sit medium. c. 16. §. 56. p. 183
7. *Tu quis es?* Videbant Ioannem apud vulgum æstimatione florere, vtque Christo auferrent, ei Messie offerunt dignitatem, arbitrati non auersaturum honorem, etsi rationi, & veritati contrarium. Cum sæpè, qui apud vulgum opinione floruit, consuetuare famam etiam erroribus studuerit. c. 16. §. 64. p. 187
8. *Confessus est, & non negauit.* Ioannes ad primatum inuitatus renuit, & se extollentibus repugnauit, quia non erat ex his, qui satagunt alijs, admissa culpa, præire, & primatum detestabilem gerere. c. 17. §. 4. p. 191
9. *Sacerdotes, & Leuitas.* Qui sibi primas cathedras discupiebant, & prima loca desiderabant, ad Ioannem contendunt, arbitrati arrepturum, quem offerebant, honorem, nec respuendam dignitatem. Nam quibus peccator inficitur, eisdem cæteros moribus denigrari arbitratur. c. 17. §. 10. p. 195
10. *Quid ergo baptizas?* Qui nuper offerebant dignitatem, modò Baptiste carpunt actionem; Baptista vero idem est, dum adulatorès efferrunt, & æmuli carpunt: Christi Ioannes de prædicat gloriæ, nec sibi vel laudis discupit guttulam. Nam virtutis præcères nec humanam gloriæ, nec ingloriam attendunt, sed soli Deo seruire exambiant. c. 17. §. 19. p. 200.

DOM III. ADVENTVS.

IOAN. I.

1. *Miserunt Iudæi, &c.* Ioannes à Republica semotus quæritur; & qui quærit eruditur. Melius namque sacerdos, Deique minister Reipublicæ proficit, à confusis turbis semotus, quam inter sæculares admixtus. c. 15. §. 114. p. 126
2. *Tu quis es?* Vti Deum venerari tentabant, & Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

Index ad Sacras Conciones.

DOM. IV. ADVENTVS.

L v c. III.

1. **F**actum est verbum Domini super Ioannem. In deserto factum est super Ioannem Domini verbum, quasi ad errores hominum abigendos fuerit aptior, dum ab hominibus degit remotior. Nam quisquis ab hominibus remotior, contra vitia inueniri solet validior. c. 17. §. 24. p. 203.
2. **Baptismum pœnitentia.** Dum pœnitentiam prædicat, vox dicitur clamantis, nam, vt vox præteruolat, sic occasio salutis auolat. Qui alterius occasionis spe opportunam, & inuitantem contemnit, pœnam sæpè frustratus soluit. c. 17. §. 31. p. 208.
3. **Prædicans baptismum pœnitentia.** Pœnitentia baptismus dicitur, nam, vt baptismus omnia inquinamenta abluit, & nullam animi sordem relinquit, ita pœnitentia omnes debet sordes expungere, & ab animo prorsus abijcere. Certè, si aliqua vitiorum permittatur scintilla, ignem suum explicabit, & in incendium transibit. c. 17. §. 33. p. 209.
4. **Procurante Pontio Pilato.** Illius Reipublicæ miseratus Dominus, Pilato, Herodique, morum pestibus Ioannem opponit, & prædicationis veritate confundit. Est enim misera Respublica, si Magnatum erroribus nullus audeat obistere, aut repugnare. c. 17. §. 38. p. 213.
5. **Procurante Pontio Pilato.** Dum Ioannis prædicationis tempus designatur, capite detruncandus innuitur. Nam insana vitare nequibat odia, qui prædicabat saluberrima documenta. Cùm frequenter virtutem secuti periculis inueniantur obnoxij. c. 17. §. 43. p. 216.
6. **Verbum Domini super Ioannem.** In campum contra vitia prodit Ioannes, sed magnis virtutibus expolitus, & auxilijs cœlestibus obarmatus. Nam magnis virtutibus stipatus, in campum potest procedere, non adeò instructus, pericula conetur aufugere. c. 18. §. 4. p. 239.
7. **Baptismum pœnitentia.** Clamabat Ioannes opportunum pœnitentiæ tempus arripere, nec permittere stulta fiducia elabi. Sæpè namque qui distulit pœnitentiæ opportunam arripere medicinam, instante morte, induratur ad pœnam. c. 18. §. 24. p. 251.
8. **Procurante Pontio Pilato.** Pilatus, Herodisque dignitatum luminibus fulgurabant, sed scelearum maculis sordescabant: ergo miseratus Ioannes proclamat pœnitentiam inire, & animum sordibus repurgare. Parum namque iuuat honoribus, & delicijs cumulari, si contingat animam desperire. c. 18. §. 31. p. 254.
9. **Omnis mons, & collis humiliabitur.** Montium nomine curiam inhabitantium corda signantur. Nam quò plus in curia delicijs affluunt, & saxeam duritiem indunt. Sorores sunt pertinax cordis duritia, & mollis carnis illecebra. c. 18. §. 41. p. 260.
10. **Baptismum pœnitentia.** Aulicos curiæque incolas, instabat Ioannes, pœnitentiam inire, & saluti animæ providere: validè ergo clamabat: *Vox clamantis*: quia delicatarum auris obsurdescibat. Nonnulli ex solo corpore videntur constare, & de solo corpore curam gerere. c. 18. §. 61. p. 271.

IN NATIUITATE DOM.

IOAN. I.

1. **I**n principio erat verbum, &c. Dei verbum carne induitur, & rudi præsepi nascitur: humilitatem edocet, vt compendiarium edoceat viam. Vt hinc noueris per humilitatis compendia citò ad virtutum deueniri fastigia. c. 18. §. 75. p. 279.
2. **In principio erat Verbum.** Verbum hominum amore flagrans, pompa ad speciem exiit, & vsque ad præsepe vilissimum inclinatur: & si fas est dicere, præsepe crucis gerit vices; nam apud homines idem esse videtur splendenti pompa nudati, & angustias mortis subire. c. 19. §. 0. p. 295.
3. **In principio erat Verbum.** Refert Ioannes incarnati Verbi celsitudinem, vt laudabilem persuadeat adulationem: homines admonet, vt tanto, tamque excelso Principi imitatione blandiantur, quando humanis Principibus imitatione blandiuntur. Certè si Reipublicæ proceres virtutem sequantur, plures adulari imitatione adnuntantur. c. 19. §. 29. p. 306.
4. **Et vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet.** Deus vita dicitur, dum hominum tenebras depellere natus præsepibus comprobatur; quasi ex beneficio viuat, & quasi tetra deturpatis caligine benignus faueat. Sæpè namque Deus specialibus attrahit beneficijs grauioribus inquinatos peccatis. c. 19. §. 41. p. 312.
5. **Et lux in tenebris lucet.** Christus tenebricoso specu natus, & angusto præsepi inclusus, lux nitidissima radiat, Angelorum cantus lucratur, & hominum elogia meretur. Ne quis putet se in obscura, & sordida cadere, si decernat virtutem sequi. Plures namque recusant ad virtutis castra transire, quia ab splendore verentur cadere. c. 19. §. 44. p. 314.
6. **Et Verbum caro factum est.** Dei filius, iam puerulus, & humanus, iam pastores recipit, iam omnes ad huius aulæ secretiora admittit; vt, quos deterrebat maiestas, alliciat humanitas. Certè Principis auctoritati quis fortè resistet, sed humanitati nullus non cedit. c. 19. §. 49. p. 317.
7. **Et Verbum caro factum est.** Verbum carne indutum præsepi delitescit, sed Angelus pastores, vt venerentur, monet, & sidus Magos ad obsequendum adducit. Homines sollicitasse ad adorandum homo non refertur. Nunquam namque deest qui ad prauitatem exacuat, cùm, ex hominibus sit rarus, qui ad virtutem alios promoueat. c. 19. §. 63. p. 326.
8. **Et Verbum caro factum est.** Verbum sectatur humilia, vt imitanda tibi oculis obijciat exempla. Si amabilem desideras puerum comitari, humilitatis scholam intra, & superbiæ fastum denunda. Nam qui Christum desiderat comitari, celsa fugit, humilia exambit. c. 19. §. 89. p. 341.
9. **Et Verbum caro factum est.** Dum Angeli pastores vt Christi sequantur vestigia, adducunt, imperatam pacem promittunt: & *in terra pax hominibus*, non prothittunt Christi adoratoribus diuitiarum cumulum, sed internæ pacis tranquillum. Mihi crede, tranquilla pace non fruitur, prospera fortunæ vsus, sed humilitatem Christi imitatus. c. 19. §. 96. p. 344. & §. 98. p. 346.
10. **Et vidimus gloriam eius.** Stabilis Christi gloria resplenduit, quia humili præsepi iacuit; per

Index ad Sacras Conciones.

per humilitatem, stabilem peruenit ad splendorem. Verum plures non æmulantur labores, cum laborum sitiant utilitates. c. 19. §. 120. p.359

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

L V C Æ I I.

1. **P**ostquam consummati sunt dies octo. Christus Dominus sanguinem fundit circumcisus, sed resplendet decantando nomine decoratus: per effusum sanguinem ad fulgentissimum peruenit nominis splendorem. Sunt tamen plures, qui præmia sitiant, labores respuant. c. 19. §. 121. p.359
2. **P**ostquam consummati sunt dies octo. Christus Dominus circumcisionis subit angustiam, sed breuem per angustiam immortalem venerandi nominis adeptus est gloriam. O si homines ediscerent labores benè collocare, & veram gloriam ambire. Sed proh dolor! Ambitio ingenti labore euandam gloriam sollicitat, & dum sollicitat, hostes armat. c. 20. §. 25. p.376
3. **Vt circumcideretur puer.** Legem impleuit, vt ad gloriam nominis perueniret. Nostrum effuso sanguine deleuit peccatum, & nominis est elucratum elogium. Vt nouerimus, expuncto peccato calamitatem cessare, & honorem, ac tranquillitatem redire. c. 20. §. 36. p.382
4. **Postquam consummati sunt Dies octo.** Quam diuinus puer properat, vt larga nobis beneficia, effuso sanguine, impertiat, qui meritam infligere pœnam frequenter tardat. Certè Deus morosus punit, celerrimus beneficia impertit. c. 2. §. 19. p.423
5. **Vt circumcideretur puer.** Dum legem implet, & nominis gloriam acquirit, homines edocet, à virtute promanare commoda, & ingentissima lucra. Nouerit quisquis à lege defecit, honori officere, & sibi angustias præmaturare. c. 22. §. 59. p.445.
6. **Vocatum est nomen eius Iesus.** Apud Deum, vt nomen testatur, claret magnus, & qui apud se puerulus. Nam quisquis apud Deum clarior, apud se deieciior est & humilior. c. 23. §. 4. p.450.
7. **Vocatum est nomen eius Iesus.** Ingenti præmio obseruantia legis muneratur, & circumcisionis dolor lenitur. *Vocatum est nomen eius Iesus:* nam virtutibus hoc in sæculo redditur honor, & in futuro nunquam deciduus splendor. c. 23. §. 8. p.452
8. **Vocatum est nomen eius Iesus.** Venerandum curiæis sæculis accepit nomen circumcisus. Vt notum omnibus esset, virtutem sibi nominataternare, vitium caliginibus tetrus nomen obvoluere. c. 23. §. 14. p.455
9. **Vocatum est nomen eius Iesus.** Christus non differt obsequiosum circumcisionis officium, & etiam Deus honorabile largitur statim præmium. Et quidem præmium benemeritis collatum cæteris vires inspirat, indignis, robur eneruat. c. 23. §. 15. p.456
10. **Postquam consummati sunt dies octo.** Aetas exigua circumcisione dolorem subiens, videbatur periculum procreate, & salutem imminuere; Christus tamen suo exemplo edocuit, salutem honestè despiciere, vt pessis honorabile nomen lucrari. Et quidem sæpè salus honestè des-

Eman. de Naxera. in Reg. Tom. I V.

pecta viget, inhonestè quæsitæ marces. c. 23 §. 22. p.459.

IN EPIPHANIA DOMINI

M A T T H Æ I I I.

1. **E**cce Magi. Magi sapientia; sed inani apud suos radiabant; modò perfecta lucet sapientia, quia virtutibus non viduata, & proficere alijs, notitiàmque Christi impertire sollicita, & omnibus fructuosa. Certè inanis est sapientia virtutibus viduata, nec proficere alijs attendit. c. 23. §. 19. p.457
2. **Ecce Magi.** Magi siderum olim adoratores, stella præeunte ad Christum modò ducuntur, & iam ipso, quod erroribus deseruiebat, sidere bellum ingerere gestiunt dæmoni, sicque speciali Magus victoria lucet redimitus, & triumpho nobilitatus. Nam suis armis inimicum conficere, triumphatoris gloriam dignoscitur adaugere. c. 23. §. 40. p.469
3. **Vt & ego veniens.** Herodes mentiebatur dolus, & honorem obscurabat vulpinus. Nam famam innubilat, qui plectibilem dolositatem affectat. c. 23. §. 42. p.471
4. **Cum natus esset Iesus.** Vbi Christus nascitur, orientales Principes liberare ab erroribus nititur. Nam Principum exemplum subiectorum imitantur studia. E contra Herodes dolosis fallacijs adnititur irretire; quia præcipuum dæmonis studium est, principes deprauare, quò facilius possit generalitati nocere. c. 24. §. 2. p. 473.
5. **Aurum thus, &c.** Aurum in Numinis obsequium impendunt, sed ipso impendio sibi proficiunt. Nam aurum in Numinis reuerentiam impensum, esse probatur cumulativum lucrum. c. 24. §. 26. p.486
6. **Vidimus, & venimus.** Inuitantem occasionem statim rapuerunt, nec iter arripere Magi tardarunt. Hinc est quòd affecti sunt vota, & largissima consecuti sunt præmia. Et quidem sæpè dum virtutis occasio præcrastinatur, interueniente morte impeditur. c. 14. §. 30. p.19
7. **Vbi est, qui natus est?** Magi, qui cæterorum habebantur Doctores, sidereo lumine instructi; vbi Christus sit natus, interrogare non sunt dedignitati, vt noueris, quò quis Dei fauoribus inuenitur ornatior, laudabili humilitate fulgere, & proprias prærogatiuas abscondere. c. 14. §. 54. p.31
8. **Vidimus stellam eius.** Stella speciali inter cæteras emicat privilegio, & singulari resplendet elogio, dum Magi clamant: *Vidimus stellam eius.* Et quidem eius erat stella, quæ errantium ad Christum dirigebat vestigia. Eximius enim Dei fauor est, eligi ad peccatores reducendos, & exules diuinis conspectibus præsentandos. c. 14. §. 57. p.34
9. **Aurum, thus &c.** Mirum est, Magos ad euandam superbiæ pompam in curia aurum non expendisse, sed Domino consecrasse: cum frequens sit ad pompæ, cultusque vanitatem aurum profundi, & virtutibus denegari. c. 14. §. 73. p.42
10. **Vidimus, & venimus.** Cœlesti lumine illustrati non tardant gressum, sed alacriter arripere volatum; & forsitan ni celeriter arripuissent volatum, sideris amitterent beneficium. Nam qui differt culpas refecare, non dissecis, solet perire. c. 14. §. 77. p.44

Index ad Sacras Conciones.

DOM. INFRA OCT. EPIPHA.

L V C. II.

1. **C**um factus esset Iesus annorum duodecim, &c. Puer parentum oculis subducitur, sed postea dolor adinventionis gaudio compensatur. Sæpè iustos diù austerè tractat, sed angustiam postea dulcissima suauitate compensat. c. 14. §. 104. p. 60
2. **Cum factus esset annorum duodecim.** Non egebat Dominus parentum magisterio, cum sapientiæ, virtutumque amplissimo ditaretur thesauro. Verùm ad nostram eruditionem parentes referuntur, puerum ad sacram solemnitatem tulisse, & Diuinis conspectibus præsentasse. O quàm aliter aliqui procedunt parentes! non ducunt ad templum, sed in delicatè nutriendo, & nimio cultu exornando, totum est eorum studium; debuisse tamen prænoscere, cultus pompam filijs esse nociuam, & parentibus ominosam. c. 15. §. 2. p. 62.
3. **Ascendentibus illis.** Secum parentes duxerunt puerum, vt legis coleret obseruantiam, et si tenera ætas videretur otij suadere parentibus curam: Cùm sæpè parentes malint filios in sinu fouere, quàm virtutibus expolire; nouerint tamen nimiam erga filios indulgentiam ipsis, & parentibus attulisse ruinam. c. 15. §. 12. p. 69
4. **Secundum consuetudinem diei festi.** Ad templum tendebant, vt se diuinis conspectibus præsentarent, & religiosis obsequijs virtutem colerent. Plures ad eunt templa, sed ad iniqua vota, ad explenda infauitissima desideria, ad obtrendenda pulchellissimè retia speciosa. Verùm timeat de infauito, qui religione, temploque abutitur, vt insanis vanitatibus aduletur. c. 15. §. 46. p. 87.
5. **Et erat subditus illis.** Arcana absentia, in curia se puer subduxit, in Nazareth subiectionis obsequium coluit; vt, veluti in imagine, videremus in curijs, & plurium conuentibus facillè Deum perdi, & facillè in oppidulis custodiri. c. 15. §. 74. p. 102.
6. **Audientem illos, & interrogantem eos.** In templo refertur expromptas aures Doctoribus præstitisse, & interrogando, humilitatem seruasse. Quid in Dei domo faciendum suis factis ostendit. Certè miserum est, Dei domum inhabitare, & vanitatibus inseruire. c. 15. §. 84. p. 108
7. **Dolentes querebamus te.** Anxiè, & laboriosè querebant, sed inuenerunt feliciter, & doloris fructus adinuentio fuit. Feliciore sunt qui per ærumnas Christo adhærent, quàm qui distantes commodis, & otijs indulgent. c. 15. §. 86. p. 109.
8. **Dolentes querebamus te.** Dolor inquisitionem suadebat, inquisitio felicitatem inquiringibus maturabat. Ingens beneficium est, si vel ærumnis compulsus Christo adhæreas, & sæculi vanitatem effugas. c. 15. §. 95. p. 115
9. **Inuenerunt illum in templo.** Dum inter cognatos & notos quærent, non inueniunt requiem, sed adaugent anxietudinem; dum in templo quærent, adinventionis gaudio cumulantur, & causæ mœstitudinis depelluntur. Plures quærent requiem, sed quia, vbi requies sit, nesciunt, adaugere solent dolorem. c. 15. §. 94. p. 114
10. **Dolentes querebamus te.** O felices, qui Domini dolebant absentiam! Qui in ei adhærendo om-

nem constituebant lætitiã. Nos temporalibus pressi incommodis amarè dolemus, ob Dei absentiam vel lachrymulam non effundimus. c. 15. §. 103. p. 119.

DOM. II. POST EPIPHA.

I O A N. II.

1. **N**uptia facta sunt, &c. In nuptijs vinum deficit, & labor ad arget. Sanctissima verò Virgo Dei opem implorat: *Vinum non habent*: Christus hydrias aqua implere ministris imperat: *Implete hydrias aqua*. Vt hinc discamus ad propulandas ærumnas Dei opem implorare, & otiosis manibus non iacere. c. 15. §. 104. p. 120
2. **Et Discipuli eius, &c.** Qui nuptias celebrabant, Christi Discipulos pauperimos assidere mensis cupiebant; & dum Dei seruos beneficijs obstringunt, sibi ipsis consulunt: Nam qui in Dei seruos beneficia contulit, subsidia sibi parauit. c. 15. §. 111. p. 124.
3. **Vinum non habent.** Maria inopiæ deprecatur remedium, & citissimè Christus aquam conuertit in vinum: vt notum omnibus fuerit, per Mariam citò obtineri, quod tardius solet aliorum precibus impetrari. c. 15. §. 113. p. 125
4. **Deficiente vino.** Plures intolarant ad nuptiarum læta conuiuia, nullus tamen præter Virginem afflictioni procurauit remedia. Virgo verò non rogata, vt inopiam præsentit, subleuare curauit. Nam liberali satis est, alterius necessitatem conijcere, vt gestiuerit subleuare. c. 17. §. 78. p. 236
5. **Vinum non habent.** In ipsis gaudijs sollicitat vini inopia, ipsa in vini inopia vberratis succedit lætitiã. Nam sæpè Deus dulcia amaris miscet, & amara dulcibus lenit. c. 19. §. 1. p. 290
6. **Vinum non habent.** Inter nuptiarum gaudia, inter opipara fercula sponsi cor sollicitat vini defectus, & curarum angit cruciatus. Cor non quiescit, etiam dum sponsus exterius ridet. Nam inter prosperas sæculi fortunas nequit cor humanum non ingemiscere, & solùm probatur virtutibus expoliturum quiescere. c. 19. §. 105. p. 350
7. **Vinum non habent.** Ob vini indigentiam recurrunt ad Mariam, & Maria sanctissima Christo depellere suadet inopiam. Sæpè calamitas recurrere compellit ad orationem, & oratio depellit calamitatem c. 22. §. 15. p. 421
8. **Vinum non habent.** Exoratus Christus citò impertitus est beneficia: *Impleuit hydrias aqua*: in fructuosæ ficui anni concessit spatia. Deus namque morosus punit, beneficia celer impertit. c. 22. §. 19. p. 423
9. **Vocatus est autem & Iesus.** Quàm benè sponsus collocauit obsequia, quàm vtiliter præstitit Domino officia: Exiguo sumptu sibi in necessitate adquisiuit remedium. Plures magnis sumptibus solent hominem colere, à quo in afflictione constat destitui. c. 22. §. 55. p. 443
10. **Vinum non habent.** Virgo Numinis placitum semper sequuta, ministris imperat, Domini præceptis obtemperare, vt præsentem valeant sollicitudinem pellere: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Sciebat namque opus esse Dei iussis obedire, & obediendo, Deum ad tua perficienda vota facillè trahere. Nam Deus eius solet implere

Index ad Sacras Conciones.

plere vota, qui eius adimplere gestiuit placita.
c. 24. §. 17. p. 481

DOM. IN SEPTVAGES.

M A T T H. X X.

1. **E**xiit primo mane, &c. Paterfamilias ad vineam excolendam culturæ doctos querit, sibi nec cognatos, aut familiares remittit, suis factis edocens, munijs perquirendos aptos, non attendendos affectus. c. 14. §. 6. p. 5
2. **Redde illis mercedem.** Cum operarijs conventionis iniuit pactum: Ergo reddere laboris curavit præmium. Nam iustitiâ felicitas firmatur, & iniustitiâ subruitur. c. 14. §. 22. p. 14
3. **Exiit primo mane.** In vinea excolenda sollicitus est paterfamilias, quia res erat magni momenti copiosis fructibus ditescere, aut fructibus viduari, suis factis nos edocens, quæ ad animam in vinea adumbratam, pertinent, indefessa sollicitudine procuranda, & impigrè perquirenda. c. 14. §. 23. p. 14
4. **Primo mane.** Virtutis, obligationisque opus non remittit in posterum, sed anteuertit, vt perficeret, diluculum. Et quidem sæpè, dum in futurum virtutem mittimus, varijs occupationibus retardamur. c. 14. §. 30. p. 19
5. **Exiit primo mane.** Qui sibi nullo indigebat, operarij commoda vigilantibus sollicitudine procurabat. Nam perfecta charitas reputat vti proprium, commodum, aut damnum alienum. c. 14. §. 38. p. 23. & §. 49. p. 29
6. **Quid hic statis tota die otiosi?** Adulta iam die, indulgebant otio, nec maturo sibi providebant consilio. Inveniuntur namque qui ingloriè in senectute exercent inertiam, & conferuent ipsa in canitie pueritiam. c. 14. §. 52. p. 31
7. **Venientes autem & primi.** Qui à Deo primi electi magna sui æstimatione obmurmurarunt inflati, cum debuissent ob fauorem specialem de se humiliter sentire, & cæteris humilitate postponi. Nam qui Dei fauoribus probatur ornator, honorabili debet inueniri humilitate depressior. c. 14. §. 54. p. 32
8. **Quid hic statis tota die otiosi?** Otia sectabantur, & ad excolendam vineam, hoc est animam, satis esse extremum, aut exiguum tempus arbitrabantur: nullum præfigebant tempus animæ culturæ, cum totum diem impendissent inutili otiositati. Ad corporis cultum, & commodum tempus statuitur fixum, ad animæ ornatum casuale relinquitur, & incertum. c. 14. §. 70. p. 40
9. **Redde illis mercedem.** Mirum fuit, non deesse aurum, vt defatigatis operarijs solueretur debitum præmium, cum sæpè aurum exundet ad inutilem vanitatem, & ad explendam desit obligationem. c. 14. §. 73. p. 42
10. **In foro otiosos.** In foro potioris irrepsit obliuio, otij, & vanitatis efflorebat affectatio. Nam inter sæculi otiosissimas vanitates vineæ, hoc est animæ, obliuio irrepsit, & inertia confusibilis viget. c. 14. §. 85. p. 48

DOM. IN SEXAGES.

L v c. V I I I.

1. **E**xit, qui seminat, seminare. Exit agricola munus perficere, & obligationem implere: fors

non exiret impedimentis tardatus, si differret tempus otiosus. Nam sæpè dum virtutis opus procrastinatur, interueniente morte impeditur. c. 14. §. 30. p. 19

2. **Inter spinas.** Dum selecta grana inter spinas seruntur, incrementis debitis viduantur. Est enim arduum inter improbos commorari, & eorum mores non fugere. c. 14. §. 28. p. 17
3. **Et simul exorta spina.** Spinæ triticum suffocant, & incrementa impediunt. In spinis diuitiæ, & voluptates, teste Domino, adumbrantur. Ergo inter delicias, & sæculi voluptates proficiendi obliuio irrepsit, & obliuio incrementa faciliter impediunt. c. 14. §. 85. p. 48
4. **Conculcatum est, & volucres &c.** Iuxta viam, hoc est, in publico nec volucres verentur diripere, nec agricolæ grana refugiunt homines proculcare. Profecto plures, Magnates præcipuè, palam affectant delinquere, nec oculos didicerunt vereri. c. 14. §. 90. p. 52
5. **Suffocauerunt illud.** Infelix erat tellus, etsi spinis, hoc est diuitijs, & voluptatibus exundaret, cum cœleste granum extingueret. Felicitas censenda est de morum politura, non de fortunæ volaticæ redundantia. Est enim infelix, qui Dei gratia non fruatur, etsi fortuna cumulatissima vtatur. c. 14. §. 101. p. 59
6. **Suffocauerunt illud.** Tellus diuitijs, voluptatibusque diuitata, cœlestis grani crudelis probatur esse nouerca; & vnde tenebatur esse virtutibus vberior, inde erat virtutibus perniciosior. Sæpè namque peccator, cum debeat esse deuotior, de ipsa fit cœlesti benignitate insolentior. c. 15. §. 6. p. 65
7. **Exorta spina.** Dum spinæ succrescunt, dum cœlesti fauore incrementa suscipiunt, contra seligineum granum aculeos vertunt. Nam sæpè contra ipsum Numen vertimus quæ beneficia ab ipso suscipimus. c. 15. §. 9. p. 67
8. **Exit qui seminat, seminare.** Manè exiit, laborem seminationis ambiuit, dum sperat de labore præuentum. Sponsa semel, & iterum inuitata exhibere tardauit pulsanti officium: *Spoliauit me tunica mea.* Cant. 5. v. 3. En sponsa moras necit: agricola antelucanus profundis sulcis grana commissurus, in campum tendit. Nam quisque alacriter tendit ad euanda lucra, & morose pergit ad virtutum incrementa. c. 15. §. 68. p. 99
9. **Et simul exorta spina.** Tellus granum suscipit, & simul sentibus sordet: indulget voluptatibus, & simul posse gerere officium arbitratu virtutibus. Plures namque affectant virtutem colere, & cupiunt simul appetitibus inseruire. c. 16. §. 37. p. 172
10. **Quia non habebat humorem.** Tellus suscepit granum, sed humoris non adhibuit, vt cresceret, beneficium: non erat sterilitas adscribenda seminanti, sed adsignanda telluri. Nostræ ignauitæ est quod deficimus, & proficere non curamus. c. 16. §. 41. p. 174

DOM. IN QVINQVAG.

L v c. X V I I I.

1. **E**cce ascendimus Ierosolymam. Ascendit Christus crucem subiturus, vt munus Redemptoris adimpleat: sed post crucis labores immortalis ab inferis rediens resplendet luce: vt si-

Index ad Sacras Conciones.

- bi compararit felicitatem, non horruit crucem, ut nouerit, non posse veris luminibus fulgere, qui detrectat crucem subire. Certè qui Christi iugum excussit, calamitatem sibi grauissimam comparauit. c. 16. §. 2.8. p. 153 & 156
2. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Per opprobria, tormentaque non refugit tendere, ut Deo dignissima obsequia possit præstare. His diebus Bachanalibus plures cum virtute voluptatem coniungunt, affectant à virtute non discedere, sed simul volunt delicijs, & comelationibus inferuire. c. 16. §. 37. p. 172
 3. *Illudetur, &c.* Non auersatur ludibria, imò exambit crucis tormenta, quia à cruce præuidebat emanatura immortalis gloriæ lucra: *Tertia die resurget.* Sæpè quæ auersamur, uti saluti contraria, esse inueniuntur auxilia. c. 16. §. 40. p. 174.
 4. *Assumpsit secum duodecim.* Discipulos secum per aspera ducit, sed & thronos adituros postea promittit: *Sedebitis & vos super sedes.* Math. 19. v. 8. Nam Christum secuti, aspera via dilassantur, sed in termino reficiuntur; voluptates secuti in via gaudent, sed in termino lugent. c. 16. §. 49. p. 179
 5. *Cæcus quidam sedebat.* Hoc in cæco Adamus exprimitur, qui, ut pomo dulci adularetur palato, graui se polluit delicto: Ergo caruit oculis, dum deliquit. Densissima cæcitate turpatur, qui Deum offendere non veretur. c. 17. §. 1. p. 190
 5. *Multò magis clamabat.* Cæsus ne visum sollicitet, multis obstaculis, & increpationibus impeditur, verùm constanti animo difficultates transgreditur, constantiaque & difficultatem vicit, & oculos adinuenit. Nam qui ardua ob virtutem tentat, tentando superat. c. 17. §. 20. p. 201
 6. *Tradetur gentibus.* A Pontificibus, sacerdotibusque illudendus, & crucifigendus gentibus traditur: & qui plurimis beneficijs probabantur obstricti, sunt affligere Christum aggressi. Sæpè namque qui debuissent virtutem tueri, dæmonis causam probantur agere. c. 17. §. 23. p. 203
 7. *Quod Iesus Nazarenus transiret.* Cæcus, ut audiuit Christum transire, festinauit properantem oculos recuperandi occasionem rapere, & dum occasionem rapit lucem inuenit. Et quidem qui alterius occasionis spe occasionem omittit, pœnam sæpè frustratus soluit. c. 17. §. 31. p. 208
 8. *Cæcus quidam sedebat secus viam.* Qui in Adamo, pomum gustando, cæcitatem contraxit, in via sedens transeuntes qua mercede muneretur ingluuijs, admonet. Nam inflicta alijs pœna est sapientibus pro doctrina. c. 17. §. 75. p. 235
 9. *Quid tibi vis faciam.* Christus indigenti lucem impertitur, dum eius precibus inuitatur: perseverauit cæcus orando, & constantia assecuta refertur vota. Nam constantia fere semper assequitur, votisque fruitur. c. 18. §. 69. p. 276
 10. *Cæcus &c.* Adamus in cæco designatus, dum sequitur, pomum edendo, voluptatem, passus est oculorum caliginem. Ipsa voluptas saluti obfuit, & cæcitatem adduxit. Sæpè namque conuertuntur in supplicia ipsa peccatoris oblectamenta. c. 18. §. 26. p. 252

IN DIE CINERVM.

MATTHÆI VI.

1. *Cum ieiunatis.* Docet Christus ieiuniorum austeram non recusare, ut Numini possis placere, cum hypocritæ faciem deturpent ieiunij, ut euanidum plausum possint acquirere simulatè Nec enim mirum est, si ieiunij res aded vtilis labore constet, cum vanitas ingenti hypocritis labore constiterit. Certè quod animæ saluti conducit, sollicitudine est procurandum, & labori nulli parcendum. c. 14. §. 23. p. 14
2. *Nolite fieri sicut hypocrita.* Prudenti, vtilique cautela inter hypocritas habitandum edocuit, & ne eorum sequantur exemplum iussit: Est enim arduum cum impobris habitare, & eorum mores non sugere. c. 14. §. 28. p. 17.
3. *Exterminant facies suas.* Olim hypocritis faciei decorem, & ornatum corporis despiciebat, sed iam rarè eiusmodi hypocritis reperitur, quia vanitas in faciei, & corporis cultu affectatur. Plures sollicitiores sunt de cultus decore, quàm de salute. c. 14. §. 75. p. 43
4. *Sicut hypocrita tristes, exterminant enim &c.* Affectatæ pœnitentiæ squalore tristabantur, si vera esset pœnitentia non tristarentur. Labores affert pœnitentia, sed ad plures cogit faciei, & corporis politura. Nec enim aded molestus est squalidæ pœnitentiæ rigor, ac polituræ, & speciositatis splendor. c. 14. §. 78. p. 45
5. *Sicut hypocrita tristes.* Infelicissimi erant, qui nec commodis fruebantur, nec virtutibus ornabantur, & infelices etiam essent virtute nudati, etiamsi magnis commoditatibus vsi. Est namque infelix Dei gratia nudus, quantumuis fulgeat fortuna cumulatissima splendidus. c. 14. §. 101. p. 59
6. *Vt appareant hominibus.* Volaticæ gloriæ ambitiosi, ieiuniorum sectabantur austeram, & hypocritæ squaloris, & rigiditatis ferebant aspera. Immetatæ sunt ambitionis vires ad incommoda deglutienda, & onera grauissima supportanda. c. 15. §. 33. p. 79
7. *Vt appareant hominibus.* Ieiuniorum virtute abutebantur, ut vanitati inferuirent, & sibi gloriam volaticam compararent: Ergo non solum tristes, sed infelices erant, & calamitates imminere sibi prænuuntiant. Est enim infortunatum auspiciū virtute abuti, & insanis appetitionibus adulari. c. 15. §. 46. p. 87
8. *Cum ieiunatis.* Ieiunia aliquando lædunt, sed ad pericula vitanda proficiunt; satius ergo est aliquando salutis subire iacturam, quàm extremam pati miseriam. c. 15. §. 80. p. 106
9. *Cum ieiunatis.* Christum secuti laboribus, sed ferendis, fatigantur, sed durioribus, ipsa defatigatione eximuntur. c. 15. §. 92. p. 113
10. *Nolite thesaurizare.* Monet sitienter non congerere diuitiarum copiam, sed alacriter impertiri ad subleuandam miserorum indigentiam. Nam per misericordiæ viam ad cælum tenditur, & dæmonum furor frustratur. c. 15. §. 108. p. 122

FERIA SEXTA POST CINERES.

MATTH. V.

1. *Vdistsis quia dictum est.* Vindicta, & ultio antiquitus iracundiæ gerebant negotium, Christus

Index ad Sacras Conciones.

Christus Dominus veniam consuluit, & opera gladij vetuit: *Ego autem dico vobis*: ac si diceret: Vt ego vestris erroribus clementer veniam indulgeam, veniam alijs exhibete; facilem namque erga aliorum errores se debet exhibere; qui suis Deum propitiū exoptauerit inuenire. c. 14. §. 33. p. 20

2. *Diligite inimicos vestros.* Qui inimicum diligit, perfectionis legem impleuit, & qui aduersario concessit veniam, plurimam obtulit hostiam. Est enim plurimam offerre hostiam, præstare aduersario veniam. c. 14. §. 40. p. 24

3. *Attendite, ne inuistiam vestram &c.* Iubet euandum gloriam non quærere, & hominum laudibus non inflari, qui monuerat contra iniurias vltionis desiderio non vri, sic namque referet homo factis Dei imaginem. Nam egregius Dei imitator nec elogijs tumet, nec iniuriæ vltionem exambit. c. 14. §. 41. p. 24

4. *Cum facis elemosynam, &c.* Iubet vanam ostentationem effugere, vt impensa elemosyna integrum pretium valeat apud Deum sortiri. Nam sæpè apud sæculum habet elogium, quod apud Deum aut exiguum habet, aut nullum pretium. Est enim aliud rerum pondus iuxta sæculi opinionem, & aliud iuxta æquitatis diuinæ lancem. c. 14. §. 79. p. 45

5. *Vt sitis filij patris vestri.* Qui se non vlciscitur, apud sæculum parui habetur, sed apud Deum magni æstimatur; qui vindictam sumit, apud sæculum honore fruitur, sed cœlesti gratia denudatur; ergo iste infelix est. Est enim infelix, qui Dei gratia non fruitur, etsi honore, & fortuna cumulatissima vtatur. c. 14. §. 101. p. 59

6. *Vt sitis filij patris vestri.* Quia nouerat, ardua vinci, sustineri dura, aspera deuorari, si lucri, aut commodi spes affulgeat, filij Dei gloriosum promittit elogium, si quis benignum erga inimicum pectoribus foueat affectum. Et quidem sæculi Principibus penditur exactæ obedientiæ tributum, si affulgeat commodum. c. 15. §. 28. p. 76

7. *Diligite inimicos vestros.* Non solum prohibuit manum, sed à pectore exclusit odium, iussit diligere, non tecta dolositate dissimulare; nam sciebat plures etsi honoris iniuriam exterius nequeant punire, tecta dolosaque astutia vltionem auidè expetere. Profectò tecta astutia soler euerti, qui externis viribus nequibat impeti. c. 15. §. 61. p. 95

8. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Sæpè beneficijs probatur obstrictus, qui insurgit odio virulento succensus, & exercendæ eximiæ charitatis occasio offertur, dum beneficijs beneficiatus abutitur. Sæpè contra ipsum vertuntur in arma accepta ab aliquo beneficia. c. 15. §. 9. p. 67

9. *Vt sitis filij patris vestri.* Iniurias, offensasque remittentibus cœlestis promittit filiationis honorem, vt laudabiliter ambitiosi iniuriarum dequirant amara, & tulerint patienter aduersantium odia. Profectò immietatæ ambitionis videntur vires ad incommoda deglutienda, & onera grauissima supportanda. cap. 15. §. 33. p. 79

10. *Vt sitis filij patris vestri, qui solem suum &c.* Cœlestem Patrem in exemplum proponit, qui etiam ingratis, & eius familiam persequentibus lucis florem impertit, & imbres temporaneos immittit. Profectò superioris exem-

plum aspera emollit, & fellita mellit. c. 15. §. 81. p. 107

DOMINICA I. IN QVADRAG.

MATTHÆI. IV.

1. *Diuitus est Iesus in desertum.* Deserto degit Dominus orationi intentus, & ieiunijs luridis obarmatus, cum vaferrimo hoste decertaturus; non quia ipse ad reportandam palmam his egeat, sed, vt ad prælia nos instruat: nam orationis perseverantia non solum feliciter vota assequitur, sed vicisse hostiles dolos probatur. c. 14. §. 58. p. 34

2. *Esumit.* Fame Christus Dominus vexatur; purpuratus ille epulo iugi, & splendido conuiuio vtitur: *Epulabatur quotidie splendide.* Luc. 16. v. 19. Eximijs virtutibus expolitus, indiget ad vitam alendam pane; vitiorum sentina obbrutescit ingluvie: vt noueris hoc in sæculo peccatores sæpè commodis exundare, & iustos vel necessarijs carere. c. 14. §. 77. p. 44

3. *In desertum, &c.* Ad desertorum contendit aspera, cum dæmonis congressurus versutia: vt nouerimus sæculum fugere, dum contingit tentationibus adurgeri. Nam inter delicias, & sæculi voluptates virtutis irrepit obliuio, & tardius, aut lentius salutis agitur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48

4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus.* Qui diuturna, asperaque tolerat ieiunia, noluit panis frustulo adedè obscure gloriofa. Et quidem graui pœna videtur dignus, qui magna tentauit, & ob exigua defecit. c. 14. §. 89. p. 51

5. *Accessit tentator.* Tentator accessit, deserti, & ab humanis oculis recessus ope, quasi facilius animus prolectetur secreto, vt se polluerit delicto. Verùm sic aliquorum, præcipuè Magnatum perfectissima audet insolentia, vt gloriantur publicè delinquere, nec lucem, aut oculos formidare. c. 14. §. 90. p. 52

6. *Hæc omnia tibi.* Promittit, si culpa inficiatur, voluptatibus, potestate, & diuitijs fruiturum; vt qui benè nouerat, si inficeretur culpa, infelissimum fore, etiam inter prosperrimæ fortunæ oblectamenta: vt hinc discas, esse miserum culpa infectum, quantumuis videas fortunæ muneribus exornatum. c. 14. §. 101. p. 59

7. *Et accesserunt Angeli.* Post hostiles congressus, post laboriosos famis cruciatus suauissimo epulo fruitur, & obsequijs Angelicis honoratur. Sæpè namque Deus, quos diu austerè exercuit, dulcissima postea suauitate oblectauit. c. 14. §. 104. p. 60

8. *Panes fiant.* Tentator accessit compassionis, pietatisque obtentu inædiam mitigare suadens. E templi fastigio, in montisque culmine casum desiderabat, sed ab exiguis inceperat, & virtutis fuco tentationem colorauit; nam, vt perueniat ad magna, speciosis dolis tentat exigua. c. 15. §. 4. p. 64

9. *Hæc omnia tibi dabo.* Omnia in vnum congerit, vt instruat periculum, vt sigillauerit, quasi ambitiosum, est enim ambitionis proprium sibi omnia agglomerare, & consortem felicitatis respuere. c. 15. §. 35. p. 80

10. *Dic vt lapides isti.* Maiora aggressurus certamina, auferre prius austera tentat ieiunia, se præci

Index ad Sacras Conciones.

præcipitem è templo agere, adorationis creaturæ obsequium pendere, grauiſſima erant peccata; ieiunium non protelare, nulla videbatur offensa. Ergo de more dæmon prius aggreſſus virtutes impedire, & poſtea crimina ſerere. c. 15. §. 58. p. 94

FERIA IV. POST DOM. I.

M A T T H. XII.

1. **M**agister, volumus à te ſignum videre. Hic adulationibus proleſtant, alibi Scribæ, & Phariſæi contumelijs exaſperant: Samaritanus ex: Chriſtus verò Dominus nec vituperijs triſtatur, nec laudibus vanis effertur: vt nouerit Chriſti diſcipulus nec laudibus inflari, nec contumelijs animo deiſci. cap. 14. §. 41. p. 24
2. **M**agister, volumus. Libera fronte accedunt, dolos obtendere, vt poſſent virtutem colere: nam Reipublicæ Magnates ad delinquendum lucem non formidant, imò delinquere palam affectant. c. 14. §. 90. p. 52
3. **Generatio mala, & adultera.** Sugillat Chriſtus nobiliſſima radice exortos moribus degeneraſſe, & in Republica præcipuos ſplendorem actionum tenebris confuſiſſe. Et quidem ſapè vnde quis deberet eſſe moſtior, inde inſolentior fit, & inflatior. c. 15. §. 6. p. 65
4. **Volumus à te ſignum videre.** Vt placet D. Thomæ in Cat. temporum volebant confundi iura, & inquietari elementa, ſcilicet ſereno tempore mugire tonitrua, coruſcare fulgura. Et quidem de ſæculi vſu hæc audebant, cum ſapè in obſequium dignitatis violentur præſcripta iuris, & ordo temporis. c. 15. §. 7. p. ſubid.
5. **Magiſter, volumus.** Scribæ, Phariſæique Chriſto ſtatim humilem proſtenti accedunt, Magiſtri elogijs impertientes, & officioſe honorantes; ſed vt dolos obtendant, & miracula extorqueant. Profectò ſi Magnates priuatum affectatè colant, noxiam fallaciam concinnant. c. 15. §. 38. p. 82
6. **Volumus, à te.** Coloratis adulationibus Chriſtum conabantur fallere, neque præuidebant ſibi ipsis nocere: **Magiſter, volumus.** Sibi ipſi non dubitet officere, qui magiſtrum, aut ſuperiorem aggreſſus ſpecioſa verſutia fallere. c. 15. §. 53. p. 91
7. **Generatio praua, & adultera.** A Deo dignitatibus exornati turpebant odio, & recto diſcripebant capere laqueo: ergo rationabili Chriſtus indignatione percuſit, & degeneraſſe ſenere carpiſit. Eſt enim grauis dolor, ſi vnde ſperabas officium, oriri experiaris dolum. c. 15. §. 69. p. 100.
8. **Volumus à te ſignum videre.** Scribæ, Phariſæique, qui à Domino cæteris antelati, & viam ad ſpeciem religioſorum ingreſſi, alijs deteriores probabantur, & Chriſto laqueos obtendere conabantur; ad ſpeciem Chriſti ſuſpirabant gloriam: **Volumus à te ſignum videre:** Sed reuera tegebant, quam corde gerebant, inuidiam. Aſtuta politice regit ambicioſam flammam, & Principis ſuſpirare mentitur gloriam. c. 16. §. 20. p. 163
9. **Magiſter:** Se proſtabantur diſcipulos, & gloriam Magiſtri affectabant quærere, ſed Chriſti

exempla detrectabant imitari. Plures ſe inſinuant, & affectant amicitiam, ſed vt explorarint conſcientiam, & euerterint fortunam. c. 16. §. 51. p. 180

10. **Magiſter:** Hæc adulando protulerunt, & adulatione conſequi vota ſperarunt: putabant Chriſtum ex eis eſſe, quos delectat adulationis ſuauiſſas, etiam dum repugnat veritas. Sibi plures imponunt, & ſe tam magnos, quàm audiunt, credunt. c. 16. §. 53. p. 181.

FERIA VI. POST DOM. I.

I O A N. V.

1. **E**ſt Hieroſolymis probatica piſcina, &c. Inter ſalutis ambitores æget inueniebatur triginta & octo annos patienter expectans, & conſequi ſanitatem deſiderans. Hunc præ alijs reſpexit Dominus, fortè quia præ alijs virtutibus exornatus, nam virtutem prodit in proſperitate moſtètia, in aduerſis tolerantia. c. 14. §. 42. p. 25
2. **Inuenit eum Ieſus in templo.** Votum aſſecutus, acturus gratias terendit in templum; cum plures vota aſſecuti, gratitudinis tributum tardent, aut negent. c. 14. §. 55. p. 33
3. **Triginta & octo annos.** Fortè vt animæ aſſequeretur ſalutem, diuturnam aded paſſus eſt inſiſſimitatem; ſi integra fruereſſet ſalute, & fortuna proſperiori, forſitan animo ſordeſceret, & inſanis appetitionibus inſeruiret: ergo vexatione venit compulſus; qui recederet fortè muneribus fortunæ exornatus. Sæpè qui differunt Deo obedire leniter inuitati, calamitate veniunt compulſi. c. 14. §. 86. p. 49
4. **Triginta & octo annos.** Ad ſe Deus per prolixæ ægritudinis moleſtias traxit, & felicius fuit inſiſſimitate, & minus eſſet felix, ſi à Deo recederet vegeta, & florenti ſalute. Eſt enim felicius quem ad ſe Deus flagellis traxit, quàm quem impunitum relinquit. c. 15. §. 73. p. 102
5. **Alius ante me deſcendit.** Laborem perdebat, quia ſalutem lentiffimè procurabat. Certè ignaue ſalutem quærere, aut periculum fugere, eſt tarditate laborem perdere. c. 15. §. 77. p. 104
6. **Triginta & octo annos.** Ob breuem, & volaticam voluptatè, prolixam contraxerat ægritudinem, & fallax dulcedo tantæ amaritudinis fuit origo. Et quidem plures adinuerunt ſibi laborem, vbi quærebant placidam requiem. c. 15. §. 94. p. 114
7. **Hominem non habeo.** Habuit fortè plures homines, qui, florente fortuna, eum colerent, nullum habuit, qui ægroto aſſiſteret. Profectò aut nullus, aut rarus verè inuenitur amicus: nam ſerè omnes ſequuntur fortunam, non perſonam; cum perfecta amicitia attendat perſonam, & attendat minus fortunam. c. 15. §. 99. p. 117
8. **Dum enim venio.** Paralyticus meruit obtinere ſalutem, quia & Angeli exoptabat auxilium & vt lucraretur, promonebat, provt ipſe poterat, greſſum. Oportet enim in infortunijs cæleſte auxilium implorare, & ſimul greſſum, vt tibi prouideris, promouere. c. 15. §. 104. p. 120
9. **Hominem non habeo.** Alia calamitas aliam comitabatur: æger carebat ſalute, & omni proſus iuuamine. Nam ſapè calamitas vrget ſolatio

Index ad Sacras Conciones.

tio prorsus destituta ; felicitas aliqua amaritudine venit associata. c. 15. §. 157. p. 151

10. *Hominem non habeo.* Vt in piscina mitteret ad recuperandam salutem , carebat homine, ad vitia non destitueretur iuuamine : nam iniquis votis spontè sæpè fauetur , fauor virtutibus denegatur. c. 17. §. 2. p. 190

DOMINICA SECVNDA.

MATTHÆI. XVII.

1. **A**ssumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, Ad montis cacumen per ardua ducuntur Apostoli fatigati, sed in montis vertice lætantur cœlesti visione fructi. Nam Christum secuti, via lassantur, sed in termino felicitate fruuntur; secuti sæculum, in via gaudent, sed in termino lugent. c. 16. §. 49. p. 179
2. *In montem excelsum.* Vt placida fruerentur quiete, ab hominibus seiunxit, vtque cœlestem audirent vocem, à curiæ tumultibus separauit. Mihi crede, inter desertorum aspera, & dura respirat animus, inter curiæ delicias quietem ignorat spiritus. c. 16. §. 50. *ibid.*
3. *Faciamus hinc tria tabernacula.* Felicissima vsus fortuna, eam stabilire cupit Petrus industria, & sollicita vigilantia, nos edocens non sic fidendum fauore alieno, vt tibi non prospicias labore proprio. c. 17. §. 40. p. 214
4. *Faciamus hinc tria tabernacula.* Cùm tabernacula sint militantium, in cacumine tabernacula fatagit construere, qui in valle non curauerat fabricare. Facile namque declinat periculum, humilia tenens, non facile celsis lucens. c. 17. §. 45. p. 218
5. *Moyse vnum.* Non ignorabat Petrus æmulorum odia: Ergo Moyse, & Eliæ exhibere gestiuit officia, edocens opus esse amicorum auxilium, vt aduersantium eludas facile ingenium. c. 17. §. 46 p. 218
6. *Bonum est nos hinc esse.* Sitiebat Petrus cœlestis visionis claritatem, sed recusabat crucis dolorem. Sunt enim plures, qui adnexos labores respiciunt, & commoda dignitatum exambiant. c. 17. §. 71. p. 232
7. *Transfiguratus est ante eos.* Christum secuti, quàm sperabant, gloriam sunt adepti; qui sequuntur vitia, lugent non solùm spebus frustrati, sed calamitatibus pressi. c. 18. §. 16. p. 246
8. *Bonum est nos hinc esse.* Eminebat Petrus culmine, fulgentissimo fruebatur splendore: Ergo ambiuit stabilire, edocens non magni habenda, quæ citò possunt auolare, & possessorem deserere. Profectò parùm iuuat honoribus, & delicijs cumulari, si animam contingat perire. c. 18. §. 31. p. 254
9. *Ipsam audire.* Christus Petri votis non annuit, imò cœlesti voce crucem amplecti suasit; nam verus amor amati cupiditatibus non blanditur, imò arcere à desiderijs noxijs conatur. c. 18. §. 67. p. 274
10. *Faciamus hinc tria tabernacula.* Petrus vbi celsa occupauit, ad Christi, vt sibi videbatur, honorem laborare gestiuit. Et quidem dum vel nesciens prodit obsequiosa vota, tradit Reipublicæ ministris vtilissima documenta. Nam pro Principe, Republicaque tenentur laborare solliciti, qui culmine, & honoribus exornati. c. 18. §. 77. p. 280

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

FERIA IV. POST DOM. II.

MATTH. XX.

1. **E**cce ascendimus Hierosolymam. Virtutem secuti, varijs laboribus adurgentur, sed tandem immortalibus fulgoribus coronantur. Celeri vestigio Christus ad tormenta, & ludibria contendit, quia resurrectionis gloriam prænoscit: *Tertia die resurget.* Vt noueris, virtutem secutos laboribus dilassari, sed immortalitatem gloria potiri. c. 16. §. 49. p. 179
2. *Vt sedeant hi duo filij mei.* Discipuli sitienter dexteram, & sinistram sibi exambiebant: & mirum fuit omnem sibi honorem non vendicare, & quid alijs condiscipulis relinquere. Nam ambitionis sitis alijs nec splendoris guttulam permittit, sed omnes fastos adire gestit. c. 17. §. 3. p. 191
3. *Vt sedeant.* Fratres etsi alijs satagebant præire, à Christi latere nolebant discedere; cùm plures non detrectent a Christo recedere, vt primas cathedras, & honores possint præripere. c. 17. §. 4. *ibid.*
4. *Assumpsit Iesus duodecim.* Vt secum ascenderent, vt virtutibus inseruirent, fratres assumuntur, vt dignitatum occupauerint culmina, accedent ipsi conantur, testante Euangelista: *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis.* Nam quisque tendit, quò lucrum, aut studium ducit, non quò tendere ratio suadet. c. 15. §. 68. p. 99
5. *Hi duo filij mei.* Petro, qui dignitate præminebat, ab ipsis socijs procuratur dignitas auferri, sibi que postponi: *Petrum sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt, &c.* inquit Chrysost. Hom. 66. in. Mat. Vt nouerit, qui dignitate fulget, periculum sibi imminere, non solùm ab extraneis, sed à socijs & coniunctis. cap. 15. §. 70 p. 100
6. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dum Christus Dominus, & Magister bibit calicem, discipuli alacriter respondent, se posse subire mortem: *Possimus.* Nam superioris Exemplum difficultates emollit, & laborem mellit. c. 15. §. 81. p. 107
7. *Calicem quidem meum bibetis.* Cui sorte videantur fratres minus fortunati, dum vota referuntur non assequuti; sed cum ipsi euanida expeterent, feliciores fuerunt calice, & minus essent felices, obtenta sede: *Regnum temporale putabant,* inquit D. Thom. in Cat. Ergo edocuit Christus feliciorem esse, qui sequitur eius vestigia, quàm qui non sequens, futilia adipiscitur, & volatica. c. 15. §. 86. p. 109
8. *Dic vt sedeant.* Placidam quærebant sedem, & inuenerunt amarum calicem; optabant hoc in sæculo præluere: ergo nequibant calicem non subire. Vt noueris, plures anxium experiri laborem, vbi quærebant sitienter placidam requiem. c. 15. §. 94. p. 114
9. *Calicem quidem meum bibetis.* Ingens beneficium sunt assecuti, dum biberunt calicem vel compulsi, & quam expetebant, effugerunt vanitatem sæculi moniti. Est enim ingens beneficium, si vel compulsus Christo adhæreas, & sæculi vanitatem effugias. c. 15. §. 95. p. 115
10. *Potestis bibere calicem?* Quem erga Christum fratres



Index ad Sacras Conciones.

fratres habeant affectum, calice passionis examinat, & fratres præ alijs examinat, quia plus ab illis sperat. Nam frequenter Deus quia plus ab illis sperat, suos asperis ætumnis examinat. c. 15. §. 25. p. 132

10. *Vnus ad dexteram, &c.* Affectabant Christo adhærere, & discipiebant simul ceteros dignitatum luminibus antecire. Inueniuntur namque qui, cum affectent Deo adhærere, simul appetant cupiditatibus inseruire. c. 16. §. 37. p. 172

FERIA VI POST DOM. II.

MATTHÆI XXI.

1. **H**omo erat paterfamilias. Paterfamilias vineam plantat, sèpem circumdat, torcular disponit, & turrim ædificat. Et quidem in vinea turris videbatur superflua. Verùm edocuit turri substructa, necessarium esse excubias agere; quia sunt plures, qui conentur fructus diripere. Opus est omni tempore inuigilare in excubijs, quia omni tempore contra nos perstat inimicus in armis. c. 17. §. 25. p. 204
2. *Locauit eam agricolis.* Agricola videbatur vinea culturæ inuigilaturi, verùm contra vinea dominum insurrexerunt ambitione fœda turpati, sæpè namque, qui debuissent virtutem tueri, inueniuntur insanis appetitionibus inseruire. c. 17. §. 23. p. 203
3. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset.* Opportuna occasio fructus offerre Domino videbatur suadere; agricolæ verò salutis noluerunt occasionem arripere. Ergo sibi ipsis maturaerunt ruinam; nam sæpè, qui inuitantem occasionem omittit, duram pœnam frustratus soluit. c. 17. §. 31. p. 208
4. *Alium ceciderunt.* Agricolarum exoculatam audaciam vinea dominus patienter tulit, & prudenter dissimulauit. Verùm quia lenis erat patientia, insolentior exereuit audacia, ac tandem miseranda agricolæ disperierunt ruina. Nam sæpè errata dissimulare, est duram vindictam sumere. c. 17. §. 36. p. 212
5. *Locauit eam agricolis.* Agricola, vt fruereutur vinea, enormia commiserunt peccata: Vt hac in parabola nosceremus, esse plures, qui mallunt, læsa conscientia fulgere, quàm temporalibus commodis viuari. c. 17. §. 70. p. 232
6. *Malos malè perdet.* Iniquis agricolis seuerè punitis, alijs vinea traditur, & domino vberimus fructus soluitur: Nam inflicta alijs pœna est prudentibus pro doctrina. c. 17. §. 75. p. 235
7. *Alium ceciderunt.* Beneficijs amplissimis obstricti seruos, imò & ipsum filium, vita multarunt; & tamen vinea dominus diu pepercit, & expectauit. Nam iniquus beneficijs obstrictus lædit, iustus vel ingratitude læsus parcit. c. 18. §. 13. p. 244
8. *Nostri erit hereditas.* Falsis spebus delusi delinquebant, & delinquendo sibi stragem maturabant; quod peccatoribus frequenter accidit, nam falsis sibi spebus blandiuntur, sed durissimis pœnis vrgentur. c. 18. §. 16. p. 246
9. *Occidamus eum, & habebimus hereditatem eius.* Formidabant vinea carere, vtque possent vitare incommodum, horrendum perpetrare delictum, & delicto durissimum subierunt tor-

mentum. Sic namque peccatores cæcutiunt, vt dum temporale fugiunt incommodum, irremediabile sibi elaborauerint detrimentum. c. 18. §. 17. p. 247

10. *Alium ceciderunt.* Dei serui, vinea possessores, hoc est magnates, & dignitatibus prelucentes, adnisi sunt salubri admonitione corrigere; admonitionis merces fuit flagrum, nam Magnates corrigens pro præmio subire solet periculum. c. 18. §. 28. p. 253

DOMINICA TERTIA.

LVC. XI.

1. **E**rat Iesus eiiciens demonium. Homo à demone inuasus, non solum deturparat conscientiam, sed amiserat etiam linguam: *Et illud erat mutum.* Vt noueris vitium non solum contra animam militare, sed salutem, & corpori officere. c. 18. §. 47. p. 263
2. *Et illud erat mutum.* Homo miser erat demonis habitaculum, sed obseruabat silentium: *Et illud erat mutum.* Crimen erubescere, non euulgabat: Cum sint plures, qui affectent gloriari, de quibus exigebat ratio erubescere. c. 18. §. 57. p. 269
3. *Erat Iesus eiiciens demonium.* Qui solo nutu demonem posset depellere, maluit ad nostram eruditionem pugnam constanter inire: quod verbo *Erat* nobis declarat Euangelista, dum denotat per aliquod spatium in eiiciendo demone perseverasse, & victoriam tandem tullisse: Vt noueris perseverantiam assequi, & honestis votis potite. c. 18. §. 69. p. 276
4. *Locutus est mutus.* Profecto locutus est gratias agens, & officium Domino exhibens: nam gratitudo non debet differri, sed beneficium ipsum comitari. c. 18. §. 63. p. 272
5. *Erat Iesus eiiciens demonium.* Christus Dominus in hominum caput electus, ad laborabat vitia expungere, & salutem hominum prouidere. Hoc denotat Euangelista illo verbo *Erat Iesus.* Vt intelligas non perfunctoriè huic operi incumbere, sed soletter laborare: Vt nouerint qui pro Republica occupare fastigia, laborandum solertissima vigilantia. cap. 18. §. 77. p. 280
6. *Locutus est mutus.* Qui admisit demonem, qui silentio iniquo fouit, iam stylum vertit, & laudes rependit Deo, nec exinceps tacet poluto labro. Nam admissus semel error prudenti deseruit ad salubrem cautelam, non ad durissimam pertinaciam. c. 19. §. 24. p. 303
7. *Alij tentantes, &c.* Pharisei scribaeque nec tanto miraculo Christo adhærebant, imò miraculum sugillabant: cessit demon imperio, & indurantur Magnates, viso miraculo. Lentius ad virtutem solent accedere, quos origo nobilis, aut dignitas solet ornare. cap. 19. §. 38. p. 311
8. *Volumus à te signum videre.* Vt internum tegerent odium, veluti obsequiosi accedunt, exposcentes miraculum. Nam politici sæpè, quò interna melius dissimulauerint odia, præ alijs exhibere adnituntur officia. cap. 19. §. 54. p. 320
9. *Tentantes signum, &c.* Videbantur Reipublicæ Magnates, fatendo Christum esse miraculo-

Index ad Sacras Conciones.

rum artificem, exhibere debita officia, sed dolosa obtendebant retia: *Tentantes*. Exhibita namque à Magnatibus officia infidiosa sæpè sunt retia. c.20. §.18. p.371

10. *Locutus est murus*. Expuncto dæmone, lingua soluitur, & quæ præmebat, ærumna pellitur. Vt noueris, expuncto peccato, quæ premebant, calamitates sæpè cessare, & conscientiæ tranquillitatem redire. c.20. §.36. p.382.

Est enim infaustum, Dei domum incolere, & sordidis cupiditatibus inserruire. c.15. §.84. p.108

10. *Hypocrita benè prophetauit*. Ficta officiositate Christo accedebant, & eius honorem sollicitare affectabant; sed erat amicitiae larua, & vera dolositatis astutia. Et quidem simulatus amicus perniciosior hostis, grassantior pestis. c.15. §.152. p.148

FERIA IV. POST DOM. III.

M A T T H. X V.

1. **Q***uare Discipuli tui, &c.* Discipuli ad culmina apostolatus elati arguuntur, legis ceremonias non custodire: in omnium erant oculis, & eis opponebat æmulorum inuidia, non lotis manibus, uti mensa: factiosa erat calumnia, sed nobis est pro doctrina satis fructuosa. Certè omnibus debet esse virtutibus expolitus, qui fulget cæteris antelatus. c. 23. §.17. p.436
2. *Quare & vos?* Apostoli calumnijs impetiti tacerunt, & Christo dedicauerunt patientiam: ergo seuerè inimicos carpsit, & impetitos defendit. Seueriorem Deus pro homine sumit vindictam, si suam Numini consecrauit patientiam. c.22. §.60. p.446
3. *Non lauant manus.* Qui rapinis tectè inhiabant, Apostolos pollutis manibus sordere credebant. Nam qualem se quisque experitur, talem esse alterum suspicatur. cap. 22. §. 33. p.431
4. *Non lauant manus.* Improbritatem cordis ostenderunt, dum existimatam Apostolorum sordiciem exaggerarunt: si iustitiam colerent, culpam minuerent. Optimi ingenij est, alterius errorem excusare, peruersi, culpam augere. c.14. §.34. p.20
5. *Quare & vos?* Qui criminabantur, Apostolos sordidis manibus manducare, non verebantur legem clarissimè infringere. Errant Republicæ Proceres, & frequenter Magnates delinquere palàm affectant, neque oculos reformidant. c.14. §.90. p.52
6. *Transgredimini mandatum Dei.* Ut ditescerent, Dei transgrediebantur præcepta, sed inauspicata erant transgressione acquisita commoda. Est enim infelix, qui culpa polluitur, etsi fortuna cumulatissima utatur. cap. 14. §. 101. p.59.
7. *Quare & vos?* Sacerdotes, quam à Domino acceperant, dignitatem cupiditate sordidabant, & adaugere censum iniquis interpretationibus discupiebant. Contra Deum vertebant, quam ab eo acceperant, dignitatem: Nam sæpè vertimus contra ipsum in arma accepta à Numine beneficia. c.15. §.9. p.67
8. *Munus quodcumque ex me, &c.* Religionis obtentu impietatem Scribæ, & Pharisei, sacerdotisque edocebant; & specioso fuce proprijs utilitatibus inhiabant. Sæpè affectatur utilitatis publicæ zelus, & cupiditatis regitur ambitus. c.15. §.29. p.27
9. *Quare & vos transgredimini?* Sacerdotes Dei domum colebant, & præcepta legis violabant. O quam erant infelices extra sæculum cupidi, in Dei domo cupiditatibus sordidati!

Eman. de Naxera in Reg. Tom.I V.

FERIA VI. POST DOM. III.

I O A N. I V.

1. **V***enit Iesus in ciuitatem Samariae.* In ciuitatem Samariæ venit, ut Samaritani sitienti exhibeat aquam, & per misericordiam assequatur sibi veniam. Certè sollicitat sibi gratiam, qui lucrosam egenis impendit misericordiam. *Da mihi bibere.* Expectauit rogari, cum posset beneficium non precibus inuitata impetiri, & beneficium augere: nam beneficium auget, non expectans rogari, sed supplicandi ruborem gestiens impedire. c. 16. §.2. p.153
2. *Hora erat quasi sexta.* Sexta hora crucifigentium passus est odium, & sexta hora à serua, muliereculaque petiuisse refertur obsequium; quia ingenuo vito non minus amarum est, ad eam deuenire fortunam, ut ei seruus impendat misericordiam. cap. 16. §. 23. p.165.
3. *Quingue enim viros habuisti, &c.* Mulier libidine sordida inserruire multis, veluti legitima consequentia est coacta; nam peccatum peccata parit, & fœtibus detestandis augetur. c.16. §.47. p.178
4. *Sitiet iterum.* Haurire veniebat, ut Augustino placet, de profundo sæculo voluptatem. Ergo non erat ea aqua, quæ sitim extingueret, sed augeter. Libido nunquam sopitur satura, sed maiori ardore adurget semper anhela. c. 16. §.61. p.186
5. *Da mihi hanc aquam.* Statim cœlestis aquæ occasionem rapuit, nec in posterum distulit: & fortè, si distulisset, non comparasset. Nam qui inuitantem salutis occasionem in posterum mittit, frustratus sæpè dilationis pœnam exsoluit. c.17. §.31. p.208
6. *Et nunc quem habes, &c.* Rudis mulier existimabat opus esse prophetia, ut eius agnoscerentur errata: *Propheta es tu:* quia fortè magna oculere satagebat solertia. Verùm fallebatur, quia nil adeò potest astuta dissimulari solertia, ut aliqua non effluat notitia. c. 17. §. 42. p.216
7. *Venit mulier.* Candente sole, puteo accessit Dominus fatigatus, sed mulier, candente etiam sole, & non sine labore venit ad puteum. Christus post itineris laborem sedisse refertur, sedisse mulier non dicitur. Nam probi improbi que non dissimiles sæpè subeunt labores, sed dissimiles sortiuntur fines. cap. 17. §. 65. p.229
8. *Da mihi bibere.* Ad misericordiam excitat, ut mercedem copiosissimam exhibeat, & aquam cœlestem præbeat. Nam vel exigua pauperibus impensa, lucra afferunt ingentissima. c.17. §.77. p.236

6 9. Venit

Index ad Sacras Conciones.

9. *Venit mulier.* Mulierem expectat Dominus multis criminibus inquinatam, & libidinibus fordidam, quasi gloriæ ducat vitiorum procerem à diabolo eripere; nam diabolus non magni ducit mediocres vincere, sed de proceribus sanctitatis triumphare. c. 18. §. 10. p. 243
10. *Haurire aquam.* Assueta voluptatibus, haurire, vt placet Augustino, voluptates veniebat, & vel in ipsa adolescentia fuisse videtur improles. Nam luxuria sterilitate mulctatur, & posteritate interdicatur. c. 18. §. 21. p. 249

DOM. IV. IOANNIS. VI.

1. **A** *Bijt Iesus, &c.* Christum secuti, nec maris obicibus tardabantur, nec desertorum asperitatibus terrebantur; Ergo à Domino refecti gaudent, & victis difficultatibus, ei adherent. Nam qui ardua ob virtutem tentat, tentando superat. c. 17. §. 20. p. 201
2. *Multitudo magna.* Ad instar miraculi fuit, tot Christum vsque ad desertum sequi, & curia, commoditatibusque priuari. Cum homines eligant, læsa etiam conscientia commodis potiri, & respuant, illæsa, dignitate, ac commodis viduari. c. 17. §. 70. p. 232
3. *Vnde ememus panes?* Egebant; sed indigentiam silenti ore tolerabant; Christo verò satis fuit, necessitatem noscere, vt gestiuerit subuenire, Nam liberali satis est, necessitatem conijcere, vt accelerauerit subleuare. c. 17. §. 78. p. 236
4. *Sequebatur eum.* Felices, qui Christum sequebantur, quia dignis præmijs remunerati, & vota assecuti. E contra, qui vitium sequuntur, euandis ducuntur spebus, & durissimis vrgentur calamitatibus. c. 18. §. 16. p. 246
5. *Sequebatur eum.* Mare vrgibat, sequebantur, desertorum horror auerteat, & tamen persequebantur, fames diuexabat, sed constantia persistebat: Ergo impleti sunt miraculoso pane, & cælesti honorati dignatione. Nam perseuerans constantia assequitur, votisque fruitur. c. 18. §. 69. p. 276
6. *Vt raperent eum, &c.* Vt acceperunt beneficium, gestiebant gratitudinis pendere obsequium. Nam gratitudo non debet differri, sed beneficium ipsum comitari. c. 18. §. 73. p. 278
7. *Vt autem impleti sunt.* Christum secuti, exundarunt pane, & digna sunt remunerati mercede; si mundum sequerentur, pro præmio esset rubor, & angor. Cum sæpè creaturis deservienti fructus sit rubore confundi, & sera pœnitentia vrgeri. c. 9. §. 4. p. 291
8. *Facite homines discumbere.* Supra scenam discumbunt cælesti pane reficiendi, nec brutorum esuriunt pabula, quos cælestis explicatur à Domino mensa. Vt notum sit ad eximiam virtutem, & puritatem teneri, quos cælestibus constat ferculis ali. c. 19. §. 80. p. 335
9. *Facite homines discumbere.* Plures exantlauerant labores, Christum secuti, sed ingenti sunt præmio remunerati, dum cælesti pane innutriti. Cælestis mensa est eximium laboris præmium, & faustum æternæ felicitatis auspiciam. c. 19. §. 97. p. 345
10. *Facite homines discumbere.* Quos homines præcipit discumbere placida requie, & cælesti nutrire pane? Certè illos, qui traiecerunt maria, & Christum sunt sequuti vsque ad aspera

deserta: vt notum sit volenti imperturbanda quiete potiri, opus esse Christum in itinere comitari. c. 19. §. 98. p. 346

FERIA IV. POST DOM. IV.

IOANN. IX.

1. **P** *Rateriens Iesus.* Homo ab origine passus est cæcitatem, quia in Adamo noluit à vetita arbore manum retrahere: si tunc edomisset cupidinem, non sustinisset cæcitatem: leuior labor erat ieiunij patientia, & durior cæcitatibus tolerantia; vt noueris sæpè ad duriora sustinenda cogi qui recusauit leuiora pati. c. 20. §. 1. p. 361
2. *Vidit hominem cæcum.* Homo de vetita arbore edens diuinitatem præsumpsit, sed præsumptione cæcus remansit. Nam ambitio, dum inuolat immetata, sibi periculum maturat improuida. c. 20. §. 2. p. 362
3. *Lux sum mundi.* Lucis adimplebat officium, illustrando cæci conspectum: non erat lux, quæ solum splenderet, sed quæ oculos etiam inderet. Plures exambiunt splendere, non tamen curant alijs proficere. c. 22. §. 36. p. 432
4. *Vidit hominem cæcum.* Hominem cæcum vidit, & nulla ad cæcitatem depellendam vrgeri sollicitudine doluit. Non clamabat, non, vt Chananaea, ad Apostolorum preces confugiebat. Profectò ignorabat calamitatem, qui non gestiebat impetrare salutem: infelicitatem culpæ videtur ignorare, qui ea infectus potest quiescere. c. 24. §. 14. p. 480
5. *Quis peccauit?* Leuibis coniecturis culpam parentibus applicabant, aut cæco adscribebant. Profectò plurium filiorum cæcitas originem sumpsit à parentum ignauia; hinc verò leuissimis, imò coniecturis falsis parentibus detrahebant, & cæco: cum ratio exigat coniecturis vt ad veritatem indagandam, non ad culpam fixè adscribendam. c. 14. §. 45. p. 27
6. *Neque hic peccauit.* Ex laboribus discipuli conijciebant culpam, sed satius esset, ex ærumnis coniectasse animæ polituram. Cum frequens sit peccatores commodis exundare, & iustos calamitatibus premi. c. 14. §. 76. p. 43
7. *Sed vt manifestentur, &c.* Vt placet Augustino in Catena, felicior fuit hic homo cæcitate, quàm Pharisei perspicaci oculorum luce; nam hic per ærumnas Dei lateri adhæsit, & Phariseus veritati euidentissimæ repugnauit. Fortunatior namque est, qui per ærumnas Christi lateri adhæret, quàm qui dignitate, & commodis affluens, veritati, & luci resistit. c. 15. §. 86 p. 49
8. *Vade, laua, &c.* Ad recuperandam oculorum lucem voluit Dominus, vt gressu celeri ad fontem contenderit, & ipse oculos luto liniuit, vt nos factis edoceat ad infortunia pellenda necessarium esse Dei auxilium, & simul, vt tu laboraueris, & promoueris etiam gressum. c. 15 §. 104. p. 120
9. *Vade, laua.* Voluit Dominus, vt sagax prudentia nil omitteret ad recuperandam salutem, licèt ipse Dominus oculos liniuerit ad pellendam cæcitatem: vt discas prudentem nihil omittere, & à Domino fiducialiter sperare. c. 15. §. 121. p. 130.

Index ad Sacras Conciones.

10. *Non est hic homo à Deo.* Christus Dominus sabbatha non violabat, sed Pharisaorum odium, & inuidia violare imponebat, & tragædias excitabat. Nam odium odioſo culpas imponit, aut ſaltem admiſſas auget. c. 16. §. 26. p. 166.

FERIA VI. POST DOM. IV.

IOAN. II.

1. **E***Rat quidam languens Lazarus, &c.* Lazarus languet morti proximus, & de ſalute non curat veluti periculi inſcius. Cùmque in Lazaro adumbretur peccator, nos factis edocet impendentis periculi carere notitia, & nullatenus prouidere ſibi ſolicita vigilantia. c. 15. §. 67. p. 99.
2. *Languens Lazarus.* Ipſa in iuuentute, ætatiſque flore Lazarus obiit. Omnis certè ætas periculis inuenitur obnoxia; & ideò prouida eſt opus cautela. c. 15. §. 71. p. 101
3. *Languens Lazarus.* Nobilis, iuuenis, & abſente Deo, non potuit non inſirmari, & ardoribus aduri. Qui commodis circumfuſus diſtat à Chriſto, criminibus polluitur, & lapſibus deſcedatur. c. 15. §. 85. p. 109
4. *Inſirmatur.* Fortè Lazarus peccatoris imaginem gerens, voluptatibus indulgebat, & ſe vanis ſpebus lactabat. Verùm maturauit ſibi periculum, dum noxium ſectatur otium. Sæpè peccator, vbi ſibi promittit placidam requiem, experitur anxium laborem. c. 15. §. 94. p. 114
5. *Iam fietet.* Chriſtus ſe Lazari teſtabatur amicum: *Lazarus amicus noſter.* Ergo fietenti ſuccurrit, & ſalutis curam egit. Perfectæ amicitie exhibuit normam; nam amicitia non fortunam ſequitur, ſed perſonam. c. 15. §. 100. p. 117
6. *Plorantes.* Plorabant fratre carere, commodis denudari; non plorabant à Chriſto abſentes diſtare; abſente Chriſto, non emittebant lachrymas, ſublato fratre, patiebantur anguſtias. Profectò temporalibus incommodis preſſi amarè iugemus, ploratum denigrati ſcleribus non emittimus. c. 15. §. 103. p. 119
7. *Ecce quem amas.* Chriſti implorauerunt auxilium, & Chriſtus iuſſit remouere à ſepulchro ſaxum. Vt nos edoceat ad conſequendam ſalutem opus eſſe noſtras operas aſſerre, & auxilium Dei implorare. c. 15. §. 104. p. 120
8. *Plorantes.* Plures plorabant, & vt vitam Lazaro reſunderet, exigebant: ergo paruic Chriſtus. Nam lachrymoſi plurium clamores apud Deum magni habentur, & facilè impetrare probantur. c. 15. §. 106. p. 121.
9. *Num querebant te lapidare, &c.* Chriſtus Hieroſolimam petens, vt Lazaro vitam reſunderet, ſubire videbatur periculum; ſuperioribus tamen imitandum exhibebat exemplum; nam bonus ſuperior propriæ renuntiat commoditati, vt prouiderit ſubiectorum ſaluti. c. 15. §. 107. *ibid.*
10. *Iam fietet.* Voluptas Lazaro peccatoris imagini languorem adduxit, languor maturauit mortem, mors fietorem inhalauit. Nam peccatum peccata parit, & fietibus deteſtandis augeſcit. c. 15. §. 47. p. 87.

DOM. IN PASSIONE.

IOAN. VIII.

1. **Q***uis ex vobis arguet me de peccato?* Chriſtus immaculata vita pollebat: veritatem deprædicabat: *Veritatem dico vobis.* Veritas pariebat odium: *Samaritanus es tu.* Verùm Chriſtus non futilem plauſum, ſed peccatoris ſitienter deſiderabat remedium. Eſt enim ſumptuoſius Euangelici Concionatoris elogium, peccatorem reducere, non plauſus euanidos elucrari. c. 14. §. 4. p. 4
2. *Ego demonium non habeo.* Chriſtus opprobrijs impetitus mirabili patientia reſplenduit, vt etiam plauſibus celebratus humilitatis modeſtiam coluit, vt nouerit Chriſti imitator in plauſibus conſeruare modeſtiam, in iniurijs tolerantiam. c. 14. §. 41. p. 24
3. *Propterea vos non auditis.* Hieroſolimitani in curia ſtudebant commodis, indulgebant corpori, affluebant delicijs; ergo obſurdeſcebant ad veritatem, & parui æſtimauere virtutem. Nam inter delicias, & ſæculi voluptates virtutis obrepiſt obliuio, & ſalutis animæ negligitur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48
4. *Tulerunt ergo lapides.* Exiſtimarunt eorum ſplendori Chriſtum detrahere, cùm audierunt ſe Abrahamo antiquitate præferre. Ergo tulerunt lapides. Nam Magnates, ſi quid contra eorum auctoritatem perpetratum præſumant, vlcifci ſeuerè anhelant. c. 14. §. 89. p. 51
5. *Nonne bene dicimus nos?* Non ſolum errabant, ſed de erroribus ſibi plaudebant. Nam eò hominum impudentia deuenit, vt delinquere affectent, nec oculos reformident. c. 14. §. 90. p. 52.
6. *Abscondit ſe, & exiuit de templo.* Vltrices flammas poterat Chriſtus adducere, ſalute, & ſplendore priuare; verùm grauius eorum culpa merebatur ſupplicium, & ideò eorum fugit conſpectum. Infeliciffimus eſt, etſi fortuna cumulatiſſima vtatur, qui à Deo diſtare inuenitur. c. 14. §. 101. p. 59
7. *Tulerunt ergo lapides.* Chriſtus iniurijs denigratus, linguis ſolutiſſimis impetitus: *Samaritanus es tu, & demonium habes:* mirabili manſuetudine reſpondit, & aduerſantium mores patienter tulit. Verùm æmuli ipſa exaſperati patientia, contorquenda in ipſum recurrerunt ad ſaxa: nam ſæpè peccator cùm deberet eſſe deuotior, ipſa fit Dei tolerantia inſolentior. c. 15. §. 6. p. 65
8. *Samaritanus es tu.* Chriſtum denigrabant, eius plauſibus aduſti, & eius gloria inflammati, ſed peruerſa via auctoritati, ſplendorique ſuo conſulebant. Eſt enim obſcurus ſplendor de alterius obſcuratione quæſitus, & infamia comparatus. c. 15. §. 15. p. 70
9. *Propterea vos non auditis.* Si veritatem audirent cordis aure, vitam expolirent, morèſque comererent. Ergo dæmon, quò validiùs inſurgeret, veritatis audientiam calliditate impediuit: priùs dæmon adnitiur debilitare virtutes, vt contra nos tentationum producat acies. c. 15. §. 58. p. 94
10. *Abscondit ſe.* Celeriter auſugit, & aduerſarium ſtudia fugiens fruſtrauit, ſubque facto nos edocuit.

Index ad Sacras Conciones.

edocuit, pericula non lentè fugienda, & loca, ubi virget periculum, deuitanda: *Exiuit de templo. Sæpè qui lentè periculum declinauit, laborem lentitudine perdidit.* c.15. §.77. p.104

TERIA IV. POST DOM. PAS.

I O A N. X.

1. **F**acta sunt autem encenia, &c. Christus ipsa deabulatione, pia sollicitudine virgeri ostendit, quasi nequiret quiescere, intuitus peccatores tardare. Nam Deus ad speciem sæuis doloribus diuexatur, si reditus ad eius amicitiam peccatoris differtur. Euangelista hyemem expressit, quo aduentantium lentitudinem designaret. Ergo dum peccator friget, Christus non quiescit, quia tardus peccatoris reditus est Christo durus cruciatus. c.14. §.3. p.3
2. *Dic nobis palam.* Christum orabant, vt eos veritatem edoceret, ergo palam accesserunt, & palam audire desiderarunt. Profectò etsi Christum circumdederint dolosa versutia, est nobis cruditionis materia. Ea namque à Deo debemus petere, vt possint sciri, nec latebitis debeant delitescere. c.14. §.37. p.22
3. *Et hyems erat.* Templi instaurationem celebrabant, sed frigida lentitudine gratitudinis soluebant tributum, & adibant, vt soluerent, templum. Nam plures vota assecuti, gratitudinis tributum tardant, aut negant. c.14. §.55. p.33
4. *Dic nobis palam.* In templo sollicitabant ad speciem veritatem noscere, notamque amplecti, in templo namque facilius veritas cœlestis auditur, & auris, remotis impedimentis, diuina verba melius percipere comprobatur. Inter delicia, & sæculi strepitus potioris irreperit obliuio, & tardiùs salutis animæ agitur procuratio. c.14. §.85. p.49
5. *Circumdederunt eum Iudæi.* Non circumdederunt, vt audirent, sed vt euerterent, nec in templo verebantur peccare, imò in omnium oculis affectauere delinquere. Nam sæpè peccator palam delinquere affectat, nec oculos reformidat. c.14. §.90. p.52
6. *Dic nobis palam.* Vt Inuidiam Christo conquirerent, querebantur dura suspensione cruciari: *Animam nostram tollis*: neque eorum vota expediri. Et quidem etsi factiosa fuerit querela, utilis est pro Reipublicæ ministris doctrina. Nam graui censura est dignus, si minister à se pendentes torqueat morosus. c.14. §.98. p.56
7. *Dic nobis palam.* Deuictis hostibus, Deus instauratum Iudæis reddiderat templum; & cum ipsa templi renouatio religiosam exigeret deuotionem, dolosam Iudæi fouebant malignitatem. Nam sæpè peccator, cum esse debuit deuotior, fit insolentior. c.15. §.6. p.65
8. *Dic nobis palam.* Christo ob eximias virtutes apud populum celebri obijciunt in expediendis negotijs morosissimam tarditatem, & dum conciliant Magnati inuidiam, venerari sibi popularem discipiunt auram. Nam si Minister, aut Princeps soluta lingua abrodatur, popularis plausus acquiritur. c.15. §.20. p.73
9. *Dic nobis palam.* Videbantur veritatem vti à Magistro audire desiderare, sed reuera tarditatis notam conabantur inurere. Sæpè ambientium, detrahentiumque verba aliud sonant, aliud

significant.

c.15. §.21. *ibid.*

10. *Dic nobis palam.* Obmurmurabant, Christum, qui ad edocendam veritatem venerat, inuolucris inuoluere, & ambiguis verbis tegere: & dum obmurmurant, plures in Christum inuchi exoptant. Nam de regimine obmurmurare, est periculosam perturbationem mouere. c.15. §.22. p.74

FERIA VI. POST DOM. PAS.

I O A N. II.

1. **C**ollegerunt Pontifices, & Pharisei, &c. Dum concilium cogunt, & obscurare Christum concidunt, inuicè produnt elogia, & patrare confitentur miracula: *Multa signa facit.* Odio in suffragium impingebant, & de peccatorum reductione laudabant. Est enim sumptuosius Dei ministri elogium, peccatores reducere, non plausus quærere. c.14. §.4. p.4
2. *Expedit vobis.* Ex Christi cæde afferebat eis prouenturum commodum, ergo iam ei Reipublicæ imminabat excidium. Est namque Reipublicæ excidium, si adquiratur delictis commodum. c.14. §.9. p.12
3. *Venient Romani.* Dum iustitiam, fasque violantes, auertete discipiunt periculum, & stabilire thronum, prorsus desipiunt. Nam thronus æquitate firmatur, & iniustitia subruitur. c.14. §.22. p.14
4. *Expedit vobis.* Concilium suis peculiaritatibus attendebant, & dignitates suffulcire, occidendo Christum, adlaborabant; cæcutiebant tamen in quærenda felicitate; nam probatur infelix quisquis culpa polluitur, quantumuis fortuna cumulatiflima vtatur. c.14. §.101. p.59
5. *Ab illo ergo die.* A Pontifice pendentes, Principique adulantes, quod monebat, decreuerunt perficere, & de medio Christum auferre. Nam pendentes, & Principem circumstantes non attendunt, an sint licita, sed eius perficere gestiunt vota. c.14. §.91. p.52
6. *Multa signa facit.* Accepta à Domino beneficia vertebant contra ipsum in arma, & vnde debuissent inferuire studiosius, inde aduersabantur cæcius. Sæpè namque contra ipsum detorqueamus, quæ à Domino beneficia suscipimus. c.15. §.9. p.67
7. *Quid facimus?* Hæc vox ambitione dignitatum furentium est; per Christi Domini ruinam gestiebant stabilire sibi dignitatum præminentiam: ergo confusibilis erat splendor Christi obscuracione quæsitus, & iniquis artibus comparatus. c.15. §.15. p.70
8. *Venient Romani.* Ne Romanus veniret, & Reipublicam euerteret, decreuerunt Christum occidere: verum ambitione obcæcati non prouidebant ipso, quo nitebantur conseruare, Reipublicam prorsus destruere. Nam solùm stat Respublica firma, dum iustitia æquissima gubernata. c.15. §.25. p.75
9. *Expedit vobis.* Iniquis artibus dignitates sibi adlaborabant stabilire, nec videbant fortunam sibi colamitosissimam maturare. Proh! Qui iniquis modis adiit dignitatem, accelerat sibi perniciem. c.15. §.24. p.75
10. *Iesus iam non in palam, &c.* A curia recessit, vt periculum declinaret, nam in curia periculum frequentius

Index ad Sacras Conciones.

Frequentius solet vrgere, & vitium premere. c. 15.
§. 74.

DOMINICA IN PALMIS.

M A T T H. X X I.

1. **C**um appropinquasset Iesus Hierosolimis, &c. Cite moriturus curiam perit, vt nos edoceat in curia virtuti, sanctitati que imminere periculum, & contra ipsas improborum armari odium. c. 15. §. 74. p. 102
2. **S**trauerunt vestimenta sua. Vt Christo plaudent, & inferuient, vestimenta nudarunt, quod miraculi ad instar fuit: cum homines frequenter plus ornatus decori, & minus studere soleant virtuti. c. 14. §. 75. p. 103
3. **S**trauerunt vestimenta sua. Miram fuit quod in Christi obsequium nullum recusarint officium, nullum impendium; ad pompæ, cultusque vanitatem non esset mirum, nam ad eiusmodi, aurum profunditur, obligationibus, & virtutibus denegatur. c. 14. §. 73. p. 102
4. **S**trauerunt vestimenta sua. Eximia deuotione ad Christi Domini plausum, cultum denudarunt, & viam vestimentis strauerunt. Ergo Rex eorum mansuetus, & placidus venit: *Venit tibi mansuetus*. Nam quibus renuntiarunt commoda ad promerendos Domini affectus, gratissima fuerunt illicia. c. 15. §. 11. p. 69
5. **V**enit tibi mansuetus. Principis mansuetudo, & erga suos tenera affectio eis persuasit in Principis obsequium nudari, & repetitis acclamationibus honestè blandiri: *Strauerunt vestimenta sua in via*. Profectò vrbana in Principe humanitas, & grata placiditas animos sibi deuincit, & quod vult, facilè trahit. c. 15. §. 14. p. 70
6. **V**enit tibi. Non detrectauere vel ornatu denudari, vbi audierunt Principem eorum commodis studere. Nam si speret commodum, pendet populus debitæ subiectionis tributum. c. 15. §. 28. p. 76
7. **V**enit tibi. Fruebatur Christus honorabili plausu, sed suorum satagebat salutem, non excusato laboris censu. E contra, plurimis accidit: excusant laborum fastidium, & dignitatum discipiunt commodum. c. 15. §. 34. p. 80
8. **C**adebant ramos de arboribus. Quidquid floridum, quidquid splendenti viriditate nitebat, triumpho Domini consecrarunt, & sibi ingentissima lucra acqvisierunt: *Venit tibi*. Gratia Principis cœlestis, ambitio exiguo dispendio sortita est vorum: ambitio plectibilis cum assequi sit satis dubium, certissimum subit dispendium. c. 15. §. 32. p. 78.
9. **V**enit tibi. Hebræi in Regis sui honorem vestimenta nudabant, & ad triumphalem pompam ramusculos præcidebant: verum, dum obsequiosum exhibere gestiunt officium, ingentissimum assccti sunt commodum: *Venit tibi*. O nos miseros! qui sæpè vnde sperabamus solatium, nobis profluit detrimentum. c. 15. §. 69. p. 100.
10. **F**ecerunt, sicut præcepit illis Iesus. Discipuli alacriter viam carpserrunt, vt proficerent mandatum; iumentorum Dominus confestim dimisit, vt adornaret obsequium: exprompta obedientia de alacritate accipit pretium, & commendat debitæ subiectionis officium. c. 15. §. 78. p. 105.

FERIA. V. IN COENA DOMINI.

I O A N. X I I I.

1. **S**ciens Iesus, quia venit hora &c. Vbi hora venit, Christus occasionem Discipulorum abluendi pedes arripuit: noluit occasionem elabi, nec superueniente morte impediri. O quot, dum in posterum mittunt opportunam occasionem, impediti varijs causis non consummauere virtutem! c. 14. §. 30. p. 19.
2. **C**um dilexisset suos. Amore incandens præcingitur, & iam passionem quodammodò subit, dum Iudæ periculum intuetur. Nam perfecta charitas reputat proprium, damnum, aut periculum alienum. c. 14. §. 38. p. 23
3. **C**œpit lauare. Ad Iudam deueniens tacitè inuitabat ad concordiam, & offerebat animus veniam: quò duplicem Patri hostiam sacrificaret, Eucharisticam scilicet, & iniuriæ veniam. Nam offerre aduersario veniam, quodammodò est sacrificare plurimam hostiam. c. 14. §. 39. *ibid.*
4. **S**ciens quia omnia dedit ei Pater, &c. Non ignorabat, quantis dotibus ornaretur, & nihilominus ad Iudæ abluendos pedes miranda humilitate deijcitur: vt noueris, quòd quisquis cœlesti dignatione præ alijs respundet ornator, laudabili etiam humilitate deprimi, & cæteris se postponere. c. 14. §. 54. p. 32
5. **C**œpit lauare. Iudam abluens, eiusque prodictionem sciens, intimo torquebatur dolore. Quæuis namque illata ab amico offensa grauius exulcerat, & graui digna videtur pœna. c. 14. §. 87. p. 50.
6. **C**um diabolus iam misisset in cor. Diabolus Iudam cupiditate inescavit, & deficere ab apostolatu, varijs suggestionibus fecit. Nam dæmon in suam partem studiosius adnititur trahere, quos Domino conspiciat adhærere. c. 14. §. 66. p. 38
7. **C**um diabolus, &c. Iudas apostolatus honore insignitus, & miris antea virtutibus adornatus, iam Dominum tradere gestit auarus, & ad extremum malitiæ corruit peruersus. Nam non semel, si à statu cadat virtute eximius, præ alijs fordescit vitijs infectus. c. 14. §. 63. p. 37
8. **E**xemplum enim dedi vobis. Magister, cœlique Dominus, dum strictè cingitur, dum abluendis Discipulorum pedibus miranda humilitate dicatur, si quid in virtute asperum, & mellit, & mollit. Nam superioris exemplum vrbane cogit, & si quid amarum, mellit. c. 15. §. 81. p. 46
9. **Q**ui lotus est, non indiget, &c. Apostoli virtutum candore micabant, pedes verò aliquali puluere fordescebant: ergo Christus eorum pedes abluuit, ne vel macula exigua maneret. Nam, si aliqua vitiorum permittatur scintilla, ignem suum explicabit, & in incendium transibit. c. 17. §. 33. p. 209
10. **E**t vos mundi estis, sed non omnes. Vbi cæteri mundi, vbi cæteri cœlesti epulo recreati, ibi Iudas plus fordescit, & plus innutritus delinquit. O quàm est miserum ibi pati luctuosam stragem, vbi cæteri adinuenerunt salutem! c. 18. §. 34. p. 256.

Index ad Sacras Conciones.

IN DIE RESURRECTIONIS.

M A R. XVI.

1. **E** Merunt aromata. Pia femina in Domini obsequium expenderunt religiosissime aurum, quod adinstar miraculi fuit. Nam frequenter femina ad pompae, ornatuque vanitatem impendunt aurum, obligationibus, & virtutibus denegare solent argentum. c. 14. §. 73. p. 42.
2. **V**alde mane. Non procrastinarunt religiosum officium, nec pium distulerunt obsequium: ergo Angelica visione muneratae sunt, & forsitan laborem amitterent, si differrent. Saepè namque dum virtutis opus procrastinatur, obstaculis impeditur. c. 14. §. 30. p. 19
3. **I**esum quaeritis Nazarenum, &c. Maria Christi Domini pedes fragranti aromate ungens, amorem ostendit, sed dum defuncto aromata praeparat, ardentior amor effulsit. Nam aduersa fortuna, & amicum probat, & publicat. c. 14. §. 46. p. 27.
4. **O**rto iam sole. Non verebantur lucem, ut impenderent Domino obsequium; ne minus virtuti exhiberetur, quam crimini. Saepè homines, ut vitijs inseruiant, non solum lucem non fugiunt, sed affectant gloriari, de quibus fas erubescere. c. 18. §. 57. p. 269
5. **V**alde mane. Antelucanæ tendunt, ut virtuti seruiant, cum plures, ut cupiditatibus famulentur, antelucani resurgant. c. 15. §. 13. p. 69
6. **I**esum quaeritis Nazarenum, &c. Mirum non esset, si Nazarenum, hoc est floridum, quaererent, sed quaerere crucifixum, fuit mirum. Nam Christum afflictum, & laborantem pauci sequuntur, saeculum ferè vniuersi sectantur. c. 15. §. 88. p. 111.
7. **V**eniunt ad monumentum. Anxia, laboriosaque via deuenere ad monumentum, sed ibi pro mœrore successit latitia & Angelica tristis exhilarauit praesentia. Nam Christum secuti, via lassantur, sed in termino reficiuntur; secuti vitium, in via gaudent, sed in termino lugent. c. 16. §. 49. p. 179.
8. **Q**uis reuoluet nobis lapidem? Dum exhibere crucifixo religiosum adnituntur officium, ambigunt, an quis reuoluere velit saxum. Fortè mulieribus, si alia essent eorum vota, non deessent auxilia. Nam euanidis sponte saepè fauetur, & fauor virtutibus denegatur. c. 17. §. 2. p. 190
9. **V**t venientes ungerent. Occluso grandi operculo monumento, arduum, difficultatibusque plenum erat, crucifixum odoriferis aromatibus ungerere, & custodum inciuilitatem non pati; verum accedentibus patuit via, & custodum castigata fuerat audacia. Nam quisquis ardua ob virtutem tentat, tentando superat. c. 17. §. 20. p. 201.
10. **V**iderunt reuolutum lapidem. Pias feminas deterebat custodum copia, & militum insolentia. Ut etiam prohibebat ingressum grande, & durissimum saxum. Verum dum timores constantia vincunt, abactum militem, & reuolutum inueniunt lapidem. Profecto virtutis ingressus viam saepè obicibus impeditur, sed victis Dei auxilio difficultatibus coronatur. c. 22. §. 38. p. 434.

DOMINICA IN ALBIS

I O A N. XX.

1. **C**um esset sero die illa, &c. Christus Dominus clausis ianuis ad Apostolos ingreditur, qui solarios vincerent, fulgentissimis radijs ornatus: ostentabat splendorem, ut veluti exanimes erigeret, ad virtutemque proleceret. Plures lucere exambiunt, ut vanè splendent, non ut cæteris proficiant. c. 22. §. 36. p. 432.
2. **C**um serò esset. Apostoli noctis patiebantur tenebras, timoris angustias; sed vbi Christus mira claritate resplenduit, caligo euanuit expuncta, & tranquillitas cordi reddita. Cælesti luminib debuerunt tenebris non inuolui, nec timoribus implicari. c. 22. §. 37. p. 433.
3. **G**auisi sunt. Pleno, sinceroque gaudio mœstitudinem depulerunt Apostoli; apud saeculum gaudium est fallacis mixtum, & fucis adulteratum. c. 22. §. 40. p. 435
4. **E**t fores essent clausae. Contra vitia bellum fuerant aggressi Apostoli, sed timore latitabant iam impediti. Plures contra vitia bella aggrediuntur, sed breui tempore dilassantur. c. 22. §. 52. p. 441.
5. **P**ax vobis. Coluerant Dominum Discipuli, & modò magnis iacebant afflictionibus pressi, sed in afflictione, quod exhibuerant obsequium, attulit plenissimum gaudium. *Gauisi sunt Discipuli viso Domino.* O quam infelices sunt, qui magnis sumptibus hominum adnituntur gratiam promerere, à quibus frequenter in afflictione solent destitui. c. 22. §. 55. p. 443
6. **P**ropter metum Iudaorum. Iacebant humano timore obturbati, si Deum timerent, starent fiducia erecti! Nam Deum timens speciale sortitur tutelam, & salubri adauget metu fortunam. c. 23. §. 6. p. 451.
7. **O**stendit eis manus, & latus. Ostendit manus transfixas, sed immortalium iam splendorum fecundissimas venas: ostendit praemium dignis actionibus acquisitum, ut simile excitaret ad praelium. Nam praemium dignis dilargitum, cæteris vires inspirat, ut collatum indignis, robur enervat. c. 23. §. 15. p. 456
8. **O**stendit eis manus, & latus. E manibus, laterisque radij lucidissimi promicabant, sed vulneribus etiam transfossa apparebant, ut noscerent, opus esse honestè pati, si cupiebant praelucere. Nam plures laboris expertes, splendoris anhelant esse participes. c. 23. §. 21. p. 458.
9. **I**fer digitum tuum huc. Ut Thomae dubietatem depellat, renouare vulnera non recusat, quasi plus eum cruciet Thomae incredulitas, quam iterata clauorum asperitas. Nam Deus ad speciem sauis doloribus diuexatur, si reditus peccatoris differtur. c. 14. §. 3. p. 3
10. **I**fer digitum tuum huc. Blando alloquio Thomam attrahit, & latus resulcandum iterum offert: non sauit iratus, sed clementia resplendet benignus, ut superiores doceat, plausibili uti clementia, nec reorum exaggerare delicta. c. 14. §. 21. p. 13. & §. 27. p. 17.

Index ad Sacras Conciones.

IN LITANIIS MAIORIBVS.

L V C Æ II.

1. **Q**uis vestrum habebit amicum? Hospes egebat subsidio, aulus tamen non est per se inquirere, sed Dei amici voluit precibus impetrare: & quidem prudentia ornatus resplenduit; sæpè namque assiduis amicorum Dei precibus obtinetur, quod nostris excessibus impeditur. c. 14. §. 2. p. 3
2. *Media nocte.* Amicus, vt peteret, tempus elegit ab strepitu liberum, & fundendis precibus aptum. Nam prudens, vt assequatur facilius votum, opportunum temporis quærit suffragium. c. 14. §. 5. p. 4
3. *Media nocte.* Quod fessis artibus erat impendendum otium, elegit prudens iste rogator vt facilius impetraret, quod deprecabatur subsidium: vt qui bene nouerat preces à lachrymis sortiri efficaciam, & à rigida tractatione corporis energiam. c. 14. §. 8. p. 6
4. *Si ille perseverauerit pulsans.* Panis nomine cœlestia dona petebant, & licèt ad speciem pateretur repulsam, constans perseverauit, & institit, factis edocens, rem magni momenti vigilantia sollicitudine esse sollicitandam, & indefessis conatibus stabilendam. cap. 14. §. 23. p. 14
5. *Si perseverauerit pulsans.* Firma spes accessit, pulsans perseverauit; ergo quod desiderabat, obtinuit. Nam spes firma præstat precibus efficaciam, vt dubia debilitat energiam. c. 14. §. 35. p. 21.
6. *Iam clausum ostium.* Quia hostium arcebat, opus fuit vocem augere, & quod desiderabat, clamoribus explicare. Non erubuit pueris innotescere, non expectauit ad aurem loqui. Aliquando ea petimus, vt, si quis aurem applicet, taceamus: talis esse debet nostra oratio, vt publicum non erubescat, nec sciri, quod orans deprecatur, refugiat. c. 14. §. 36. p. 22
7. *Commoda mihi tres panes.* Sibi petebat, quod amico subsidium desiderabat, & alienam famem, se sustinere innuebat. Nam perfecta Charitas reputat proprium, periculum, aut laborem alienum. c. 14. §. 38. p. 23
8. *Amice, commoda mihi.* Pane indigens experitur verum amicum; nam amicus solum externus inde fugit, vnde probatur. Et quidem aduersa fortuna amicum probat, & publicat. c. 14. §. 46. p. 27.
9. *Amice, commoda mihi tres panes.* Dum petit, ad speciem patitur repulsam: *Iam ostium clausum est:* sed perseveranter repetiit instantiam, & dum perseverat, impetrat. Nam orationis perseverantia feliciter vota assequitur, & vicisse difficultates gloriatur. c. 14. §. 58. p. 34
10. *Amice, commoda mihi.* Ab eo, cuius amicitiam coluerat, deposcit panes, & quidem plurimum conduxit ad assequenda vota amicitia. Est enim oratio efficax, si meritis petentis in-nixa, & exhibitis obsequijs armata. cap. 14. §. 59. p. 35

IN DIE ASCENSIONIS.

M A R. XVI.

1. **R**ecumbentibus undecim Discipulis. Astra petiturus, Discipulos legat, & peccatorum reductionem studiosa sollicitudine curat: *Prediccate Euangelium.* Sic homines amat, vt salus ad speciem doloribus diuexetur, si salus hominis differatur. c. 14. §. 3. p. 3
2. *Prediccate Euangelium.* Non ait: Plausum vestrum quærite, sed peccatores reducite. Est enim Euangelici prædicatoris elogium homines ad pœnitentiam reducere, non plausus euanidos elucrarî. c. 14. §. 4. p. 4
3. *Prediccate Euangelium omni creature.* Qui miraculorum luminibus resplendebant, cum pauperibus, & homuncionibus agere non detrectabant: *Omni creature.* Nam qui Dei fauoribus lucet ornatio, laudabili inuenitur humilitate depressior. c. 14. §. 54. p. 32
4. *Prediccate Euangelium.* Dum expansis oculis ascendentis triumphum spectant, & inenarrabili suavitate fruuntur, peccatores ad veritatis agnitionem adducere vrgentur. Favor erat spectare triumphum, sed & erat favor baptismatis vndis sepelire peccatum. Ergo reducendis ignaris veritatis incumbunt. Est enim eximium, eligi ad peccatores reducendos, & diuinis conspectibus præsentandos. c. 14. §. 57. p. 34
5. *Prediccate Euangelium.* Ad prædicationis munus designati quodammodo ab Angelis reprehenduntur, quia triumphum detinebantur intuiti: *Quid statis aspicientes in calum?* Vt nouerint, qui in omnium vtilitatem munia obeunt, fas illis non esse, moras necere, tempusque detrahere. c. 14. §. 60. p. 35.
6. *Prediccate Euangelium, &c.* Homines, dum lucris inhiant, dum voluptatibus vacant, opus habent irritatore, admonitoreque, vt animæ negotium gerant. Nam inter delicias, & sæculi vanitates animæ irrepit obliuio, & potioris ignoratio. c. 14. §. 85. p. 48.
7. *Prediccate Euangelium.* Christi Domini gratia familiaritateque vsi, alios ad gratiam, & familiaritatem adducere sunt aggressi: si apud Principem humanum valerent, alios ad eius familiaritatem adducere detrectarent. Nam Principum gratia vsi, de industria aliorum accessum ventant, aut tardant. c. 14. §. 99. p. 57
8. *Omni creature.* Vt omnem creaturam veritatis luce perfundant, in vniuersum mundum iubentur contendere, & regiones distitas peragrarè: *Euntes in mundum vniuersum.* Nec enim fas erat, vt minus, quam volaticæ gloriæ ambitus, diuinæ gloriæ tentaret zelus. Profectò immetata videntur ambitionis vires ad incommoda deglutienda, & magnis difficultatibus implicata, tentanda. c. 15. §. 33. p. 79
9. *illi autem profecti.* Apostoli munus ritè adimpleuerunt, quia à Domino electi non auro, aut alijs artibus cæteris antelati. Ritè munus frequenter obit, qui honorem accepit inuitus, non qui sollicitat ambitiosus. c. 15. §. 39. p. 83

Index ad Sacras Conciones.

IN DIE PENTECOSTES.

I O A N. X I V.

1. **S**iquis diligit me, sermonem meum seruabit. Vbi cœlesti igne Apostolorum corda flammescunt, non solum seruant præcepta, sed flammantia fundunt eloquia. *Cœperunt loqui varijs linguis.* Ignis de excelso missus germanum præstitit labijs colorem, & agnoscebatur in facie ignis, qui ardebat in pectore. Latens corde effectus frequenter externis signis conijcitur, imò vel ipso silentio proditur. c. 14. §. 1. p. 2
2. *Paraclitus Spiritus Sanctus, &c.* Non solum Paraclitus edocet, sed & frequenter, ne è memoria elabantur, præcepta suggerit. Opus non videbatur excitare memoriam, & tamen salubrem suggerit Spiritus sanctus doctrinam. Nam inter sæculi strepitus, & cupiditatum adsultus, animæ irreptit obliuio, & salutis obliuioni traditur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48
3. *Non turbetur cor vestrum, &c.* Iubet, omni timore expuncto, veritatem edocere, & inhabitantem intus spiritum laudabili audacia ostentare; quando vanitatem secuti, delinquere non formidant, imò palam peccare affectant. c. 14. §. 99. p. 57
4. *Si diligeretis me.* Christi gloria ingenti amantium celebratur lætitia; nam vera charitas aliena incrementa commoda arbitratur propria. c. 14. §. 49. p. 29
5. *Paraclitus autem Spiritus sanctus.* Apud Discipulos manens Christus, eos sæpè increpauit, & senerè cum illis egit; modò Paraclitum, hoc est consolatorem promittit. Sæpè namque quos Deus austerè tractauit, dulcissima postea consolatione repleuit. c. 14. §. 104. p. 60
6. *Venit enim Princeps mundi huius.* Vbi Apostolos Spiritus sanctus copiosis ditauit donis, mundi Principem armandum retulit dolosis thecnis: *Venit Princeps huius mundi.* Nam diabolus viuidius accenditur, dum quis plus cœlestibus virtutibus exornatur; in suamque partem admittitur studiosius trahere, quos agnouit miris virtutibus præluere. c. 15. §. 62. p. 96
7. *Vado, & venio ad vos.* Scandebat Christus fidera, & Spiritus sancti plurima Apostolis sollicitare promittit dona: non spondet humanam gloriam, non famulorum circumstantiam, sed suam, & Spiritus sancti gratiam. Vt noueris feliciorum esse, qui Christo per Spiritum sanctum adhæret, quàm qui commodis, & otijs indulget. c. 15. §. 26. p. 109
8. *Pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat.* Qui Dei spiritu non exornatur, solida, & vera pace non fruitur. Ambitio, voluptas, aurum pacem, tequiemque promittunt, sed egregiè fallunt, imò frequenter, vbi peccatores placidam sibi promiserant requiem, anxium sollicitarunt laborem. c. 15. §. 94. p. 114
9. *Pacem meam do vobis.* Spiritus sanctus cum cœlestibus donis Apostolorum corda possedit, & inter dona, pax, & concordia locum vltimum non obtinuit, imò, ni pax floretet, hostis vincendum se ab Apostolis, non præsumeret. Profectò fratrum pax, & inuiolata concordia validissima sunt contra hostiles adsultus arma. c. 15. §. 105. p. 120
10. *Paraclitus autem Spiritus sanctus.* Apostoli mit-

tebantur contra dæmonis captiosa bella, & tentationum certamina. Ergo oportuit Spiritu sancto indui, & donis cœlestibus obarmari. Vt noueris, dum acriora vrgent, calamitatum, tentationumque bella, opus esse validissima Spiritus sancti recurrere ad arma. cap. 15. §. 130. p. 136

IN DIE SS. TRINITATIS.

M A T T H. X X V I I I.

1. **D**ata est mihi omnis potestas, &c. Si data est Christo omnis potestas in cœlo, & in terra, cur non quiescit tranquilla pace, sed omnes baptizare iubet anxia ad speciem sollicitudine? Vt noueris eo Deum homines amore diligere, vt curis sollicitis diuexetur, si eorum salus aliquantulum differatur. c. 14. §. 3. p. 3
2. *Docete omnes gentes.* Trinitatis voluit notitiam hominibus impertiri, & errores cæcissimos per Apostolos amandari. Euangelicus Concionator despicit plausus, & audientium curat profectus. c. 14. §. 4. p. 4
3. *Euntes docete omnes gentes.* Cœlestis vndis iubet peccatores intingi, vtque inscios Trinitatis notitia possint imbuere, iubet Apostolos vsque ad barbaras gentes contendere, nec timet recusaturos laborem, vt peccatorum abluant sordiciem. Nam charitas sitit peccatoris salutem, & suam arbitratur vtilitatem. cap. 14. §. 49. p. 19
4. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Plures, qui cuanida sapientia turgabant, Trinitatis veritatem edocentur, & baptizantis vndis tinguntur, vt iam veritate agnita, innocentiaque culta, ab cuanida sapientia, in solidam transferantur, & veram. Est enim futilis, & fucata sapientia quæ veritate non fundatur, nec moribus expositis nutritur. c. 14. §. 50. p. 30
5. *Et ecce ego vobiscum sum.* Docere peccatores, redimerèque à diabolo captiuos eximius erat labor, sed ingenti fauore, Dei scilicet præsentia remuneratur, & cœlesti mercede soluitur: *Ecce ego vobiscum sum.* Profectò eximius Dei fauor est eligi ad captiuos redimendos, & peccatores veritatis luce illustrandos. cap. 14. §. 57. p. 34
6. *Docete omnes gentes.* Homines Trinitatis carebant notitia, & baptismatis despiciebant laucra: Ergo mittuntur Apostoli, qui magnis sudatisque laboribus veræ fidei notitiam ingerant, & à concentu falsorum peccatores abstrahant: Nam inter sæculi fallacias, deliciisque veritatis viget ignoratio, & animæ salutis obliuio. c. 14. §. 85. p. 48
7. *Prædicate Euangelium.* In publicum iubentur prodire, & audacter Trinitatis notitiam disseminare, ne minus auderent virtutum proceres, ac sæculi audent Magnates; hi namque delinquere palam affectant, nec aures, aut oculos reformidant. c. 14. §. 90. p. 52
8. *Data est mihi omnibus potestas.* Potestatem hominum saluti consecrauit, & eorum pellere errores ambiuit. Hæc est veneranda potestas, non ea, quam plures ad nocendum extendunt, & ad vanitatem discipiunt. c. 14. §. 95. p. 54
9. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Pater totum

Index ad Sacras Conciones.

totum se reciprocavit in filium : Pater & filius spiritus Sancti non detrectauere consortium. Vt discant homines suã alijs communicare , & consortem felicitatis admittere. Profectò plethibilis ambitio felicitatis consortem respuit , & agglomerare sibi dignitates omnes exambit, c. 15. §. 15. p. 80.

10. *In nomine Patris, &c.* Vnum Deum prædicare gentibus iubet; quæ idola cæcissimis erroribus colere probabantur. Non esse plures deos euidencia demonstrabat, sed delirium hominum resistebat. Cæcis, obturbatisque animis pro vero colitur, & habetur, quod repugnare veritati manifestè agnoscitur cap. 16. §. 13. p. 159

IN FESTO CORPORIS CHRISTI,

I O A N. VI.

1. **C**aro mea verè est cibus. Dum cœlestis mensa hominibus vitam impertiens proponitur, ingrata hominum desidia iugillatur, nam nec accedunt, nec sitiunt quidem, dum de se adeò benemerenti plausum non conantur exhibere, notam sibi videntur inurere. c. 16. §. 32. p. 16
2. *Caro mea verè est cibus* Panis cœlestis, Christi-que caro virtutes nutrit, vires r. fouet, robur stabilit: à pane huius typo robur puerulo Dauidi emanauit, & procerum, obarmatumque gigantem deiecit. Ergo nostræ ignauia tribuentum est, si hoc epulo innutriti deficiamus, & tentationibus cedimus. c. 16. §. 41. p. 174
3. *Non sicut manducauerunt patres vestri.* Plures cœlesti manna alti cesserunt hosti, à concupiscentijs victi, & sibi mortem accelerarunt ignaui, ergo monet Christus aliter hunc panem edere. Est enim miserum, ibi pati mortem, vbi cæteri adiuuenerunt salutem. c. 18. §. 34. p. 256
4. *Viuere in æternum.* Hæc mensa est tessera ad gloriam, est incrementum ad gratiam. Verum, cum exigat animum virruibus expolitum, & iugi mortificationi dicatum, à paucis exambitur. Perniciosa ambiuntur, si dulcia; salubria fastidiuntur, si appetitibus sint amara. c. 18. §. 44. p. 261
5. *Caro mea verè est cibus.* In conuiuio modum Eucharistia proponitur, vt carne caro nostra nutriatur, & sitis vino generoso sedetur, si fortè hoc modo homines Christus alliciat; sunt enim nonnulli, qui ex solo corpore videntur constare, & de solo corpore curam gerere. c. 18. §. 61. p. 271
6. *Non sicut manducauerunt patres vestri.* Antiqui demissum è cœlo manna edebant, sed Ægypti ollas desiderabant. Ergo, cum diuinus amor hanc mensam explicet, eiusmodi cupiditatibus interdicit. Nam verus amor amati cupiditatibus non blanditur, imò arcere à desiderijs noxijs conatur. c. 18. §. 67. p. 274
7. *Et mortui sunt.* Non debito modo manna edentes mortem incurrisse testatur; & licet animarum periculum posset referre, vt prouidam edoceret cautelam, corporalis mortis fecit memoriam, vt qui benè nouerat, si immineat temporalium iactura, præcaueri sollicita diligentia. c. 19. §. 23. p. 302
8. *Non sicut manducauerunt patres vestri.* Qui olim *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

manna fruebantur, noxijs concupiscentijs fordescebant illecti, & vanis desiderijs addicti. Ergo monet, non sic accedere, sed eximia fas esse perfectione nitere, qui hac mensa discipit ali. c. 19. §. 80. p. 335

9. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Cum amor hanc mensam dilectis suis explicans, æternam vitam proponat; & quæ ad temporalem vitam spectant, arcano silentio transeat, aperte innuit, exiguum esse beneficium, & præmium, temporalibus commodis exundare, & magnum interna pace fulgere, & æternis donis ditari. c. 19. §. 95. p. 344
10. *Sicut misit me viuens Pater.* Filius post crucis labores dignum accepit præmium, & Discipulis hoc exhibuit ad labores remunerandos conuiuium. Cœlestis namque mensa est eximium pro laboribus præmium, & faustum æternæ felicitatis auspiciam. c. 19. §. 97. p. 345

PRO FESTIVITATIBVS SS. DEIPARÆ.

IN FESTO CONCEPTIONIS.

M A T T H. I.

1. **D**E qua natus est Iesus. Filius à nobilissima, sanctissimaque Matre omne auertisse constat periculum, cum Mater vel ab adoptiuo filijs imminens probetur amouere detrimentum, & hostis frustrare gladium. c. 20. §. 27. p. 377
2. *De qua natus est Iesus.* Serpens mulieris calcaneo est molitus insidias, sed Virgo ipsi serpenti non solum insidias molitur, sed à primo instanti reportatis triumphis coronatur. Itaque hæc sanctissima puella laudabiles dæmoni molitur insidias, & assequitur decantandas victorias. c. 20. §. 33. p. 381
3. *De qua natus est Iesus.* In primo vitæ instanti homo culpa inquinatus, à Deo ingemiscit remotus. Serpens infert virtuti bellum, & infelicissimum refert triumphum. Ergo Ecclesia in primo vitæ instanti Mariam celebrat in Christi Matrem prædestinatam, vt declaret de serpente reportasse victoriam. Nam Deo propitio, reportatur victoria, etsi imminant durissima bella. c. 21. §. 25. p. 401
4. *De qua natus est Iesus.* Iesus Mariæ filius refertur, vt quantis Mariæ dotibus præluxerit, agnoscat. Nam si Bethlehem nequaquam minima fuit, quia inde dux cœlestis oriendus, nullo in instanti Maria minima fuit, cum Christus ex eius carnæ induendus. Quid deerit Matri, quando patriæ decus est, tulisse filios virtute celebres, & triumphis reportatis insignes? c. 21. §. 39. p. 409
5. *De qua natus est Iesus.* Christus de hostibus tulit triumphum, & Maria in Iudith adumbrata caput abscidit hosti, & decantandum accepit trophæum; sed non adeò felix esset, ni primo instanti inimicum deuicisset. Nam etsi gloriosum sit, externum aduersarium euincere, gloriosius est de interioribus triumphum agere. c. 22. §. 7. p. 415
6. *De qua natus est Iesus.* Christus nascitur, & Mariæ collo brachijs innectitur, & scutum esse probatur, iuxta illud Cant. *Collum tuum sicut turris David, mille clypei pendent ex ea.* Ergo, cum clypeus hostiles ictus repellat, & clypeatur

Index ad Sacras Conciones.

- tum lædi non sinat, ipso in primo instanti Ecclesia ostentat Mariam Vnigenito, clypei adinstar, protectam, vt frustratum omne aduersarij ictum statuatur: Cùm certissimum sit, cœlestis protectionis scuto munitum ictus aduersarij repellere, imò & victoriæ plausibus adornari. c. 22. §. 9. p. 417
7. *De qua natus est Iesus.* Iesus in primo Mariæ Conceptionis instanti, liberam faciem ostendit; si Mater reatus culpæque innubilaretur fordicie vultum absconderet. Nam Deus faciem puniturus abscondit, & beneficium impertiturus, ostendit. c. 22. §. 20. p. 423
8. *De qua natus est Iesus.* Vbi Adami posteri corruerunt, peccati pondere prægrauati, Maria proditur filio protecta, & cœlesti luce nobilitata, & à tenebris originalis prorsus diuisa. Nam vbi corruit homo peccati pondere prægrauatus, iustus graditur cœlesti auxilio protectus. c. 22. §. 22. p. 424.
9. *De qua natus est Iesus.* Maria ab æterno Dei Mater refertur electa, & hominum, Angelorumque Regina prædestinata: ergo non est expectata lapsus, sed de hostibus tulit triumphum. Cum in Regem, & hominum caput eligendus, ab omni periculo inueniatur cœlesti prouidentia seruatus. c. 22. §. 57. p. 444
10. *De qua natus est Iesus.* Diabolus, qui primo in instanti originali culpa inficere non potuit Mariam, innubilare aggressus est famam: sed dum plus ardet nocere, probatur præter opinionem proficere. Nam pontificia auctoritate puritatis omnimodæ declaratum est priuilegium, & dæmonis euanuit studium. Nam sæpè quò viuidius inimicus ardet nocere, probatur opinioni consulere. c. 22. §. 61. p. 446
- meretur elogium, sed solùm adauget numerum. c. 14. §. 83. p. 47
5. *De qua natus est Iesus.* Regijs auis, & atauis Maria refertur exorta, & stemmatibus decantandis nobilitata, sed minus esset felix, ni Christi Mater electa, & mirandis virtutibus exornata. Non enim est felix cumulatissima fortuna vsus, ni fuerit virtute nobilitatus. c. 14. §. 101. p. 59
6. *De qua natus est Iesus.* Maria nascitur, vt Christum nobis gignat, & vt parentum mœstitudinem longam depellat. Anna, & Ioachim diu sterilitatis subietant notam, sed iam excellentiorem omnibus sortiuntur filiam. Sæpè namque Deus, quos diu afflixit, dulcissima postea suauitate repleuit. c. 14. §. 104. p. 60.
7. *De qua natus est Iesus.* Nondum nascitur, & iam intimè Christo Domino adhærere refertur, sed Mater refertur, vt omnium nasci utilitatibus prænoscat. Nam Christo Domino adhæreres aliorum student calamitates leuare, & se virtutibus communire. c. 15. §. 89 p. 111.
8. *De qua natus est Iesus.* Christus nascitur, & pax hominibus redditur; Maria nascitur, & bellum dæmonibus iam indicitur; nam Maria vires depræliantibus addit, & terrorem dæmoni incutit. c. 15. §. 110. p. 123
9. *De qua natus est Iesus.* Cùm Mariæ progenitores vberimis lachrymis, prolixis precibus Saluatorem exposcerent, dilatus est, vbi Maria nascitur, iam Christus adest: vt noueris citò per Mariam obtineri, quod solet tardiùs aliorum precibus impetrari. c. 15. §. 113. p. 125
10. *De qua natus est Iesus.* Quid Mariæ, deneger filius? & quid non impettet honoris Virginis studiosus? Profectò, qui Deiparæ curat honorem, à se propellit calamitatem. c. 15. §. 118. p. 128

IN NATIVITATE B. MARIÆ Virginis.

MATTHÆI I.

1. **D**E qua natus est Iesus. Maria nascitur, non solum vt sit Christi Domini genitrix, sed & peccatorum Mater; ortum est hodie sidus dæmoni infaustum, hominibus satis propitium, eximio Dei fauore fruitur, quia electa ad peccatores reducendos, & exules diuinis conspectibus præsentandos. c. 14. §. 57. p. 34
2. *De qua natus est Iesus.* Maria nascitur eximia pulchritudine exornata, iuxta illud Cant. *Pulchra es amica mea, & facies tua decora.* Sed, dum refertur pulchra, in Dei etiam Matrem refertur nata: *De qua natus est Iesus.* Vt aliquando pulchritudo virtuti inferuiat, cùm non semel eximia corporis elegantia sit virtutis naufragium, & calamitatis auspiciam. c. 14. §. 65. p. 38
3. *De qua natus est Iesus.* Maria ea animæ pulchritudine nascitur, vt ad se Dei Verbum traxerit, ea corporis elegantia, vt hominum corda allexerit. Oris pulchritudo allicit oculos, animæ venustas diuinis promeretur affectus. c. 14. §. 66. *ibid.*
4. *De qua natus est Iesus.* Non nascitur Maria, vt solum viuentium adauget numerum, sed, vt Christi Mater, & mirandis virtutibus exornata immortalem mereatur plausum. Profectò quasi non nascatur, nascitur, qui factis non

IN FESTO NOMINIS MARIÆ.

L v c. I.

1. **E**T nomen Virginis Maria. Mariæ nomen profertur, vt magnis virtutibus exornata noscatur; nam ad honorem nominis non debet peruenire, qui natus est, vt natorum numerum augeat, non vt virtutibus cultus luceat. c. 14. §. 83. p. 47
2. *Et nomen Virginis Maria.* Maria maris interpretatur stella; nam in portum securè ducit, & per inuia viam ostendit. Felices fuerunt parentes filiam sortiti cœlestibus luminibus exornatam; infelices sunt, qui prolem sortiuntur sæculo, vanitatique addictam. Profectò filiorum pompa & ipsis ominosa, & parentibus inuenitur nociua. c. 15. §. 2. p. 62
3. *Et nomen Virginis Maria.* Maria clarissima origine exorta egregium est nominis honorem sortita, sed nomen de cœlesti thesauro euolutum est: sæculum adulterat, imò venditat nomina. Nam minus proderit ad honores in sæculo assequendos clarissima originis vena, quàm auri copia. c. 15. §. 8. p. 66
4. *Et nomen Virginis Maria.* Maria interpretatur stella, quia micros fouet, quia errantes dirigit, quia omnibus claritatem impertit, sæculi proceres, ambitoresque dignitatum, nesciunt luce-

Index ad Sacras Conciones.

- re, quia adnituntur ceteros obscurare. Est enim obscurus, confusibilisque splendor de aliorum obscuracione quæsitus, diminutioneque comparatus. c. 15. §. 15. p. 70
5. *Et nomen Virginis Maria.* Maria interpretatur stella, & quia nomen sortitur stellæ, non solum sibi fulget, sed errantes dirigit, miseros fouet: cum sint plures, qui frui satagant honorabili dignitatis nomine, & laborem excusent plectibili otiositate. c. 15. §. 4. p. 80
6. *Et nomen Virginis Maria.* In mundo nascitur, sed cum interpretetur stella, cælo resplendere inuenitur, vt iam Verbo Domini iucundum præbeat hospitium, & dæmonibus inferat bellum. Nam qui in sæculo sæculo renuntiarunt, Christum sequuntur, & contra dæmonem strenui bellatores esse probantur. c. 15. §. 93. p. 113
7. *Et nomen Virginis Maria.* Maria interpretatur stella, vtque nauigantes, quod feliciter valeant portum appellere, ad illicem curant aspectum dirigere; ita qui ad salutis portum peruenire anhelat, oculos ad eiusmodi sidus splendidissimum dirigat: nam qui ad Mariam pium eleuarit aspectum, euadet citò periculum. c. 15. §. 146. p. 145.
8. *Et nomen Virginis Maria.* Maria interpretatur Domina, vtque reus, si ad Proceris confugerit patrociniū, circitorum eludit votum, ita dæmonum eludit votum, qui ad huius Dominae confugerit patrociniū. Nam vbi Mariæ sanctissimæ adest hominibus patrociniū, desperat de victoria dæmonium. c. 17. §. 47. p. 219
9. *Et nomen Virginis Maria.* Nomen, quod interpretatur stella, Mariam prodit clarissimæ originis stemmatibus nobilitatam, & fulgoribus circumfusam; sed & gratia Angelus prædicat plenam: *Aue gratia plena.* Quidquid à Deo acceperat, ad gratiam adaugendam applicabat, non vt plures, qui detorquent ad vanitatem, quæ cogebant ad virtutem. c. 18. §. 56. p. 268
10. *Et nomen Virginis Maria.* Nomen interpretatur stella; & quidem Maria mirabili radiat splendore, sed non minori relucet humilitate: *Ecce ancilla Domini.* Humilitate concepit, originis luce radiauit, citò ad virtutum omnium humilitate deuenit fastigia, quia humilitas itineris edocuit compendia. c. 18. §. 75. p. 279

IN FESTO PRÆSENTATIONIS

Beatae Mariae Virginis.

L v c. II.

1. **B** *Beatus venter, qui te portauit.* Maria celeri gressu templum adit, vt incarnati Verbi sit templum, ibi cœlestium contemplationi vacauit, & quid faciendum, Numini sacratas edocuit. Est enim miserum Dei domum inhabitare, & cupiditatibus inservire. c. 15. §. 84. p. 108.
2. *Beatus venter, qui te portauit.* Templum adiens, solū Deum gestauit corde, & se dignam effecit, quæ gestauerit postea ventre; vt discant quicumque domum Dei adeunt, nil de sæculo ducere, si volunt virtutibus splendere, & pericula propulsare. c. 15. §. 82. p. 107
3. *Beatus venter.* Felix deprædicatur Maria, non quia regali vena exorta, non quia curia, & templo innutrita, sed quia Domino semper

coniuncta. Plures se arbitrantur felices, si curia, aut palatio degant, sed nouerint in curia, aulæ sine Deo degere, criminibus, & lapsibus expositum inueniri. c. 15. §. 85. p. 109

4. *Beatus venter, qui te portauit.* Mulier satis prudens Virginem laudat, cum filius dæmonem fugat, quasi per Mariam obuenerit salus homini, & perniciēs dæmoni. Et quidem cum dicata templo omni obseruantia viguit studio, stragem dæmoni nequibat non inferre, & hominum miseras non releuare. Exacta religionis obseruantia est valida contra dæmonem pugna. c. 15. §. 90. p. 112.

5. *Beatus venter, qui te portauit.* Qui Christum suo pectore gerunt, aliquali pondere grauantur, sed à multis sæculi ponderibus eximuntur. Mutus, qui dæmoni habitaculum obtulerat, lingua, & salute carebat. O quam est certum, virtutis studiosos aliquali labore, sed ferendo, onerari, & durioribus, ac grauioribus eximi! c. 15. §. 92. p. 113.

6. *Beatus venter, qui te portauit.* Maria corde Christum gerens, acquiuit laudem, meruit beatitudinem, templo dicata iucundam inuenit requiem. Omnes homines requiem, beatitudinemque discipiunt, sed qua via ad illam tendatur, nolunt scire, imò affectant apertis oculis exerrare, & sæpè vbi quærunt placidam requiē anxium experiuntur laborem. c. 15. §. 94. p. 114.

7. *Beatus venter, qui te portauit.* Dum templo dicatur, ad Matris dignitatem virtutibus expolitur. Maria non à parentibus persuasa, sed spontanea alacritate fugit mundum, & adiuit templi secretum. O si noscerent plures fœminæ, quam magnum Dei beneficium sit sæculum fugere, & pericula deuotare! Mihi crede, ingens beneficium accepit, qui vel compulsus Christo adhæsit, & gratas sæculi fallacias effugit. c. 15. §. 95. p. 115.

8. *Beatus venter, qui te portauit.* Vbi Christus dæmonem expulit, vbi hominis cæcitatem auertit, vbi vocis vsum restituit, prudens fœmina Matrem exserta voce laudauit, & Mariam aliquid contulisse ad hominis salutem asseruit. Et quidem indubium est, à Filio per Matrem citius obtineri, quod tardius contingeret impetrari. c. 15. §. 113. p. 125.

9. *Beatus venter, &c.* Portauit Christum, quia ab infantia alacriter inuolauit ad templum, & quia illic incarnationem Verbi anxius, continuisque precibus ieiunio, & rigida corporis tractatione adipatis promeruit. Profectò oratio corporis asperitatibus adipatur, & omni laborum imbonitate virtus adstruitur. c. 15. §. 132. p. 137.

10. *Beatus venter, &c.* Christum ventre portauit, quia templi penetralibus deguit; satis tamen non esset mundum deserere, si ibi contingeret mundum amare. O nos miseros! qui etiam cum mundus nos deserit, à corde non abijcimus, sed amamus. c. 15. §. 137. p. 140

IN FESTO ANNUNTIATIONIS

Beatae Mariae Virginis.

L v c. I.

1. **M** *Issus est Angelus Gabriel.* Angelus sæculi remedium sollicitans, celeri aduentat volatu,

Index ad Sacras Conciones.

- volatū , & anxio à Maria Virgine ambit con-
fensum studio, nos edocens animæ salutem im-
pigre sollicitandam, & conatibus indefessis sta-
biliendam. c. 14. §. 23. p. 14.
2. *Et ingressus ad eam Angelus.* Miris candoribus,
& virtutibus prælucebat, & nihilominus domus
secreta habitabat. Ideo in Dei Matrem eligi-
tur, & ab Angelo salutatur. O quàm est arduum,
inter homines degere, & eorum mores non fu-
gere! c. 14. §. 28. p. 17.
3. *Gratia plena.* Angelicis elogijs dilaudatur, & ta-
men humilitate deprimitur: *Ecce ancilla Domi-
ni.* Se audit Dominam, & abiectam confitetur
ancillam, edocens virtutis studiosos nec elo-
gijs inflari, nec humilitatis metas transilire.
c. 14. §. 4. p. 24.
4. *Ecce ancilla Domini.* Electa in Matrem, se di-
cit seruum, laboribus tempore passionis diue-
xata miram ostendit constantiam: nec mirum,
cum intinè Deo adhæreret. Nam quàm Deo
adhæreas, ostendit in prosperitate modestia, &
in labore constantia. c. 14. §. 42. p. 15.
5. *Ecce ancilla Domini.* In Dei Matrem electa, deij-
citur vsque ad vilitatem ancillæ: affectat serui-
re, quæ Verbi Mater fas erat creaturis omni-
bus imperare; sed dum Dei fauoribus probatur
ornatior, laudabili inuenitur humilitate depres-
sior. c. 14. §. 54. p. 32.
6. *Quomodo fiet istud?* In Matrem Verbi se ele-
ctam audit, & quomodo istud fiat interrogat,
non de oraculo dubia, sed ad nostram eruditio-
nem prudenter cauta: prius quàm exhibeat as-
sensum, ne in candoris sit præiudicium, inqui-
rit modum. O si hinc discerent plures! verùm
ea Magnatibus adulandi siti tenentur, vt an il-
licita, vel licita sint iussa, nullatenus discutian-
tur. c. 14. §. 91. p. 52.
7. *Ecce ancilla Domini.* Ad Matris dignitatem eue-
cta, profundissima humilitate inuenitur ornata.
Ambitiosis econtra accidit: indecora, confu-
sibilique humilitate deijciuntur, vt ad fastigia
dignitatum leuentur. Quod extulit originis cla-
ritas indecore, decrescere persuasit ambitionis
anxietas. c. 15. §. 10. p. 67.
8. *Quomodo fiet istud?* Oblatam dignitatem humi-
lis recusabat, & se ancillam humillimam asere-
rebat. Nonnulli peruersa via cum dignitates ar-
denter ambiant, recusare, auersarique humilitate
fucata affectant. c. 15. §. 31. p. 78.
9. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Vbi Maria ar-
dentissimum Incarnationis declarauit votum,
statim induit humanam naturam Diuinum Ver-
bum: exsertis clamoribus postularant Patriar-
chæ, desiderarant Prophetæ, & tamen Incar-
natio dilata est; vbi verò Maria *Fiat* protulit,
sine dilatione obtinuit. Vt hinc noueris per
Mariam citò obtineri, & tardius aliorum pre-
cibus desiderata impetrari. c. 15. §. 113. p. 125.
10. *Quomodo fiet istud?* Angelus cognatæ exemplo
fidem firmarat, in Iacobi parentis domo regna-
turum Christum asseruerat, Dauidis progeni-
toris meminerat, & nihilominus prudentissima
Virgo inquit modum, & quodammodo futu-
rum examinat Paranymphum. Si plures scemi-
næ citò non credidissent, postea non ploras-
sent: opus est prudenti examine, & matura me-
ditatione; quia aliquando eo colore, artificiò-
que aliqua proponuntur fucata, vt nullatenus
primo aspectu censerì possint conficta. c. 16.
§. 4. p. 160.

IN VISITATIONE BEATÆ Elisabeth.

L v c. I.

1. *Exurgens Maria, &c.* Festina aspera montis
adiuit, vt Ioannem culpa fordidum gra-
tiæ restitueret, & cœlestibus luminibus ador-
naret. Elisabeth dignis elogijs Mariam dilaudat,
& vti Dominam humili veneratione commen-
dat; Maria verò non ambiuit plausum, sed, pec-
catoris profectum; vt Concionatores noue-
rint quarere peccatorum profectum, non vo-
laticum laudum plausum. c. 14. §. 4. p. 4.
2. *Cum festinatione.* Festinabat SS. Virgo, vt suæ
anxietati mederetur; minúsque montanæ aspe-
ritatibus defatigabatur, quàm desiderio depel-
lendæ culpæ vrgeretur: sciebat namque quem
gerebat visceribus filium, si opratus peccato-
ris differatur reditus, anxios subire cruciatus.
c. 14. §. 3. p. 3.
3. *Cum festinatione.* Impigra sollicitudine festina-
bat Ioannem sanctificare, ne vel per instans
temporis contingeret sanctificationem differri.
Certè dum festinat, nos edocet, quàm celeri
sollicitudine salus animæ sit procuranda, &
omnimodis stabilienda. c. 14. §. 23. p. 14.
4. *Cum festinatione.* Adolescentula, pulcherrimæque
Virgo vt oculos fugeret, festinauit, & maluit
festinatione itineris labores augere, quàm hu-
manis oculis spectari, edocens Virgines popu-
lum vitare, & grauiora minoribus detrimentis
effugere. c. 14. §. 29. p. 18.
5. *Et salutauit Elisabeth.* Redemptoris Mater futi-
les sæculi ceremonias despexit, & prior inferio-
rem eloquio dulcissimo salutauit. Nam quò
quis Dei fauoribus probatur ornatior, laudabi-
li inuenitur humilitate depressior. c. 14. §. 54.
p. 32.
6. *Exultauit infans in utero meo.* In infantia Ioan-
nes iam vir prudentia maturus, & miris virtuti-
bus exornatus. Quàm aliter multis accidit: in
iuuentute conseruauere pueritiam, & vsque ad
senectutem extenderunt adolescentiam. cap. 14.
§. 5. p. 31.
7. *Vt facta est vox salutationis suæ.* Maria quam apud
Deum sortiebatur gratiam, impertitis benefi-
cijs ostendebat, & oppressorum calamitates le-
uabat. Gloriosum certè est, quam apud Princi-
pem sortiari gratiam, miseros iuuando, osten-
dere, nec vni tibi exambire. c. 14. §. 56. p. 33.
8. *Cum festinatione.* Magnum fuerat Mariæ munus
commisum, ergo festinauit proficere, nec su-
stinuit moras neçtere: vt discant, quibus munia
commissa, negotia citò expedire, nec à se pen-
dentes lenta morositate vexare. c. 14. §. 60. p. 35.
9. *In montana.* Ioannes sacerdotis filius, clarissima
vena exortus, diuitiis circumfusum, & cacumine
montis elatus non exultabat, quia culpæ ma-
cula sordescibat. Iam expuncta culpa exultat,
& gaudet. Vt noueris infelicem esse, qui Dei
gratia non fruitur, quantumuis fortuna cumu-
latissima vtatur. c. 14. §. 101. p. 59.
10. *Exultauit infans in utero.* Vbi in Præcurso-
rem electus, iam saltibus gestit præire, & satagit
munus implere; cum plures frui satagant ho-
norabili dignitatis plausu, excusato laboris cen-
su. c. 15. §. 34. p. 80.

Index ad Sacras Conciones.

IN FESTO EXPECTATIONIS.

L V C I.

1. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Anxijs votis impetrauit conceptum, & anxijs desiderijs discupit partum; & quantò proximior erat felicitas, viuuior adurebat anxietas. Nam quantò felicitas est proximior, vrit, si differatur, acerbior. c. 14. §. 100. p. 58
2. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Cùm natiuitas Christi Angelis cum pastoribus afferret commercium, cùm Magos debitæ persuaderet adorationis officium, Maria ardentissimis desiderijs expetebat, & precibus anxijs deposcebat, nos edocens, res magni momenti omni solitudine procurandas, & indefessis votis quærendas. c. 14. §. 23. p. 14
3. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Ardentissimum Mariæ desiderium natiuitatis tempus breuiavit, & Deo vim gratissimam intulit: vt noueris efficax esse desiderium, orationemque meritis petentis innixam, & exhibitis obsequijs armatam. c. 14. §. 59. p. 37
4. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Filij anxia desiderabat præsentiam, nec ferre quibat à prospectu oculorum distantiam: ergo omnium maturabat desiderio salutem; vt si cupis ad salutem properare, discas molestè Numinis absentiam ferre. c. 14. §. 102. p. 59
5. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Filium desiderabat omnium salutem, parentis requiem. O quàm nostra falluntur desideria! desiderant homines filios suscipere, sed susceptis contigit diuexari. Cæci deerramus, & dum quærimus requiem, sollicitamus sæpè laborem. c. 15. §. 94. p. 54
6. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Prophetæ, Patriarchæ incarnatum Verbum in lucem prodire desiderarunt, sed vota dilata sunt: Maria anxijs sollicitat desiderijs, & fruitur citissimè votis, vt ad Mariæ recurramus preces, nouerimusque per Mariam citò obtineri, quod tardius aliorum precibus contingeret impetrari. c. 15. §. 113. p. 125
7. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Maria dum ardentè desiderat, ipso desiderio sortitur effectum; verùm antequam sortiretur effectum, magnis præmijs dignissimum erat votum: vt noueris honestis votis posse te gratiam augere, & turpibus etiam sine operibus diuinam contra te indignationem præmaturare. Nam licèt non prodeant in opera, præmijs digna, aut pœnis obnoxia inueniuntur animi desideria, c. 6. §. 15. p. 160
8. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Ardentè desiderat votum compleri, sed per virginitatis candorem, per ancillæ humilitatem; attendenda sunt media, per quæ perficere discupis vota. Verùm detestanda politices assequi desiderat votum, siue licitum, siue inhonestum sit medium. c. 16. §. 56. p. 183
9. **F**iat mihi secundum verbum tuum. O quàm erat gloriosum ea vota corde fouere, quæ posset Angelus æmulari, ea proferre verba, quæ Angelus posset audire! Econtrà plurimis accidit, & nihilominus affectant gloriari, de quibus fas erubescere. c. 18. §. 57. p. 269
10. **F**iat mihi secundum verbum tuum. Certissima

spe, indubia confidentia Redemptionis ortum desiderat, ergo ipsa fiducia, constantiaque votis fruitur, & quæ desiderabat assequitur. c. 11. §. 69. p. 276.

IN FESTO PURIFICATIONIS Beate Mariæ Virginis.

L V C Æ II.

1. **T**ulerunt puerum. Filium tulit diuinis conspectibus præsentandum, & Moysis legibus subijciendum. SS. Virgo parentes edocuit, filios legibus adaptare, & diuinis conspectibus piè offerre. Plus amat filios, qui latagit moribus expolire, quàm qui sollicitat diuitijs, & honoribus adaugere. c. 19. §. 104. p. 349
2. **T**ulerunt puerum. Quæ præ alijs, Deo filio ditata, præ alijs obtulit Deo deuota: vt discat, qui specialibus à Deo beneficijs inuenitur obstrictus, specialibus obsequijs gratos prodere etiam affectus. c. 19. §. 112. p. 354
3. **T**ulerunt puerum. Statim ac lex tempus præcepit, puerum tulerunt, & diuinis oculis præsentarunt, suis factis nos edocentes, virtutis opera non procrastinanda, sed statim perficienda. Et quidem sæpè dum virtutis opus differitur, interuenientibus obstaculis impeditur. c. 14. §. 30. p. 19
4. **T**ulerunt puerum. Cum puero obtulerunt hostiam gratitudinis in testimonium, & pietatis argumentum, Optarat Maria ardentissimis desiderijs puerum nasci: ergo Mater effecta gratitudinis pependit tributa, non vt plures, qui assecuti votum, gratitudinis differunt, aut negant tributum. c. 14. §. 55. p. 33
5. **E**t vt darent hostiam. Hostiam obtulerunt religioso cultu, nec defuit quid offerrent Domino, quia nihil inutuli amiserunt dispendio. Decst sæpè quod obligationi, & virtuti pendatur, quia ad pompæ, cultusque vanitatem aurum profunditur. c. 14. §. 73. p. 42
6. **E**t vt darent hostiam. Quod lex exigebat, alacriter soluerunt, & Deo debita pendere non recusarunt. Promissa sæculo citò soluuntur, Numini debita denegantur. c. 15. §. 48. p. 88
7. **S**ecundum legem Moysis. Legis præcepta alacriter adimplerunt, & obedientiam promptitudine commendarunt. Et quidem obedientia de prompta alacritate accipit pretium, & commendat debitæ subiectionis officium. c. 15. §. 78. p. 105
8. **S**ecundum legem. Parentes legem colunt, & filium ab incunabulis legi subijciunt, & cùm subijcitur, lumen gentium splendidissimum prædicatur: *Lumen ad reuelationem gentium*. Vt noueris quàm sibi imponant, qui à lege resiliunt. Cerrè qui legis iugum excussit, calamitatem sibi grauissimam comparauit, c. 16. §. 27. p. 167
9. **L**umen ad reuelationem gentium. Dum fulgentissimum splendet lumen, Israëlitis impertit gloriam, gentes candidissimo fulgore adducit ad veritatis notitiam: non sibi vni resplenduit, sed omnibus profuit. Aliquorum ad cò sitibunda est ambitio, vt nec splendoris guttulam alijs impertiant, sed lucere soli exambiant. c. 17. §. 31. p. 191.
10. **T**ulerunt puerum. Tenerrimum puerum ad templum

Index ad Sacras Conciones.

plum ducunt, vt legem impleat, & quæ lex imperat, soluat: non domi fouerunt, sed diuinis oculis præsentarunt. Nonnulli parentes dum filios à lege resiliere permittunt, dum ad morum polituram non cogunt, sibi & filijs efficiunt; nam nimia erga filios indulgentia ipsis, & parentibus attulit grauissima damna. c. 15. §. 12. p. 69

IN ASSUMPTIONE BEATÆ Mariæ Virginis.

L v c. X.

1. **I**ntrauit Iesus in quoddam castellum. Martha honorificè Christum excipit, & cui fratris debebat vitam, officium exhibere conatur. Ergo cum Deus genitrici plurima debeat obsequia, cumulatissimam gloriâ dilargitus, ostentat gratitudinis testimonia. Hominibus e contra accidit; nam vota assecuti, gratitudinis tributum tardant, aut negant. c. 14. §. 55. p. 33.
2. *Sedens secus pedes Domini.* A sorore obmurmuratione impetita Maria tacet, supra Angelorum choros eleuata, & tanta gloriâ circumfusa non intumescit: ergo cæteris deprædicatur Christo proximior: *Sedens secus pedes Domini.* Vt nocturnis, quantum quis Deo adhæreat, ostendere in prosperis modestiam, in aduersis tolerantiam. c. 14. §. 42. p. 25
3. *Secus pedes Domini.* Speciali Dei fauore nobilitata, vt Lazaro lux refunderetur, obtinuit, & omnibus benefacere exoptauit, suis factis edocens gloriosum esse, quam apud Principem sortiaris gratiam, impertitis beneficijs ostendere, nec vni tibi exambire. c. 14. §. 56. p. 33
4. *Sedens secus pedes Domini.* Laudabili otio fruebatur Maria, dum Domini sitienter auscultat verba, & implere cupit mandata; quia præ cæteris obsequentiôr, & gloria præ omnibus inuenitur eximior. O. si à Maria discerent plures! Verùm quia nesciunt quærere placidam requiem, anxium sibi maturauere laborem. c. 14. §. 94. p. 54
5. *Relinquit me solam.* Martha ipsa sollicitudine obturbata se relictam, & solam quæritur, dum Maria præ omnibus creaturis Deo proximior, & gloriôsior placidissima frui requie probatur. Verùm has quietas turbatio protulit; nam SS. Virgo suos non deserit, imò vires addit, & terrorem hostibus incutit. c. 15. §. 110. p. 123
6. *Et mulier quodam excepit illum.* Dum femina Deum honorabili hospicio excipit, dum cibum, dum mensam apparat, & mortuis vitam, nam resurgit Lazarus, & egentibus subsidium, nam gaudet in Chanaa sponsus, precibus suis sollicitat: vt noueris, qui Deum beneficijs obstrinxit, opportunum sibi, & alijs negotiari sub sidium, & honestum potiri otium. c. 15. §. 111. p. 124
7. *Non est tibi cura?* Vt in laboribus solatium, vt in afflictione inueniret subsidium, non debuit Martha Mariæ gloriâ obscurare, sed affectibus religiosis extollere; nam quisquis Deiparæ curat honorem, à se propellit calamitatem. c. 15. §. 118. p. 128
8. *Non est tibi cura?* Maria à sorore de otio interpellata tacet, vt reuocatur ad vitam Lazarus, laudabili fletu genas perfundit, & quàm intimè Deo adhæreat, factis euulgat. Nam constans

Virtus minus in proprijs ærumnis dolet, & in alienis honesta compassione plus luget. c. 15. §. 148. p. 146

9. *Optimam partem elegit.* Pro Maria Christus sententiam tulit, & creaturis cæteris antelatam ostendit, etiam à Martha hospicio exceptus, & opipara mensa pastus. Vt notum omnibus fuerit sollicita studiofinitate inseruientium merita, Mariæ merita non attingere, & Iudices, ac Superiores etiam erudiuit muneribus non capi, sed iustam sententiam promere. c. 16. §. 5. p. 155
10. *Maria optimam partem elegit.* A Maria, quæ matris gerebat imaginem; plura Christus obsequia acceperat; plura debebat officia: Ergo placidissima requie muneravit, & creaturis omnibus prætulit. Et quidem Christus notam sibi videretur inurere; si ad eò de se benemeritam non conaretur defendere, & muneribus, prærogatiuisque ornare. c. 16. §. 32. p. 169

IN SANCTORVM FESTIS.

PRO S. ANDRÆA APOSTOLO.

MATTH. IV.

1. **F**aciam vos fieri piscatores. Andræas ad animatum piscationem vocatur, & statim obsequitur: non relinquit retia, euanidi plausus desiderio, sed ardenti animarum studio. Nam sumptuosius Euangelici Concionatoris elogium est peccatores reducere, non plausus euanidos elucrari. c. 14. §. 4. p. 4
2. *Ambulans Iesus.* Vt Andræam quærat, non recusat Christus itineris laborem, quia in vno Andræa animas plurimas expiscatur, nosque suis factis edocuit quòd plurimum interest, studio sollicito perquirendum, & anxijs conatibus procurandum. c. 14. §. 23. p. 14
3. *Continuò relictis retibus.* Vocatus Andræas non distulit, sed statim paruit, retiaque reliquit; & id eò ad apostolatus culmen deuenit, & fortè, si differret obedire morosus, nequiret postea varijs occupationibus implicatus. Et quidem dum virtutis opus procrastinatur, difficultatibus superuenientibus impeditur. c. 14. §. 30. p. 19
4. *Faciam vos fieri piscatores.* Inter reliquos prius Andræas vocatur ad expiscandas peccatorum animas, depellendas barbarorum tenebras, & singulari fauore prælatus inter alios lucet eximius. Est enim grandè Dei beneficium eligi ad peccatores reducendos, & diuinis conspectibus præsentandos. c. 14. §. 57. p. 34
5. *Continuò relictis retibus.* Munus magni momenti Andrææ iniungitur, ergo perficere sollicito studio conatur; vt nouerit, cui munus magni momenti iniungitur, moras non neclere, nec executionem tardare. c. 14. §. 60. p. 35
6. *Relictis retibus.* Retia exiguum lucrum afferbant possessa, grãde lucrum pepeterunt relictæ. Et quidem plura possessa attulere molestiam, & grande lucrum dimissa. c. 14. §. 80. p. 40
7. *Continuò relictis retibus.* Vocatus Andræas alacriter obediuit, & de alacritate officium exhibitum commendauit. Nam obedientia accepit de alacritate pretium, & commendat debitæ subiectionis officium. c. 15. §. 78. p. 105
8. *Relictis retibus.* Andræas à Domino vocatus, retia, à quibus omnis victus ratio pendebat, reliquit,

Index ad Sacras Conciones.

liquit, & ad sequenda Christi vestigia expromptum animum attulit: Vt nouerit nihil de sæculo secum ducere, qui cupit effugere periculum, & Christi imitari exemplum.

c. 15. §. 82. p. 107

9. *Relictis veribus.*

Andreas Christum secutus, & eius crucem imitatus, felicior fuit, quàm piscibus exundans, exundareque anhelans. Est enim felicior, qui per labores, & crucem Christo adhæret, quàm qui citò euolaturis commodis affluit.

c. 15. §. 86. p. 109

10. *Secuti sunt eum.*

Andreas Christum sequitur pauperem, & afflictum, quod singularis est laudis. Nam Christi labores pauci sequuntur, euanida ferè vniuersi sectantur. cap. 15. paragr. 88.

p. 111

PRO S. FRANCISCO XAVERIO.

L V C. XII.

1. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Præcinctus est Xaverius, vt Evangelica luce gentilium depelleret tenebras, & Ecclesiæ adduceret ferè innumeras animas: non quærebat lucere, sed anhelabat proficere. Nam Evangelici Concionatoris sumptuosius elogium est peccatores reducere, non plausibus celebrari.

c. 14. §. 4. p. 4

2. *Et lucerna ardentes.*

Dum Evangelica luce peccatores non reducit, veluti durissimo singulo constrictus gemit, & egregius Christi imitator sæuis doloribus adurgetur, si animarum salus differatur.

c. 14. paragr. 3. p. 3

3. *Vt cum venerit, & pulsauerit.*

Suos vult à tumultu secedere, ne contingat sæcularibus moribus infici. Verùm Xaverius eo zelo micabat, vt Indiarum vltima peteret, & inter improbos virtutibus, miraculisque radiaret. Cùm sit arduum inter improbos commorari, & eorum mores non fugere.

c. 14. §. 28. p. 17

4. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Strictissimo cingulo inedia, & flagris se discruciat, erga alios se humanum, & affabilem exhibebat, quo plures peccatores reduxit: Nam urbana humanitas affectus sibi deuincit, & sui desiderium facit.

c. 14. §. 32. p. 20

5. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerna ardentes.*

Xaverius egregius Christi imitator nec lucerna splendoribus, hoc est miraculis inflabatur, nec magnis afflictationibus à lucrando animis auertebatur. Nam egregius Dei imitator nec plausu inflatur, nec labore deijcitur.

c. 14. §. 41. p. 24

6. *Et lucerna ardentes.*

Xaverius miris virtutibus, & Dei fauoribus exornatus in xenodochijs inseruiebat, & profunda humilitate extremis ministerijs vacabat. Nam miris Dei fauoribus exornatus, laudabili inuenitur humilitate depressus.

c. 41. §. 54. p. 32

7. *Et lucerna ardentes.*

Xaverius in Indiarum Apostolum à Deo Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

electus est, & præ alijs cœlesti dignatione prælatus. Est enim eximius Dei fauor eligi ad peccatores reducendos, & exules diuinis conspectibus præsentandos. cap. 14. §. 57.

p. 34.

8. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Mortificationis cingulo strictus, fame luidus, & vigilijs semper intentus mortuos ad vitam reuocabat, & dæmones abigebat. Est enim efficax Oratio magnis meritis innixa, & exhibitis obsequijs armata. c. 14. §. 59.

p. 35

9. *Et lucerna ardentes.*

Non solum Xaverius manu gestabat lucernam, sed tantam corde diuini amoris, & zeli fouebat flammam, vt modum precaretur imponi, vt posset in reducendis peccatoribus occupari. Laudabile est, te diuinis consolationibus tantisper substrahere, vt peccatores possis reducere.

c. 14. §. 62. p. 36

10. *Sint lumbi vestri, &c.*

Ea mortificatione, ieiunijsque corpus edomabat, vt in nauigio panis frustrulis emendicatis viueret, & quæ regia liberalitate sibi dabatur, in pauperum subsidium expendere: sicque omnium corda sibi deuinxit. Nam in aliorum vtilitatem neglecta comoda sunt efficacissima ad effectus elucrandos illicia.

c. 15. §. 11. p. 68

PRO S. ANCTO THOMA

Apostolo.

IOAN. XX.

1. *Vidimus Dominum.*

Apostoli dum à tumultu recedunt, & domus secretiora incolunt, aspectu Christi iam gloriosi recteantur. Thomas, qui foris tunc erat, de gloria dubitat: *Nisi videro*: aliqualem diffidentiam illi alliniuit vulgus: vt noueris arduum esse inter peccatores degere, & mores non imitari. cap. 14. paragr. 28.

p. 17

2. *Vidimus Dominum.*

Cùm Apostoli obseratis foribus aliorum conuictum vitant quasi sepulti, mira dulcedine perfruuntur, Christi gloriam demirati: quem sustineant laborem, gaudio inenarrabili compensarunt, nosque suis actionibus edocuerunt, lucrum esse mundum vitare, & grauiora detrimentis minoribus præcauere.

c. 14. p. 29. p. 18

3. *Recognosce loca clauorum.*

Mira humanitate Dominus Thomam allicit, & manus, ac pedes offert: ergo Thomas humanitate allectus exclamat: *Dominus meus, & Deus meus*: Urbana in superiore humanitas corda sibi deuincit, & quod desiderat, obtinet.

c. 14. §. 32. p. 20

4. *Noli esse incredulus.*

Dum Christi vulnera Thomæ dubietate resulcantur, dum sæui ad speciem dolores iterum repetuntur, quàm tunc enerè Dominus Thomam diligit, declarauit. Nam si minus diligeret, minus doleret; nam amicissimi quæuis offensa grauius exulcerat, amorèque vexat.

c. 14. §. 87. p. 50

ãã

5. *Affer*

Index ad Sacras Conciones.

5. *Affer manum tuam.*
Sua ad speciem Dominus auctoritati detraxit, cum manus, & latus obtulit, docuit tamen superiores etiam aliquale subire auctoritatis dispendium, ut à suis propulsare quiverint detrimentum. c. 15. §. 75. p. 103
6. *Ostendit eis manus, & latus.*
Missurus Thomam ad Indos reducendos, & labores plurimos deorandos, quæ ipse fuerit perpeffus, ostendit, & suo exemplo difficultates emollit. Nam superioris exemplum laborem mellit, & difficultates emollit. c. 15. §. 81. p. 107.
7. *Non erat cum eis.*
Antea Thomas non arctabatur exigua domus angustijs, non, ut cæteri, sepeliebatur superstes. Iam cum alijs degit, & labores communes subit, sed modò felicior est per labores, & ærumnas Christo adherens, quàm sæculo fruens. c. 15. §. 86. p. 109.
8. *Affer manum tuam.*
Dum singularem Domini erga se benivolentiam aduertit Thomas, non dubitavit Indos petere, nec acerbam mortem subire; nam Dei erga nos sollicita cura ad magna gratitudinis compellit obsequia. c. 15. paragr. 100. p. 117
9. *Et Thomas cum eis.*
Iam Thomas condiscipulis associatus, & à populorum turba semotus edocetur mortem subire, & fidelis satagit homines ab erroribus liberare; ut qui cupit à Deo edoceri, studeat à populo separari. cap. 15. paragr. 115. p. 126
10. *Vidimus Dominum.*
Cum non ignoraret Thomas condiscipulos pauidis timoribus obturbatos, & Iudæorum metu oberatis floribus, ad speciem sepultos, quæ testabantur, voluit diligentius examinare; ut qui nouerat sæpè obturbatos, pauidosque existimare verum, quod veritati inuenitur contrarium. c. 16. §. 13. p. 159

PRO SANCTO NICOLAŌ.

MATH. XXV.

1. **T**radidit illis bona sua.
Bona tradidit, non ut auarè retinerent, sed, ut misericorditer impertirent, & dum misericordiæ afferunt lucrum, à Domino merentur elogium. O si plures Nicolaum imitarentur, quantis laudibus essent digni, & quàm placida vita vsi. Nam diuitiarum cupiditas iurgijs inuenitur frequenter obnoxia, & naturæ legum ignara. cap. 14. §. 13. p. 9.
2. *Tradidit illis bona sua.*
Quæ Nicolaus acceperat bene collocavit, & silentiosè impertiuit, nihilominus deprehensus est. Nam vitium, & virtus suam, qua produntur, habent linguam, ut qui ad peccandum omnem effugiunt notitiam, latere non posse, nouerint, nam crimina habent linguam, & produnt peccatoris offensam. c. 14. §. 14. p. 9
3. *Ecce alia quinque superlucratus sum.*
Lucratus est Nicolaus Domino talenta,

- dum parentis, & filiarum plectibilia impediuit studia Intempesta nocte surrexit, non ut quomodo ille amicus panes peteret, sed ut aurum daret. Eximia Nicolai Charitas reputabat uti proprium, incommodum, & periculum alienum. c. 14. §. 38. p. 13.
4. *Ecce alia quinque superlucratus sum.*
Domini diuitias auxit, dum Nicolaus vitandis culpis impendit. Habuit, quo subuenire egenti, quia non profuderat vanitati. Deest sæpè quod virtuti, & obligationi impendatur, quia aurum ad enanidam pompam profunditur. c. 14. §. 73. p. 42
 5. *Vocauit seruos suos.*
Vocati acceperunt, non accipere sollicitarunt, ergo attulerunt lucrum. Nicolaus attulit lucrum, quia ad episcopatum venit, non solum vocatus, sed quodammodo compulsus: & quidem se indignum fastigio ostendit, qui sitienter fastigium ambit. c. 15. §. 30. p. 77
 6. *Vocauit seruos suos.*
Serui animitus honorem fugiebant, & opus fuit illos vocare, & quodammodo compellere. Nicolaus animitus fugiebat, & fugere non affectabat. Inueniuntur namque nonnulli, qui honorem ambiunt fugiendo, & dignitates sitiunt, ad speciem recusando. c. 15. §. 31. p. 78
 7. *Ecce alia quinque superlucratus sum.*
Iste accepit pecuniam, sed non recusauit negotiationis molestiam; qui in fossam abscondit, renuit laborare, sed non recusauit accipere. Plures frui satagunt dignitatis commodis, & se substraxerunt molestijs. c. 15. §. 34. p. 80
 8. *Vocauit seruos suos.*
Accefferunt vocati, non ambitiosi, ergo attulerunt lucrum. Nam, ut plurimum, ritè munus peregit, qui accepit inuitus, non qui sollicitat ambitiosus. cap. 15. paragraph. 39. p. 83.
 9. *Tradidit illis bona sua.*
Nicolaus accepta pecunia necessitatem patris filiarum pudorem vendituri depulit, & decretum inhonestum seuerè corripuit. Et quidem satius est vitæ subire iacturam, quàm sceleris pati miseriam. cap. 15. paragraph. 80. p. 106.
 10. *Lucratus sum.*
Plurima lucratus est Nicolaus, dum se austeris ieiunijs afflixit, & aliorum afflictiones leuauit. Eximia virtute præditi aliorum student calamitates leuare, & iugi mortificatione studere. c. 15. §. 89. p. 111

IN FESTO SS. FABIANI, & Sebastiani, & pro alijs Martyribus.

LUCÆ VI.

1. **D**escendens Iesus de monte.
De monte descendit, ut ad perfectionis alta eleuaret iacentes, utque varijs affectibus oberrantes cælesti luce perfundat, & naturæ cæcos affectus exuere doceat. Sebastianus Christi imitator, de fastigio dignitatis descendens, fratribus vacillantibus suasit Christi

Index ad Sacras Conciones.

Christi legem parentellæ anteferre, quod miraculo non abfimile. Nam etsi legem fas sit cognationi præferre, cognatio solitat legibus anteponi. cap. 14. §. 17. p. 11

2. *Vt audirent eum.*

Christi doctrina errorum tenebras depellebat, & mentes veritatis luce illustrabat: maluit Christus, quàm montis eminere fastigio, vacillantes stabilire saluberrimo documento. Charitas despexit fastigium, vt à proximis auerteret detrimentum: & Sebastianus Christi vestigia secutus, renuntiavit dignitatibus, vt nutantes fratres eximeret ab erroribus. Nam perfecta charitas proprium reputat, damnum alienum. c. 14. §. 38. p. 23

3. *Et turba discipulorum eius.*

Discipuli Domino adhærebant, siue tenebant montis fastigia, siue ad vallium descenderent ima: nulla illos fortuna efferebat, aut obscurabat: & Sebastianus Christo adhæsit regia aula eleganter ornatus, & stipiti affixus, telisque transfossus; Christi discipulum probavit in adversis tolerantia, in prosperitate modestia. c. 14. §. 42. p. 25

4. *Descendens de monte.*

Despexit alta, humilia tenuit, & dæmonibus bellum intulit. Sebastianus Christi imitatur exemplum, & dum palatio, & Principis favore renuntiat, quodammodo invenitur martyr ante martyrium. Nam est acerrimus dolor palatio excludi, & Principis aspectu priuari. c. 14. §. 63. p. 37

5. *In loco campestri.*

Vt edoceret veritatem, homines duxit ad solitudinem; nam inter tumultus, & sæculi voluptates potioris irrepit obliuio, & animæ salutis lentius agitur procuratio. Qua in re mirandus est Sebastianus, nam in palatio coluit virtutem, & inter deliciosas fallacias affecutus est veritatem. c. 14. §. 85. p. 48

6. *Vt audirent eum.*

Quàm fuerunt felices Dominum audientes, & sæculo renuntiantes; & quàm fortunati fuerunt fratres à Sebastiano edocti, honoris, vitæque iactura extremam excusare miseriam, nanciscique gloriam! Hinc discas fatius esse honoris, & salutis subire iacturam, quàm culpæ pati miseriam. c. 15. §. 80. p. 106

7. *Descendens de monte.*

Turba non ascendit in montem; nam illis celsa probarentur periculosa. Sebastianus in aula virtutem coluit, quia è turba non fuit. Qui regia in aula sine Deo degit, criminibus polluitur, & crebris lapsibus defœdatur. c. 15. §. 85. p. 109

8. *Stetit in loco campestri.*

Frequentissimas ciuitates relinquunt, vtque Christum audiant, desertorum labores adunt: & Sebastianus per labores Christo adhæret, & quidem felicior est, dum sagittis transfixus Christo adhæret, quàm qui distans commodis, & otijs indulget. c. 15. §. 86. p. 109

9. *Stetit in loco campestri.*

Stetit, vt iacetes erigeret, stetit, vt dæmones pelleret, vt ad patientiam homines erudiret. Sebastianus sic pro Christo pati ambiebat, vt saluti restitutus non adierit latibula, sed
Emm. de Naxerâ in Reg. Tom. I V:

veritatem edocens, repetita despexit detrimenta: si pro Christo Sebastianus non patitur, amore incandescens affligitur. c. 15. §. 101. p. 118

10. *Stetit in loco campestri.*

A sæculo quodammodo eductos docuit: est enim arduum in sæculo, sæculo renuntiare; verum Sebastianus fecit, & Christum secutus contra dæmonem, pestemque depræliatur strenuus. c. 15. §. 93. p. 113

IN CONVERSIONE S. PAULI

MAT. XIX.

1. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Omnia Paulus reliquit, & à Domino feliciter deiectus, & resplendenti voce feliciter obcæcatus, pro Christo pati anhelaui, & se laboribus continuis addixit: felicior fuit, dum Christo per labores adhæsit, quàm dum commodis, & dignitatibus fulsit. c. 15. §. 86. p. 109

2. *Quid ergo erit nobis?*

Non solum Paulum excelsus mansit thronus, sed pro præmio etiam fuit ferè immensus animarum fructus. Est enim sumptuosius Evangelici Concionatoris elegium peccatores reducere, quàm plausus euavidos elucrarum. c. 14. §. 4. p. 4

3. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Paulus omnia reliquit, vt sequeretur Christum, Christus reliquit cælum, vt conuerteret Paulum: erat Paulus Ecclesiæ utilissimus; ergo Christus studiosè quæsiuit, & nos edocuit, quæ magni intersunt, sollicitè esse quærenda, & impigrè procutanda. c. 14. §. 23. p. 14

4. *Quid ergo erit nobis?*

Id Paulo fuit, vt Christum imitatus, nec laudibus inflaretur, nec laboribus frangeretur, quod eximiæ erat virtutis. Nam egregius Dei imitator nec laudibus intumescit, nec labores fugit. c. 14. §. 41. p. 24

5. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Non solum Paulus reliquit omnia, sed humilitatis intrauit scholam: & qui cæli alta contigerat, Ecclesiæ se persecutorem vocabat; & dum prærogatiuis probatur ornatio, laudabili inuenitur humilitate depressior. c. 14. §. 54. p. 32

6. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Omnia reliquit, & ingès, quia reliquit, præmium accepit, scilicet ad conuertendas gentes delegari. Est enim grandis Dei fauor eligi ad peccatores reducendos, & diuinis conspectibus præsentandos. c. 14. §. 57. p. 34

7. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Omnia reliquit, sed cælesti voce prostratus, & luminibus interdictus. Sæpè qui differunt ad Deum venire leniter inuitati, laboribus veniunt compulsi. c. 14. §. 86. p. 49

8. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Omnia Paulus reliquit, sed cælesti vocè illustratus; nam antea contra Christum vertebat sapientiam, & nobilitatem, quibus radiabat. O quàm est frequens accepta Numine beneficia contra ipsum vètere in

Index ad Sacras Conciones.

- arma! cap. 15. §. 9. p. 67
9. *Ecce nos reliquimus omnia.*
Dum Paulus omnia pro Christo arbitrabatur stercora, satanæ angelus contra illum pugnabat sollicitiori energia. Nam in suam partem studiosius adnititur dæmon trahere, quos agnouit miris dotibus præluere. c. 15. §. 62. p. 96
10. *Ecce nos reliquimus omnia.*
Omnia reliquit, sed à Domino vocatus, & oculis amissis deiectus. Ipsa tamen oculorum cæcitas ingens beneficium fuit, nam prostratus Christo adhæsit, & cæcus sæculi cæcitate effugit. c. 15. §. 95. p. 115

IN FESTO S. MATHIÆ Apostoli.

MATHÆI XI.

1. **R**euclasti ea paruulis.
Mathias miris virtutibus relucebat, & se paruulum æstimabat. Paruulus erat humilitate, magnus virtute, & dum virtutibus probabatur ornator, laudabili inueniebatur humilitate depressior. cap. 14. paragr. 54. p. 32.
2. *Reuclasti ea paruulis.*
Pueri appellabantur Apostoli, dum impendebant piscationi, quod debebatur, tempus virtuti. Et paruuli vocari quibant plures, quos Deus è sæculo eduxit; nam extendebant vsque ad iuuentutem pueritiam, vsque ad senectutem adolescentiam. cap. 14. §. 52. p. 31
3. *Reuclasti ea paruulis.*
Mathiæ humilitate parvulo reuelauit Deus, diuitias contemnere, pauperibus erogare, idololatrias Euangelica luce perfundere, mortem subire, rem esse magni momenti. Vt noueris eximium Dei esse fauorem eligi ad peccatores reducendos, & virtutibus informandos. c. 14. §. 57. p. 34
4. *Reuclasti ea paruulis.*
Apostolis humilitate parvulis, orationique intentis reuelauit Deus Mathiam eligere, & inter Apostolos coaptare. Nam orationis perseverantia feliciter vota assequitur, & vicisse ardua gloriatur. cap. 14. paragr. 58. p. 3.
5. *Reuclasti ea paruulis.*
Reuelauit quàm sit expetendum Christi iugo colla subdere, & sæculo renuntiare. Mihi crede, inter delicias, & sæculi voluptates virtutis irrepit obliuio, & lentè animæ geritur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48
6. *Reuclasti ea paruulis.*
Mathias ad apostolatus culmen euectus sua æstimatione erat paruulus; ipsi incrementis floruit humilior, & obsequentior. Cùm plures beneficijs obstricti, cùm deberent esse virtutibus plus addicti, inueniantur ingratitude denigrati. c. 15. §. 6. p. 65
7. *Reuclasti ea paruulis.*
Apostolis reuelauit Deus Mathiam eligere, non ipse Apostolos adiuit, & eligi officijs humillimis postulauit. Cùm non semel quos extulit originis claritas, suadeat indecore

decrefcere ambitionis anxietas. c. 15. §. 10. p. 67

8. *Reuclasti ea paruulis.*
Apostoli, qui paruuli vocatur, cœlesti luce agnouerunt, oportere Mathiam designare, alijsque anteferre. Munus electus impleuit, quia de se arroganter non præsumpsit. Sæpè inueniuntur inutiles, qui & munus ritè obituros præsumperunt arrogantes. cap. 15. §. 27. p. 76
9. *Tollite iugum meum.*
Quos sibi elegerat, iugum iussit non recusare, sed tollere; quod Mathias fecit: non vt plures, qui dignitatis exambiunt plausum, & recusant laboris censum. cap. 15. §. 34. p. 80
10. *Tollite iugum meum.*
Suauis iugo admonet collum subdere, & virtutem sectari. Nec mirum, quando sæculi iugum ambitio non recusât, sed studiosè ferre adlaborat: Immetatæ sunt ambitionis vires ad incommoda deglutienda, & oneratauissima supportanda. cap. 15. paragr. 33. p. 79

IN FESTO S. IOSEPHI

MATH. I.

1. **C**vm esset desponsata.
Sanctissima Virgo in sponsam Iosepho non sine miraculo traditur; Iosephi virga repentè florulenta deligitur: origine clarus, eligi non sollicitauerat ambiciosus, imò se reputabat indignum. Nam quò quis mirandis virtutibus inuenitur ornator, laudabili etiam inuenitur humilitate depressior. cap. 14. §. 54. p. 32
2. *Inuenta est habens in utero.*
Arcano mysterio Virgo concepit, & tamen quod silentiosè gestum, nonnullis signis est proditum. Nullus secreto fidat; nam virtus suam habet linguam, & vitium inutilem sæpè excogitauit cautelam. Mihi crede, vel abstrusus corde affectus sæpè coniecturis deprehenditur, & vel ipso silentio proditur. c. 14. §. 1. p. 2
3. *Inuenta est in utero, &c.*
Ioseph indubijs indicijs ad suspicionem impellebatur, sed mirandas Virginis virtutes expertus, detinebatur. Lis erat inter oculos & affectus; maluitque Ioseph credere experientie, quàm zelotypiæ. Profectò charitatis est excusationem querere, vt malignitatis aliorum defectus exaggerare. c. 14. §. 34. p. 21
4. *Inuenta est in utero habens.*
Iosephus non leuibus coniecturis ductus laborabat, sed puritatis Virgineæ candorem, & summam modestiam demiratus, assiduis precibus veritatem edoceri quærebat, & audaciam iniquæ suspicionis frænabat. Edocuit suis factis Iosephus citò suspicionibus fidem non dare, sed veritatem studiosius inquirere. c. 14. §. 45. p. 27
5. *Inuenta est.*
Oculus Mariam asserbat gravidam, Iosephus experiebatur mirandis virtutibus ex-politam

Index ad Sacras Conciones.

politam : ergo anxijs votis cœlum pulsa-
bat , & ad veritatem dignoscendam lucem
poscebat. Preces assecutæ sunt votum , &
Angelus Iosepho declarauit mysterium : vt
noueris , orationis perseuerantiam consequi
feliciter vota , & vincere difficultatibus va-
rijs implexa. c. 14. §. 58. p. 34

6. *Cum esset desponsata, &c.*

Maria Iosephum sortitur sponsum præ re-
liquis virtutibus expolitum, sed paupertate
depressum: opus erat victum sudore quære-
re, & continuis laboribus fatigari. Intus erat
virtutibus copiosus, exterius fabrilibus opi-
bus applicatus : vt noueris sæpè hoc in sæ-
culo peccatores diuitijs , & commodis ex-
undare , iustos paupertate , & afflictionibus
premi. c. 14. §. 76. p. 43

7. *Inuenta est in utero.*

Maria in utero inuenta est Verbo Diuino
incarnato facta ; sed Iosephi anima inuenta
etiam est non ferendis anxietatibus discru-
ciata. Dum oculus à dilecta promanasse
offensam mentitur , Iosephus doloribus sæ-
uissimis adurgetur. Nam quæuis amici , di-
lectique offensa grauius exulcerat , & graui
digna videtur pœna. c. 14. §. 87. p. 50

8. *Cum esset iustus.*

Iustus, quam suspiciõ testabatur culpam,
excusabat, & varijs rationibus suspicionem
eludebat. Aliter peccatores faciunt, & adin-
star miraculi est, si alienam culpam minu-
erint, nec amplificatam vulgarent. c. 14. §. 93.
p. 53.

9. *Inuenta est in utero.*

Ioseph Mariam duxit sponsam, vitæ solatium,
virtutum exemplum, afflictionibus
subsidiũ. Ergo cum suspicatur detrimen-
tum oriri, vnde solatium putauerat proma-
nare, sæuissimis doloribus excruciat. Gra-
uissimus namque dolor est, si à quo spera-
bas solatium, tibi promanauerit detrimen-
tum. c. 15. §. 69. p. 100. & §. 94. p. 114.

10. *Ioseph filij Daud, &c.*

Deus etsi tantisper Iosephum varijs cogi-
tationum voluminibus fluctuare permiserit,
vigilantissima tamen prouidentia illi adfuit,
& omnem perturbationem expunxit. Et qui-
dem dum Mariæ curabat fugiens honorem,
à se propulsauit calamitatem. Nam facile
à se propellit calamitatem, qui Deiparæ cu-
rat honorem. c. 15. §. 118. p. 128

IN FESTO INVENTIONIS sanctæ Crucis.

I O A N. III.

1. *Venit ad eum nocte.*

Noctè Nicodæmus venit, vt à tumultu
semotus, facilius veritatem edoceret, &
de mysterio crucis erudiretur. Prudentia est
opportunum tempus arripere, vt facilius
quod desideras, possis implere. c. 14. §. 5. p. 4

2. *Venit ad eum nocte.*

Quia magni intererat veritatem edoceri, in-
tempestæ noctis silentio venit, Christum-
que quæsiuit ; & Regina, Iudæorum Prin-
cipem imitata, vt inueniret crucem salutis
Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

venam nulli labori pepercit, sed omni solici-
tudine perquisiuit, vt ab utroque discas, rem
magni momenti studiosa sollicitudine per-
quirendam, & indefessis conatibus procu-
randam. cap. 14. §. 23. p. 14

3. *Venit ad eum nocte.*

Opportunam occasionem arripuit, ne si
differat morosus, varijs inueniatur occupa-
tionibus impeditus. Quod & fecit etiam
Helena ; & quidem frequenter, si virtutis
opus differatur, impedimentis superuenien-
tibus non perficitur. c. 14. §. 30. p. 19

4. *A Deo venisti magister.*

Laudibus non effertur, cruce exaltatus :
Oportet exaltari: admiranda patientia dolori-
bus diuexatur : Vt nouerit Christi discipu-
lus laudibus non inflari, & laboribus ani-
mum non despondere. cap. 14. paragr. 41.
p. 24

5. *Venit ad eum nocte.*

Venit, venit, edoceri rogauit, abstrusamyste-
ria referari sibi exambiuat: ergo assecutus est,
vt etiam Helena, dum profusis lachrymis, &
continuis ad Deum precibus inuenire cru-
cem exoptat, deuictis difficultatibus triũ-
phat. Nam orationis perseuerantia feliciter
vota assequitur, & vicisse ardua gloriatur.
c. 14. §. 58. p. 34

6. *Venit ad eum nocte.*

Laborem amitteret, ni constanter perseue-
raret, & Helena, si difficultatibus victa cederet,
salutiferam crucem non inueniret. Plu-
res magna tentarunt, sed digni inueniuntur
nota, dum ob exiguum laborem non perfe-
cerunt. c. 14. §. 89. p. 51

7. *Oportet exaltari filium hominis.*

Christus, vt homines redimat crucem subiit,
& Iudæus, vt Christi innubilauerit gloriam,
crucem altissimè abscondit ; & inde fit ob-
stinatior, vnde debuit esse deuotior. Et
quidem sæpè peccator cum debeat esse de-
uotior, acceptis à Deo beneficijs, fit inso-
lentior. cap. 15. §. 6. p. 65

8. *Venit ad eum nocte.*

Princeps ad Christum nocte venit, quia
Principibus pro die nox est: alto sole dor-
miunt, & media nocte discurrunt. Helena
etsi Regina anteuertebat solem, vt quæreret
Domini crucem. Cum ferè semper Principes
iura temporum inuertant, & solum, vt va-
nitatibus adulentur, antelucani resurgunt.
c. 15. §. 13. p. 69

9. *A Deo venisti magister.*

Magister venit, & munus impleuit, non so-
lum edocendo, sed labores crucis patien-
tissimè tolerando. Cum plures frui sata-
gant, excusato laboris censu, magisterij,
aut culminis plausu. c. 15. §. 34. p. 80

10. *Oportet exaltari.*

Dû crucis labores subit, ad eius laudes pu-
blicandas, quodammodo Nicodæmum com-
pellit: *Scimus ; quia à Deo venisti, magister*: &
dum Helenam ad fastigium extulit, quærere
ad Christi gloriam crucem suasit. Vt no-
uerimus Dei erga nos sollicita studia ad gra-
titudinis cogere obsequia. c. 15. paragr. 100.
p. 117

Index ad Sacras Conciones.

IN FESTO SANCTI IOANNIS Baptiste.

L v c. I.

1. **Q**uis puer iste erit?
Ab initio manus Domini in Ioanne relucet, vt omni perfectione, & puritatis candore in curia, & inter improbos viuens possit micare. Et quidam ad instar miraculi est inter peccatores degere, & eorum mores non fugere. cap. 14. §. 28. p. 17
2. **Q**uis puer iste erit?
Puer iste erit desertorum incola, castitatis speculum, viuum ieiunium; erit, qui austeræ vitæ rigoribus studeat, qui ad augendis semper virtutibus adlaboret. Disce à Ioanne confusaneam turbam vitare, & grauiora detrimentis minoribus præcauere. c. 14. §. 29. p. 18
3. **Q**uis puer iste erit? Etenim &c.
Ipsa in pueritia iam vir, sapientia plenus, & mirandis virtutibus expolitus; alij processu temporis viri, erroribus videntur pueri. O quàm est inglorium vsque ad senectam extendisse pueritiam, & inter canos conseruasse adolescentiam! c. 14. §. 52. p. 31.
4. **Manus Domini.** &c.
Ab incunabulis relucet Ioannes decantandis prærogatiuis, & singularibus excellentijs: nihilominus ad Messia dignitatem inuitatus, & quid sit requisitus, respondet: *Ego vox*, quæ citò disparet, & citò fugit. Quò quis Dei fauoribus probatur ornatior, laudabili inuenitur humilitate depressior. c. 14. §. 54. p. 32
5. **Q**uis puer iste erit?
Erit profectò vox clamantis in deserto, erit Domini manus ad egregia opera, & miranda sæculis facta. Profectò grande Dei beneficium est, eligi ad peccatores reducendos, & diuinis conspectibus presentandos. c. 14. §. 57. p. 34
6. **Q**uis puer iste erit?
Erit Angelus candore nitens, erit plusquàm Propheta hominibus Agnum ostendens; erit homo pellibus vestitus, & animarum saluti intentus. Plures sollicitiores sunt de cultus decore, quàm de animæ propriæ salute. c. 14. §. 75. p. 43
7. **Q**uis puer iste erit?
Erit monticola ieiunijs luridus, duris pellibus vestitus, & insulis locustis pastus. Erit, qui respuat delicias, & fugiat pompas: vt qui bene noscit inter sæculi blanditias, fallaciæque virtutis obliuionem irrepere, & solum, quæ ad corpus pertinent, procurari. c. 14. §. 85. p. 48
8. **Q**uis puer iste erit?
Erit vir virginitatis decus, sanctitatis idea, constantiæ forma; erit vir ieiunijs innutritus, diuini honoris Zelotypus; erit vir, qui occumbat decapitatus, à religionis fucato zelo, & dispositæ astutiæ dolo. Ioanni nil timendum fuit à feris inter desertorum aspera, & timendum fuit ab opipara celebranti conuiuia. Est namque valde timenda astutia,

potestate obarmata, & potentia, si astutia te-
ta. c. 15. §. 144. p. 144

9. **Q**uis puer iste erit?
Erit qui Principibus verum dicat, qui errores corrigat, qui honesto zelo inflammatus occumbat. O dolendum! Apud Principes valent adulatoria mendacia, & alios de honestantia commenta. c. 16. §. 18. p. 162
10. **Q**uis puer iste erit?
Erit inclytus martyr, qui ab adulteris occidatur, vt liberiùs voluptatibus locus detur. Herodes priùs commisit adulterium, & ab adulterio deuenit ad homicidium. Nam peccatum peccata parit, & fœtibus detestandis augetur. c. 16. §. 47. p. 178

IN FESTO SANCTI PETRI Apostoli.

M A T T H Æ I X V I.

1. **Q**uem dicunt homines?
Dum Christus, quid de se homines sentiant, inquit, diuersas opiniones inuenit: *Alij Ioannem Baptistam, &c.* Vel Apostoli inter errantes ad speciem videntur eorum opinionibus accessisse, & à veritate aberrasse. Vt hinc noueris, quàm sit arduum inter errantes habitare, & eorum opinionibus non accedere. cap. 14. paragraph. 28. p. 17
2. **Tu es Petrus, & super hanc petram.**
Petrus eximia sapientia, & laudabili confessione Christi dignitatem agnouit, & euulgauit: ergo assequutus est dignitatem ad instar petrae firmam, & nullis fortunæ flatibus concutiendam. Qui iniquis artibus sibi comparat dignitatem, maturare solet perniciem. c. 15. §. 24. p. 75
3. **Tu es petrus.**
Petro supernis luminibus illustrato, & præ cæteris digno Christus dignitatem concessit, & super firmam eius confessionem Ecclesiam stabilivit. Aderant Christi cognati, nec tamen prælati sunt; vt electores non attendant cognationis affectum, sed requirant muneri aptum. c. 14. §. 6. p. 5
4. **Tu es Petrus.**
Meritis assecutus est Apostolus dignitatem, apud sæculum fortè non assequeretur meritum, quia assequitur sapiùs aurum. c. 15. §. 8. p. 66
5. **Super hanc petram.**
Ea est Christo inseruendi inflammatus Petrus honestissima ambitione, vt ad instar firmissimæ petrae totam Ecclesiæ molem sustineat, quin robur ponderibus tantis lacefcet. Fas erat, vt aliquando honesta viribus vigeret ambitio, quando confusibilis ambitionis ferè immensæ sunt vires ad incommoda deglutienda, & onera grauissima supportanda. c. 15. §. 33. p. 79
6. **Tu es Petrus.**
Dignitatis clauis accepit, sed firmissima etiam petra ædificij molem sustinuit; non vt plures, qui sitiunt dignitatem, & annexum dignitati recusare solent laborem. c. 15. §. 34. p. 80

Index ad Sacras Conciones.

7. *Et super hanc petram.*
Amanti Petro blanditur dum pro stabilien-
da Ecclesia anxios labores, & mortem su-
biturum testatur: *Super hanc petram.* Certè
Christi Domini veri discipuli anxie affli-
guntur, ni laboribus diuexentur. cap. 15.
§. 101. p. 18
8. *Et porta inferi.*
Certè dæmon præualuisse videtur, dum Pe-
trus negat, & iurat. Quomodo ergo diuinum
stat promissum? Quia Petrus intimo dolore
ictus copiosum emisit ploratum, & ploratus
culpam elusit, & felicitatè restituit. cap. 15.
§. 102. p. 119
9. *Tu es Petrus, &c.*
Petrus dignitatem obtinuit, errorum tene-
bras depellendo, & veritatem sectando: &
utinam Principes veraces remunerarent; ve-
rùm plus apud illos solent valere blanda
commenta, & adulatoria mendacia. cap. 16.
§. 18. p. 162
10. *Et porta inferi.*
Non præualebunt inferi portæ, & firma
stabit Ecclesia, dum Petrus columbæ filius
cælesti luce illustratus, & miris virtutibus
eligitur expolitus. Econtrà, quia non semel
ineptus, indignusque adit dignitatis fasti-
gium, ingens premit Republicam detri-
mentum. c. 17. §. 32. p. 209

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ Magdalena.

L v c. V I I.

1. *Ecce mulier, &c.*
E Magdalena erat olim peccatrix, sed
dum plorat, dum pedes vngit, dum honesta
verecundia rubet, sanctitatis est norma,
pœnitentium idea, amoris honesti flamma.
Nam lachrymæ culpam eluunt, & homini
felicitatem restitunt. c. 15. §. 102. p. 119
2. *Vt cognouit.*
Expectauit conuiuij tempus quasi miseri-
cordiæ opportunius, indulgentiæque aptius;
vt assequeretur facilius votum, prudenter
temporis expectauit suffragium. c. 14. §. 5.
p. 4
3. *Vt cognouit.*
Peccatorum dolore testæ occasionem ra-
puit, non distulit, nòsque edocuit. Nam
sæpè, dum virtutis opus procrastinatur, varijs
obstaclis impeditur. c. 14. §. 30. p. 19
4. *Ecce mulier.*
Erat Magdalena pulchritudine eximia, ele-
gantia corporis exornata, cultu splendida:
ergo denigravit famam, & innubilauit ori-
ginis gloriam. Nam oris pulchritudo esse
solet famæ naufragium, & calamitatis aus-
piciu. c. 14. §. 65. p. 38
5. *Attulit alabastrum vnguenti.*
Vt Christo inferuieret, fragrantissimū attu-
lit vnguentum, expendit aurum, capitisque
neglexit cultum: cum sæpè ad corporis cul-
tum, vanitatè que aurum expendatur, &
virtutibus denegetur. c. 14. §. 73. p. 42

6. *Et capillis suis terfit.*
Non studuit comam pumicè expolire, aut
acu discriminare; anxie querebat animæ salu-
tem, & despexit comæ nitorem: cum foc-
minæ frequenter sollicitiores sint de ornatus
nitore, quàm de virtute. c. 14. §. 75. p. 43
7. *Et capillis suis terfit.*
Comā soluit, & Domini pedes terfit. Labor
erat, soluta iam coma tergere, sed maior erat
labor, textilem sylvam capite ferre, & co-
mam varijs artibus expolire. Nec enim
adèd molestus est pœnitentiæ rigor, ac ob-
polituram, speciositatè que latus labor.
c. 14. §. 78. p. 45
8. *Attulit alabastrum vnguenti.*
Palàm voluit pœnitere, nec timuit Pharisæi
censuram, nec conuiuarum notam: cum
solutum sit Magnatibus, oculos ad delin-
quendum non formidare, nec publicum re-
uereri. c. 14. §. 90. p. 52
9. *Quia peccatrix est.*
Pharisæus impudentiam condemnabat, cul-
pamque augebat. Est enim miraculi adin-
star alienam culpam excusare, & adauctam
non promere. c. 14. §. 93. p. 53
10. *Vt cognouit.*
Iam ægrè ferebat à Christo distare, & eius
vestigijs non inhære: ergo molestia erat
salutis auspiciu, & amoris testimoniu.
Nam Dei absentiam molestè ferre, ad virtu-
tem est properare. c. 14. §. 102. p. 59

IN FESTO SANCTI IACOBI Apostoli.

M A T. X X.

1. *Accessit ad Iesum.*
A Mater accessit, vt sedes primas fi-
lijs sollicitaret; nec timuit, quod deprecaba-
tur, sciri, nos edocens talia nostra esse debe-
re vota, vt testes non erubescant, nec au-
res refugiant. c. 14. §. 36. p. 22
2. *Calicem quidem meum bibetis.*
Iacobus, vt lucem errantibus ferat, deligi-
tur, ad subeundam pro Christo mortem de-
stinatur; nec enim fas erat sedere, cum in
campum posset pro Ecclesia defendenda
prodire. Eximius Dei fauor est eligi ad pec-
catores reducendos, & labores honestissi-
mos subeundos. c. 14. §. 57. p. 34
3. *Non est meum dare vobis.*
Non torfit suspensos, non diuexauit longa
expectatione lassatos, sed statim expediuit, &
non posse, quod petebant, facere declarauit:
vt nouerint, grati pœna multandos iudices,
& superiores, si negotia à se pendentium
malint differre, quàm expedire. c. 14. §. 98.
p. 56
4. *Adorans, & petens.*
Fœmina clara origine exorta, & multis ti-
tulis suspicienda, dū petit, adorat: & quidem
laudabiliter impendebat Christo adoratio-
nis obsequiu, vt assequeretur honestum
votum. Verùm non semel quos extulit origi-
nis claritas, indecoras adorationes suasit
ambitiosæ

Index ad Sacras Conciones.

ambitiosa dignitatis cupiditas. cap. 15. §. 10.

P. 67

5. *Calicem quidem meum, &c.*

Laudabili animositate posse bibere calicem testati sunt, vt Christo accederent, vt pro Christo mortem subirent; Iacobus infractas vires ostentauit, nec difficultatibus cessit. Alij peruersa via ambitiosi vires ostentant, & vt assequantur vota incommoda deglutiunt, & grauissimis oneribus collum supponunt. c. 15. §. 33. p. 79

6. *Poffumus.*

Iacobus sedem honorabilem concupiuit, sed laborem non recusauit. Diffitas prouincias peragrauit, Euangelij luce errantium tenebras depulit, ac tandem pro Christo sanguinem fudit: non vt alij, qui anhelant dignitatem; & annexum reculare solent laborem. c. 15. §. 34. p. 80

7. *Hi duo filij mei.*

Ipsa petitio non humanam dignitatem exigere innuebat, dum duobus dignitatem optabat. Nam si plecebili ambitione inardescerent, quisque nec fratrem admitteret, sed vni sibi excelsum culmen desideraret: nam sitibunda ambitio culminis consortem respuit, imò applicare sibi dignitates omnes exambit. c. 15. §. 35. p. 80

8. *Calicem quidem meum bibetis.*

Christi sibi cognati affectum pulsant, charitatem conueniunt, dum hoc in sæculo lucrere exambiunt; temporalem namque putabant regnum, cum sollicitabant thronum. Sed Christus eorum depulit ignorantiam, & erga fratres ardentissimam amoris ostendit flammam: sibi voluit adhærere, & Iacobum mirandis prærogatiuis radiare: Ergo calicem promisit. Plus enim probatur dilectus, qui pro Christo labores patitur, quàm qui delicijs, & humanis commodis fruitur. c. 15. §. 86. p. 109

9. *Calicem quidem, &c.*

Plures Christum, dum in deserto multiplicat panes, sequuntur, multi ei adhærent, dum depellit corporis ægritudines; vbi verò ærumnas sustinet, calicem bibit, deserunt, & inde fugiunt, vnde probantur amici; Iacobus verò egregius Christi imitator per dolores, per cruciatus, per ipsam mortem adhærere adnititur, & fidelis esse probatur. Nam Christum afflictum, & laborantem pauci sequuntur, sæculum ferè vniuersi sectantur. cap. 15. paragr. 88. p. 111

10. *Poffumus.*

Iacobus calicem Domini non solum bibere potest, sed sitit, & dum impio occumbit gladio, viuit, vt inuictò gladio Christi tueatur fidem, & sæpescapius abigat hostem. Nam Christo adhærentes, vt se iugi mortificatione premere, sic student aliorum calamitates leuare. cap. 15. paragr. 89. p. 111

IN FESTO SANCTI PATRIS Nostri ignatii.

L v c. XII.

1. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Ignatius rigidæ mortificationis cingulo præcinctus, & charitatis ardoribus inflammatus, vt iuuenem à peccato auertat, hyeme stagnum rigidissimum intrat: nam perfecta charitas proprium, periculum arbitratur alienum. cap. 14. paragr. 38. p. 23

2. *Et vos similes hominibus.*

Saluti Deiparæ, & Petri Apostoli fauoribus restitutus, vestibus pretiosis nudatur, & aspero sacco induitur: nocturnas vigilijs agit, & pauperibus ægrotis seruit, & dum cœlesti lumine fulget ornatior, seipsum despicit humilitate depressior. cap. 14. §. 54. p. 32

3. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Ignatius se carnificis adinstar discruciat, & proximorum vtilitatibus lucernæ Euangelicæ ardore se omnimodis consecrat, Christi que perfectus discipulus aliorum studet vtilitatibus inseruire, & se mortificatione iugi vexare. c. 14. §. 89. p. 51

4. *Sint lumbi vestri præcincti.*

In virtute mediocribus asper est cingulus, lucernæ adinstar ardentibus est solatium. Nil aded molestum Ignatio, quàm pro Christo non pati, ac verberibus, contumelijsque non affligi. cap. 15. paragr. 101. p. 118

5. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Ignatius, vt aurum, fornace tribulationis examinatur, & ab improbis, & à dæmonibus confictis mendacijs premitur: sed genitosus eius spiritus in tribulationibus gaudet, in vinculis ridet. Nam Deus, qui plurima ab illo sperauit, duris pressuris, & tribulationibus expoliuit. cap. 15. §. 125. p. 132

6. *Et lucernæ ardentes.*

Sic Ignatius exarsit charitate, vt oratione vitæ restituerit defunctum: intolerabili anxietate dolebat alienam miseriam, qui periculis audacter obiecerat vitam. Nam eximie iustus proprijs lætabatur incommodis, & alienis vrebatur peccatis. c. 15. §. 134. p. 138

7. *Et lucernæ ardentes.*

Ardenti aded amore erga Deum aestuabat Ignatius, vt mallet, quàm statim potiri gloria, cum periculo remanere, si peccatores ad Dei obsequium posset attrahere. Eo diuini honoris ardebat desiderio, vt grauius sibi esse testaretur contra Deum audire blasphemias, quàm gehennales subire flammæ. Dei seruus patienter labores sustinet, sed Dei iniurias sine dolore graui non audit. c. 16. §. 28. p. 167

8. *Lucernæ ardentes.*

Ignatius sic charitate, diuinæque gloriæ Zelo

Index ad Sacras Conciones.

Zelo ardebat, vt auerfaretur lucere, & femper conaretur proficere. Virtutis proceres nec humanam gloriam, nec ingloriam attendunt, sed Dei honorem solum exambiunt. c. 17. §. 19. p. 200

9. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Vbi Ignatius ad peccatorum depellendas tenebras arsit lucerna; vbi succinctus est ad bellum vitij inferendum, prudenti audacia est vbique verbera, & vincula expertus. Nam virtute eximij improborum odia, & pericula inueniuntur frequenter passi. cap. 17. §. 43. p. 216

10. *Et lucerna ardentes.*

Sic Ignatius proximorum exarsit charitate, vt pueros non recusauerit edocere, & ab infantia bonis moribus expolire, quod Deo religiosum obsequium, & ingens erat Reipublicæ commodum. Nam pueri deteriorum partem sequuntur, ni ab infantia bonis moribus expoliantur. cap. 17. paragr. 44. p. 217

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI Apostoli.

L V C Æ V I.

1. *Et erat pernoctans.*

E Christus, vt bellum vitij inferret, & Apostolos deligeret, pernoctauit, & Bartholomæus Magistri exemplum secutus, orando pernoctabat, & bellum dæmonibus inferebat. Plures, præcipue Magnates, inueniuntur pernoctare, sed vt contra virtutem acre bellum possint instruere. cap. 17. §. 8. p. 193

2. *Bartholomæum.*

Bartholomæus, vt peccatorum tenebras depelleret, vel ipsam pellem exiit: non quæsiuit euanidam gloriam, nec ingloriam attendit, sed Apostolicum munus implere ambiuit. cap. 17. paragr. 19. p. 200

3. *Bartholomæum.*

Christus montem inscendit, & ab hominibus semotus consulere hominibus est inuentus: & Bartholomæus acre bellum dæmonibus inuexit, & orans hominibus ad salutem prouidit. Quisquis ab hominibus remotior, orationique intentior, contra dæmones inuenitur validior. c. 17. §. 24. p. 203

4. *Et erat pernoctans.*

Christus Patris sapientia, vt Bartholomæum deligeret, pernoctauit, & formam ministros Reipublicæ viles eligendi edocuit. Salubris est minister aptus, vt e contra Reipublicæ salus periclitatur, si ineptus, aut auarus præficatur. cap. 17. paragr. 32. p. 209

5. *Bartholomæum.*

Bartholomæus falsa dæmonis oracula impediuit, & orando obmutescere fecit; & delusis hominibus Euangelij lucem imperituit. Nam conatus dæmonum Sanctorum stationibus impediuntur, & homines à pe-

riculis liberantur. cap. 17. paragr. 49. p. 220

6. *Bartholomæum.*

Bartholomæus Euangelicæ militiæ dux ad pugnam contra dæmones accingitur, & centies quotidie repetita oratione armatur, magnis virtutibus stipatus in campum potest procedere, non adeo instructus periculum conetur aufugere. c. 18. §. 4. p. 239. & §. 6. p. 240.

7. *Bartholomæum.*

Bartholomæus ad eum statum deuenit, vt opus fuerit Euangelium non prædicare, aut pelle sæuissimis cruciatibus exui. Verum ardentissima eius charitas plus horruit animas disperire, quam ipsa pelle nudari. c. 18. §. 15. p. 246

8. *Et erat pernoctans.*

In montis cacumine orauit, & hominibus sollicito studio consuluit; & Bartholomæus in Apostolum delectus didicit animabus consulere, & vigilare. Nam præ alijs laborare debent sollicita vigilantia, qui occupauere dignitatum fastigia. cap. 18. §. 77. p. 80

9. *Bartholomæum.*

Bartholomæus Regem, aulicosque veritatem edocet: dæmon confictis mendacijs fallit, & tamen Bartholomæo pellis detrahitur, & dæmon colitur. Nam frequenter in curijs despiciuntur merita, præmiantur mendacia. c. 18. §. 85. p. 285

10. *Bartholomæum.*

Bartholomæus ad Apostolicam dignitatem est ascitus, non sitiuit ambitiosus. Iam electus muneri satisfecit, & Reipublicæ profuit. Apud sæculum dignitatis ambitior suffragia sollicitat officiosus, & semel electus obliuiscitur inurbantus. cap. 19. paragr. 121. p. 359

PRO EXIMIIS ECCLESIAE Doctoribus.

M A T T H. V.

1. *Vos estis sal terra.*

V Prius salis muniuit efficacia, & postea lucis nobilitauit prærogatiua, vt ipso loquendi modo significaret; Doctoribus potius curandum proficere, quam lucere. Sumptuosius Doctoris, Concionatorisque elogium est; errorum, peccatorumque tenebras depellere, quam plausus sibi elucrarit. c. 14. §. 4. p. 4

2. *Vos estis lux mundi.*

Adinstar solis Doctores voluit à terrenis remotos cælum inhabitare, & inde fulgentissimos radios mittere; vt nos edoceret arduum esse inter homines habitare, & eorum mores non sugere. cap. 14. paragr. 28. p. 17.

3. *Vos estis sal terra.*

In modum salis, monuit se ipsos minuere, & in modum lucis radiare: *Vos estis lux mundi*: vt doceret nec fulgoribus intumescere, nec de æstimatione angli. Nam egre-

Index ad Sacras Conciones.

- gius Doct̄or magni non æstimat humana eologia, nec animo cadit ob vituperia. cap. 14. §. 41. p. 24
4. *Vos estis sal terræ.*
Salem, lucemque coniunxit: in sale humilitatem, in luce denotauit fulgorem, & in utroque statu voluit adinstar ciuitatis supra montem constructæ solida firmitate persistere, & colere in prosperitate modestiam, & in aduersis ostendere tolerantiam. c. 14. §. 42. p. 25
5. *Vos estis lux mundi.*
Voluit resplendere sapientia, sed veritate fundata, & innocentia munita. Solum commendabilis est sapientia vitæ innocentia exornata, & solida veritate suffulta. c. 14. §. 50. p. 30
6. *Vos estis lux mundi.*
Mira res: cum splendidissimis sapientiæ luminibus fulgurant, salis adinstar oculos fugiunt; imò idè imitantur salem; quia imitantur & lucem: & dum sapientiæ luminibus probantur ornati, humilitate inueniuntur deiecti. c. 14. §. 54. p. 32
7. *Vos estis lux mundi.*
Dum solis committit munus, imitari voluit proprietates. Sol non quiescit, sed iugi labore, vt tenebras depellat, excutrit; nec repigrat cursum, etsi prospiciat occasum. Certè cui honorabile munus committitur, nec moras necesse est, nec debet terroribus retardari. c. 14. §. 60. p. 35
8. *Vos estis lux mundi.*
Dum lucis munus committit, supra montem, hoc est supra firmam virtutum soliditatem fundari docet: nec enim felices essent, quantumuis fulgoribus micarent celsi, si virtutibus inuenirentur nudati. Profectò infelix est fortuna eumulatissima vsus, ni fuerit virtutibus exornatus. cap. 14. paragr. 101. p. 59
9. *Vos estis lux mundi.*
Ad dignitatem euehuntur, ipsi tamen nullatenus resplendere conantur. Verè sapientes vererentur maturare sibi perniciem, si exculata ambitione adiuerint dignitatem. Nam qui ambitiosus sibi sollicitat dignitatem, maturare solet perniciem. c. 15. paragraph. 24. p. 75
10. *Vos estis lux mundi.*
Quia vera sapientia lucent, adinstar salis se humilate exinaniant: turgescerent elati, si minus docti. Nam sæpè ignaui arroganti præsumptione turgescunt, & tenebras alijs offundunt. c. 15. §. 6. p. 76
- acceperat beneficia, & vnde debuit esse deuotior, de ipsa diuina largitate bellum intulit insolentior. c. 15. §. 6. p. 65. & §. 9. p. 67
2. *Angeli eorum.*
Michaël dum præcipuus Dei minister reprimat insolentiam, & exactè colit iustitiam, Domini incrementat gloriam; econtrà, facillè Principi conciliaretur inuidia, si ab electo Michaële iustitia præsumeretur neglecta. c. 15. §. 17. p. 71
3. *Angeli eorum.*
Angeli ad magnam dignitatem euecti inuigilant de salute paruulorum solliciti; non vt plures, qui frui satagunt honorabili dignitatis plausu, excusato tamen laboris censu. c. 15. §. 34. p. 80
4. *Angeli eorum.*
Aliquale videtur Angelicæ auctoritatis dispendium, exhibere paruulis famulatum; Verùm ea charitate flammescunt Angeli, vt aliquale ad speciem auctoritatis subeant dispendium, vt auertant à pusillis periculum. c. 15. §. 75. p. 103
5. *Angeli eorum.*
Michaël, Angeli que perstant in excubijs, vt homines eximant à fucatis dæmonis dolis, & debitis Deum honorarint obsequijs. Lucifer sedere maluit, quàm obsequi: *Sedebit in monte Testamenti*: Verùm vbi malè quæsiuit placidam requiem, immortalem maturauit sibi laborem. c. 15. §. 94. p. 114
6. *Angeli eorum.*
Quam Deus erga nos, Angelos destinando, curam testatur, ad omnimodis illis inferuendum quodammodo cogit, & compellit. Quæ gratitudinis Numini non debentur obsequia, quando per Angelos indefessa vigilantia sollicitat commoda. c. 15. §. 100. p. 117
7. *Angeli eorum.*
Angeli nostris in infortunijs adstant; Eliam dormientem excitant; sed gressum accelerare opus esse demonstrant: oportet in infortunijs Michaëlis, Angelorumque open implorare, & simul gressum, vt tibi prouideris, promouere. cap. 15. paragr. 104. p. 120
8. *Angeli eorum.*
Angeli nostri actores, tutoresque sunt, inuigilantque ad nostram salutem spectantia promouere; nec aliud sibi lucrum conantur acquirere. Cum non semel vt pupillorum sibi substantiam vsurparint tutores, varia colorare mendacia, & fraudum architectentur molimina. c. 16. §. 9. p. 157
9. *Angeli eorum.*
Angeli nostram cæcitatem depellunt, vires ad pugnandum iniiciunt. Ergo nostræ ignauiæ tribuendum est quod deficiamus, & tentationibus cedimus. c. 16. §. 41. p. 174
10. *Angeli eorum.*
Angeli omni tempore inuigilant in excubijs, quia omni tempore contra nos perstat inimicus in armis: vt nouerimus opus esse indefessas vigilias agere, cum sit indubium inimicum omni tempore captiosos dolos obtendere. c. 17. §. 25. p. 204

IN FESTO S. MICHAELIS,
& Angelis Custodis.

MATT. XVIII.

1. **A**ngeli eorum.
Michael miris prærogatiuis ornatus, & humilitate profunda munitus, Luciferi repressit audaciam, & sollicitauit Domini gloriam. Lucifer in Deum vertit, quæ à Deo

Index ad Sacras Conciones.

IN F E S T O O M N I V M Sanctorum.

M A T T. V.

1. **B** *Beati pauperes, &c.*
Christus monet paupertatem sectari, diuitiarumque sollicitudinem corde expungere. Verum pauci salubre arripiunt consilium, quia sitiunt aurum. Cirò sequimur illecebrosa, tardè salubria. c. 17. §. 15. p. 198
2. *Beati pacifici.*
Fortuna est illa pax, quæ de vitiorum victoria venit, infortunata, quæ ex delictis oritur, & indecoris actionibus comparatur. c. 17. §. 1. p. 196
3. *Qui persecutionem patiuntur.*
Virtutis proceres in afflictione tuentur constantiam, in prosperitate modestiam, ergo omni in statu beati sunt. Nam egregius Dei imitator nec prosperitate intumescit, nec persecutione impetitus animo cadit. c. 14. §. 4. p. 24
4. *Beati pauperes.*
A corde diuitiarum cupiditatem depellere, est felicitatem conquirere. Nam cupiditas est periculosis iurgijs obnoxia, & consanguinitatis ignara. c. 14. §. 13. p. 91
5. *Beati mites.*
Mites non solum irasci nesciunt, sed remittere iniurias sciunt: terram possident, quia sibi ipsis dominantes remittunt iniuriam, & gratam Numini offerunt hostiam. Nam concedere aduersario veniam, & non ambire vindictam, est offerre plurimam hostiam. c. 14. §. 39. p. 23
6. *Beati misericordes.*
Misericordes, dum aliorum calamitatem leuant, sibi acquirunt gratiam, & ipsis dispendijs adaugere solent fortunam. Verum pauci inueniuntur misericordes; nam cum ad pompæ, cultusque vanitatem aurum expendatur, leuandis miserorum calamitatibus non habetur. c. 14. §. 73. p. 42
7. *Beati, qui lugent.*
Qui lugent, varijs afflictionibus pressi, ad cælum mittunt suspiria, & virtutis sollicitant frequenter augmenta. Nam inter delicias, & sæculi gratas fallacias virtutis irrepit obliuio, & animæ salutis non agitur procuratio. c. 14. §. 85. p. 48
8. *Beati qui lugent.*
Lachrymæ, afflictionisque, dum beatitudinem adquirunt, felicissimæ esse probantur; minus essent felices diuitijs, & commodis circumfusi, si à Deo distarent. Feliciores sunt, dum veniunt, etsi vexatione pressi. Sæpè qui differunt ad Deum venire, leniter inuitati, ærumnis veniunt compulsi. c. 14. §. 86. p. 49
9. *Beati, qui lugent.*
Qui lugent, beati sunt, si lachrymas non profundant ad deploranda inutiliter humana infortunia, sed ad eluenda, & expungenda peccata. Plures lugemus, sed pauci beati sumus, qui ob temporalia ingemiscimus, ob

æterna non lugemus. c. 15. §. 103. p. 119

10. *Beati, qui persecutionem patiuntur.*

Vt in militia fortis, strenuusque eligitur ad hostium castra euertenda, sic Deus virum fortem laboribus obijcit, & difficiliorem pugnam committit; ignauus rejicitur, strenuè laboriosa imperantur. Quia plus Deus ab illis sperat, durius animos viriles examinat. c. 15. §. 125. p. 132

P R O D I V A C A T H A R I N A, & Virginibus.

M A T. X X V.

1. **D** *Decem virginibus.*
Diabolus non persuasit Virginibus castitatem sordidare, nec spurcis affectionibus deseruire: dormire tantisper contentus est; nam si obtinuerit, vt inertis indulserint otio, maiora tentabit ausu. Certè Catharina, Agnes, Lucia non solum non dormierunt, sed nec tantillum dormitarunt, vt quæ non dubitabant prius niti dæmonem debilitare virtutes, & contra debiles armare postea dolosas acies. c. 15. §. 58. p. 94
2. *Decem Virginibus.*
Dæmon in suam partem tradere Catharinam, aliisque Virgines iam gratis blandicijs, iam duris flagris aduersus est: verum Virgines dæmonis desideria torserunt, dum virtutum luminibus coruscant. Ignauos dæmon lætat; quos nouit miris dotibus præluere, hos adnititur impugnare. c. 15. §. 6. p. 96
3. *Dum autem irent emere.*
Quæ iuerunt emere, appellantur fatuæ, & iurè quidem; nam cum maiora vicerint, & appetitibus renuntiarint, aliquid de sæculo reseruarunt, & emere gloriam euandam contenderunt. Prudentes fulgentissimis lampadibus occurrerunt sponso, quia nil tulerunt de sæculo. De sæculo nil habeat, qui splendenti luce sponso occurrere anhelat. c. 15. §. 82. p. 107
4. *Ecce sponsus venit.*
Catharina, Agnesque maluerunt à teneris annis sponso occurrere, quam somno, delicijs, & commodis indulgere: elegerunt Christo per dura tormenta adhærere, non plausibus, & commodis frui. c. 15. §. 86. p. 109
5. *Tunc ornauerunt lampades suas.*
Ornauerunt lampades, vt placetent sponso, non sæculo. Lucia, vt proditur, oculos suos eruit, quia hominibus placere timuit; Agnes recusat thalamum, Catharina rotam non metuit ingenium; & quæ ardua ob virtutem tentant, laudabili audacia vicerunt. c. 17. §. 20. p. 201
6. *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ.*
Catharina prudentissima non domi, vt serui præcincti, expectat, sed ad tribunalia inuolat, & errores Philosophorum refutat; Agnes nuptiarum despicit gloriam, nuditatis non refugit ignominiam. Nonnullæ affectant Deo adhærere, sed volunt simul appetitibus inferuire. c. 16. §. 37. p. 172
7. *Exierunt*

Index ad Sacras Conciones.

7. *Exierunt obuiam.*

Obuiam exierunt, etsi potentia impedire aggressa fuerit, blanditijs armata, etsi astutia terroribus cincta. O quàm enituit Virginum fortitudo, dum vicit astutiam potentiã armatam, & potentiam dolositate munitam! c. 15.

§. 144. p. 144

8. *Virginibus.*

Prudentissimæ fuerunt Virgines, dum solo sponso occurrerunt, & hominum aspectum vitarunt. Naturæ prærogatiuas habuerunt suspectas, & veritæ sunt insidiosas. Et quidem fœminis gratia, pulchritudóque eximia naturæ ornamenta, inauspicata inueniuntur, & insidiosa.

c. 18. §. 25. p. 251

9. *Lampades nostræ extinguuntur.*

Se non putabant splendere, ni olei venditores adirent, id est, plausibus celebrarentur, & adulationibus fallerentur; nec fatuæ videbant, plausum esse sibi periculosum, & splendorem nocuum. Certè quæ sitit plausum, elaborat sibi periculum, imò & tormentum.

c. 18. §. 40. p. 259

10. *Lampades nostræ extinguuntur.*

Vbi extinguuntur? Vbi prudentum lampades rutilis fulgoribus adornantur: *Ornauerunt lampades suas.* O quàm est miserum pati luctuosam stragem, vbi cæteræ adinuenerunt salutem! cap. 18. paragr. 34. p. 256.





EXCURSUS MORALES

I N

S E C V N D V M L I B R V M

R E G V M.

P A R S Q V A R T A.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

INTELLIGENS autem Ioab filius Saruie, quod cor Regis ver-
sum esset ad Absalom, 2. misit Thecuam, & tulit inde mulierem
sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste
lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore
lugens mortuum: 3. & ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum
sermone huiusmodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius. 4. Itaque
cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo su-
per terram, & adorauit, & dixit: Serua me Rex. 5. Et ait ad eam
Rex: Quid causa habes? Quae respondit: Heu, mulier vidua ego sum:
mortuus est enim vir meus. 6. Et ancilla tua erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in a-
gro, nullusque erat, qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum. 7.
Et ecce consurgens uniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit
fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, & deleamus heredem: & quarunt
extinguere scintillam meam, qua relicta est, ut non supersit viro meo nomen, & reliquia super ter-
ram. 8. Et ait Rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te. 9. Dixitque
mulier Thecuitis ad Regem: In me, domine mi Rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: Rex
autem, & thronus eius sit innocens. 10. Et ait Rex. Qui contradixerit tibi, adduc eum ad
me, & ultra non addet, ut tangat te. 11. Quae ait: Recordetur Rex Domini Dei sui, ut non
multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum.
Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram. 12. Dixit ergo mulier:
Loquatur ancilla tua ad dominum meum Regem verbum. Et ait: Loquere. 13. Dixitque mu-
lier: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud,
ut peccet, & non reducat eiectum suum? 14. Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in ter-
ram, quae non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne pereat, qui
abiectus est. 15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum Regem verbum hoc presente
populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad Regem, si quomodo faciat Rex verbum ancillae suae.
16. Et audiuit Rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate
Dei delere me, & filium meum simul. 17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini
mei Regis sicut sacrificium: sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus Rex, ut nec benedictio-
ne, nec maledictione moueatur: unde & Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens Rex,
dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere
domine mi Rex. 19. Et ait Rex: Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit
mulier, & ait: Per salutem animae tuae, domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram
est, ex omnibus his, quae locutus est dominus meus Rex: seruus enim tuus Ioab, ipse praecepit mi-
hi, & ipse posuit in os ancillae tuae omnia verba haec. 20. Ut verterem figuram sermonis huius,

seruus tuus Ioab precepit istud: tu autem domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. 21. Et ait Rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom. 22. Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adorauit, & benedixit Regi, & dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi Rex: fecisti enim sermonem serui tui. 23. Surrexit ergo Ioab, & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem. 24. Dixit autem Rex: Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat. Reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem Regis non vidit. 25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum casaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filij tres, & filia vna nomine Thamar, elegantis forma. 28. Mansit itaque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit. 29. Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad Regem: qui noluit venire ad eum. Cùmque secundo misisset, & ille noluisset venire ad eum. 30. Dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Et venientes serui Ioab, scissus vestibus suis, dixerunt: succenderunt serui Absalom partem agri igni. 31. Surrexitque Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Ioab: Misi ad te obsecrans, ut venires ad me, & mitterem te ad Regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo, ut videam faciem Regis: quòd si memor est iniquitatis meae, interficiat me. 33. Ingressus itaque Ioab ad Regem, nunciauit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intrauit ad Regem, & adorauit super faciem terrae coram eo: osculatusque est Rex Absalom.

TEXTVS.

VERS. 1. & 2. Intelligens autem Ioab filius Saruix, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: lugere te, simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.

§. I.

*Abstrusus corde affectus sæpè coniecturis
deprehenditur, & vel ipso
silentio preditur.*

ET si affectus intimis visceribus abstrusus prudenti cautela notitiam illuserit, & venatricis curiositatis inutilem solertiam reddiderit, integrè tamen nequit abscondi, nec coniecturam effugere. Sunt peritissimi rerum scrutatores, qui ex vultus habitu, ex locutionis modo, imò ex ipso etiam silentio, quid corde geratur, deprehendunt, & noscunt. Scitum hoc est, Aegyptij (scribit Plutar. de Curcos.) ad eum, qui, quid ferret inuolutum, requirebat: hac de causa inuolutum est. Plura latent inuoluta, & curiosis oculis denegata, & tamen instat curiositas, ut nouerit; & varijs vtitur coniecturis, ut abstrusa deprehenderit. Non caletur gaudium Regis (adnectit Plutar.) in rebus lætis, non risus ludentis, nec benignitatis paratus, & beneficentiæ. Indagatrix, & inuigilans semper attentio noscit, an Princeps corde gaudeat, an rideat, an affectus ad beneficentiam vergat. Ioab dicitur agnouisse cor Dauid ad exhibendam Absaloni veniam inclinatum, cùm Dauid nullatenus, cui manifestarit, aut aperuerit: Intelligens autem Ioab filius Saruix, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, &c. Inquirunt Interpretes: quomodò Ioab Regis animum agnouerit immutatum, & ad

exhibendam veniam propensum? Respondentque, Dauidem solitum proferre verba, quæ animum in Absalonem iracundia exulceratum manifestarent, modò verò ab huiusmodi verbis abstinuisset, & silentio ora signasse. Ergo Ioab prudens coniector ex ipso silentio agnouit Dauidis cor propensum ad veniam, & maturum iam ad misericordiam. Ita Abul. q. 2. *Dauid sæpe commemorabat mortem Amnon, & signabat se nimis dolere de proditione Absalom... Elapsis autem tribus annis, iam Dauid nunquam faciebat mentionem de morte Amnon.* Cùm Ioab solita doloris signa iam Dauidem non promere, aduerteret, coniecit, retractasse sententiam, & sopito dolore, inclinari ad misericordiam. Nonnè vides occultum corde affectum silentio indice deprehensum, & cognitum? Ut hinc conijcias nihil adedò esse occultum, quod prudens coniectura non deprehendat, & ex oris gestu, ex loquendi, aut tacendi modo conijciat. Quod Dauidis corde gerebatur, silentium indicauit, & Ioab ex ipso silentio nouit. Cùm Cainus celestibus honoribus antelatum sibi fratrem doleret, & iam contra illum necem corde disponderet, ipso in vultu ira prodebatur, & quid medicaretur animus, legebatur. *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Gen. 4. v. 5. Quam in fratrem conceperat iram, sagaci verutia occultabat, ne si affectus ille improbus spiraret, occasionem excogitatae cædis impediret; nihilominus aduersus sagacitatis studium vultus deiectio manifestabat affectum, testæ indignationis vehementia relucebat in facie: & quisquis attenderet, cordis studium dignosceret: *Concidit vultus eius.* Innuat Oleast ad litt. *Solent homines irari, aut odientes aliquem, oculos, & vultum dimittere, cùm eum vident.* Cainus, præsentem fratre, ipsa cogente indignatione, deiciebat vultum, contrahebat aspectum, cum industriâ natura depugnabat: & quâ tumuis caletare odium conaretur cautela, vultus habitu, quid corde geretur, manifestabat natura. Non est facile indicia naturalia reprimere, & subitaneos motus frænare. Ergo oculorum contractio, orisque deiectio naturalia erant irascentis indicia, & conijciebatur ex facie, quid ageretur in corde.

Gen. 4. v. 5.

§. II.

Sapè assiduis Dei amicorum precibus obtinetur, quod nostris excessibus impeditur.

DEi amicos obstrictos sibi sortiri, optabile lucrum & maximum esse probatur commodum; eorum namque meritis, & grata supplicatione obtinemus, quod nostris sapè reatibus retardamus. Accedentem amici Deus supplicationem reueretur, & quod reo denegaret, in gratiam interuentoris concedit. *Suscipienda precatio est* (aiebat Cassiodor. 5. var. 6.) *que publicis utilitatibus non repugnat, & amplectenda desideria priuatorum, que sic remedium quarunt, ut nobis non videantur generare dispendium.* Deus sibi familiarium, dum pro aliorum salute deprecantur, amplectitur vota; quia scit nulla inde oriri sibi dispendia, nec continuis scit precibus suorum resistere: cum iucundum ei sit peccantium erroribus indulgere. Ioab, qui magnis obsequijs sibi Regem deuinxerat, eius iram in filium sopiuit, & continuis precibus delinquenti veniam promeruit. *Intelligens Ioab filius Saruia, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, &c.* Et cur Dauid à Ioab voluit intelligi indignationem matigatã, & dilargiendam indulgentiam? Quia cum Ioab Absalom sibi familiaris causam continuis precibus ageret, & obnixè indulgentiam ex peteret, in eius gratiam voluit veniam concedere, & tot merita concessione placida munerare. *Videtur* (inquit N. sanct.) *Ioab toto tempore, quo extorris à patria vixit apud animum Absalom, de illius restitutione, & renocanda gratia fuisse sollicitus, quare in eam curam intendens omnem captabat occasionem, qua illi ad Regis leniendum animum aditum aperiret.* Grata Dauidi importunitate sollicitabat Ioab fratricidij indulgentiam, exulis veniam. Et quamuis Absalom detestando parricidio durè Dauidis animum exulcerarit, Ioab, qui multis titulis Regem sibi deuinxerat, continuis, assiduisque precibus veniam promeruit. Ergo Dauid annuit, & Absaloni clementer pepercit, dum Ioab precibus instat, & propria merita allegat. O quàm profuit Absalom talem sortiri patronum, talem habuisse aduocatum! Fors differretur indulgentia, ni Ioab instaret supplicatione continua; ast, dum non desistit interuentor orare, & veniam nõ potuit non obtinere. Qui veneratur Dei amicos, qui officijs sibi obstringit Numini gratos, grandi lucro officia recuperat, & pericula sapè ablegat. Aderat apud Deum Moyses, vt leges acciperet; verum necessariã ad eò absentia impatiens populus, deos sibi produci ab Aarone postulauit, & vrsit: lasciuens vitulus datus est, & victimis sua coluerunt vitia, quæ eo in Numine viderant consecrata. Deus ad vltionem accingitur, sed repetitis Moysis precibus detinetur: *Placatus est Dominus.* Exod. 32. v. 14. Oratio restinxit iram, sed amentia populi veri Numinis merebatur absentiam. *Non ascendam tecum, quia populus dura cernicis es.* Exod. 33. v. 3. Instat Moyses, ne suo Hebræos Deus abiecerit à conspectu, & tandem Dominus annuit, & quanti Moysis orationem faciat, ostendit. *Verbum istud, quod locutus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me.* Inuenit gratiam, quia regalem generosè despexit thronum; inuenit gratiam, quia incoluit pastor desertum; inuenit gratiam, quia deuudauit vestigium; inuenit gratiam, quia ieiunium coluit austerum. Ergo quæ tantis meritis ornabatur, non potuit oratio despici, nec gratis auribus non audiri. Populus, dum pro se habet orationis venerabilis patrociniũ, imminetia euadit pericula; &

Exod. 32.
v. 14.

Exod. 33.
v. 3.

Numinis non priuatur presentia. Vnus Moyses sopiuit iram, quam tanta inflammare peccata. *Verbum hoc, quod locutus es, faciam, non aliud hic significat,* exponit ad litt. Oleast. *quam se concedere Moysi: vt scilicet ipsemet Deus duceret eos, & adesset illis.* Populus exoptanda Principis presentia fruitur, quia assidue Moyses precatur; nam assiduis Sanctorum precibus obtinetur, quod nostris excessibus, & reatibus impeditur. Absalom Dauidis presentia redditur, quia Ioab supplicatione placatur.

§. III.

Deus ad speciem sanis doloribus diuexatur, si optatus reditus peccatoris differtur.

DVM peccatoris districta non soluuntur ligamina, Numinis sanis ad speciem distorquentur doloribus viscera: & dum nouis errorum accessionibus culpa adaugetur, parentis amor cruciatur. Principis presentiam refugunt, qui conscientiam criminibus ingratam dignoscunt, sed dum à conspectibus exulant, sollicitum patris amorem fatigant. *Gratior est* (aiebat aliorum Cassiodor. 7. var. 33.) *celeritas in redeundo, quam qualibet munerum magnitudo.* Nihil amanti gratius, quam si citò amatus redeat ad gratiam, nec distantia vetet presentiam. Dauid Absalomem amabat, sed cum eius crimina paternis presentari non paterentur aspectibus, eis paternus amor discruciabatur doloribus, vt nec anxia valeret retinere suspiria, & cogeretur quodammodo ardentia promere desideria. Hinc est: quòd Ioab, vt adularetur amanti, Absalonis sollicitò reditum procurauit, & extorrem patri restituit. *Intelligens autem Ioab filius Saruia, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, &c.* Absalom non suspirabat patris presentiam, Dauid tamen dolebat filij distantiam. Non potuit Ioab doloris non querere opportuna solatia, quia audiebat anxia Dauidis suspiria. Ita Interlinearis: *Vidit eum pro Absalom suspirasse.* Consonat Hierony. apud Gloss. *Cor Regis versum esse ad Absalom, Ioab vidisse, dicitur, eò quòd viderit eum pro illo suspirare.* Differebatur Absalonis reditus, & patris dilatione augebatur etiam cruciatus. Ergo Ioab nullum gratius posse existimauit exhiberi parenti officium, quam si Absalonis accelerauerit reditum. Vt repetat Cassiodorus: *Gratior est celeritas in redeundo, quam qualibet munerum magnitudo.* O Dei in homines amorem! Proh hominum cecitatem! Homines non ambiunt conspectum; & Deus dolet absentia differri spatium. Ioab laudabiliter patri blanditur, dum eius oculis extorrem filium reddere diligenter conatur. Christus rediuius miris gloriae splendoribus fulget redimitus, & tamen dum Discipuli recedunt, nube quodammodo delitescit obtectus. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.* Luc. 24. v. 18. Luc. 24. Resplendebat gloriosus, & nihilominus peregrinatione apparebat defatigatus: nec mirum, quandoquidem ardebat Discipulis exhibere presentiam, & ipsi desiderium retardabant, arripientes diffisi fugam. Intus (inquit Drogo de sacram. Dom. &c.) quodammodo vritur, & eius gloria Discipulorum recessu tegitur, quia nescit amor non pati, si dilectum contingat culpis sordidatum recedere. Drogonem audi: *Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Dum recedunt, dum de promissis diffidunt, ipsa diffidentia splendoris probatur nebula, & vrens amantis precordia flamma, quousque recedentes reduxit, & diffidentia teporem depulit, non sibi videbatur gloriosus, sed peregrinus, quasi nequeat, dum peccatoris differtur reditus,

integra gloria potiri, & internâ desideriorum flammâ non diuexari. Eo namque Deus homines amore diligit, vt recessu quodammodo torqueatur, & mirè, si ad amicitiam redierint, oblectetur.

§. IV.

Sumptuosius Euangelici Concionatoris elogium est, peccatorem reducere, non plausus euanidos elucrari.

Finis sapientis est (aiebat Cassiodor. 7. var. 47.) *Amare, quod expedit.* Non est sapientis, Euangelicique Concionatoris finis acquirere sibi plausum, sed peccatorum putoribus adhibere remedium. Qui eloquentiam calamistiro expolit, & pectine comit, vt sui admirationem faciat, & patulas auditorum aures suspendat, parùm proficiet conscientijs, & bellum non inferet vitijs. Egregiè Tertul. lib. 1. de Ani. cap. 2. *Vera queque, aut aliunde commendant, aut aliorum subornant cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt, aut adiunari falsis, aut patrocinari.* Dum discoloribus ornamentis, fucatis, ac meretricis coloribus veritatem vestiunt, grato illo lepore elucrantur plausum, non tamen afferunt fructum. Plus verba sonant, quàm valeant; non altè feriunt, sed perstrictim tangunt. Sapientis animus est peccatorem reducere, non eloquio melleo lactare. Cùm Absalom à patris conspectu esset extorris, Ioab sollicitat in gratiam reducere, & iram patris auertere. *Intelligens autem Ioab filius Saruie, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuam, &c.* Ore prudentis fœminæ vitæ breuitatem expendit, & continuis ad mortem temporis lapsibus festinare clamauit. *Omnes morimur, & tanquàm aqua dilabimur in terram, qua non reuertuntur amplius.* Ergo, vt Dauidem placaret, vt Absalomem reduceret, id sermonis genus elegit, quo finem obtineret, non quo auditum oblectaret. Glossam audi: *Per reuocationem Absalom ad patrem suum significatur reuocatio peccatoris ad Deum. Igitur per Ioab, qui reuocationem istam procurauit, prædicator bonus significatur, cuius officium est reuocare peccatores ad Dominum.* Cùm Ioab concionatoris munus gereret, vt Dauid veniam daret, vt peccatorem adduceret, eum elegit stylum, qui plùs, quàm splenderet, proficeret. *Omnes morimur (Thecuitis ore clamabat) & tanquàm aqua dilabimur in terram.* Non elegit nimis comptam prædicandi formam, sed neruosam, & efficacem; & sic finem est feliciter assecutus: nimis forsàn culta, & expolita oratione aures demulceret, sed parùm proficeret. Indubium est, grauissimum Ecclesiam pati detrimentum, si Concionatores plùs fatagant oblectare audientium aures, quàm excolere mores; nam auditor, qui debuisset lugubrem arripere pœnitentiam, prorumpit in vanam prædicatoris admirationem. Turturis vox audita messem attulit, & de copiosa messe laudem promeruit: *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos.* Cant. 2. v. 12. Dulcis Ædon concentus varietate, suauitate cantus aures demulcet, sed demetendam messem non affert: turtur lugubri cantu resonat, sed flores maturefcere facit in fructus, & eius plausus saporatus est grossus. Olim ficus redundantibus folijs micabat, sed infrutifera spem possessoris eludebat: vbi verò turturem gementem audiuit, fructus saporatissimos protulit: utilior fuit, quàm suauissimus Ædonis cantus, turturis luctus. *Ostendit (Verba sunt Nysseni Hom. 5. in Cant.) prata scæntia, & floribus decorata. Flores autem dicit esse in suo vigore, & iam esse tempestiuos ad putandum.* Mica-

bant flores oculos varietate oblectantes; ast vbi vox turturis est audita, floriditas transiit in maturitatem, elegantia venustatis in messem. Adnectit Nyss. *Hoc testificatur vox turturis: id est, vox clamantis in deserto; Ioannes enim est turtur.* En Ioannis prædicantis elogium, non fractis modulis, vt ædon, demulcere aures, sed lugubri, salubrique cantu in fructum condire vernantes flores. Iam ficus securim euadit, iam grossos prodit, quia turturis vox florum, foliorumque vanam amputauit luxuriam, & vtilem transire fecit in messem. O si in Ecclesiæ terra non torcanerent ædones! O si generent plures turtures! certè copiosior, & vberior esset messis, non tanta florum luxuries.

§. V.

Prudens opportunum temporis expectat suffragium, vt assequatur facilius votum.

Quamuis patris nomen dicatum videatur clementiæ, tamen de tempore sumitur aut indulgentia largior, aut asperitas seuerior. Omnia tēpus habet, & incalsum sæpè interuentoris laborat sollicita diligentia, ni contulerit tempus auxilia. Dùm recens offensa exasperat, dùm error irritat, non facile animus ad indulgentiam flecitur, aut cedere persuasionibus patitur. *His diebus (aiebat Cassiodor. 11. var. 40) in domicilium pietatis iure defleuimus, vt ad Redemptorem omnium remissionis itinere peruenire possimus.* Aliqua tempora exigunt remissionem, cùm alia exposcant seueritatem. Vulnus recenter inflictum medicinam solet respuere, tempore mitigatum probatur manus medici sustinere. *Naturale (aiebat Sen. ad Marc. cap. 1.) remedium temporis quàm maximas arumnas quoque componit.* Tempus dolorem solet mitigare, iracundiam componere, & præcipitem indignationis furorem mora, & dilatione compescere. *Dolori tuo (aiebat Sene. cap. 1. ad Helu.) dùm recens sauiret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, & accenderent. Nam in morbis quoque nihil est perniciosius, quàm immatura medicina. Expectabam itaque, dùm ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se, ac tractari pateretur.* Vt prodest temporanea medela, ita importuna officit medicina. Deliquerat Absalom, dolum pratexens, & fratrem inuitatum occidens. Dauidis dolor vehementer incanduit, & dignam suspirare vltionem manifestis indicijs ostendit. Ioab, licèt vehementer impetrare discuperet veniam, & extorrem reducere in patris gratiam, prudenter, vt assequeretur votum, temporis expectauit suffragium. Ast vbi præsentit temporis mora indignationem iam deferuuisse, & patris animum ad misericordiam maturasse, sollicitauit reditum, & facile assecutus est votum. *Intelligens autē Ioab filius Saruie, quòd cor Regis versum esset ad Absalom, misit Thecuā, &c.* Si veniam peteret, si indulgentiā sollicitaret, cùm doloris vehementia vrgebat, & accepta recens offensa ad vltionem proritabat, votis fraudaretur: ergo prudenter distulit per aliquod temporis interuallum, & sic assecutus est desiderium. *Videbat eum (scribit Lit.) consolatum de morte Amnon.* Iam iram tempus sopiuerat, iam indignationem mitigarat. Ergo temporis ope obtinuit desiderata, & preces euestigio secuta est venia. Consonat Abul. q. 4. *Voluit obseruare tempora, vt Dauid esset dispositus ad hoc.* Si plures sagaci prudentia opportunitatis expectassent auxilium, perficerent, quod anhelabant, negotium; ast dùm nesciunt res disponere, opus est laborem amittere.

Amicus ad amicum occurrit commodatum panem petiturus: *Amice, commoda mihi tres panes.* Luc. 11. v. 5. Amicus ex se liberalis, petitionem censuit molestam, & deprecans ad speciem tulit repulsam: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est... non possum surgere, & dare tibi.* Si alio tempore peteret, faciliorem certe inueniret; at dum inquietat diuturnis laboribus fatigatum, & media nocte sopori deditum, petendo quodammodo exasperat, & ad negandum irritat. *Nec otiosum reor esse* (lepidè Chrysol. ferm. 39.) *quod horam petendi sic aperit, sic designat, dicendo: Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte?* Si prima, aut secunda noctis hora accessisset, sine difficultate impetrasset: verum dum excitat alto somno irretitum, & diuturno labore fessum, ad speciem docet repulsam; cum indubium sit ingerere dormienti molestiam. Tempus refragabatur, & interruptus somnus precibus obnitebatur. Obtinuit tandem petentis improbitas, sed annuisset facilius alio tempore liberalitas. Itaque obseruanda sunt tempora, vt facilius succedant vota. Si pretextatus laboribus fractus, vires cibo, aut somno reparare disponat, molestè tunc feret libellis supplicibus adurgeri, & ad audientiam importunis precibus cogi. Obseruandum est commodum tempus, nè importuna molestia eluserit, aut distulerit voto. Ioab, vt assequeretur intentum, temporis expectauit suffragium. *Voluit obseruare tempora, vt Dauid esset dispositus ad hoc.*

§. VI.

Bona politices non attendit affectum, sed munij perquirat aptum.

Laborat sæpè Respublica, quia ad munia non perquiritur aptus, sed eligere adlaborat affectus. Arduum erit victoriam de hostibus reportare, si dux eligatur, qui solum in theatris tubæ clangorem audiuit: quam proferet sententiam, quem iuris non habere constat peritiam? Carent sapissimè effectu magna negotia, quia inexpertis, aut inutilibus commendata: *Si te voluntas nostra adhuc latentem, aut ignotum forsitan inuenisset* (aiebat Athalar. apud Cassiodor. 9. var. 24.) *gauderemus quidè repertum, sed bene dubitaremus acturum: quia spes magis quam fructus in nouo est: Sed cum domini aui nostri innumeris prouectibus, magnoque iudicio glorieris, inconueniens res est, diceptationi subdere, quem vix possumus sub admiratione predicare.* Adnectit post aliqua: *Qua propter, iuuante Deo, quo auctore, omnia prosperantur ab Indictione duodecima in Praefectura Pratoriana te suggestu, atque insignibus collocamus.* In suggestu collocatus scientia, & moribus expolitus, fuit electoris laus, muneris decus, Reipublicæ salus. Si auaritia, aut affectio delegisset insana, electus infulis luceret, sed Respublica laboraret. Ioab paternis conspectibus Absalonem reddere satagebat, & quamuis ad manum plures essent in curia fæminæ origine perspicuæ, cognationis lege sibi illigatæ, à Thecuæ quæsiuit fæminam: *Misit Thecuam, & tulit indè mulierem sapientem.* Exigua latebat in vitula, tamen Thecunitis quæsitæ est. Sed inquires: cur Ioab Thecuam miserit, cum in Ierusalem fæminarum nobilium magna esset copia, & stylo politiori resplenderent excultæ? Abul. q. 6. ait, desiderasse vehementer assequi votum, elegissetque opportunius medium. Erat Thecunitis prudens, & fini assequendo aptior; ergo iudicio est ascita, non affectione prælata. Quid tunc? Facile Ioab est assecutus veniam, & feliciter Absalonis absoluit causam: *Et ait Rex*

ad Ioab: Ecce placatus faci verbum tuum, vade ergo, & reuoca puerum Absalom: feliciter assecutus est votum, quia opportunum elegit medium. Abulensem audi data iam quæst: Erat in ciuitate Thecuæ mulier quædam nimis prudens: quod agnoscens Ioab, misit pro illa, quia ipsa poterat conuenientius proponere verbum Regi. Si Ioab delegisset fæminam minus prudentem, quia sibi esset cognationis vinculo unita, quia nobilitatis luce, aut intercessionis suffragio commendata, fors intento careret fine, & inutile defudaret labore; verum dum elegit prudentia, quod fini erat assequendo commodius, res è voto successit facilius, & fortunatius. Giezi deligitur, vt Sunnamitis filio vitam restituat, & totius domus turbationem componat. Tolle baculum in manu tua, & vade. 4. Reg. 4. v. 29. Baculus effectu caruit, nam nec vita Giezi instaurata, nec domui alacritas est restituta. *Non surrexit puer.* Elisæus ipse vnum de Prophetarum filijs elegit, qui Gehu inungat: *Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua.*

4. Reg. 9. v. 1. Lenticula feliciter inunxit ad regnum. *Ille fudit oleum super caput eius* Baculus non suscitauit demortuum. Iam si inquires: cur alibi vnctio fuerit perfecta, & mors alibi non fuerit expuncta? Respondebunt Interpretes, tradidisse baculum indigno, lenticulam apto: arduum negotium, & difficultatibus magnis plenum erat Regem vnge-re, arduum demortuum suscitare, & nihilominus alibi Prophetæ votum impletum, frustratum alibi. Fallar, ni Textus causam inuenerit. Lenticula Prophetarum filio traditur. *Vocauit vnum de filijs Prophetarum:* id est adolescenti virtutis studioso, & moribus expolito: at baculus traditus est Giezi mendaci, ambitioso, cupido, vt apparet. cap. 5. Vbi Naaman fefellit, & talenta, ac vestes tulit. Audi Caiet. hîc *Vide quot finxit auaritia istius ministri.* Baculus traditus ministro mendaci, auaroque, mortem non depulit; lenticula tradita morato Reipublicæ vtilitatem promouit; & quem tunc inungere expediebat, inunxit. Historia coloribus delineauit sacra scriptura, quam ab electis ad munia, pendeat aut desiderata consequi, aut vota frustrari. Baculus in Giezi manu non instaurauit deperdita, lenticula digno tradita, ardua composuit negotia. Vbi Elisæus Giezi, quia domesticus, elegit, exoptato effectu caruit, dum filijs Prophetarum commendat munus, feliciter rem absoluit.

§. VII.

Viduis commiserationis debetur affectus, dum statui non contradicit corporis cultus.

Viduitas, si adhuc mariti honori prospicit, & aduersus omnes temeræ suspicionis ictus secessu, & sordibus armata procedit, commiseratione est dignissima, quia multifarijs non dubitatur incommodis diuexata. Sunt tamen viduæ Sathanæ dicatæ, quæ à matrimonij sanctis vinculis expeditæ nõ viduitatis leges obseruant, sed temperantiam liberiori processu violant. *Durum planè, & arduum satis* (aiebat Tertul. lib. 1. Ad vxo. cap. 6.) *continentia sancta fæminæ post viri excessum Dei causa, cum gentiles sathana suo & virginitatis, & viduitatis sacerdotia perferant.* Adnectit: *Ceterum vidua Africane Cereri assistere scimus.* Sathanæ quædam viduæ dicabantur, statu aduersus statum abutentes, & virgines deprauantes: hæ sanè viros adhuc post excessum dehonorent, & ipsa in viduitate viduitatem prorsus denudant. Vidua, si verè vidua est, in honore habetur, & ipsa decenti fordicie proditur. Hierony. in fine libri aduers. Iouin: ait

ait: *Vnicubas semper habuisse inter matronas decus.* Honorem sortiuntur, quæ nec pudicitiae petulantiam, nec integritati corruptelam, nec castitati libidinem præferunt, sed pudicitiae obseruarent disciplinam, & status honorabilem conseruare modestiam. Vbi Ioab ad commiserationem voluit Dauidem allicere, viduam ingessit non fucis illitam, sed pullatis vestibus status conditionem professam. *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore l. gens mortuum.* Res è votis accidit; nam Dauid mulieris viduæ miserus, quam petebat, filio, largitus est indulgentiam, & fors, si liberiori habitu vteretur, incitaret ad iram. Notauit Abulen. q. 8. *Hoc autem fiebat, ut Rex magis miseretur ei propter amaritudinem eius.* Vidua amara, atris vestita ad commiserationem efficacius mouit, & quod petebat, obtinuit; maior namque commiseratio debetur afflictæ, & viduitatis leges obseruanti; sunt tamen aliquæ viduæ veste, cultuque statum adulterantes, & ipso ornatus adulterio suspicionem aspicientibus ingerentes. Dùm Thamar vidua in domo patris latuit, pudicitiae honore resplenduit. *Esto vidua in domo patris tui.* Gen. 38. v. 11. Ast ubi se expinxit, ubi recessum despexit, ubi theristrum induit, pudoris rea suspecta est. *Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem.* Vidit viduam, sed vinctam, sed expictam, sed theristro ornatam: ergo meretricem esse coniecit. Notauit Tertul. de Cul. fæm. cap. 12. *Thamar illa, quia se expinxerat, & ornauerat, idcirco Iuda suspicioni visa est.* Non conueniebat cum viduitate facies fucis expicta, & publicum nullatenus verita. Ergo suspicioni occasionem præbuit, & quem fortiretur clausa, honoris iacturam fecit. Discant hinc viduæ, mores honesto habitu asserere, & castæ mentis integritatem suspicionibus non exponere. *Addiscimus (adnectit Tertul.) aduersus congressus etiam, & suspensiones impudicas prouidendum omnino esse... Cur non mores meos habitus pronunciat?* Adspicias nonnullas viduas nimis expolitas, & comptas: certè harum habitus mores honorabiles non pronunciat, imò contra integritatem, & vitæ puritatem susurros, & suspensiones obarmat.

§. VIII.

Preces à lachrymis sortiuntur efficaciam, & à rigida tractatione corporis energiam.

O Ratio zelo, charitateque resplendens gratis oculis semper à Deo inuenitur accepta. Honorabilis est petitio, quæ consulit animarum saluti, & honestè adulatur Numini. Quòd si orationi à zelo, charitateque partæ suppetias attulerint profusa lachrymarum lamenta, & tractatio corporis rigida, iam quadam veluti omnipotentia obarmantur, & feliciter votum assequuntur. Nequit Deus obsurdescere, cum sacco, & cinere clamat attritus, & lachrymis irroratus. Vbi Niniuitæ sacco, cinere, ploratuque indulgentiam precantur, non erubuit Deus sententiam retractare, & postulatis annuere. Audi Basil. Seleuc. orat. 12. *Diuina sententia retrocedere non erubescit.* Iridebat Tertullianus Ethnicos, qui cælestem indulgentiam implorabant benè pransi, & delicijs dediti, quasi eorum esset eneruis petitio, & parum vocalis postulatio. Ipsum audi in Apolog. cap. 40. *Quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanariibus operari, Achilicia Ioui immolatis, nudipedaria populo denunciatis, celum apud capitolium queritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso Deo, & calo.* Indulgentiam, fauoremque exambiebant, cum eo-

dem tempore delicijs immerfi offenderent, & precibus implorarent. Oratio efficaciam fortitur à ventre arido, ab ore sicco, à corpore malis tractationibus diuexato. *Nos vero (adnectit Septim.) i. iunij aridi, & omni continentia expressi, ab omni vita fruge dilati, in sacco, & cinere volutantes, inuidia calum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.* Oratio lachrymis irrorata, continentia innixa sic Deo approximat, ut ipsum tangat, & (si fas est dicere) misericordiam extorqueat. Ob id Ioab, ut Absaloni indulgentiam impetret, viduam elegit continentia expressam, lachrymis irroratam, & delicijs prorsus nudam: *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum: & ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum sermones huiusmodi: Posuit autem Ioab verba in ore eius.* Et cur Ioab in ore huius, præ alia, posuit verba, quæ ex se videbantur commiseratione digna, & impetrando efficaciam? Nonne si ab alia femina prodatur, iure suo desiderata assequuntur? O prudentiam dilaudandam! A quacumque femina eiusmodi prodiret oratio, zelo, charitateque innixa, fortiretur efficaciam; Ioabus verò, ut nouam adderet energiam, à muliere voluit proferri deliciarum oblita, luctui dedita, & squalida veste induta. Hæc namque vires orationi addunt, & ad indulgendum quodammodo Deum cogunt: quod & effectus ostendit; nam Dauid mulieris precibus persuasus Absaloni indulgit, & precationibus annuit: *Eccè placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom.* Notauit Abul. q. 8. vires addidisse precibus lugubrem habitum, luctum, & à delicijs recessum: *Istud erat (inquit) necessarium ad maiorem representationem, & persuasionem.* Melius persuadebatur Dauid oratione interrupta singultibus, quam nitidis, & expolitis sermonibus: satis acutè series est contexta sermonis; non tamen adèd ad persuadendum, impetrandumque efficax videretur, ni à lachrymis mutaretur energiam, & abdicatis delicijs fortiretur valentiam. Vbi Sponsus sponsæ genas turturi comparauit: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis.* Cant. 1. v. 9. *Labia coccineæ vittæ fortiri vim sentit. Sicut vitta coccinea labia tua.* Cant. 4. v. 3. Calor de excelso missus germano labia tinxit colore: utque vitta coccinea ligat, & splendet, sic sponsæ labia eloquijs illigabant, & charitatis flammis splendebant. Si inquiras: cur sponsus labiorum gratum experiatur vinculum, cum genas vidit turturis gemitibus irroratas, & lachrymis superfluas? Respondebit N. Delr. in littera, labia silentio signari, quia genas turtureis gemitibus irroratas compertum erat efficacem vocem fortiri. Audi Delr. ad Cant. 1. *Turtur est aërei coloris, & pro cantu gemit.* Dùm labia deprecabantur, genæ gemitibus turtureis irrigabantur: ergo eam efficaciam labijs indebant, ut viderentur, quem deprecabantur, ligare, & ad postulatis annuendum grata vi cogere. Ea labia (scribit Giliber. ad hunc loc.) *ligant, & rutilant.* Turtur, amisso compare, ignorat delicias, cumque aliæ auiculæ suauibus modulis concinant, vidua turtur in gemitu habet solatium, & edit pro cantu gemitum. Ergo ubi sponsa turtureis genis precatur, ligat, & dùm ligat, assequitur indulgentiam, & gratiam. Thecuis genæ turturem referebant, & labia Dauidem gratâ violentiâ ligabant, & Absaloni indulgentiam extorquebant.

§. IX.

Aulici videant, ne, dum exhibere conantur obsequium, iniqua suspicionis incurrerint præiudicium.

SÆpè quæ quis honesto aggreditur sine, in deteriorius malignâ, audacique detorquetur suspicione. Aulicus, ni funambulorum peritum imitetur, subire casum probatur. Qui per funem gradiuntur, rectâ incedunt, in nullam partem inclinantes; aliter detrimentum subeunt præcipites. Lepidè Nazian. Orat. 1. *Sublimi, & pendulofune gradientibus hæc, vel illâc deflectere minimè tutum est, nec qualibet parua inclinatio periculum affert: verum eorum salus, ac securitas in equilibrio posita est.* Aulici sublimes gradiuntur, & frequenter eorum salus consistit in æquilibrio, nec satis est exhibere cui obsequium, si ipse hac, aut illa coniectura malè interpretetur officium. Itaq; ipse, cui seruitur, cuius negotiû geritur, si in suspicionem degenerit, & in alterius gratiâ exhiberi putarit, limis adspiciet, & obsequentè suspectum semper habebit: aulicis oportet omnem occasionem suspicionis vitare, & in nullam inclinatos partem videri. Desiderabat Ioab parenti officium facere, & Absalonem in eius gratiam reducere. Ergo licet ipse orationem, quâ Dauidis animum ad veniam inclinaret, fuerit meditatus, per Thecuitem rem est aggressus: *Posuit Ioab verba in ore eius.* Quærent Interpretes, cur Ioab veritus fuerit hoc negotium per se ipsum gerere, & maluerit Thecuiti commendare? Respondentque, veritum fuisse, ne Dauid in aliquam suspicionem veniret, & Ioab contra ipsum Absalonis partes suscepisse crederet. Audi Abul. q. 5. *Si Ioab per se ipsum orasset pro eo, crederet fortè Dauid, quod Ioab fouebat partem Absalom, & irasceretur ei nimis. Noluit ergo per se hoc petere, sed per mulierem.* Dauidis erat commodum, susceptum illud pro Absalone officium; verum Ioab benè politicus, & satis cautus, timuit, ne si pro Absalone oraret, sibi Dauid aduersari conijceret; ergo funambulorum imitatus, utriusque parti inseruiuit, sibi que prospexit, dum apertè in alteram nullatenus partem inclinavit. Experientia edocet plures ipsa, quæ pro eis geruntur officia, vanissimis suspicionibus, & futilissimis coniecturis in contrarium detorquere, & in officiosum irasci. Ergo ita aliquando oportet obsequium gerere, ut nequeat suspicio in contrarium interpretari. Ionathas in parentis gratiam Dauidis allegavit innocentiam, nec cæca indignatione inflammatus, sibi ipsi notam inureret, & inuidiam odij cæcitate conciliaret. *Quare morietur? Quid fecit.* 1. Reg. 20. v. 32. Quid tunc? Sic ipso officio exasperavit parentem, ut ni maturè aufugeret, transfossus hasta periret. *Arripuit Saül lanceam, ut percuteret eum.* Si inquiras, cur officium hac mercede Saül compenset? Respondebunt Interpretes, venisse in suspicionem, quod Ionathas Dauidis causam tuebatur, ut ipsi manifestè aduersaretur, & licet re vera Ionathas, dum in concordiam reducere satagebat, utriusque obsequium præstaret, satis tamen fuit pro Dauide asserere rationem, ut Saül sibi crederet inimicum, & habuerit semper suspectum: *Quasi dicat:* (inquit Hugo Card.) *amas inimicum meum aduersans mihi.* Non aduersabatur, imò consulebat parenti, dum cæcissimæ refragabatur indignationi; satis tamen fuit pro Dauide loqui, ut in suspicionem venerit obsequium, & opus fuerit Ionathæ arripere fugæ subsidium. Magna aulicis cautela est opus, etiam dum gestiunt præstare gratiam, ne iniquæ suspicionis incurrant inuidiam.

TEXTVS.

VERS. 4. & 5. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo super terram, & adorauit, & dixit: Serua me Rex. Et ait ad eam Rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.

§. X.

Viduitatis status multis litibus, & iniurijs inuenitur obnoxius.

Vidua non solum internis solatijs ingemit destituta, sed plurium ausibus, & litibus diuexata. Varias quisque causas allegat, titulos varios colorat, ut substantiam rapiat, ut luctus causis nouas doloris causas adiungat. Qui dixit viduam, multis laboribus dixit obnoxiam, & molestijs plurimis impetitam. *Orphanis* (aiebat Cassiodor. 12. var. 3.) *viduisque contra senos impetus debent placida præstare solatia. Qui potestate eminent, dignitatis lege viduis debent impendere tuitionis auxilium, & miseriarum temperare congressum. Violentiam debent reprimere, auaritiam frænare, furta remouere; hæc namque pestes contra viduitatem insurgunt, & destitutam auxilio premunt.* Thecuitem, qui ad eius profugium inuolarat, sciscitatur Dauid quid causæ habeat: *Quid causæ habes?* Intimis suspirijs verba interrumpendo, respondit, viduam se esse: *Heu, mulier vidua ego sum.* Cum cognatio tradendum morti filium assereret: cum affinium auaritia ad hæreditatem inhiaret, cum alter frater fratrem è medio tolleret, plurimis causis adurgebatur, & tamen quid haberet causæ rogata, viduam se esse testata est: *Heu, mulier vidua ego sum.* Et cur cætera non prodit? cur Regi, quibus amaritudinis fluctibus inuoluatur, non pandit? Quia compendiaro verbo vsa omnia explicuit, & plurimis se causis impeti gemitu ostendit. Filius in fratrem audet, affinis hæreditatem discupit, & miseriarum cumulus premit. Audi Abul. q. 10. *Vocat se viduam, ut signet se esse personam miserabilem, & moueatur facilius Rex ad miserendum ei, & expediendum causam.* Viduarum causa aut ad Iudicem non ingreditur, aut tardè expeditur: facultas est plurimis tributaria, aut à plurimis direpta. Ergo dum se asseruit viduam, miserabilem dixit, & anxietatibus plenam. *Vocat se viduam, ut signet se esse personam miserabilem.* Ad Elisæum recurrit vidua filiorum sumptibus depauperata, & creditoris cartulis impetita. *Eccè creditor venit, ut tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* 4. Reg. 4. v. 1. Litibus premebatur, & à nullo cognato defendebatur. Pauperem, & viduam creditor premebat, & filios patre orphanos pro seruis aut vendere, aut habere tentabat, superuacuis dispendijs contraherebat filius debitum, & creditor exigebat mutuatum. Nesciebat, quod se verteret vidua, cum filius patrimoniû consumeret, & fenerator cautionibus adurgeret. Miraculo opus fuit, ut vidua à litibus viueret expedita, & filiorum sumptibus non premeretur depauperata. Ad Elisæum Christi figuram recurrit; nam alium, ad quem recurreret, non habebat. *Elisæus* (aiebat Basil. Sel. Ora. 10.) *Christi figuram gerit.* Ni Elisæus operetur miraculum, vidua euadere nequiuisset litigium, & ni viduæ à Deo promanaret solatium, à cognatis tardè, aut nunquam impetraret

impetraret auxilium; viduitatis namque status, ut ærumnis inuenitur obnoxius, sic solatijs ingemit destitutus. Dicat ergo Thecuitis se esse viduam, ut testetur calamitatibus plenam. *Heu, mulier vidua ego sum.*

§. XI.

*Verè vidua liberum ad Deum habet accessum,
& impetrat cito solatium.*

Honorabilis est viduitas castitate exornata, & molestijs impetita; vidualis continentia cum virginitate quodammodo de palma contendit. Virginitas carnis oblectamenta nescit, sed viduitas continentiae post experientiam postponit. Lepidè Ambrosius libro de Viduitate. *Propemodum non inferioris virtutis est ab eo abstinere coniugio quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire. In utroque fortes: ut eas & coniugij non pariter, cui fidem seruant, & coniugalia oblectamenta non alligent, ne videantur infirma.* Fortes deprædicandæ sunt virgines, quæ maluerunt illibatum virginitatis candorem asserere, quàm honestis coniugij delicijs frui: fortes sunt viduæ, si, dicente etiam marito, integram tueantur fidem, & carnis despexerint voluptatem. Ad Virginem missus est inter angelos præcipuus; ad viduam inter Prophetas strenuus. Accipe Ambros. iam datum. *Angelus ad Virginem, Prophetam ad viduam.* Adde: quod Gabriel ille, hic Elias: ut ex Angelorum, & Prophetarum numero præstantissimi principes videantur electi. Magna viduitatis laus, si continentiae honor accedat, & recessus publicos concursus effugiat. Verùm etsi viduitas prophetico honoretur hospitio, & nobilitetur eloquio, tunc præcipuè Deum fortitur propitium, cum lamentis afflictæ, & lachrymis irrorata. De sæuo hoste mirandum sæculis Dauid reportauerat triumphum, & nihilominus, ut regali frueretur præsentia, Abneri opus fuit patrocinio. *Tulit eum Abner, & introduxit eum coram Saule.* 1. Reg. 12. v. 57. En Dauid liberum non habuit accessum, cum Thecuitis sine vllius ope ad Dauidis accedat thronum: *Cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo super terram.* Hinc oritur quæstio: cur scilicet Thecuitis alieno non egerit patrocinio, & egerit miles triumphator, ut regio frueretur conspectu? Verùm Textus innuere discriminis videtur causam, cum Thecuitem prodat viduam, molestijs diuexatam, & lachrymis superfusam: *Heu, mulier vidua ego sum.* Viduæ afflictæ patuit accessus; ni interueniret Abner, forsitan triumphatori differretur introitus: ut hac imagine videas, quanto viduitas apud Deum honore fruatur, præcipue si anxij laboribus diuexetur. Prodest Abul. q. 41. ad 1. Reg. 17. *Erat Saül in tentorio, Dauid autem volebat introire ad eum.* Adnectit, *Et non liceret ei, nisi quis introduceret illum.* Egit miles patrono, ut frueretur Regis præsentia, viduæ pro patrono fuit afflictionis ærumna: verò viduis opem ad impetrandum offert & status, & luctus. *Si negaui (aiebat Iob) quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Iob. 31. v. 16. Pauper desiderata affectus refertur, sed an expectandi molestias excusarit, nullatenus declaratur: *Si negaui, quod volebant, pauperibus:* Non negaui, sed fors post effusas preces, post iteratos libellos supplices; aut viduæ oculi lachrymis superfusi expectare nesciunt, quia quodammodo ad concedendum, quod rogant, cogunt: *Et oculos viduæ expectare feci.* Quod oculi deprecantur, & consequi celeriter referuntur. Notauit Gregorius libro 21. Mora. cap. 11. *Petentem se viduam ex-*

pectare noluit, ut non solum ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita auget. Celeriter viduæ concessit, pauperibus non negauit, ut ex modo largitionis viduitatem commendarit, & quodammodo alijs prætulerit.

§. XII.

Honorabilis, castaque viduitas ad magna negotia inuenitur electa, & feliciter assecuta.

Viduitatis ærumnas, & abdicatas animo voluptates magnis Deus splendoribus nobilitasse probatur, & ad absoluenda negotia multis implexa difficultatibus delegisse inuenitur. Viduas voluit ornari triumphis, fidem matrimonio seruata remunerans, & vniuiras ob virtutem egregijs factis honorans. Disertè Tertul. lib. de Exhort. ad cast. cap. 13. *Erunt nobis in testimonium & femina quaedam seculares ob vniuiratus obstinationem famam assecuta.* Oblectamenta respicientes, & vniuiro in seruanda fide laudabiliter perseuerantes, & quodammodo fragilitatem sexus vincentes, meruerunt caelesti dignatione ad magna negotia absoluenda deligi, & electas laudes ad futura sæcula mittere. Tribus annis Absalom exulat à patris præsentia semotus, & iusta indignatione deterritus: non potuit Ioab prolixis temporis interuallis lites componere, & patris indignationem sopire. Adest vidua, ut pro Absalone precetur, & iam feliciter negotium absoluitur. *Posuit Ioab verba in ore eius.* In viduæ, quam delegerat ad impetrandam indulgentiam, ore artificiose verba posuit, ut speciali energia, quod desiderabatur, suaderet, & facilius impetraret. Thecuitis ingreditur, suspirijs dolorem contestata, lachrymis perfusa, & iam Dauid ad commiserationem mouet, ad veniam vrget: *Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.* Vniuiro, & castitatis integritate exornata citò obtinuit, & Dauid placatus annuit. Equidè ipse ad Ioab ait: *Eccè placatus feci verbum tuum.* En vidua vniuiro prudenter deligitur, ut res magnis implexa difficultatibus feliciter absoluat. Notauit Abul. q. 5. *Noluit per se hoc petere, sed per mulierem.* Pudicæ viduæ labia, dum castitate, dum pudore resplendent, & splendore suadent; castitatis, viduitatisque præmium fuit ad tam graue perficiendum negotium, deligi, & post electionem perficere. Cum populus dura obsidione ingemisceret pressus, & salutis spebus quodammodo destitutus, caelesti pulsu Iudith populi causam suscepit, & mirando triumpho absoluit: *Abscidit caput eius.* Iudith. 13. v. 10. Omnes pauor inuaserat: Holophernes victoriam sibi promiserat; eius verò caput pudicæ viduitatis fuit præmium, & sæculis decantandum spoliolum. Huc voco Ambrosium libro de Vidu. *Immaturo mariti obitu destituta, mature tamen ad oriam laudis inuenit. Non minus religionis officio quàm studio castitatis intenta.* Castitatis studium de hostibus accepit trophæum, & quod in Dauide mirandum, fæminæ manum Holophernis caput nobilitauit abscisum. Facile erat Deo virum deligere, & exultantem iam de triumpho insolentiam castigare; elegit tamen pudicam, honorabilemque viduam, quia hoc vniuiræ debebatur præmium, & sæculis celebrandum encomium. Iudithæ adapto Ambrosij iam dati verba: *Viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate seruauerit.* Iuditha diuitijs exundans, ætate florens, pulchritudine excellens seruauit pudorem, coluit castitatem, ergo digna fuit, quæ redimiretur triumphis, &

1. Reg. 12.
v. 57.

Iob. 31. v.
16.

Iudith. 13.
v. 10.

Iud. 4. v. 8.

& sumptuosissimis celebraretur elogijs. Iudithæ succedat Debbora: hæc enim docuit viduas etiam viri destitutas auxilio, afflictis esse solatio, dum sexu infirmo munia virorum obeunda suscepit, & suscepta dexterè absoluit: Hanc cum hostilia arderent certamina, secum Barac detulit, & triumphos eius confortio facillè accepit. *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* Iud. 4. v. 8. Fæminas impedimento esse militantibus nouimus; Barac tamen delegit viduam, quia nouit quanta à viduali pudore sibi promanarent subsidia, & quàm feliciter eius meritis allequeretur trophæa. Redeat iam datus Ambros. *Vidua populos regit, vidua ducit exercitus, vidua bella disponit, mandat triumphos. Non ergo natura rea est culpe, nec infirmitati obnoxia: strenuos enim, non sexus, sed virtus facit.* Vbi gens ferox prælio, & affluentium censu copiarum ditior hostilia in Iudæorum populum arma extulerunt, & Iudæi pauitantes metu deficerent animo, vidua præficitur prælio, & iam eius meritis aridet palma, & reportatur victoria: vt noueris quàm sit honorabilis viduitas, quam pudor suavit, & ad magna consequenda disposuit.

violauit leges, vt inter fratres mouerit lites. Alter interemptus est, & quidem à fratre, & dissipatur natura, vt augetur nummorum copia. Auarus non habet fratrem, nescit parentem, refugit societatem. Apud Christum conueniunt fratres de hæreditate certantes, & quos natura edocuerat concordiam, litis separauerat controuersia: ait autem ei quidam de turbâ: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Luc. 12. v. 13. Hæreditas duxit ad tribunalia fratres, excitauit lites, periculosas mouit quæstiones. Audi datum Chrysol. *Hæreditas mundana ante posteris infert iurgia, quàm conferat censum: antequam diuidat facultates, scindit hæredes, antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos dissecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna: & hæc nouerca filiorum est, non facultas.* Iam erant fratres diuisi, vbi de hæreditate iurgati, facultatis copia fraternæ erat charitatis ruina: & qui vniri debuerunt naturæ vinculo, separabantur iam facultatum desiderio. Viduæ matri attulit miseranda lamenta implacabilis fratrum ob hæreditatem discordia. *Rixati sunt.*

Luc. 12. v. 13.

TEXTVS.

VERS. 6. Et ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum.

§. XIII.

Diuitiarum cupiditas iurgijs frequenter obnoxia, & naturæ legum probatur ignara.

Inter cæteras, quibus humanum genus sollicitatur illecebras, diuitiarum sitibunda inuenitur ambitio. Hæc dum inextinguibili ardore cupiditatis inflammata, venerandas naturæ leges ignorat. *In immensum* (aiebat Cassiodor. 4. Var. 39.) *iactata rapitur, si iustitia ponderibus non premitur.* Iustitiæ ponderibus auaritia est refrænanda; aliter namque, si gliscere permittatur, inconcussum nihil reliquisse conuincitur. *Radix omnium malorum* (teste Apostolo) *auaritia est.* Quæ etsi multa rapiat, plura acquirere indefessis conatibus adlaborat. Auaritia vendere suavit sententias, prostituit libidini pudicitias, edocuit bella, nutrit iurgia, & sæpè qui naturæ vinculis strictissimè vniuntur, auaritiâ interueniente, rixantur. Bellè Chrysolog. ser. 162. *Auaritia fratres, parentes negat, germanos diuidit, separat socios, amicitiam soluit, excludit affectum: hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit.* Si radices agere caperit in corde auaritia, morum dissipat ornamenta, soluit naturæ fœdera, & violat sanguinis iura. Deplorat mater peperisse hostes, quos fudisse credebat fratres: *Ancilla tuæ duo erant filij: qui rixati sunt aduersum se in agro.* Quæ fuerit rixarum radix inter hos fratres, quærunt Interpretes? Asseruntque diuitiarum cupidine fouisse iurgia, deuenisse in certamina, perpetrâsseque fratricidia: quos natura adunauerat, auaritia disunxit, & pecunia aduersos fecit. Frater occidit fratrem, ne haberet in maternis facultatibus cohæredem. Ita Hierony. apud Gloss. *Amunt Hebrai hanc mulierem verè duos filios habuisse, & pro hæreditate certasse, & alterum ab altero interemptum.* Frater fratri nascebatur auxilio; verùm sic auaritia originis

§. XIV.

Crimina habent suam linguam, qua produnt delinquentis offensam.

Non prodest latere peccantibus (aiebat Epicurus apud Senec. episto. 97.) *quia latendi, etiamsi felicitatem habent, fiduciam non habent.* Qui peccant sæpè confugiunt ad latebram, & studiosa sollicitudine eludere conantur notitiam; perperam tamen laborant, quia ipsa scelera, qua prodantur, fortiuntur linguam. Ipsa trepidatio, paor ipse, quæ à tergo sequuntur errorem, manifestant peccantem. *Secunda panæ* (aiebat data epist. Senec.) *premitur, ac sequuntur: timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.* Aliquos fortuna panis liberat, sed metu neminem. Nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia inter tanta timor urget, qui sui signa colore ostendit, & prodit. Frater in campo, vbi nullus aderat, occidit fratrem: *Rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum.* Res loco à testibusque prorsus semoto peracta est: *Nullusque erat:* & tamè aduersus fratricidam cognatio armatur, & ad soluendam, mortis supplicio, panam reus instanter deposcitur: *Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit.* Putabat fratricida ignorari prorsus peccatum, & à multis expetit ad supplicium. Iam si quæras, quomodo scelus venerit in notitiam? Respondeo, aliquas fuisse probabiles coniecturas, ex quibus deprehendi potuit peccatum, & latendi frustrari studium. Nullus vidit necem infligere, sed forsàn plures viderunt fratrem associatum fratrem in campum tendere; nullus vidit rixam, sed fortè interfectoris timor, vel vultus pallor erant pro lingua, & eiusmodi indicibus manifestabatur conscientia: *Nullusque erat in agro* (inquit Abul. q. 10.) *qui hoc vidisset, ideo filius superstes negabat factum... Sed accusatores hoc asserbant.* Vigilantissimo studio disposuit frater fratrem occidere; vbi omnem effugere posset notitiam, ignorauit tamen varijs indicijs, coniecturis varijs perpetrata se prodere offensam. Nullus, dum scelus perpetraretur, adfuit, & tamen tota cognatio contra fratricidam surrexit, ipsa namque scelera sua se produnt lingua; ipsa in facie apparere solet conscientia. Regulam auream furatus Achan, nullo sciente, solerti cautela abscondit, &

tellure plurima textit. *Regulam auream quinquaginta siclorum concupiscens abstuli, & abscondi in terra.* Ios. 7. v. 21. Septuaginta legerunt: *Linguam auream.* Notauit Orige. Homil. 7. in Ios. *Furatus est linguam auream, & posuit eam in tabernaculo suo.* Ipsa regula erat lingua, & dum Achan sollicitius abscondebatur, validius lingua clamabat. Non potuit furtum celeri, quia interpellata prouidentia ipso sceleris clamore disposuit prodi. Est in cælis iustitia, ne inulta maneat delicta: & quamuis humana sollicitudo omnem notitiæ præcluserit sagaciter viam, cælestem nequit effugere prouidentiam, & Deus, qui per spicaciæ suæ præuaricator non est, manifestat, quod omnino occidere industria calliditas adlaborat. In agro, vbi nullus aderat, Cain orco aperuit ianuam, & abstulit fratri vitam. *Cum essent in agro, consurrexit Cain aduersum fratrem suum Abel, & interfecit.* Gen. 4. v. 8. Qui putarat omnem eludendam notitiæ, iam veretur infligendam sibi citissimè panam. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Et cur occidit times, cum nullus flagitio adstiterit, nec Abelum à te sublatum cognouerit. Quia conscientia (inquit) trepidatione se prodit, & ipse vultus pallore contra me sententiam dicit. Prodest Basil. seleuc. Ora. 4. *Malum tacere nescium, intuentibus sit hortamento.* Ipsum fratricidium tacere nesciebat, & Cainum trepidatione, fuga, pallore, cædis fraternæ artificem intuentibus publicabat.

§. XV.

Viduarum filij discriminibus inueniuntur expositi.

Efferuescens adolescentia, robustæ iuuentutis audacia, ni vtilis disciplinæ rigore frænentur, magnis defædari excessibus inueniuntur. Hinc seueri patres filios enutriunt rigida disciplina virtutibus adoptantes, & ab erroribus retrahentes; matres in sinu fouent, lachrymas nesciunt excutere, nec animaduertunt licentiâ perdere. Notauit disertè Sene. de Prouid. cap. 2. *Non vides, quando aliter patres, aliter matres indulgeant. Illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatas quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiant: at matres fouere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare.* Matres quò teneriori affectu filijs indulgent, plus nocent, & præter opinionem, quos otio, delicijsque frui exoptant, ad calamitatem nutricant. Ergo cum viduarum filij paterna careant disciplina, & frequenter indulgentiori matrum abutantur licentia, periculis inueniuntur expositi, quia non bonis moribus expoliti. Esau ethi fratri meditaretur cædem, distulit vsque ad parentis mortem, quia timor cohibebat audaciam; sed matre vidua, iam nullus erat, qui reprimeret iram. Thecuitis etiam apud Dauidem in lamenta effunditur, quia eius filij in agro rixati, & nullo prohibente, percussi: *Nullusque erat, qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum.* Si sub patris disciplina degerent, in campum ad duellum non profilirent, & correptionem timerent; verum dum mater vidua, aut seuerè non corrigat; aut licentiùs permittit procedere, cupiditatum æstu inflammantur, & sine fræno in præcipitia labuntur. *Si ipsa non fuisset vidua* (inquit Abul. q. 10.) *non debuisset hoc petere.* Quia erat vidua opus fuit subsellia adire, & ad commiserationem Iudicem lachrymis flectere; ast si vidua non esset, adeo asperis filiorum casibus non contingeret perturbari. Filij dum patet-

na disciplina carebant orbi, inueniebantur infortunati; nam ipsa iuuentus nullo fræno inhibita, sibi ipsi præcipitabatur aduersa, & discriminibus magnis exposita: dum non fuit, qui fratris impetum contra fratrem quiret frænare, contigit in fratricidium proruere: *Nullusque erat, qui eos prohibere posset.* Adde: quod si facultas suppetat, de ipsa abundantia viduarum filijs celerior, & grauior videtur imminere ruina. Viduæ pauperis, & inopia pressæ filium non lego fortissimis ardoribus vstulatum, aut vehementi languore correptum; vbi verò facultas creuit, & hydria quod desiderabatur alimentum, suppeditauit, iam ardentissimo languore infirmatur, & celerimè emoritur. *Non habeo panem* (aiebat mater.) 3. Reg. 17. v. 12. Dum carebat mater pane, & filius caruit languore; vbi vero panis exundat: *Hydria farina non deficiet:* vehementissimus languor diuexat: *Factum est post hæc: agrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortissimus.* In languore notum est sapissimè vitium signari: ergo si inquiras, cur fortissimo languore filius modò vexetur, qui integra salute antea fruebatur? Textus respondebit, antea famem ardoribus restitisse, & postea alimenti redundantiam morbum vocasse: *Factum est post hæc,* id est, quæ colligebat antea ligna, iam vidua diuitiarum exundabat copia. Ergo filius facultatibus opulentus, & iuuenilibus ardoribus impetitus, amisit morum salutem, & fortissimum contraxit languorem. Prodest Basil. Seleuc. ora. 11. *Quo die messem volebat, in hydria metebat.* Erat hydria alimenti indefessus fons, & quantum filius volebat, tantum hydria suppeditabat. Ergo vbi viduæ filio facultatum excreuit copia, vehementior adusit languoris flamma. Quos opulentia viduarum filios existimas fortunatos, non dubites plurimis & animæ, & corporis ærumnis obnoxios.

TEXTVS.

VERS. 7. & ecce confurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquæ super terram.

§. XVI.

Sapè cognatorum mors exambitur, vt hereditas adeatur.

Sanguinis vinculum, quod debuit esse charitatis sfomentum, ad charitatis detorqueri solet excidium, nam qui cognationis iure alterius sperat hereditatem adire, eius è vita excessum non desinit suspirare. Contemnitur natura, vt facultatum augeatur copia. Auaritia discipulum proditorem fecit, & prodigum suspirare parentis mortem edocuit. *Da mihi* (aiebat) *portionem substantiæ, quæ me consingit.* Luc. Luc. 15. v. 12. Eccè quid faciat cupiditas ad centum præceps! Diuturnam parentis vitam existimauit, & cupiditatis impatientia in has voces adolescentior erupit. Notauit Chrysol. Sermon. 1. *Quantum pius pater, tantum hæres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam; Auferre conabatur substantiam, & decedentis facultatibus*

tabibus augere diuitiarum volebat copiam. Perbellè dixit Chrysol. ser. 162. auarum nec sui, nec aliorum esse: *Hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit.* Filius non est parentis, cognatus non est cognati. Deliquerat viduæ filius, & iam cognati mortem suspirant, non vt crimen puniant, sed vt facultates adeant. Ecquis hoc ait? Ipsi profecto, dum aiunt: *Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus heredem.* Non aiunt: vt deleamus necis artificem, sed heredem; nam cum extincta ea scintilla, ad eius tribum stata lege transfiret hereditas, exambiebant perire heredem, vt adirent hereditatem. Audi Abul. q. 10. *Siquis moreretur sine liberis, hereditas deuoluebatur ad cognatos patris.* Cum filius vnicus esset hæres, eo extincto, ad cognatos deuoluebatur hereditas: ergo desiderabant heredem puniri, vt eius possent facultatibus adaugeri; sæpè namque cognatorum mors exambitur, vt hereditas adeatur. Quos homines natura produxerat, sic impia cupiditas immutarat, vt in viperas conuerterit, & bestias in lethales, ac venenosas transfuderit; dicente Ioanne: *Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Luc. 3. v. 7. Dum progeniem viperarum appellat, exemplo corripit, similitudine prodit, comparatione confundit. Vipera, vt viuat, matris uterum profertur scindere, & pro hospitij mercede satagit necem inferre. Ergo quos natura pi-um in parentum produxit solatium, cupiditas detestabile armauerat in excidium. Eleganter Chrysol. ser. 137. *Soboles ingrata natura, cuius ortus est genitoris exitium, cuius vita est mors parentis.* Hoc est aliquibus viuere, de parentum morte letari, & quibus longam vel sudatis laboribus procurare vitam debuissent, eis, aut tempus abscondunt, aut immaturè excedere exambunt. Infando diuitiarum ambitu de parentum morte letantur, & de salute affliguntur. Ergo nonnulli imitantur viperas, dum contra ipsam naturam prauitatis pugnant veneno, & diuitiarum furunt studio.

§. XVII.

Lex cognationi debet præferri, sed affinitas solitat legibus anteponi.

Lex constituta inuenitur ad mores honorabili præceptione condiendos, & errores, qui ex ignorantia possent emergere, prouida cautela pulsandos. *Lex* (aiebat Philo lib. 2. de Vita Mos.) *firma, immobilis, inconcussa, tanquam ob signata natura signaculis.* In naturæ subsidium, in morum ornamentum, in Reipub. commodum lex seruatur eximia ueneratione fulta, & nullis ausibus perturbata; verum vt serpens illecebrosis iadulationibus Euam legem paruipendere persuasit, sic consanguinitas, cognatioque à lege sæpè sapius abducit, & mallunt homines legi, quam cognationi deficere, cognatis consulere, quam legum statuta seruare. *Necesse est* (aiebat Cassidor 3. Var. 3.) *vt aut gratiam parentela prouocet, aut odium longa contentiones exasperent.* Nè in cognatorum gratiam lex detorquatur, longa exasperatio luboritur, aut si cognatus tacet, lex querula luget. Fratrem de medio frater sustulerat, hereditatis ambitu, aut alterius cupiditatis obtentu. Cumque cognati reo opitulaturi viderentur, auidè cædis supplicium conquirere comprobantur. *Eccè consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui.* Non ab alienis expetitur, sed à cognatis ad luendam pœnam deposcitur. Quod si inquiras cur cognati qui videbantur exhibituri tutelam, ad infligendam mulctam in-

furgant? Respondebunt Interpretes, maluisse legibus obedire, quam cognati commodis prouidere. Numer. 35. v. 18. & 21. lex habetur de homicida à cognatis occisi interficiendo: *Percussor homicidij reus erit, cognatus occisi statim vt inuenerit eum, iugulabit.* Hac lege compulsi quærebant à cognato expetere vltionem, & quamuis naturæ vinculum pro reo esset, pro lege stabat cognati: Prodest N. Sanct. *Fingit mulier filium suum occisum à fratre, & cognatos iuxta legem nuper allatâ conari, ne fraternus sanguis maneret inultus.* Ardenti studio fratricidam expetere, vt illa sa lex seruaretur, aut fuit doctrinale nobis documentum, aut religiosum cognatorum studium. Certè vbi cognatio intercedit, lex parum obtinet, aut si obtinet, æquitas miranda viget. Edictum à Deo proditur de leprosis extra castra eijciendis. *Eijciant de castris omnem leprosum.* Num 5. v. 2. Aaronis soror obmurmurans sibi lepram acquisiuit, & cõtraxit murmuratiõis offensa, quã tunc non afferret maculam humorum concordia: *Apparuit candès lepra quasi nix.* Num 12. v. 10. Quid tunc? Oraculum viget, vt separaretur: *Separetur septem diebus extra castra.* Exclusa de castris luit pœnã, & pœna edocuit frænare linguam: *Exclusa est extra castra septem diebus.* Profecto si linguaces, murmuratoresque exilio mulctadi essent, desertæ manerent ciuitates, & verteretur in solitudines. Sed inquiramus, cur opus fuerit repetito decreto, cum ad excludendam leprosam generali adurgerentur mandato? Si omnis leprosus à castris iuberetur exulare: *Eijciant de castris omnem leprosum:* cur Aaron moratur, & retinere leprosam, reclamante lege, adnititur? An quia soror? Certè si alius lepra noscitur candere, opus non esset nouo programme, vt de castris cogere exire; at, vt soror exularit, Numinis iteratur decretum: *Separetur septem diebus extra castra:* exclusam fuisse, exprimi, Textus non censuit superuacaneum: *Exclusa est:* Audi Liram: *Separetur septem diebus extra castra eo modo, quo leprosi eijciuntur de castris.* Exclusa dicitur, vt Moydis demiremur erga legem reuerentiam; & iteratum refertur decretum, vt consanguinitatis agnoueris efficaciam. Vt cognata excludatur, decretum repetitur, vtque non dubites legem impletam, leprosam sororem à castris fuisse exclusam apertè exprimitur.

§. XVIII.

Punitio criminis, si lucrum afferat, affectatur, si desit, facile omittitur.

Plures ad mercedem inueniuntur æquitatis studiosi, vt si merces desit, obliui. Crimen quæritur, imò imponitur, exaggeraturque, si indagatio, aut punitio fuerit lucrosa; frigescit verò ardor, si spes ad certum sit destituta. Difertè Cassidor. 11. Var. 8. *Nolite inardescere ad præsumptiones illicitas: amate viuere quieti, transigite semper innoxij: quid libris honesta confunditis? cur facitis, quæ mox timere possitis? si queritis lucra, vitate potius damnosa litigia.* Si emergant dubiæ quæstiones, si reum nõ redarguant rationabiles suspiciones, si solida desint indicia, probabiliaque testimonia, pro eo stare debet benignitas, non armari pœnæ capitalis acerbitas. Verum sic auri cupiditate homines furunt, vt crimen imponant, & debilibus coniecturis innixi puniant, si spes lucri affulserit, & auaritia oculos obcæcarit. A fratre fratrem occisum, testantur cognati, cum nec testes adstiterint, nec decertasse conspexerint. *Rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset.* Coniecturis tantum frater de fratris homicidio erat suspectus, & tamen à cognatis ad capitalem pœnam ardentissimè dicitur requisitus: *Eccè consurgens vniuersa cognatio ad-*

Num. 35. v. 18. & 21.

Num. 5. v. 2.

Num. 12. v. 10.

Luc. 3. v. 7.

Num. 35. v. 21.

uersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus heredem. Num. 35. v. 21. lex homicidam ab occisi cognatis iugulandum decernit: *Percussor homicidij reus erit: cognatus occisi statim ut inuenerit eum, iugulabit.* Verum iugulari suspectum de homicidio non iubet: ergo cum fraticida hic certis nequiret argumentis de crimine perpetrato conuinci, & solum non bene fundatis coniecturis posset de homicidio accusari, cur cognati, qui debuissent tuam vitam, ad mortis deposcunt poenam? Ad hæc: cur cognati ex parte matris tacent, & solum ex patris parte homicidam indubiè crediderint, iustitiæque satisfacere procurarint? Abulen. q. 10. existimat ex parte matris cognatos nullatenus reum expetiuisse, sed solum paternos cognatos ad infligendam mortem quæritasse. Quod si rogaueris, cur alij taceant, & alij insurgant, cum lex omnibus facultatem concesserit? Respondeo, quod licet hæres ille è medio tolleretur, nihil de eius hæreditate ad cognatos maternos poterat deuenire; ast si occideretur, hæreditatè integrâ ad paternos cognatos certum erat spectare. Ergo ex parte matris cognati, cum nullum sperarent lucrum, nullum excitabant litigium; paterni verò cognati dubiæ culpæ certum mortis decernebant supplicium, quia hæreditatis fortiebantur emolumentum. Abul. audi: *Intelligitur cognatio ex parte patris huius inuenis, nam cognati ex parte matris non insurgent, & causa erat, quia isti non consequebantur aliquam utilitatem. Nam si quis moreretur sine liberis hæreditas desuoluebatur ad cognatos patris: cognati autem ex parte matris, vel ipsa mater nunquam succedebant filio, ut patet Num. 27.* Cum nullum proueniret maternis cognatis emolumentum, non curabant adimpleri legis edictum; ast, cum ex inflicta mortis pæna paternis oriretur cognatis lucrum, ostentabant æquitatis ardentissimum desiderium. *Vt deleamus heredem:* homicidium non probabatur, sed hæres ad supplicium expetebatur: crimen non constabat, sed cognatus adurgebat: Itaque ubi utilitas nulla, nec reus quærebatur, nec culpa castigabatur, at ubi sperabatur lucrum, incertum etiam puniebatur capitali morte peccatum. Vt noueris, quam thesis nostra sit certa, scilicet criminis lucrosam punitiorem affectari, & non lucrosam omitti. Scribæ, & Pharisei sollicita vigilantia inuenire adulteram procurarunt, & iustitiæ affectantes zelum ad Christum Dominum detulerunt. *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tenants eum, ut possent accusare eum.* Ion. 8. v. 4. Christus Dominus pro sua sapientia, ita se gessit, ut quam spem eum calumniandi conceperant, prorsus amitterent. Quid tunc? Celeriter abeunt, & criminis ultionem despiciunt. *Remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Hinc oritur quæstio: cur scilicet decretam à lege non institerint decerni multam? Adde: quod cum lex adulteram duræ lapidum grandinationi clarè subiecerit, prorsus erat otiosum Christum adire, & firmiter statutum, in dubium vertere. Quia non quærebatur (inquit August. in Cate.) legis integritas, sed insimulandi Christum ardebat auditas. Vbi mulieris crimen, spes suas crediderunt stabilire, legem contra adulteras protulerunt; ubi verò infligendo mulieri pænam non satisfaciebant cupiditati, sed legi, abierunt crimen inultum relinquentes, & legem dissimulantes. Consonat Cuthym. *Cogitabāt quod esset illi parciturus: & ita habituri essent aduersus eum accusationem.* Mulierem in scandalum disposuerunt obijcere, qui tenebantur scandalum amouere, & prouida cautela vitare. Itaque dum ex crimine promitte-

bat sibi inuidia commodum, legem tuebatur, & sollicitabat supplicium; ast, ubi spes est frustrata, & adultera impunis relicta; sæpè namque sollicitat criminis pænam non zelus legis, sed spes commoditatis. Quibus ex homicidæ nece nulla promanabat utilitas, nulla fuit legis seruandæ studiositas; quibus verò ex morte lucrum, ostentabant religiosissimum legis zelum: *Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum.*

§. XIX.

Si ex sceleribus reportetur commodum, bonæ politices perniciosum erit excidium.

Boni Principes seuera distinctione satagunt criminosos punire, qui Reipublicæ possint pacem seruare, ut saltem per timorem se contineant, qui aliter legum statuta contemnerent, & violarent. Siquis suis ausibus gratuletur, nec cæca eius temeritas dignis castigationibus retundatur, vergere in totius Reipublicæ detrimentum agnoscitur. Quid deterius, quam si proterua audacia non solum merita non patiat supplicia, sed affectata sit commoda? *Qui lucrum de malo quarit* (aiebat Cassiodor. 12. var. 6.) *pæna proposita terreatur: qui honorem per nefanda desiderat, amissa potius opinione turbetur.* Si iniquis fraudibus, si ausibus temerarijs, si cupiditatibus cæcis acquirantur commoda, pessum ibit profectò tota Respub. & qui honestis actionibus quærerent boni nominis opinionem, ad iniquitatis castra transibunt, detestandam ambientes commoditatem. Duo filij erant Theculti, inter quos hæreditas diuidenda; verum alter alterum interfecit, ne hæreditatis sortiretur consortem. Cognati sceleris immanitate commoti, & decretis legum compulsi hæredem capite decreuerunt multare, ut qui vim naturæ intulerat, hæreditatis cupidus, lucis perderet vsuram ligno suspensus: *Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus heredem.* Ipsa ex postulatio manifestat delictum, & illatæ mortis intentum: ac si dicerent: hic perpetravit infandam necem, ut copiosior sortiretur hæreditatem, & si inultum maneat delictum, ex delicto delinquenti proueniet commodum, quod Reipublicæ perniciosum erit exemplum. Hunc esse sensum illius clausulæ *Hæredem*, existimat Caiet. cuius verba sunt: *Ne reportet emolumentum hereditandi omnia ex fraticidio.* Itaque ut bonæ politicæ prouiderent, cauerunt, ne ex perpetratis culpis proueniret delinquenti commodum, sed seuerum decerneretur supplicium. Vbi Doeg potentissimus refertur, iam Saulis regnum vergere ad occasum dignoscitur. *Doeg Idumæus potentissimus pastorem Saul.* 1. Reg. 21. v. 7. Quærun Interpretes, quibus artibus ad tantum potestatis culmen Doeg peruenerit, cum genere obscurus, & nullis prærogatiuis fuerit ornatus? respondentque Saulis animum sibi deuinxisse gratis adulationibus, & peruersis artibus. Ergo quod ex crimine Doeg factum resultabat lucrum, erat Reipub. grauissimum detrimentum; quando ediscebant cæteri delinquere, ut impune quirent dignitatem, & facultatem augere. Audi Liram: *Potentissimus Iudicum* (ut dicunt Hebrei) *Iudices enim in veteri testamento frequenter nominantur pastores, quia per eum Rex reddebat iudicia.* Regi consulebat iudicia reddere æquitati non consona, & siqua consona, reddebat adulterata: ergo vendebat gratiam, & adaugebat impunitus potentiam, eiusque aduictum artibus iniquis commodum Reipublicæ erat non dubium calamitatis præsignium. *Saulis regnum*

1. Reg. 21.
v. 7.

regnum (inquit Seleuc. Ora. 14.) *vergebat ad occasum.* Iam extinguebatur regnum, vbi sententiæ more Vestium venditabantur, & adulatio virtutibus perniciofa, erat ad dignitatum fastigia gradus, ad cumulum diuitiarum ascensus.

TEXTVS.

VERS. 8. Et ait Rex ad mulierem :
Vade in domum tuam, & ego iubebo
pro te.

§. XX.

*Bona politices viduarum causas citissime
curat absoluere, nè cogantur domos
Iudicum frequentare.*

Regalis est prouidentia Iudicum tales personas Religere, vt omnium causas studiosa conentur sollicitudine absoluere. Cui à longis regionibus contigit deuenire, magnas expensas non poterit excusare. Et licet in eius fauorem pronuncietur sententia, nequit non prægrauari, si opus sit longa annorum interualla consumere. Ad hæc: recrudescit dolor, si post diurnam moram quis excidere cogatur à causa. Vtilius aliquando censetur citò à litium molestijs expediri, causa deperdita, quàm post longa spatia, & magna dispendia vincere feliciter absoluta. *Falsus dolor esse non creditur* (aiebat Cassiodor. 6. var. 22.) *vbi tanti laboris tadia subeuntur.* Verùm etsi omnium lites Iudex teneatur citò dirimere; quæ ad faminas, & præcipuè ad viduas pertinent, maiori debet celeritate breuiare; cum non deceat castum pudorem subselia adire, & pluriès conspectui Iudicum apparere. Vbi Thecuites quam haberet causam, Dauidi exposuit, domum iussit repetere, & citò causam decreuit absoluere: *Vade in domum tuã, & ego iubebo pro te:* id est, non erit necessum, vt iterum redeas, & publicum adeas. Prodest Abul. q. 11. *Vade in domum tuam, id est, non maneat hic amplius pro expeditione huius negotij, quia iam expeditum est.* Mulieris consuluit pudori, viduæ honestati. O quoties, dum iuenculæ pro aliquo negotio expediendo Iudicum domos ad-eunt, castitatis periculum subeunt! Ergo oportet citò expedire negotium, & cursandi fora præcidere detrimentum. Filia Salphaad tribunal adeunt, & sibi hæreditatem deberi iure suffulciunt. *Accesserunt filia Salphaad... steteruntque coram Moysè, & Eleazaro sacerdote, & cunctis Principibus populi ad ostium tabernaculi faderis, atque dixerunt, &c.* Num. 27. v. 1. & 2. Ad domini iudicium causa delata est, qui statim decreuit, & quæ exigebant, concedi iussit. *Iustam rem postulant filia Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hereditatem succedant.* Cum negotia alia non adedò facilem expeditionem fuerint sortita, hæc celeritas nostræ eruditioni videtur aptanda. Consuluit Iosue Dominum, cum Achan se furto contaminarit, & inimicorum armis robur adiecerit. Oraculum in sequentem diem fortium iudicium distulit, nec statim causam expedit: *Accedite mane singuli per tribus vestras.* Ios. 7. v. 14. Hinc oritur difficultas: cur scilicet altera causa statim expeditur, & in sequentem diem altera differatur? An quia alibi generosa Principis relucebat liberalitas, & capitale alibi supplicium iusta decernebat seueritas? Profectò hinc datur intelligi

in decernendis pænis lentè procedendum, in beneficijs dilargiendis accelerandum; nam mora in beneficijs liberalitatis est nauus, in supplicijs celeritas est reatus: Benè: sed fors aliud hîc latebat mysterium, videlicet faminarum præcipuè iuencularum causas oportere citò expediri, nè cogantur semel, & iterum coram Iudicibus apparere. Innuit aliquomodo Caietan. *Petunt mulieres, vt detur eis pars terra inter fratres patris sui.* Petebant mulieres, fors iuenculæ, & pulchræ. Ergo inconueniens erat iudicium differre, & suspensam causam relinquere. Hinc docetur bona politices, si occurrant eiusmodi lites, fas esse mulierum pudori consulere, & quantum iura patiantur, causas breuiare.

§. XXI.

*Ni reclamauerint iura, decet Principem
plausibili relucere clementiã,
nec rei exaggerare delicta.*

Quamuis nomen Iudicis videatur seueritati dictum, & diuersis reatibus denigratis seuerum; tamen, si patiantur iura, ad clementiam deflecti, probatur esse laudandum. Clementia suauissimos producit fructus, & acquirit Principi plausus: periculose Iudices sunt nimis iusti, quia inuidiam sibi conciliauerè seueri. Honestè reo indulgetur, dum lex contradicere non probatur: & tunc verè dicuntur Iudices, qui absque legis iniuria resplenderunt clementes. Audi Cassiodor. 11. var. 40. *Macte indulgentia, que soluis & presules, tu patrona humani generis, tu afflictis rebus medicina singularis. Quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune?* Ab vniuersis clementia expetitur, sine quâ humana nequeunt permanere, nec respirare; nam etsi, varijs criminibus concutiatur delinquentis conscientia, viuunt tamen impetrandi indulgentiam fiducia. Thecuitis filius graui se scelere contrinxerat, & adductum in campum fratrem necarat: non erant legitimi testes, mater, ad quam pertinebat causa, indulgebat: in Iudicis erat arbitrio, remittente parte, indulgere, aut varijs inquisitionibus diuexare. Quid ergo super his Dauid? Fauorabilem sententiam protulit, & varijs calumnijs exoptulatum dimisit. *Ego iubebo pro te,* acsi dicat: cum filius tuus de fratricidio legitime non fuerit conuictus; nec crimen ipse confessus, sine legis querela fauorabilem possum proferre sententiam: ergo non patietur duram censuram. Ita Lira ad hunc locum: *Ego iubebo, scilicet quòd filius tuus non moriatur, supposito quòd tu dicas verum: & hoc erat iustum, quia filius eius non erat conuictus de homicidio per euidentiã facti, nec per testes, cum essent soli in agro: nec per recognitionem propriam.* Etsi esset fratricidium verum, non erat sufficienti testimonio comprobatum; ergo Dauid vbi inuenit indulgentiæ locum, maluit absoluere, quàm punire. Ad Christi Domini tribunal mulier sistitur de adulterij crimine interpellata, & lapidationis supplicio obnoxia: Christus Dominus legem impleendam non negauit, sed crimine prorsus immunem, contorquere lapides iussit. *Primus in eam lapidem misit.* Verùm testes pavor inuadit, & conscientia reperculsi discedunt. Quid tunc? Vbi accusatores euauerunt, maluit Christus absoluere, quàm damnare. *Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: vade, & iam amplius noli peccare.* Ioan. 8. v. 10: De adulterio interpellabant; causam tamen

Num. 27.
v. 1. & 2.

Ios. 7. v. 14.

Ioan. 8. v.
10.

tamen legitimis probationibus non suffulciebant, imò aut confusi retractauere sententiam, aut arripuerunt timidi fugam. Ergo quia nullus condemnasse constitit: *Nemo te condemnauit? Nemo, Domine*: clementer Christus indulfit, & iure non reclamante, pepercit. Prodest August. in Cat. *Aduersarios eius repulerat lingua iustitia, leuans in illam oculos mansuetudinis... Audiuimus supra vocem iustitia: audiamus nunc mansuetudinis; nam sequitur, dixit ei Iesus: Nec ego te condemnabo.* Si infirmata non fuissent interpellantium testimonia, mulier lapidaretur: *Primus in eam lapidem mittat*: & lex feruaretur; vbi verò solius Iudicij arbitrio causa relicta est, maluit exercere dementiam, quam ostentare iustitiam. Discant hinc Iudices vim legibus non inferre, vt etiam, si clementiæ locus sit, reos indulgenter absoluerent. *Nec ego te condemnabo.* Peruersum Iudicis ingenium est, si, cessante iure, aggrauauerit causam, & spe lucri, aut malignitatis consilio distulerit veniam.

§. XXII.

Thronus iustitiæ firmatur, & iniustitiæ subruitur.

Cum ex legibus viuendum sit, & certum omnibus prouenire dignoscatur compendium, si legibus non violatis, quis dignitatis occuparit fastigium; Summo studio curandum est, ne iudicialia potestas aliqua subornata affectione actiones iniquè interpretari, aut iura coloribus artificiosis adnitatur corrumpere. Cauendum proceribus est, nè si legibus abutantur, dignitatum fastigia abusu ipso labefactentur: *Semper comminuis omnes* (aiebat Stobæ. ex Orphei hym. cap. 9.) *quotquot Stateram tuam non subeunt, sed ultra ipsam lancibus duris inexplebiliter declinant.* Iudex si affidente iustitia causas decernat, & ius suum cuique inuolantè custodiat, fastigium firmat, vt è contra: violatis legibus labefactat. Accesserat ad Dauidem Thecutes, causam afferens, quam si iustè dirimat, afferre testatur throno stabilitatem, & abactis concussionibus firmitudinem: *In me, domine mi Rex sit iniquitas, & in domum patris mei. Rex autem, & thronus eius sit innocens*: ac si dicat: *Rex iustitia, æquitatèque thronum firmabit, & veluti ancora contra tempestates suffulciat.* Innuit Abul. q. 12. *Dicitur quòd Rex, & thronus suus sit innocens, id est, ipse non puniatur pro hoc in persona sua, nec etiam in throno suo, id est, in posteritate sua, quæ post eum regnare debet, & sedere in throno.* Plures dum pro arbitrio causas decernunt, posteris suis calamitates asciscunt; qui verò verentur legem, acquirunt reuerentiã ipsã stabilem firmitudinem. Ergo thronus erit firmus, si Dauid viduæ causam non despexerit, sed legibus consonam sententiam ediderit. Thronum sibi mira operositate Salomon construxisse describitur, leunculi impauido robore inferiores muniabant gradus, superiorem partem non leunculi, sed leones; nam quo plùs eleuatur fastigium, validiori communiri robore est necessarium: duæ manus sedile tenebant, & tenentes contra fortunæ adfultus firmabant. *Duæ manus hinc, atque indè tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas.* 3. Reg. 10. v. 19. Otiosæ videantur cui manus, cum impauidi defendant thronum leones. Verùm Hugo Cardin. efficaciorè agnoscit ad suffulciendum thronum manus valentiam, quam terribilem leonum ferociam; in manibus namque iustitiæ partes agnoscit. Ergo parùm leones

3. Reg. 10.
v. 19.

prodescent, ni iustitiæ manus firmassent. *Duæ manus sunt duæ partes iustitiæ.* Iustitia, dum incorruptè seruat iura, dum pro meritis impertitur præmia, stabilit thronum, & auget regnum. Econtrà: iniustitia compendio solet acquirere, sed exiguo tempore inuenitur thronus, & acquisitum deperdere: testante Eccles. cap. 10. v. 8. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Aliquorum vota ipsorum votis inueniuntur aduersa, nam dum probantur iniustitia potestatem fundare, ob iniustitiam contigit famam, & potestatem deperdere. Prodest Cassiodor. 2. Var. 26. *Nullius compendys delectamur iniustis, nec ad animum nostra pietatis perueniunt, quæ probitatis gratia deseruntur. Respublica siquidem iure semper æquitatis augetur, & cum temperantia diligitur, velociter profutura succedunt.* Christi Domini aduersarij, vt eius regnum fluxum imò ridicularium ostenderent, ei coronam duris de sentibus contexuerunt: *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum.* Ioan. 19. v. 2.

Eccles. cap.
10. v. 8.

Ioan. 19. v.
2.

Purpura denotabat regnum, sed corona fluxum; nam cum sentes rapiant, & vulnerent, non poterat regnum stabiliri, quod rapinis denotabatur augeri. Notauit Drogo de sacra. Dom. pass. *Plectentes coronam de spinis ponunt super caput eius, cum de rapina pauperum spinas ei diuitias coaceruantes, caput eius ad regnum elationis efferunt.* Ad regnum testabantur elatum, sed rapinis, sed iniustitijs: Ergo denotabant vietum, & prorsus fluxum; nam potestas iniustitijs adaucta, ipsis auctioribus inuenitur euerfa. Cum plures hostes veluti manufacta aduersus Christi regnum insurgerent, & titulum obliterandum repetitis clamoribus persuaderent, Pilatus firmus stetit, nullisque aduersariorum conatibus delendum serid affirmavit: *Quod scripsi, scripsi.* Ioan. 19. v. 22. Augustinus in Cate. ait regnum illud non posse subruì, quia inuolabili iustitia manifestum erat fundari; nam cum Christus crucem veluti tribunal incendens, mira æquitate iustitiam administrarit, & latronum alteri, quia merebatur, fuerit largitus præmium, & alteri, quia scelestus, intulerit etiam supplicium, ipsa iustitia contra aduersariorum adfultus erat stabilitas firma, & securitas inuolata. August. audi: *Ipsa crux (si attendas) tribunal fuit; in medio enim Iudice constituto, vnus latro, qui credidit, liberatus; alter, qui insultauit, damnatus est.* Vbi virtus non mansit irremunerata, nec iniquitas impunita: sic stabilitum est regnum, vt omnem aduersariorum feliciter frustrarit conatum.

Ioan. 19. v.
22.

§. XXIII.

Res magni momenti importuna sollicitudine est stabilienda, & omnimodis conatibus confirmanda.

Quæ magni intersunt, etsi certa videantur stabilitate muniri, non nocet sollicitis curis firmare, & nouis securitatis sponforibus suffulcire. *Definitam rem* (aiebat Cassiodor. 4. Var. 17.) *ab antiquo rege, quam tamen constat rationabiliter esse decretam, nulla volumus ambiguitate titubare. Quia decet firmum esse, quod commendatur pr. babilis iussione.* Rem magni momenti regia auctoritate decretam iterato voluit diplomate stabilire, nè exinceps posset aliquomodo titubare, quandoquidem prudentiæ conuenit, quæ infirma, graue detrimentum quirent afferre, studiofa sollicitudine suffulcire. Pro filij vitæ, quam cognati nitebantur auferre Thecuitis Regem exorat: Dauid viduæ

viduæ

viduæ matris dolore suafus, & nulla lege prohibitus incolumitatem promisit: *Ego iubebo pro te*. Et tamen licet mater, regia data fide, omnem posset sollicitudinem prudenter abijcere, iteratis maluit precibus ipsam securitatem firmare. *In me domine mi Rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: Rex autem, & thronus eius sit innocens*. Ac si dicat: vereor, nè contra me sit iniquitas, id est, homicidij supplicium, nam licet sub protectionis tuæ favore maneam secura, forsitan cognatorum furet audacia, & filij auferetur vita: ergo adde securitati securitatem, vt omnimodè sedare quierim anxietudinem. Hunc orationis legitimum esse sensum tradit Abul. quæst. 11. *Sequitur conclusio: quod Rex firmaret hoc magis in corde suo, vel daret maiorem securitatem filio mulieris huius*. Itaque Thecuitis dùm ait: *In me domine mi Rex, sit iniquitas*: vel vt alij legunt: *Erit*: veretur, nè post regale decretum cognati tentent inferre supplicium. Si inquiras: cur preces multiplicarit? Respondebit Abul. ostendisse filij incolumitatem magni æstimasse, & adhuc de salute certam iteratis precibus suffulcisse. *Vt daret maiorem securitatem*. Erubescant Thecuitis exemplo, qui cum non ignorent ob perpetrata delicta damnationis pœnam debere, sic animam parui pendunt, vt non vereantur dormire. O mirum! æternis cruciatibus, si in culpa decefferit, deuouendus, periculosa stertit ignauia; nec satagit ad pœnitudinis inuolare profugia. Gedeon à cælesti nuncio accipit, Madian truculentum hostem sine labore atterendum, & triumphum sine certamine reportandum. *Percuties Madian, quasi unum virum*. Iud. 6. v. 16. Gedeon gratus accelerat sacrificium, lucumque euertit obsecutus frondosum, & tamen de promissis non dubius, sed satis prouidus dari sibi deposcit signum. *Ponam hoc vellus lana in area, si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam, quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël*. Annuit Dominus, & quia falli solet visus, concham rore cælesti implet, vellere compresso manu. Putares accepto indubio signo, nullatenus institurum, & tamen vrbis precibus deposcit aliud. *Oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens*. Dominus iterata signorum petitione non exasperatus, sed humanè satis benignus, quod petebatur, effecit: *Fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra*. Quærunt Interpretes: cur Gedeon Numinis promissione securus, petere semel, & iterum signum sit ausus? Respondentque fuisse in causa, rei magnitudinem; nam cum ardentè desideraret iugum excutere, & florulenta triumpho lauro tempora ornare, ipsam securitatem noua voluit securitate firmare, & quam de triumpho æstimationem haberet, superflua ad speciem cautela ostendere. Innuat Origen. Hom. 8. in lib. Iud. *Quæritur: quare post angelicam vocem & promissionem, cæleste hoc nouum signum petijt? Quo impetrato, vellus in peluim exprimit. Quare conuerso ordine secundum deposcit, præsertim cum dictum sit: Non tentabis Dominum tuum? sed exitus rei docet non esse factum contra mandatum*. Consonat August. ser. 108. de Tempore: *Licet Gedeon fortis esset, & fidens, pleniora adhuc de Domino futura victoria documenta quærebat*. Non diffidebat incredulus, sed magni momenti victoriam repetitis miraculis satagebat stabilire sollicitus. Quam de triumpho æstimationem haberet, futuræ victoriæ noua documenta exigens, ostendebat, & dùm securitati securitatem addidit, quid nobis in causa æternitatis faciendum, edocuit. Quodsi lauri decidua frons indefessa cura procuratur, quid faciendum erit, vt immortalī lauro caput

coronetur? Qui sub Madian, hoc est dæmone, premuntur, de assequendo triumpho non sunt angelica fide securi, nec oppignoratis miraculis confirmati; & tamen sibi promittunt vincere, vt differant depræliari. Non seridè expendunt, quàm sit miserum, criminis iugò premi, & æternæ damnationis periculo exponi. Gedeon omnimoda securitate munitus, adhuc noua documenta quærunt prudenter anxius, vt qui expenderat; quanti interfit miserabile iugum excutere, & ad immortalē thronum conscendere. Ecce Thecuites post datam sibi regiam fidem adhuc instat, quia filij vitam magni æstimabat.

TEXTVS.

VERS. 10. & 11. Et ait Rex: Qui contraxerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet, vt tangat te. Quæ ait: Recordetur Rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram.

§. XXIV.

In non premeditatis, sed repentinis erroribus locum habet clementia, quia minor culpa.

Culpa semper inuenitur rea, & supplicij duris Cobnoxia. Quisquis deliquit, legis decretis subiacuit; verum magnum inter ipsas offensas discrimen est. Qui post magnam meditationem, & longa spatia deliquit improbus, ipsa meditatione conuincitur reus, & grauiori pœna est mulctandus; qui verò ira factis, aut verbis exasperata repentinum committit errorem, ampliolem clementiæ meretur benignitatem. Non est crimen repente admissum tam hominis, quàm naturæ, & quò plus deliberationem ira anteuertit, minus iratus delinquit. *Ira* (aiebat. Theog. apud Stobæ. cap. 20.) *peior quandoque est insania*. Vt insipienti condolemus, & delirio errores adscribimus, sic iracundiæ insania correpto commiseratio debetur, quia extra se fuisse probatur. Thecuitis filius fratrem occiderat, & tamen Dauid clementer indulget. *Non cadet de capillis filij tui super terram*. Quærunt Interpretes, quomodo Dauid, qui Rechab, & Baana feuerò supplicio ob illatam mortem puniuit, Thecuitis filio pepercit? Respondentque Rechab, & Baana nulla occisione irritati, irò excogitato consilio mortem innocuo intulisse, Thecuitis verò filium rixa prouocatum, & iracundiæ furore percitum cædem patrasse. *Homines impij interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum*. 2. Reg. 4. v. 11. Rechab nulla occasione irritatus, nulla iracundia commotus inculpatum occidit; frater à fratre prouocatus, iraque succensus errauit. Ergo Dauid pro suâ prudentiâ repente delinquenti pepercit, ex præmeditato errantem puniuit. Innuat Caiet. *In homicidijs repentinis, hoc est, absque vilo precedente odio, quale hoc ponitur, lex magnam decernit clementiam*. Considerauit Princeps repentinam præcessisse inter fratres rixam, occiforem impetum, & crimen legitime non comprobatum: Ergo inuenit occasionem fauendi matri, & indulgendi occifori, vtque hîc resplenduit clementiâ;

clementia, ita in aliorum fratrum supplicio emicuit iustitia. Grauiſſimum crimen est, sine causa nocere, non adeo graue, motu inconsiderato delinquere. Ieroboam à Dei viro seuerè reprehensus, & indignatione inflammatus contra eum manum extendit, quæ, torpentibus musculis, statim exaruit: *Exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* 3. Reg. 13. v. 4. Deferente irâ, agnouit culpam, & citò impetrauit veniam. *Reuersa est manus Regis ad eum.* Transi modo ad Moyſis sororem, quæ, cum deliquerit linguâ, fædissima tabuit lepra: Moyſes humillimis precibus Deû exorat, & quamuis Numinis mitigarit iram, non statim assecutus est veniam. *Exclusa est itaque extra castra septem diebus.* Num. 12. v. 15. Si inquiras: cur alibi statim concessa fuerit indulgentia, & alibi diu afflixerit multa? Respondeo sæpè altiore plagam incutere obmurmuratione linguam, quàm ferro dexteram, & ad hæc: Ieroboamus repentina indignatione percitus, reprehensioneque exasperatus errauit; soror verò per otium deliquit. Ergo etsi vterque deliquerit, citiùs indulſit clementia repentina indignatione correpto, quàm obmurmuranti ex consilio. Prodest Ambrosius apud Gloss. ad cap. 13. lib. 3. Reg. *Maturum in vno, & misericordia diuina, & indignationis exemplum fuit.* Repentè indignato, & indignatione deliro pœna est remissa, studiosè delinquenti diu inhæsit lepra. Vt hinc noscamus, culpam repentino ardore perpetratam aliquali veniâ esse dignam, offensam verò studiosè commissam seueriori castigatione multandam.

§ XXV.

Iudex in suorum causis seuerior, in aliorum resplendet mitior.

SAlubris ordinatio subiectorum mores componit, dum errores debita districtione compescit. Perita medentis manus, dum vnum cauterio exurit, omnium membrorum saluti attendit. Nec aliter Iudex pœna pœnam expungit, & medentis munus exercet. Laudabile est amputare corruptum, reducere deuium, expolire incomptum: verum is modus Iudici tenendus est, vt scilicet suos seueriùs contineat, cum extraneis verò se mitiùs gerat; sic namque malignam semper vitabit inuidiam, & aliter inuidiosam subibit notam. Thecuitis filius fratricidio delinquit, & David matris gemitibus inclinatus, clementer se gerit: *Non cadet de capillis filij tui super terram.* Absalom fratrem occidit, & post tres annos eum persequi David destitit. *Absalom cum fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis; cessauitque Rex David persequi Absalom.* Superiori capite v. vlt. Hinc oritur quæstio: si vterque fratricidio polluitur, cur alterum seuera fatagit seueritate punire, & alteri inuenitur clementi benignitate indulgere? Profectò Absalonis culpam videbatur dissimulaturus clementior, & alterius offensam puniturus fore rigidior: Quomodo ergo inuertit ordinem, & contra filium armatur rigidus, & extraneo parcit humanus? Ob id certè ipsum; nam vt David optimæ politices formam præscriberet, Absalom filio rigidior, cum Thecuitis filio esse oportebat humanior. Innuit aliquomodo Abul. q. 22. *Dedit Rex maximam securitatem mulieri.* Mitius se gerit cum extraneo, seuerius cum proprio, vt suspicionem omnem eluderet, & inuidiam profus auerteret. Quàm aliter aliquandò contingit! In amicorum, cognatorumque causis resplendet benignitas; in aliorum terret seueritas. Sæpè repeto in Sanctorum dilaudandis actionibus errores nostros depingi, honestique

facti coloribus iniqua facta adumbrari. Ergo veniamus ad Elisæum: Deliquerunt pueri sublanando, & irridendo, sed puerilis iocus dilaceratione est punitus. *Maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* 4. Reg. 2. v. 24. Transi ad Gieffi, qui specioso mendacio, & mendaci dolo Naaman fefellit, & spoliavit: huic non decreuit vrsorum dentem, sed obscuram lepræ sceditatem. *Lepra, Naaman, adheribit tibi.* 4. Reg. 5. v. 27. Non adeo graue videbatur puerorum piaculum, vt graue adeo decerneretur supplicium; grauis erat rapina, & grauior incussa Prophetæ nota, & tamen multa fuit lenior. Ecqua huius discriminis ratio est? An quia Gieffi domesticus, & puer extraneus? Profectò Elisæus aequitatis legem custodiuit, sed suis factis, quam diuersis oculis, quàm diuersis etiâ affectibus inspiciantur propria, & extranea, nobis ostendit. Innuit Chryſ. apud Gl. *Seruo perfidia intulit panam.* Perfidia familiaris, lepra est castigata, puerorum audacia vrsorum laceratione punita.

§ XXVI.

Erga filios est rigiditas temperanda, ne grauior emergat culpa.

Decet parentes errores filiorum corrigere, & æstuantem varijs passionibus iuuentutem frænare. Verum prudentia adhibenda est; nam vt nimia indulgentia nocet, sic nima rigiditas lædit. *Filiorum causas* (aiebat Athalar. 9. Var. 21.) *iure ad patrum cognoscimus remississe personas; vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare.* Non possunt parentes erga prolem esse minus solliciti, cum ipsis ex posteris dedecus crescat, aut laus. Per commodorum augmenta expedit prouocare, vt etiam terrore debito continere. Sunt tamen nonnulli parentes, qui se filiorum hostes exhibeant, & aperta bella gerant: Vndè contigit, vt à domo exclusi, & malis tractationibus exasperati in culparum præcipitia labantur, & erroribus coinquentur. Absalom impudenti fratris audacia, & illata sorori exasperatus iniuria debitam expetiuit vltionem; inter pocula perijt, qui inter forbitiunculas arsit, forbitiunculas affectans violarat pudorem, & inter fercula tulit necem: Vt cibus, qui præbuit occasionem dolo, præberet etiam occasionem supplicio. David dolore accerrimo exulceratus tribus annis fratricidam persecutus est studio conatu; sed Thecuites Dei ingessit memoriam, vt temperaret ardentem iram. *Recordetur Rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vltiscendum.* Achi dicat: Dei imitare in corrigendo prudentiam; sic namque corrigit, vt lenitatem seueritati admisceat, & rigorem humanitate componat, ne culpatus nimia lenitate insolescat, aut nimio rigore furat. Ergo si perseueret vindictæ ardor, & fratricida diu cogatur exulare, timendum est, ait, ne in maiores errores incidat, & desperatus de veniam gentium idola execranda colat. Hunc esse Thecuitis verborum sensum tradit Lira: *Prima ratio accipitur ex parte maioris mali, quia Absalom, & illi, qui cum eo erant fugitiui in terra idololatriæ subditi, propter quod erant in periculo declinandi ad idololatriam per eorum suggestionem, vel inductionem, inter quos habitabant.* Cum facile sit, eorum, quibuscum conuersamur, mores ebibere, & actiones imitari, inquit Thecuitis: verendum est, ne Absalom diu profugus idolis inferuiat, terrigentiarum persuasionibus inclinatus. Ergo recordetur David Dei sui, hoc est, veræ religionis, ne dum inexorabilis renuit in gratiam filium admittere,

admittere, Absalom desperatus statuat secum idola colere. Prof. cōto parentes, dūm filios nesciunt prudenti moderamine corrigere, occasionem grauioris detrimenti solent præbere; nam filij animum despondentes, amplectuntur peruersos mores, & indignis factis obtenebrant stemmatum claritates. Paulus Epheseos instruens, parentibus præscripsit normam, & vniuersis salubrem tradidit disciplinā. *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Ad Ephes. 6. v. 4. Sæpè nimia asperitas filij iracundiam inflamat, & inflammatus, ardoreque cæcus sancta naturæ violat iura, lædit præcepta. Innuit Anselm. ad hunc locum: *Nolite illis ea facere, propter qua peccent per iracundiam, quia patres estis illorum, & quia illi sunt filij vestri.* Non semel aliquam errorum excusationem filij sortiuntur, dūm nimia rigiditate tractantur. Ergo ita correctio disponenda est, vt nec lenitas remittat habenam, nec asperitas inflammauerit iram.

§ XXVII.

Superior exoretur facile ad veniam, difficulter inflammatur ad iracundiam.

In parte pietatis recidit (aiebat Cassiodor. 3. Var. 47.) mitigata districtio: & sub beneficio præstat, qui pernam debitam moderatione considerata disposuit. In prudentiæ elogium delinquentis cedit reatus, nam ni culpæ occasione emergent; nec prudens adhiberetur districtio, nec salubris omnia componeret ordinatio; ast vbi eo se moderamine Iudex gerit, vt cæcam nec prolatur in iram, nec difficulter exhibeat veniam, recta deprædicatur benignitate præditus, & benigna æquitate ornatus. Itaque gaudere debet ad veniam exorari, nec patitur præcipitem, exoculatamque ad iracundiam impelli. Deliquerat Absalom, fratrum sanguinem effundens, sed prouocatus iniuriâ, sed sororis exasperatus offensâ: Dauid graui dolore percussus, flagitijque fœditate commotus se inexorabilem exhibebat: iam triennium elapsus erat, nec tamen vulnus tractari se patiebatur. Quid tunc? Thecutes accedit, vtque Deum imitetur, suadet: *Recordetur Rex Domini Dei sui: Ac si dicat: cum vices geras Numinis, modum imitari debes correptionis. Et quidem Deus facile precibus inclinatur ad veniam, nec visceribus fouet pertinaciter iram. Ita Angelom. apud Glos. Deus peccatores, qui à diabolo captiui detinentur, vt ad se conuertantur, vocat: & tu, qui eum imitari debes, cur non eo modo agis?* Dauid oratione persuasus persequi exulem destitit, & veniam desideratam indulgit. Audi apud Gloss. Ambros. *Degenerem filium, & fratrum oblitum sanguine ad vnius mulieris petitionem paternis visceribus mentem emollitus, domo recepit.* Non indignationis attendit affectum, sed recepit filium, mulieris precibus inclinatus, & supernam Numinis gubernationem secutus. Prodigii pater post tot perpetrata à filio scelera facile indulgit, & maluit beneficijs obstringere quàm seueris pænis mulctare; dixit ei filius. *Pater, peccavi in calum, & coram te.* Luc. 15. v. 21. Quid tunc? *Dixit pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Senior frater domui appropinquat, & sonoris accentibus repercussus, & fædi liuoris ardoribus vstulatus fratrem dehonestat, & linguam contra parentem obarmat. *Nunquam dedisti mihi hadum, vt cum amicis meis epularer.* Vidit pater degenerasse animo, inflammari in fratrem odio, & nihilominus blandè inuitat, & leniter rogat. *Capit rogare eum.* Hinc oritur difficul-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

tas: si ad primas Prodigii preces indulgit humanus, cur ad senioris offensas non incanduit iracundus? Rogasse refertur, irâ inflammatus non dicitur. O vtilem nobis eruditionem! Factis edocuit, superiores oportere esse ad veniam faciles, ad iracundiam difficiles. Senioris inconsiderantiam tulit patienter, iunioris errori indulgit benignè. Prodest Chrysolog. Serm. 4. *Videt filium degenerasse animo: videt paternæ pietatis, paterni generis nihil habere, & tamen nuncupat filium, suadet affectum.* Degeneres mores, quos auaritia ingratitude mixta publicabat, parentis tolerantia adnitebatur corrigere, & tenacitatis notâ infamatus malebat iram prudentissimè continere. Itaque cum fuerit ad veniam facilis, ad iracundiam inuenitur difficilis, superiores edocens raro irasci, & frequenter indulgere.

TEXTVS.

VERS. 12. & 13. Dixit ergo mulier: loquatur ancilla tua ad dominum meum Regē verbum. Et ait: loquere. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & loquutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?

§ XXVIII.

Arduum est diu inter improbos habitare, & eorum mores non sugere.

Inimica est bonis moribus multorum conuersatio: nemo non aliquod nobis vitium aut imprimit, aut allinit. Quò deteriores sunt, quibus commoramur, grauiori periculo obijcimus: ipso coniectu vitia facilius subrepunt, & animum paulatim inficiunt. Opportunè Sene. Epist. 7. *Vnum exemplum aut luxuria, aut auaritia multum mali facit: coniecto delicatus paulatim enervat, & emollit: vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis candido, & simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his credis, in quos publicè factus est impetus.* Dissimilis populus Catoni, & Socrati excutere mentem posset, ni cautela secederet: facile transitur ad plures. Quid erit, si tener animus, & parum recti tenax versetur cum improbis? Ob id Thecutes Dauidem arguit, & aliquomodo crimen impingit, quia Absalonem, eiusque assecas, quos Dei populum vocat, obstinato animo inter idololatrias commorari compellat, & eorum mores imitandi occasionem, exilio producto, exhibeat. *Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & loquutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?* Ac si dicat: dūm Absalonem, eiusque comites, qui ad Dei populum pertinent, inter veræ religionis exortes pertinaci cogis indignatione habitare, culpâ nequis non infici; cum constet eis aliqualem deficiendi à vera religione occasionem præbere. Hunc esse horum verborum sensum testatur Abul. q. 14. *Hic incipit mulier allegare tres rationes, propter quas deberet reuocari Absalom. Prima erat: quia aliàs ipse, & qui cum eo erant, possent declinare ad idololatriam; & Dauid, qui cogeret eos manere in terra illa, peccaret, tanquam dans occasionem idololatriæ.* Cum iam per tres annos Absalom, & qui cum eo erant Israelitæ, fuissent cum idololatriis conuersati, ait The-

cuitis, verendum, ne in incolarum errores incidant, & veram religionem abiecerint: concluditque, hoc periculum parenti imputandum, cum non bona constantia protelarit exilium. Hinc conijcies, quam sit casibus obnoxium inter improbos degere, & inter veræ religionis infcios diu conuersari: hinc etiam doceris, quam sit miris elogijs Redemptorum charitas dilaudanda. Nonne vides, quanta pericula deorent, quam periculosa maria traiciant, quantam pecuniarum summam impendant sanctissimæ Trinitatis Religiosi, & sanctissimi Petri Nolasci filij, vt captiuus errandi occasionem auferant, & à Mauro-rum consortio eripiant? O quot pueri teneri ingenij, ô quot puellæ nondum perfectæ virtutis, si diu inter barbaros vixissent, à Catholicæ fidei puritate degenerassent! Verum hi virtutis heroës citò subueniunt, & magnis incommodis errandi occasionem, eximia ar-dentes charitate præcidunt. Cum Sauli odio æstuanti plures, vt adulationibus inirent gratiam, faces subderent, vtque Dauid è terrâ Israelitarum exularet, continuis calumnijs procurarent, se Deo execrabiles, & odibiles reddidisse testatur ipse Dauid; quia etsi alia eorum esset intentio deficiendi à vera religione, magna eius socijs præbebatur occasio: *Maledicti sunt in conspectu Domini; qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis.* 1. Reg. 26. v. 19. Non suadebant verbis, dijs alienis inseruire, sed factis: nam cum Regis animum inflammarent, & inter alienigenas diu commorari compellerent, diuturnus ille conuictus, ni Dauid talis esset, eius animum emolli-ret, & alienigenas imitari suaderet. Ecquis hoc ait? Certè Lira. *Dicentes facto: Vade, serui dijs alienis, quia illi, qui propter persecutionem coguntur intrare terram idololatriæ subditam, exponuntur peccato idolo-latriæ, eoquod ab idololatrijs ad hoc de facili inclinantur, & aliquando violentia pena coguntur.* Dùm praua mouent exempla, dùm terrent supplicia, imminet veræ religioni naufragia. Ergo fugienda sunt improborum consortia. *Commixti sunt* (ingemiscit Psalt.) *inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruiuerunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Psal. 105. v. 35. Eorum opera non didicissent, ni inter illos habitassent: *Didicerunt opera eorum* (exponit Euthym.) *iniqua nimirum, & impia.* Facile incolarum didicerunt mores exemplis prouocati, aut panis deterriti: graue adedò scandalum est, inter improbos degere, & cum peruersis morari.

§. XXIX.

*Prudentia est, populi tumultum vitare,
& grauiora detrimentis minori-
bus præcauere.*

Negotiatio est, aliquid amittere (aiebat Tertul. Ad Martyras cap. 2.) *vt maiora lucreris.* Non femel, ni quis aliquid de iure suo remittat, popula-rem flammam improvidus excitat, & dùm quæ facile extinguì posset, scintilla flabelatur, in incendiùm-que augetur. Ardebat Dauid desiderio puniendi Ab-falonem ob perpetratum fratricidium. Verum diser-tissima Thecuites rationem affert satis vrgentem, vt ardori vindictæ modum imponat, scilicet studium illud afferre posse non exiguum regno, & populo detrimentum; nam si Dauid aliquid capitale contra Ab-falonem decernat, populo, qui homicidij cau-sam non ignorabat, & alioquin Ab-falonem dilige-bat, seditionis exhibebatur occasio, quam præca-uere debebat Princeps; cum satius esset vim sibi

inferre, quam totam plebem pro Ab-falone stantem irritare. *Quare cogitasti huiuscemodi rem contra popu-lum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum?* Ac si dicat: si Ab-fal-orem exulem non reduxeris, aliquidque exilio du-rius decreueris, populus beneuolentiâ erga Ab-fal-orem affectus, & decretis exasperatus, forsitan eius partes tuebitur, & decreta armis infirmare conabitur: ergo satius erit, quid de iure tuo remittere, & grauiora adedò detrimenta vitare. Hunc esse horum verborum sensum tradit N. Sanct. *Peccaret Dauid non solum contra fratricidam filium, sed etiam contra populum totum, cum scintillam spargeret in aridam illam syluam, qua magnum excitaret incendium, quod non nisi multorum sanguine extinguì posse videbatur.* Cùm plurimi de populo non bene de Rege senti-rent, si obstinatè persequeretur violatæ sororis vin-dicem, in arma ruerent, & totam Reipublicæ quietem turbarent: vnde satius erat Dauidi, affectum illum premere, quam vniuersalem pacem intertur-bare. *Non cum Ab-falomo* (adnecit Sanct.) *sed cum toto populo videbatur sumendum esse certamen.* Itaque sapiens fæmina hoc cõsilio, & argumento Dauidi sua-sit sententiam retractare, & generali tranquillitati cõ-sulere. Profectò sæpescapius dùm superiores, Princi-pesque retractare nolunt sententiam, & periculo-sam tuentur constantiam, plurimis se periculis ex-ponunt, & paci Reipublicæ contradicunt. O quoties, dùm malunt priuatis affectionibus adulari, & nihil de potestate remittere, animos exacerba-runt, & ad seditionem exasperatos imprudenter impulerunt! Simeonis, & Leui damnauit pater per-tinax consilium, & extortum ab iracundiâ decretum. *In consilium eorum non veniat anima mea.* Gen. 49. v. 6. Simeon, & Leui violatam sororis pudicitiam decre-uerunt vlcisci, nec cogitarunt, quantas contra se ar-matorum turbas mouerent, & quot populos irrita-rent. *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananais, & Pherezais habitatoribus terra huius. Nos paucis sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Gen. 34. v. 30. Imprudens erat con-silium, ne sororis stuprator remaneret inultus, mul-torum arma contra se acueret, & totius familiæ ruina vltionis solatium emere. Opportunè Oleaster ad lit-teram: *Non sum cum eis in consilio.* Expetita sola-bantur dolorem vltione, sed eorum erat solatium, imminente inimicorum illuue generale periculum. Ergo Iacob cæcum damnauit consilium. *In consilium eorum non veniat anima mea.* vtpote ex quo vnus horæ infania soluenda erat cruenta, exitalique mul-ta: *Delebor ego, & domus mea.* Profectò si Roboa-mus retractasset sententiam, grandem vitasset rui-nam; ast dùm mauult auctoritatem ostentare, quam precibus humanus annuere, seditionem excitauit, & maiorem regni partem amisit. *Quæ nobis pars in Dauid?* 3. Reg. 12. v. 16. Negotiatio fuisse, vt aiebat Septimius, aliquid amittere, vt lucraretur maiora. Verum imprudens, ne avaritiæ imponeret modum, penè amisit regnum. *Negotiatio est, aliquid amittere.* Ergo nouerint superiores aliquid prudenter auctori-tati detrahere, in auctoritatis lucrum, & commodum cedere.

1. Reg. 26.
v. 19.Psal. 105. v.
35.Gen. 49. v.
6.Gen. 34. v.
30.3. Reg. 12. v.
16.

TEXTVS.

VERS. 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est.

§. XXX.

Sæpè dùm virtutis opus procrastinatur, interueniente morte, impeditur.

A Deò velociter, rapidèque dati nobis temporis spatia præteruolant, vt sæpè in ipso ad vitam apparatu inopinos destituant. Animalia longius durât: homini in tam multa, ac magna genito breuis meta decreta est. Verùm contra ipsam experientiam nitimur; & quisque longam sibi vitam aut promittit, aut credit. Stultus ille diues proluxa spatia cogitabat, sed ea ipsa nocte spebus destitutus, & bonis omnibus caruit dispoliatus. *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Luc. 12. v. 19. Dùm plurimos sibi annos promittit auarus, inopina morte decedit stultus. Opportunè Tertull. de Orat. cap. 6. *Qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longa securitatis spatia cogitauit, is ipsa nocte moritur.* Quàm securus prouidebat longissimæ vitæ subsidia, cum imminerent naufragia! Hinc est: quòd plures, dùm longum sibi sæculum blandiendo promittunt, in futurum differunt pœnitentiam, & dùm differunt, pereunt. Thecuitis Dauidi suaserat Abfaloni veniam largiri, & clementer reuocare, & ne in posterum mitteret, vitæ breuitatem obiecit: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Ac si diceret: vt aqua in decliui semper prolabitur, & vnda vndis superuenientibus adurgetur, ita vita nostra continuè temporis lapsibus euolat, & in futurum disposita frustrat: ergo statim debes Abfalonem reducere, cum nescias an die crastina mortem te contingat oppetere. Ad rem N. Sanct. *Vt aqua in decliui loco semper labitur, donec se marinis fluctibus infundat: sic etiam ad mortem properat, & cum morte coniuuit, aut etiam commoritur vita mortalium.* Incertum est, quid dies crastina afferat; ergo differre non debes (arguit sapienter Thecuitis) perficere propositum, ne, dùm differs, celeris mors apponat impedimentum. O si plures Thecuitis arripere salubre consilium! Verùm, dùm falsis spebus sibi adulantur, improuidi, & infelices rapiuntur. Pater ille, qui vestire nudum, & cibare proposuerat famelicum, seruos perurgebat, ne differretur vestimentum, aut prandium. *Ciò proferte stolam primam, & induite illum.* Luc. 15. v. 22. Et cur seruos non patitur immorari, nec sustinet misericordiam differri? Quia vt prudens (inquit Chrysol. Ser. 3.) nouit posse vitâ frustrari, ni citissimè curauerit adimplere: *Tardam misericordiam pater nescit.* Fors deficeret vita, dùm differretur misericordia: ergo rapuit occasionem, nec passus est tarditatem. Babylonus ille Rex statim ac recepit sensum, in cælum leuauit obtutum, & Altissimo benedixit: *Sensus meus redditus est mihi; & Altissimo benedixi.* Dan. 4. v. 31. Transi ad Ægyptium Regem, qui cum posset pœnitentiam statim arripere, in posterum distulit. *Constitue mihi, quando deprecet pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur vana... Qui respondit cras.* Exod. 8. v. 9. Exitus alterius commendauit prudentiam, & alterius prodidit stultitiam. Qui ad exhomo-

logesim cucurrit, inuenit thronum; qui in sequentem diem distulit, sustinuit miserandum naufragium. Notauit Tertull. de Pœni. cap. 12. *Babylonium Regem in regna restituit... contra autem Ægyptius Imperator, qui populum Dei aliquando afflicium, diu Domino suo denegatum persecutus in pralium ruit post tot documenta plagarum, didico maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perit.* Attentius audi, quæ subdit: *Pœnitentiam enim, & ministerium eius exhomologesim abiecerat.* Distulerat alter non in proluxa spatia, sed in sequentem diem retractare sententiam; alter moram passus est nullam. Ergo qui in crastinum distulit, maris sustinuit naufragium; qui occasionem opportunam statim rapuit, peruenit ad regnum: Vt notum omnibus fuerit, quàm sit periculosum, pœnitentiam differre, & quàm salubre occasionem exercendæ virtutis rapere. Urgeat ergo Thecuitis Dauidem aquæ prolabantis exemplo, ne differat, veniam concedere afflicto.

§. XXXI.

Nimius defunctis luctus otiosè impenditur, quibus inutilis prorsus probatur.

Luctui modum imponere debet prudentia; et si ad dolorem urgeat natura. Decessit charus, eximij dotibus perpolitus, nequit natura doloris tributum non pendere, sed prudentia edocet temperare. Quid defuncto proderit, capillos euellere, faciem vnguibus lacerare, tragœdias ciere? Certè defunctus nec lamentis reuocabitur, nec ad vitam iterum eiulatibus reducetur. Ergo is sit dolor, vt non sapiat insaniam, sed humanam deceat naturam. *Grauius fers* (aiebat Sen. epist. 63.) *decessisse Flaccum amicum tuum. Plus tamen aquò dolere te nolo. Illud, vt non doleas vix audebo exigere, & esse melius scio... Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lachrymas: si non nimia decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi, amisso amico, nec fluant. Lachrymandum est, non plorandum.* Infelici stultitiâ nonnulli excitauere tragœdias, fuderunt lachrymas, non sequuntur dolorem, sed ostentant ambitiosè. Deposcat ius suum natura, sed plus non soluerit imprudentia. Expendendum est, nihil lamenta defuncto ad vitam precessè, & deplorantem nimis infamare; temperanter dolenti creditur, intemperanter lugenti illuditur. Occisus fuerat Amnon tenerè dilectus, & eximij naturæ dotibus exornatus: Dauid diu planxerat, & graui exulceratus dolore perseuerabat. Ergo prudens Thecuitis, vt temperaret mœrorem, consuluit, & planctu Amnonem non reuocandum asseruit; vnde luctui imponere, fas erat, modum: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Vt aquæ à tellure ebibitæ (inquit) non reuertuntur, ita homines telluri traditi non iterum reuocantur: ergo nimius planctus otiosè penditur, & prudentiæ querela emittitur. Opportunè Hugo Card. *Hic vult eum consolari mulier super morte Amnon, quasi dicat; non est dolendum de morte alicuius, quia omnes moriemur, & nullus de morte reuocatur propter dolorem, vel luctum alicuius: sic igitur filium à morte reuocare non potes ad vitam.* Non suaderem (inquit) luctum temperare, si Amnon ad vitam posset nimio dolore redire, sed cum nimius otiosus sit luctus, soluatur naturæ tributum, sed temperetur lamentum. Quis neget plures dolorem non sequi, sed dolorem ostentare? Profectò dùm maior est ostentatio, lenior est sapientimè dolor. Demortuo viro Dei, fatidicus ille Gero-boami Propheta aërem eiulatibus implebat: *Hæu;*

Luc. 12. v. 19.

Luc. 15. v. 22.

Dan. 4. v. 31.

Exod. 8. v. 9.

1. Reg. 13.
v. 30.

heu, mi frater. 3. Reg. 13. v. 30. Censeres ab intimo dolore emanare repetita suspiria, erant tamen revera conficta ad ostentationem lamenta. Internum gaudium copioso exterius tegebat luctu, & fallebat audientes planctu. *Ipsa nos* (Senecam iam datum audi) *amaritudo delectat: cum verò interuenit spatium, omne, quod angebat, extinguitur, & pura ad nos voluptas venit.* Delectantur sæpè, amissis viris, feminae, & vxoribus amissis viri, sed obtegunt delectationem lamentis, & minus dolent, dum in adstantium conspectu plus lugent. Fatidicus plangit, & suspiria iterat, sed exterior illa amaritudo delectat. Audi Liram: *Planxerunt, sicut tamen, quia ad hoc deceperat eum, ut moreretur.* Quid vtitur? quid verius?

§. XXXII.

Vrbana in Principe humanitas omnium corda sibi deuincit, & sui desiderium facit.

PRinceps nascitur, sed in bonum evadit erga suos humanitate, & erga ius rectitudine. Magnum virtutum præmium intra ipsas virtutes est; produciunt tamen suauissimos fructus, & omnium sibi deuinciunt animos. *Non hic est sine ratione populus, vrbibusque consensus* (scribit Seneca lib. 1. de Clem. cap. 3.) *sic protegendi, amandique Reges, & se, suaque iactandi quocumque desiderauerit imperantis salus.* Vbi Princeps morum facilitate, conuersationis dulcedine, iustitiæ æquitate ad se traxit animos, pro eius omnes adlaborant salute. Quodsi aliquod ei imminet periculum, proprio sanguine avertere sollicitè gestiunt, & incommodis etiam salutem suffulcire discipiunt. Absalom non sine magna causa in fratrem exarsit, occiditque, cumque Dauid irati, & acerbum quid meditantis animi signa prodiderit, omnes se mortem arbitrantur oppetere. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Periclitanti (inquit Thecuitis) Absalonis salute, omnes dilabimur, & præ eius desiderio morimur. Prodest Hugo Card. *Omnes morimur, id est dolore perimus, eoque Absalom filium tuum non reuocas.* Et quid omnes in hunc traxit consensum, & Absalonis salutis studium? Certè humanitas, & erga omnes benignitas: *Stabat iuxta introitum portæ in viâ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se.* Infra. 15. v. 2. Populi animos ita ad se inclinavit affabilis, & humanus, ut ab eius salute salutem vniuersalem pendere crediderint, & omne ab eo periculum propulsare concorditer laborarint. Non latitabat Absalom veluti fera in antro, sed stabat, ut omnes consolaretur, in publico: ergo vbi eius vitæ existimarunt periculum imminere, se mortem fatebantur adire: *Omnes morimur.* Discant hinc superiores humanam vrbanitatem, si velint ad se allicere multitudinem: est enim in Principe affabilitas amoris philtrum, animorum incantamentum. Vbi sponsus Principis eloquium blandum, dulcèque asseruit, coccineæ vittæ labia comparauit: *Sicut vitæ coccineæ labia tua, & eloquium tuum dulce.* Cant. 4. v. 3. Et cur dulce eloquium coccineæ vittæ sortitur officium? Quia ut vitæ ligat, ita eloquium dulce animos laudabiliter sibi copulat, & dum labia purpuræ regio rutilant splendore, & splendor refulget humanitate, suavis omnium corda violentia trahit. Opportunè Gilibert. Serm. 24. *Ea labia ligant, & rutilant.* Ligant labia, dum humanitate diffluentia proferunt verba. Absalom omnium sibi animos colligauit, dum se blandum, & humanum exhibuit.

Cant. 4. v. 3.

§. XXXIII.

Talem erga aliorum errores se exhibeat, qui suis Deum propitium exoptat.

QVotus quisque ex quaestoribus est, qui non cã ipsã lege teneatur, quia alium premit? quous quisque accusator vacat culpa? Cur ergo ad dandam veniam difficilis sit, qui illam petere sæpè cogitur, & propriã conscientiam adstringitur. Omnes delinquimus: alij grauius, leuius alij: alij vrgente occasione impulsif, alij passionum adulationibus inclinati: Quis tam feliciter in arenã pugnavit, ut illæsus prorsus exierit? *Optimè* (aiebat Seneca lib. 1. de Clem. cap. 7.) *hoc exemplum Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi deos velit. Expediit ergo habere inexorabilia peccatis, atque erroribus Numina? expediit vsque ad ultimam infesta perniciem?* Quis erit tutus, si Deus statim, ac homines prolabantur in peccato, contorqueat fulmina? benignus, mitisque expectat, ut sententiam demutarint, & styllum verterint. Hoc ergo argumento persuadet Thecuitis Dauidi; ut demutet sententiam, & Absalomem reducat: *Nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est.* Disertè factis Dauidem admonuit, Deum erga illum adeo clementem fuisse, ut post adulterium, homicidiumque implacabili irã non exarserit, sed ad primam penititudinis veræ significationem indulserit: falque esse, ut ipse etiam erroribus defædato filio indulgeat, & Deum secutus, humanè parcat. Audi N. Sanct. *In se nuper exemplum viderat ipse Dauid, cui post adulterium, & cadem, quibus graue erat à lege supplicium constitutum, ignouit tamen, cum duas protulit vuculas in testimonium penitentis animi.* Ni Deus retractasset sententiam, grauius (inquit Thecuitis) soluisse mulctam. Cur ergo obstinato animo filium persequeris, qui Deum adeo tibi clementem experiris? Hoc argumento conuictus Dauid filio pepercit, & indulgere peccantibus docuit. Ille pluribus talentis oppressus non solum præstolantem Deum, sed indulgentem expertus est: orabat patientiam, & indulgentiam inuenit: *Debitum dimisit ei.* Matthæi: 18. vers. 27. Plus, quàm exorauit, obtinuit: sed cum Deum expertus fuisset adeo benignum, ipse erga conseruum exiguo obligatum debito se gessit acerbum: *Misit eum in carcerem.* Qui tot talentis grauatus misericordiam inuenit, dum conseruum inexorabilis premit, dignam sententiam sustinuit: non habuit, quid pro se afferret, cum tantis benignitatis documentis eruditus, incanduit contra conseruum nimis iratus. *Apprehenso fratre* (inquit Remig. in Cat.) *vindictam ab eo exegit.* Consonat Chrysost. ibi: *Vide Domi charitatem, & serui crudelitatem. Hic pro decem millibus talentis, hic autem pro centum denarijs; hic conseruum, hic autem Dominum rogabat: & hic quidem totalem absolutionem accepit, ille autem solam dilationem petebat; nec hoc dedit.* Erga se voluit Deum misericordem, ob exiguum debitum, exhibuit se exactorem crudelem. Hoc ferè omnes homines comprehenduntur errore: concedi sibi à Deo grauius criminum exambiunt veniam, cum in leuiter contra se peccantem implacabilem effundant iram.

Mat. 18. v.
27.

§. XXXIV.

Optimi ingenij est, alieni excusationem erroris querere, maligni, culpam nimis exaggerare.

Causa alterius bene acta nobilitat, quando bono proposito agere creditur, qui, ut errorem imminuat, probabilem inuenire excusationem conatur. Peruersi ingenij est, excogitatis cauillationibus lapsus ingrauari, utque multa creuerit, offensam criminis audaugere. *Non irascetur sapiens peccantibus* (aiebat Sene. lib. 2. de Irâ Cap. 10.) *Quare? Quia scit neminem nasci sapientem, sed fieri. Scit paucissimos omni auro sapientes euadere, quia conditionem humana vita perspectam habet: nemo autem natura sanus irascitur.* Qui spineta, sentesque vtilem aliquam frugem non producere indignatur, insipiens conuincitur; sentes natura defendit, iratum arguit. Qui plurium insistens vestigijs, à rectâ viâ deflexit, aliqualem speciem excusationis obtinuit. Benigno ingenio præditus quærit, ab ætate, ab occasione, à tempore, quo aliorum errores imminuat, & errantium culpas alleuare laborat. Thecuitis Dauidem arguit, quòd obstinato animo Absalonis persequatur culpam; cum plura excogitare posset, ut leuarit offensam. Peccauit Absalom, sed iniuriâ prouocatus, sed sororis eiulatu commotus, sed Ammonis insolentiâ compulsus: ergo debuisses (inquit Thecuites) crimen minuere, non delictum exaggerare; cum Deus Iudicium, ac superiorum idea, reorum culpas non augeat, sed indulgendi inuenire occasionem discupiat: *Nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est.* Ac si dicat: Varias mente cogitationes reuoluit, ut inueniat, quo alleuarit culpam, & mitigauerit pœnam, quia non cupit delinquentis animam perdere, sed saluare. Opportunè Abul. q. 14. *Retrahet cogitationes, id est repetit eas, ut inueniat modum, per quem liberet eum, què condemnauerat.* Loquitur mulier de Deo tamquam Iudice benigno, qui erranti compatitur, & ne iudiciali sententiâ premat, ad misericordiam studiosâ sollicitudine viam reperire adlaborat. Ergo cum fas sit (inquit Thecuites) benignum Numinis ingenium imitari, non debes Absalonem obstinato animo persequi. Bonæ certè indolis Iudex quæsitis excusationibus ad misericordiam flectitur; peruersi ingenij, delinquentis reatum exaggerare conatur. Vendiderant fratres Iosephum inuidentiâ adusti, & cæco odio exasperati: cumque ad eius genua procumberent, & supplicium durum timerent, anxios consolatus est, Deumque asseruit sic disposuisse, ut venditus fulgeret throno, & frueretur Ægypti imperio: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Gen. 50. v. 19. Ac si dicat: Vos me vendidistis, quia sic Deus decreuerat ad dignitatis fastigium me euehere, & quos patienter labores pertuli venditus, munerare. Itaque meæ gloriæ extitistis occasio, dum cæco inferuistis odio. Perbellè Basil. Se-leuc. Oratio. 8. *Iniuriarum defensionem, qui eas pariebatur, querit.* O quàm dulci ingenio præditus nescitur, dum fratrum culpam excusare molitur! Non exaggerat se dentibus inclementibus laceratum, & avaritiâ detestabili venditum, sed excusat fratres, quasi diuino inferuierint decreto, & obtinendo profuerint throno. A verâ charitate Iudices, superiorè que deuiant, si errantium culpas spontè exaggerant. Laudabilem in Dauidem Achimelech pietatem vitij Doeg colore vestiuit, & Saüli adulatus adauxit:

Consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philistæi dedit illi. 1. Reg. 22. v. 1. Reg. 22. v. 10. Theodoretus apud Gloss. ad cap. 21. malo exagitatatum tradit spiritu: *Est perspicuum, quòd Doeg vexabatur ab aliquo demone.* Et vnde hæc perspicuitas apparet? Ex ipsa (inquit Theodoretus) existimati criminis relatione, dum culpam ingrauari adnititur, à demone exagitari dignoscitur: nam qui bono ducuntur spiritu; aliorum errata silentio premunt, & si referre opus, benignè actionem interpretantur, & inuenire occasionem nituntur. Doeg, dum occulta spontè refert, dum culpam exaggerat, malo agitari spiritu dilucidè constat. *Est perspicuum, quòd Doeg vexabatur ab aliquo demone.*

TEXTVS.

VERS. 15. Nunc igitur veni, & loquar ad dominum meum Regem verbum hoc, præsentem populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad Regem, si quomodo faciat Rex verbum ancillæ suæ.

§. XXXV.

Spes firma præstat Orationi efficiam, auferet infirma energiam.

Fiducialis præsumptio præcibus præstat efficiam, & annuentis adauget gloriam; nam, ni spes bene præsumeret, præcibus abstineret. Deum honorat, qui de eius benignitate non dubitat: qui dubius accessit, negare edocuit. *Spes fidei gloria* (scribit Zæn. Vero. ser. de Spe, &c.) *quoniam premium, quòd spes habet, fides meretur: quæ quidem pro spe pugnat, sed sibi vincit.* Pro spe stat fides, & dum indubiè credit, fiduciæ merito, quòd deprecabatur, assequitur. Spei accommodat datus Zæno verba illa Christi: *Habenti dabitur.* Matth. 25. v. 29. Zænónem audi: *Seruumus ut nostram, ut iurè speremus aliena... maximè cum scriptum sit: Qui habet, dabitur illi.* Qui indubiè spe accedit, impetrandi ius habet, & assequi desiderata, dum precatur, meretur. Aggressa est Thecuitis rem ad speciem difficilem, & tamen citò assecuta est: petebat, ut filius iudiciali sententiâ non puniretur, & assecuta est, ut nec capillus auulsus violenter caderet: *Non cadet de capillis filij tui super terram.* Quomodo negotium adeò arduum citò assecuta fuerit, quarunt Interpretes? respondētque, indubiè spe accessisse, & in spei præmium citò impetrasse. Opportunè Caietanus: *Proposita parabola rationem reddit, spem, quòd Rex indicaret pro ipsa vidua, & filio eius, ut ex voto successit.* Ex voto successit, quia indubia spes ius impetrandi dedit, & præcibus efficiam exhibuit. Sibi Dauid Dei opem opportunè adfuisse testatur, & in tribulatione solatia inuenisse clarè fatetur. *Cum inuocarem, exaudivit me Deus iustitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi.* Psal. 4. v. 1. Videbatur exauditio, dilatioque non tam eius iustitiæ, quàm Dei misericordiæ adscribenda, & tamen ait iustitiæ deprecanti applicanda. *Exaudivit me Deus iustitiæ:* ac si dicat: Iuri meo attendit, & cum non sit iustitiæ præuaricator, quòd postulabam, persoluit. Et quæ hæc Dauidis iustitiæ? Ipse referat: *Singulariter in spe constituisti me.* Ac si ducat: Spes indubia Numini honestè adulata est, & dum fides confidentiam armat, & spes fidem adornat; tribula-

Gen. 50. v. 19.

Mat. 25. v. 29.

Psa. 4. v. 1.

tio disparuit, & solatium oratio obtinuit. Ita Lip-
pom. in Cat. *In spe, Hebraicè est fiducia, confiden-
tia, securitas.* Spes Dauidem securum reddidit, & quod
securus deprecabatur, deprecans assequebatur.

§. XXXVI.

*Talis sit oratio ut in publicum exire non
erubescat, nec sciri, quod depre-
catur, refugiat.*

AThenodorus aiebat apud Sene. epist. 10. nihil à
Deo petendum, nisi quod sine rubore, & pu-
blicè posset expeti, & manifestè rogari: eius verba
sunt: *Tunc scito te omnibus cupiditatibus solutum,
cum eò perueneris, ut nihil Deum roges, nisi quod roga-
re possis palàm.* Qui à Deo bonam precatur mentem;
qui morum exambit concinnitatem, qui adaugere
cupit virtutem, non erubescet coram testibus preces
effundere, & eiusmodi vota Dei auribus instillare;
qui verò exorat in ludo felicitatem, ad delicias occa-
sionem, qui vota turpissima infusurrat Numini, qui
fugiendæ adulator cupiditati, nequit non erubescere,
si eius contingat desideria palàm agnosci. Difertè
satis epist. data Senæ. *Nunc quanta dementia est ho-
minum? Turpissima vota dijs infusurrant: si quis ad-
mouerit aurem, conticescent, & quod scire hominem
nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi salu-
briter possit: sic uiue cum hominibus, tanquam Deus
videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audi-
ant.* Ea sunt aliquorum vota, ut sciri pudeat, ut pudor
publicare non audeat. Bona mens orat à cupiditatibus
exsolui, & quidquid ad virtutum spectat concinni-
tatem, augeri. Hinc nosces, cur Thecuitis vota co-
ram populo proferre non erubescat, sed poscat: *Lo-
quar ad dominum meum Regem verbum hoc, præsentem
populo.* Cum fratres sedes ambientes ex Chrysofomi
sententiâ publicum erubuerint, mulier expetit publi-
cum, ut depromperit desiderium: *Accedunt ad eum
Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi dicentes: Magister
uolumus, ut, quodcumque petierimus, facias nobis.*
Mar. 10. v. 35. Chrysof. Hom. 66. in Matth. legit:
Præcesserunt: id est, ab alijs se seiunxerunt, ut vota
sua depromerent, & in secessu manifestarunt, quasi
erubescerent, quod desiderabant coram expromere,
& vel domini auribus susurrare. Et vnde hæc eru-
bescentia? Ex ipsâ desideriorum naturâ: exoptabant
humanam gloriam, honorumque præcellentiam,
euandam pompam: ergo se ipsos erubuerunt, & nisi
interrogati, desideria non propalarunt. Thecuitis
verò delinquenti exorat veniam, contra orphanum
adnititur propulsare calumniam, redimere à morte
vitam: ergo pro votorum discrimine aut publici erat
desiderium, aut secreti studium. Audi Chrysofom.
*Cum erubescerent, & verecundiâ prohiberentur, quo-
niam humano affectu eò deuenerant, seorsum ab alijs
discipulis Christum accipientes, interrogauerunt. Pro-
gressi sunt enim (inquit) ne illis manifesti fierent.* Ea
erat fratrum petitio, ut fugeret publicum, & exoptaret
secretum; & ea erat Thecuitis, ut publicum
non erubesceret, nec secretum sollicitaret: *Loquar
ad dominum meum Regem verbum hoc, præsentem popu-
lo.* Duo homines oraturi templum inscendunt. Pu-
blicanus alter, alter Phariseus: hic apud se, id est, in
corde tacitè orasse, refertur: *Hæc apud se orabat.* Luc.
18. v. 11. Ille pectus pulsando, elatâ voce preces
fundeat: *Percutiebat pectus suum.* Iuuat inquirere,
cur Phariseus maluerit orare tacitè, & cur Publica-
nus non refugerit, vota sua expromere publicè? Oret
apud se Publicanus, ne eius vox audiatur, & oret

Phariseus publicè, ne eius oratio occultetur. Atten-
de, quid quisque orauerit. Publicanus admif-
sam fatebatur culpam, precabatur benignissimam
indulgentiam: *Deus, propitius esto mihi peccatori.*
Phariseus se cæteris præferebat, & cæteros despe-
ctabat: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut
cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri.* En oratio
tumidissimam sapit iactantiam, & incutit cæteris no-
tam: ergo erubuit Phariseus palàm verba proferre,
& cordis abstrusa noluit referare; Publicanus sui
proferebat displicentiam, delictis precabatur miseri-
cordiam. Ergo hæc vota in aperto quibant proferri;
illa nec in secreto debebant prodi. *Vno verbo* (inquit
Chrysof. in Cat.) *& absentes innadit, & vulnera
præsentis laceffit.* Consonat ibi Basil. *In alios vitur
conuirijs, hic autem se mentis remeritate extol-
lit.* Non erat extollentia, non erat iactantia etiam
in Phariseo sine rubore: ergo tacitè orabat, nec
palàm verba proferre audebat. Eleganter Marcialis
lib. 1.

Recti custos, imitator honesti,

Et nihil arcano qui roget ore deos.

Phariseus arcano ore Deum orabat; Publicanus ho-
nestatis cupidus, palàm fundere preces audebat.

TEXTVS.

VERS. 16. Et audiuit Rex, ut liberaret
ancillam suam de manu omnium, qui
volebant de hæreditate Dei delere me,
& filium meum simul.

§. XXXVII.

*Sape filij parentum precibus effugerunt
pericula, & inimicorum frustra-
runt machinamenta.*

Incauta iuuentus inuenitur discriminibus obnoxia,
& periculis irretita. Iuuenes, dum furore præcipi-
tantur, dum insanis votis blandiuntur, plurimum
contra se manus obarmant, & pericula sibi maturant.
Rarum omninò bonum est (aiebat Cassiodor. 11. Var.
1.) *triumphare de moribus, & hoc consequi in floridâ
ætate, ad quod vix creditur cana modestia peruenire.*
Temporis processu fructuum acerbitas coquitur, &
maturitatem assequitur; sed rarissimum est recens
protusos gratum in saporem condiri, & maturitate
micare. Verum quod denegat natura, assequi solet
artis peritia, & excolentis solertia: nec aliter iuuenibus
accidit: florida in ætate moribus inueniuntur acerbi, &
erroribus denigrati, eis tamen anxia parentum vota
succurrunt, & quod iuuentutis denegat ardor obscu-
rus, obtinet deuotus parentum gemitus. Huc voco
Cassiodor. iam datum: *In annis puerilibus didicit seruire
pietati: sed hoc miraculum vtriusque moribus demus;
nam tantus est genius matris.* Sollicita mater pietati
filium seruire edocuit, morésque instruxit. Plures
filij periissent, ni matres aut sollicitâ curâ, aut fusis
ad Deum precibus à periculis liberassent. Thecuitis
viduæ filius à fratre irritatus, aut hæreditatis ambi-
tione commotus, fratrem occidit. Hinc cognatorum
ambitiosa excitata sunt vota, hinc vrgentia vitæ mi-
nitabantur pericula. Quid tunc? Mater ad Dauidem,
vmbra Christi gerentem, inuolat, & filij sospita-
tè anxijs suspiriis implorat. Dauid ex se ad benignita-
tem pronus, & afflictæ profusis lachrymis persuasus,
abegit periculum, & ardentem frænauit aduersa-
riorum

Mar. 10. v.
35-

Luc. 18. v.
11.

riorum conatum. Ecquis hoc ait? Ipsa certè mater gratias referens: *Audiuit Rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum simul.* Ni mater ad Dauid inuolaret, & anxias preces effunderet, filius deleteretur: sed, quam effuderat pariendo, iterum parturiuit orando. Prodest. Abul. q. 14. *Rex consensit verbis meis*: id est, annuit mihi precanti, & ni preces effundissem, hostes insultassent. Quem Sunnamitis mundo pepererat non modicis dolorum angustijs, iterum reuocauit lamentis: incendit montem, ad Prophetæ pedes procubuit, & pro lingua lachrymis vsa, filium peccatis demortuum, iure hospitij exigit vitæ restituit. *Cum venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius.* 4. Reg. 4. v. 27. Propheta matris dolore persuasus, & obsequio hospitij delinitus, filium restituit vitæ, & attendit matris dolori. *Oscitauit puer septies, aperuitque oculos.* Quos oculos teter passionum fumus obcæcarat, oratio matris reluminauit, vt puer bis parenti deberet vitam: semel, quia corporali dolore peperit, & iterum, quia spiritus anxietate medelam quæsiuit. Notauit Basilus Seleu. Orat. 10. *Erat ille mortuus vi peccatorum.* Iuuentutis ardor oculos, ne viderent, corruerat, pedes, vt ad mortem current, incitaret: putridum erat corpus vniuersum, egebat infirmitas medicamine præpotenti; sed, cui parum prodesset corporalis medela, reformauit orationis efficacia. *Orationis præsidio mortuum vita restituit* (verba sūt dati Basilij) Ni mater oraret, puer iaceret vitiorum vinculis illigatus; fufis tamè ad Prophetam lachrymis, refluoruit moribus expositus.

§. XXXVIII.

Perfecta charitas reputat vti proprium, damnum, aut periculum alienum.

Bonus superior eo charitatis vinculo cum inferiore coniungitur, vt vna in vtroque anima conuiuere reputetur; imò sæpè charitate ardentem plūs alienum solet incommodum discruciare, quàm patientem ipsum adurere. Vera Paulini charitas propria alienam redemit captiuitatem, quasi plūs eum vreret compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui. *Hoc Isis rati prima suspendit* (inquit Cassiodor. 5. Var. 17.) *cum per maria Apochrem filium suum audaci femina pietate perquireret. Ita dùm materna charitas suum desiderium festinat explere, mundo visa est ignota referare.* Non timuit materna charitas nauigando adire pericula, quia pereunte filio, grauiora sustinebat naufragia. Et Thecuitis vbi filium periculo vidit appropinquare, non potuit vita se mulctatam non ingemiscere. *Audiuit Rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum simul.* Nullus in matrem insurgebat, nullus in eius vitam militabat, & tamen ait in ipsam simul tela vibrari, & cum filio ad mortem quæri: *Volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum simul.* In iuuenem collimabantur tela, & fauciabatur Thecuitis inflicta plaga, quia charitas sic adunarat vtrumque, vt, cum inter personas verfaretur distinctio, charitatis fieret vinculis adunatio. Notauit Abul. q. 14. *Dixit mulier, quòd liberauerat eam, non quidè quòd ipsa peteretur ad mortem, sed quia solus filius eius petebatur.* Dulcius esset parenti, quàm à filio separari, cum ipso emori. Sic enim charitas alterius fauciabatur ærumna, vt, cum duæ essent, vna, eadèmq; videretur persona. Dominus Moyfi apparet flammis circumdatus, & sentibus ad speciem duris punctus: *Ap-*

paruit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Exod. 3. v. 2. Cum nobiliorem planctam quierit eligere, quærunt Interpretes, cur senticosa arbore dignatus sit apparere? Et cur, qui splendenti amicitur lumine, hic à molesto impetatur ardore? Respondentque eandem cum dilecto populo fortunam subiisse, & molestiam non dissimilem tolerasse. Populus obscuris fornacis ardoribus vexabatur, & Dominus ad speciem flammis etiam torquebatur: populus cadebatur flammis, & Dominus terebrabatur spinis, quia charitas nequibat laboribus non vrgeri, dùm proximos aspiciebat ærumnis grauissimis ingemiscere. Moyses, qui interpretatur *aqua*, ad rubum inuolat, sed Dominus præcipit vt ad contribulium sopiendas flammis celeriter tendat, quasi plūs eum cruciet aliena flamma, quàm propria. *Ægyptiorum lingua* (inquit Philo. lib. 1. de Vita Mos.) *Mosses aqua dicitur.* Accedebat aqua rubo flammiscenti, vt ardorem sapiret, sed Deus ad populum fornacibus æstuantem ire præcepit, quasi viuidius eum vrgeat populi flamma, quàm rubi adurebant incendia: nec possit aqua sentire refrigerium, dùm adurit Ægyptius populum. Nam legitima charitas patientius proprios labores tolerat, & egregius eam alienus labor diuexat.

TEXTVS.

VERS. 17. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini mei Regis, sicut sacrificium sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus Rex, nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum.

§. XXXIX.

Concedere aduersario veniam, est offerre plurimam hostiam.

Felicissimum est, leges pietate superare, & fortuna benignitas, illis exhibere veniam, à quibus permittunt exigere leges mulctam. *Nec ob aliud* (aiebat Cassiodor. 9. Var. 4.) *curiales leges sacratissima ligauerunt, nisi vt, cum illos soli Principes absoluerunt, indulgentia præconia reperirent.* Præstita indulgentia indulgentis commendat famam, dùm noscitur clementiæ laude relucere, qui potuit sine legum querela excessus delinquentis punire. Quisquis vltionis franauit pruritum, gratissimum Numini exhibere noscitur holocaustum. Hinc est, quòd Thecuitis Absalomis veniam precata, Dauidis verbum ait, pingue fore sacrificium, & acceptum celo holocaustum: *Fiat verbum domini mei Regis sicut sacrificium.* Et quid verbo, & sacrificio commune? Sacrificium oblati hostijs coronat altaria; nihil offerunt verba. Quomodo ergo Dauidis verbum erit Numinis sacrificium? Expende, quid precetur Thecuitis: cum Absalom fratrem, & quidem à parente summè dilectum occidisset, fas erat Regi, dignam crimine pœnam exigere, & poterat etiam pater offensam remittere, & reo veniam clementer præbere: ergo si præbeat veniam, verbum, ait Thecuitis, erit gratum Numini sacrificium: quandoquidè non minus est mactare ardentem vltionis pruritum, quàm offerre suauissimum holocaustum. Prodest Abul. q. 14. *Id est loquatur dominus meus Rex, respondendo pro Absalone, qui eiectus est, sicut respondit pro filio meo, scilicet absoluendo eum, vt fiat verbum Regis quasi sacrificium.* Ac si dicat: si Dauid

4. Reg. 4. v. 27.

Exod. 3. v. 2.

uid Absaloni, à quo accepit iniuriam, indulgentem, præstiterit veniam, plurimam litabit hostiam, cum hosti parcere, non minus redoleat, quam sacrificium offerre. Ioseph fratribus mensam apponit, & victimas mactari iubet: *Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium.* Gen. 43. v. 16. Cum dapes iuberet parari fratribus apponendas, inquirunt Patres, cur victimas dixerit Numini consecrandas? Itane ad fastigium dignitatis elatus, se, suosque arbitratur diuinos, vt oblati victimis velit adorari, & Numinis instar coli? Eo certè Magnates cultu adorantur, ea adoratione coluntur, vt Psaltes notarit, & factum carpendo ad nostram eruditionem protulerit: *Ego dixi: Dii estis, & filij Excelsi omnes.* Psal. 81. v. 6. Basil. Seleuc. existimat Iosephi mensam adinstar altaris fuisse; in ea namque inimicos cibauit, venditoribus exhibuit veniam, & pro offensa retulit gratiam: ergo litauit plurimam hostiam. Ipsum audi Ora. 8. *Cum in manibus haberet homines iniurios, & punire, non fratres, sed hostes posuisset, quid agit? Vide inuisitatem ultionis formam. Inuidiam, venditionem, bellinamque immanitatem humanitatis obsequijs vlciscitur.* Itaque pro belluina inhumanitate officiosa soluit obsequia, pro truculentâ inuidiâ affabilem exhibuit gratiam, pro vestium dispoliatione eos & eleganter vestiuit, & splendide pavit. Ergo iurè dixi, occidi victimas, quandoquidem ipsa fercula hostibus exhibita, gratissima Numini probantur holocausta. Ergo Thecuitis, si Dauid veniam iniurio concedat, sacrificium testatur litare, & plurimam hostiam offerre: *Sicut sacrificium:* remittere benignè offensam, est litare pinguem altaribus hostiam.

§. XXXX.

Data ritè à Regibus, aut Magnatibus fides consistere debet firma, & permanere inuiolata.

DIu trutinanda est, quæ à Rege, Magnatèue fides oppignoratur, nam violata, honoris gloriam, & gloriæ famam innubilat, dum indecenti varietate degenerat. *Accessit meritis tuis* (aiebat Cassiod. 5. Var. 40.) *cunctis laudibus pretiosior: fides, quam diuina diligunt, mortalia venerantur.* Inter fluctuantes varietates nequit se humana fragilitas continere, si de regalis verbi firmitudine posset ambigere: in nostris actibus firmitas securitatem parit, amicitiam custodit, & quisque maiestati reuerentiam piæ credulitatis impendit, obedire promptus exambit. Immutabilis fidei est omne, quod benè geritur: vt incerta fide operantis manus lassatur. Verùm, etsi omnibus congruat seruare promissa, regia præcipuè inconcussa firmitate resplendere conuenit verba, nam vt qui nauis gubernaculo affidet, ad Elicem contorquet aspectum, quo aurigare possit nauigium; ita regia fides pro Elice est ad Rempublicam dirigendam, & gubernandam. Promisserat Dauid Thecuti, quam, filio exoptauerat, sospitatem, & mulier regiam fidem sacrificium vocauit: *Fiat verbum domini mei Regis, sicut sacrificium.* Si, cur sacrificium appellarit Regis verbum, inquiras? Respondebit Sanctius, significasse nihil retrahendum, aut immutandum; nam vt nephas est à sacrificio aliquid detrahere; ita est nephas datam fidem aut demutare aut minuere. *Dicat ancilla tua, vt fiat verbum domini mei Regis, sicut sacrificium.* Celebrandam, ait, à Rege præstitam fidem, vt potè inuiolandam, & firmam. Audi N. Sanct. *Expositio est, vt famina hortetur Regem, vt non aliter promissa consideret, quam si res esset consecrata Deo.* Adnectit:

Populus laudaturus videbatur Regis in præstanda promissione constantiam, & reprehensurus, si minus iuram fidem constantè impleret. Dehonestatur maiestas, à promissis deficiens, suspicitur, datam fidem integrè absoluens. *Solum igitur certum, firmumque bonum* (aiebat Philo lib de Abrah.) *est fides.* Herodes, etsi morum corruptor, legum præuaricator, Reipublicæ euerfor, dignitatis nomine non exiuit. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est.* Matth. 2. v. 3. Regem audis, etsi ambitione obturbetur, & timore percellatur; ast non multò post honorabili titulo exiuit, & regie maiestatis dignitate quodammodo exauguratur. *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stella, que apparuit eis, & mitlens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt ego veniens adorem eum.* Quærent Interpretes, cur modò Rex non dicatur: *Tunc Herodes:* qui antea Rex est appellatus, & regijs titulis insignitus? *Tunc Herodes Rex turbatus est.* Si antea tot denigratus sceleribus regium nomen non amisit, cur modò deperdidit? Quia modò (inquit Chrysol. Ser. 158.) non vult datam fidem implere, sed fallere. Ergo vbi à fidei integritate defecit, regium dignitatis splendorem amisit. Chrysologum audi: *Vult mentiri.* Mendacium, claudicans promissio, violata fides sic Regem dedecent, vt licet alijs obscuratus vitijs regiam maiestatem non exuerit; mendax, & fallax prorsus denudarit. Ergo Herodes vocatur Rex, dum ambitione turbatur, & proferatur sine eo honore, dum promissa violaturus cognoscitur: *Tunc Herodes:* id est tunc non Rex, sed Herodes solum: & quare? *Quia vult mentiri.*

§. XXXXI.

Egregius Dei imitator nec elogijs inflatur, nec vituperijs deijcitur.

Constans virtute animus supra fortunam viuuit, nec eius fauore effertur, nec toruitate deijcitur: conscientie testimonium attendit, adulationes non audit, obmurmurationes non timet. *Mihi autem pro minimo est* (aiebat caelestis Philosophus) *vt à vobis iudicer, aut ab humano die,* 1. Corint. 4. v. 3. Ac si dicat Paulus: *Nec laudibus efferor, nec vituperijs confundor.* Aptè Anselm. hinc: *Doctor egregius humanas laudes, aut vituperationes paruipendens, ait: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, & ab humano die.* Qui intumescit laudatus, ipso tumore laudibus probatur indignus; qui ab honestate deuiat, & animo cadit vituperationibus impetitus, virtutibus dignoscitur non fundatus. Audi Fabium Max. apud Plutarc. in Roman. Apoph. *Cum ludibrio haberet eum vulgus, atque Annibalis pedagogum appellaret, floci faciens id, rationibus suis utebatur, atque amicis dixit, eum, qui cauillorum, & conuiciorum, metuens esset timidiorum putare eo, qui hostes profugiat.* Pro ratione stabat siue acclamationibus celebratus, siue cauillationibus irpetitus. Hanc animi celsitudinem in Dauide celebrat Thecuitis; nam cum præstitisset fratricidæ veniam, alij dilaudabant clementiam; alij æquitatem testabantur violatam. Verùm Dauid nec laudibus inflabatur, nec seueris censuris deijciebatur, constantiam angelicam imitatus, & Dei laudabiliter æmulus: *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum.* Hominem, ait Thecuitis, esse angelicum, imò diuinum, dum nec humanas laudes exambit, nec linguaces pertimescit. *Sicut Angelus*

Gen. 43. v. 16.

Psal. 81. v. 6.

Mat. 2. v. 3.

1. Cor. 4. v. 3.

3.

gelus

gelus (exponit Hugo) non recedit à veritate ; ita Rex nec vituperio , nec laude hominum debet recedere à veritate. Angelum Prorsus refert , qui sic operatur honesta , vt nec laudes ambiat ; nec vituperationes extimeat. O quot à recto deuiarunt , aura populari inflati , aut murmuratione deterriti ! Ad perfectionis peruenit apicem , qui immotus persistit , siue laudibus extollatur , siue caullationibus obscuretur. Iam sapit angelicam naturam ; qui nec acclamationem exambit , nec susurras linguas timet , sed id solum curat , quod gratum Numini non ignorat. Restituit Christus muto linguam , dæmonis cohibuit violentiam , & cum insolitum , ac perspicuum miraculum candidos animos ad laudes impulerit : *Admirate sunt turba.* Luc. 11. v. 14. Peruersi , & inuidentiâ percussi linguas venenatas armarunt , & miraculum iniquis artibus adscripserunt : *In Beelzebub principe demoniorum eijcit dæmonia.* Quid tunc Dominus ? *Si in digito Dei eijcio dæmonia , profecto perueniet in vos regnû Dei.* Dei digito , ait , miraculum patratum , vt Deo laudes pendantur , nec acclamationibus faustis effertur , sed dæmonia eijcere perseuerat : *Eijcio dæmonia* , quin obmurmurationibus perterrefactus desistat , nos edocens immotos persistere , & à rectitudine non deflectere , siue repetitis acclamationibus celebremur , siue obtrestantibus linguis feriamur. Innuat Beda in *Cat. Turbis Domini semper facta mirantibus : Scribae , & Pharisei vel negare , vel sinistra interpretatione peruertere laborabant.* Duos laudis , & vituperationis scopulos immotus enauigauit , quin animo caderet , vituperatione percussus , aut superbiret laudibus celebratus. Disce eundem esse inter vituperia , & elogia.

§. XXXII.

Quàm intimè Deo adhaereas , ostendit in prosperitate modestia , in aduersis tolerantia.

Plures aduersa fortuna imbecillos ostendit , pluribus prospera mentem eripuit. Fortis , & Deo similis qualibet sorte idem permanet , siue fauorabili aurâ ducatur , siue procellis ingruentibus diuxetur. *Virtutem* (aiebat Sene. Epist. 79.) *non flamma , non ruina inferius adducet. Hac una maiestas deprimi nescit , nec proferri ultra , nec inferri potest. Sic huius , vt caelestium statura magnitudo est.* Perfecta virtus , firma , fixaque consistit , nihil extra se quærit , nec aliter argento , quàm sicilibus vititur : externa omnia honestè superba despiciunt , nec se fortunæ præbet , sed fortunam adaptat sibi : sui iuris est , quem nec extulerunt prospera , nec deiecerunt aduersa : qualis sit quisque patientia ostendit , & quantum Deo approximet , prodit. Thecuitis Dauidem angelicam imitari naturam testata est : *Sicut Angelus Dei , sic est dominus meus Rex.* Non appellauit angelum , vt adulationibus demulceret , & quam desiderabat veniam assentatione impetraret , sed quia extra fortunæ limites degere agnouit. Ipsam audi : *Vt nec benedictione , nec maledictione moueatur : vnde & Dominus tuus est tecum.* Maledici , abrodi , linguis referiri , & sereno , impeturbatoque animo consistere , Deum intus inhabitare arguit , imò ostendit. Ergo cum Dauid impeturbato animo , sereno vultu , ore silentioso sæpè audierit dicteria , exornatum nouit perfecta virtutum summa. *Sicut angelus Dei , sic est Dominus meus Rex , vt nec benedictione , nec maledictione moueatur : Vnde & Dominus Deus tuus est tecum.* Ac si dicat : Ni Dominus tua inhabitaret præcordia , prouocatus non contineres silentio labra : ergo ex animi

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

tranquillitate noscitur cum angelis societas , & Numinis etiam affinitas. Prodest Abul. q. 14. *Quia non moueris benedictione , nec maledictione , sed semper rectè agis , Dominus Deus tuus est tecum , scilicet diligendo te in omnibus operibus tuis.* Patiens constantia internam morum elegantiam clarissimè demonstrabat , & Dauidem in angelorum censum referendum ostendebat ; quandoquidem iniuriis , maledictis , opprobriis prouocatum continere iram , naturam arguebat angelicam , & miram perfectionis elegantiam. Aliquos video , cum prolixas in oratione horas ponant , & Deo se familiares ostendant , ad leue verbum iracundiâ inflammari , & offensusculis ardentissimè commoueri : horum non improbo virtutem , sed peruenisse nullatenus crediderim ad perfectionem ; nam Dei æmulus discipulusque quantum profecerit , ostendit constanti patientiâ , & quàm Numini approximet patientissima tolerantia. Maria iuxta pedes Domini sedere refertur : *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. v. 39. Soror sollicito labore defatigata , de fororis otio est conquesta : *Soror mea relinquit me solam ministrare :* id est : ad mensam sedere , & conditis ferculis potiri , non respuet , laboris tamen molestias fugit. Quid tunc ? Maria tacet , nec obmurmurantiem refert : quia Dei audiebat verbum , surdescebat ad fororis opprobrium , & indè probabat esse Deo proximam , quia fororis verbis percussa integram conseruabat patientiam. Prodest August. in *Cat. Causam suam tanquam otiosa Iudici maluit committere , nec in respondendo voluit laborare ; si enim pararet respondendi sermonem , remitteret audiendi intentionem.* Deo proxima pro se noluit respondere , imò gaudebat fororis criminacionibus infamari , & apud suos despici. Deus Oreb petram sibi delegit thronum. *En ego stabo ibi coram te supra petram Oreb.* Exod. 17. v. 6. Hanc petram Moyse virga percussit , & cum de more sit percussum silicem ardentes eiaculari scintillas , hic limpidiſſimas obtulit aquas. *Percuties petram , & exibit ex ea aqua , vt bibat populus.* Repercussa petra non euomit ignem , sed crystallinum , quo percussoris sitim extinguat , liquorem. Et cur dediscit silex naturam , & eximiam colit patientiam ? Iam Textus edocuit , dum Numinis nobilitatum vestigio dixit : *En ego stabo ibi coram te supra petram Oreb.* Domini adhaerebat vestigiis , & idè conuertit in vndas flammæ : si enim ista verbere petra flammesceret , proximitatis opinionem innubilaret. Innuat Caietanus. *En ego stabo coram te ibi. Demonstrantis est locum , & promittentis præsentiam secundum operationem faciendam ad producendum ibi aquam.* Quàm silex Dei nobilitaretur præsentia , testabatur & profuens vnda , & frenata flamma ; ni enim Deo adhereret , prodiret flamma , non vnda : ergo patientia proximitatem testata est : vt qui Deo exambiunt approximare , discant patientiam amplecti ; est namque tolerantia proximitatis indicium , perfectionis argumentum , deuietæque laudabiliter naturæ clarissimum testimonium.

§. XXXIII.

Laus ad conciliandam gratiam efficacissimum est illicium , imò honestum incantamentum.

Adulatio inuenitur bonis moribus inimica , audientem delectat , sed & delectando infatuat. Econtra : laus de puro corde profecta , & veritate subnixæ est debitum virtuti tributum , & ad concili-

liandam sibi gratiam honestum incantamentum. Qui commendabiles sunt, non refugiunt, alios dignis laudibus commendare, & de fulgore proprio imperitare. *Quid gratius* (aiebat Cassiod. 10. Var. 21.) *quam si gloria vestra videar charitatis participatione sociari? Ut quia vos abunde fulgetis, nobis libenter de proprio splendore impertiamini: cum damnum non est lumini alteri de sua claritate largiri. Fouete desideria nostra, qui cognoscitis sinceritate precipua. Gratia vestra per omnia nos regna commendat. Dùm beneuola lingua commendat alterius facta, eius gloriam adauget, & gratiam sibi conquirat; nam laus blandè irrepit, dulciter mulcet, & efficaciter allicit. Ad hoc honestum incantamentum recurrit Thecuitis, vt facilius Dauid conciliaret sibi gratiam, & Absaloni impetraret veniam: *Sicut enim angelus Dei, sic est Dominus meus Rex.* Qui obstinata indignatione Absalom persequebatur, iam, ira sopita, Thecuitis precibus annuit, & veniam concedit. Et quomodo Thecuitis citò aded negotium absoluit? Quia eo elogio, inquit Abul, sic aures indulcorauit, & sibi animum sic laude allexit, vt Dauid sententiam demutarit, & facile indulsit. Accipe Abulens. quæst. 14. *Istud potest introduci per modum laudis ad persuadendum, scilicet quòd mulier ista diceret Regi, quòd erat sicut angelus Dei, ad hoc, quòd per istam laudem facilius moueretur ad concedendum, quòd petebat mulier de Absalone.* Honesta erat petitio, & Regis clementiâ digna; sapiens tamen mulier ad laudis patrocinium se contulit: vt quæ benè nouerat laudis efficaciam ad elucrandam beneuolentiam. Esther, dùm Regem adit, gelido stupore corruit; sibi iam reddita Regis splendorem exaggerat, angelica fulsisse facie deprædicat, & egregias dotes dilaudat. *Vidi te, domine, quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum pra timore gloria tua. Valdè enim mirabilis es, domine, & facies tua plena est gratiarum.* Esther 15. vers. 16. Et cur tempus satis angustum infumit laudibus, quæ à populo auertere periculum venerat fufis precibus? Quia nouerat, inquit N. Sanctius, laudis energiam, & ad demulcendum animum efficaciam. Erat, quòd exigebat, honestum, laudis tamen voluit asciscere patrocinium, & dùm laudat, impetrat: *Quid vis, Esther Regina? Quæ est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Esth. 5. vers. 3. Fas erat, dimidiam regni partem promittere castitati; cùm Herodes dimidiam regni partem afferre non erubuerit libidini. Et nota Esther prudentiam: non dixit se animo consternatam ob minaces oculos, ob circumstantiam satellitum, sed ob venustam maiestatem, orisque pulchritudinem; sciebat namque laudes beneuolentiam elucari, & ad postulatis annuendum animum delinire. Interpretis verba sunt: *Non dicit, minaces, & scintillantes oculos, aut Persarum sanissimam legem languoris sibi, & consternationis fuisse causam, quia id Assuerus durius accepturus videbatur, sed maiestatem, & splendorem, & quia aliquid in eo diuino simile spectare videbatur.* Angelicum testatur vultum induisse, retulisse Numinis maiestatem, vt dilaudatas facilius annuat, & postulata concedat, nam honesta laus est efficax ad promerendam gratiam illicium, & aurium incantamentum.*

Esth. 15.
v. 16.

Esth. 5. v. 3.

§. XLIV.

Plus homine videtur, qui nec adulatoribus impertit gratiam, nec in veraces effundit iram.

Adulatio est enorme fascino, veritas indignationis fomentum. Demulcent aurem blandissimæ adulationes, exasperant vtilissimæ veritates. Ob id disertè aiebat Seneca lib. 6. de Benef. cap. 33. *Dic illis, non quod volunt audire, sed quòd odisse semper volent: plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret.* Quis tanti animi sit, vt felicibus, cuius inopiâ laborant, proferre audeat veritatem? consuetudo pro veris blanda ingerit, vt vitarit iram, aut vt assequatur gratiam; nam etsi veritati debeatur præmium, adulationi largitur; si non à natura, à consuetudine saltem longè discessit, qui eodem vultu audiuit, ac adulatorem, veracem. Thecuitis ad genua procumbens, Dauidis thronum firmum testatur: *Rex, & thronus eius sit innocens.* Quid tunc Dauid? *Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non addet, vt tangat te.* Thecuitis votis annuit laudatus, non multò post laus transfuit in reprehensionem: *Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet? Quem dilaudat nuper innocentem, carpit modò peccatorem; & tamen Dauid nec retractat sententiam, nec, quam concesserat, reuocat gratiam: ergo vbi aduertit Thecuitis nec laudibus efferi, nec correctione exasperari, angelum vocat, quasi humanam denudarit naturam: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* Id est angeli imitatur ingenium; cùm nec in carpentes effundat iram, nec indebitam benedictionibus largitur gratiam. De more homines adulationibus demulcentur, & veritatibus irritantur. Innuat Abul. quæst. 14. *Non moueatur benedictione, quasi per adulationes conferat, nec etiam mouetur maledictione, scilicet ad iram, ad hoc quòd iniustum infligat.* Stabilem pronunciat thronum, quia nec in veraces iratus, nec adulationibus delinitus. Angelum profectò Dauid refert, cùm eodem vultu audiuit reprehensionem, & laudem: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, &c.* Ionathas inter duos scopulos recto gressu transisse refertur, cùm alter odoriferis alliceret floribus, & alter acutis pungeret sentibus: *Nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.* 1. Reg. 14. vers. 4. *Boses interpretari* (ait Lira) *flores, Sene argustans.* Consonat N. Sanct. *Scopulorum alter speciosus propter flores... alter fortasse cinctus erat rubis.* Dùm Ionathas nec floribus allicitur, nec sentibus exasperatur, sed medius transit, Christum refert, & triumphum rapit. Audi Gloss. Mor. *Per Ionatham, qui columba donum interpretatur, Dominus Iesus Christus significatur.* Plus homine videtur Ionathas, dùm eisdem oculis aspicit flores, & sentes, dùm nec laudibus allicitur, nec vituperationibus inflammatur.*

1. Reg. 14.
v. 4.

TEXTVS.

VERS. 18. Et respondens Rex dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: loquere domine mi Rex.

§. XLV.

§. XXXV.

Coniectura, non extorqueant fidem, sed suadeant studiosius inquirere veritatem.

INter cætera mortalium incommoda & hoc est, Inimicis coniecturis fidere, & opinioni tenaciter adherere. Experientia nos edocet oculos eludi, & extremam alicuius porticus partem angustiores censeret, & nihilominus quæ conijcimus, uti verissima amplectimur. *Tollenda ex animo suspicio* (monet Senec. lib. 1. de Ira Cap. 24.) & *coniectura fallacissima irritamenta*. Coniectura citò corrigitur, nisi arrogantia associetur. Verùm superbia sibi imponit, dum falli posse non credit. Non est despicienda coniectura, sed deseruiat, ut studiosius res dispiciatur, & sollicitius veritas indagetur. Accesserat ad David Thecutis, & ex eius verbis coniecit David verba illa non esse à muliere excogitata, sed à Ioabo constructa, & tamen coniecturis firmiter non adhæsit, sed veritatem studiosius inquisiuit: *Respondens Rex dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo*. Otiosum videbatur rogare quod non fallacibus coniecturis poterat David agnoscere: cur ergo interrogat? Quia ut prudens, inquit Abul. q. 14. usus est coniectura non ad præstandam fidem, sed ad sollicitius inquirendam veritatem. Abulensem audi: *Credidit, quod mulier non suffecisset ad ista confingendum, nec ausa fuisset illa petere, nisi quis instruxisset eam, & confortasset, idè putavit quod Ioab instruxerat eam in omnibus ijs, & nunc petit ab ea, ut respondeat, an fecerit ista Ioab?* Conijciebat satis prudenter verba illa non esse mulieris, sed Ioabi; non esse à muliere constructa, sed à Ioabo dictata; noluit tamè opinioni suæ adherere, sed veritatem inquirere, suis nos factis edocens utendum esse coniecturis ad sollicitam rei indagacionem, nec illis præstandam fidem. Inuenies aliquos ea tenacitate coniecturis & quidem fallentibus adherentes, ut, quod suspiciunt, certissimum existimarint, & meram esse veritatem tradiderint. Cùm Christus Dominus, deuicta morte, clausis ianuis, Apostolorum se oculis præsentaret, existimabant spiritum se videre; verùm Dominus admonuit coniecturis non credere, sed ad sollicitius indagandam veritatem manuduci: *Existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpite, & videte: quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. 24. v. 37. Secum ratiocinabantur, foribus clausis, corpus non potest illabi, clausa sunt spiritui peruia. Ergo quod nostris obtutibus objicitur, non est corpus, sed spiritus: Verùm Dominus eos monet eis coniecturis ad palpandum, & inquirendum debere duci, non suspicionibus assentiri; nam quantumuis illæ coniecturæ certis fundamentis viderentur innixæ, à veritate distabant fallæ. Ergo coniectura suadeat veritatem inquirere, non statim fidem præstare: *Palpate, & videte*. Innuit Theophil. in Cat. *Vos putatis me esse spiritum, id est, phantasmata, sicut plures defunctorum circa sepulcra videri sùt soliti. Sed sciote, quod spiritus nec carnem habet, nec ossa: ego autem carnem, & ossa habeo.* Cùm corpus terrenæ labis qualitate concretum nequeat clausa penetrare, conijctis (aiebat Dominus) non corpus vobis objici, sed phantasma: sed, suspicio suadeat tactus inquisitionem, non extorqueat à vobis fidem. Sunt namque coniecturæ sæpè falla-

ces: vbi, manu examinante, tetigerunt, coniecturæ deprehenderunt fallaciam, & ingentissime errarent, si eis coniecturis ducti, verum esse corpus non crederent.

TEXTVS.

VERS. 19. Et ait Rex: Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quæ locutus est dominus meus Rex: seruus enim tuus Ioab ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

§. XXXVI.

Aduersa fortuna amicum probat, & publicat.

VT auri lydio examinati pretium dignoscitur, & an adulteratum sit, fideli examine propalatur, ita amicitia, an adulterata, aut vera sit, aduersitate pro lydio & proditur, & discutitur. *Tempora* (aiebat quidam) *si fuerint nubila, solus eris*. Qui aduersitatis tempore recessit, non prosequatur personam, sed sequebatur fortunam. Certa fides in aduersis lucet, in prosperis non aded resplendet. Plures amici inde fugiunt, vnde probantur, quia etsi affectarent nomen, carebant nominis veritate: si crepuit catena, disparuit & amicitia. *Nihil aequè oblectauerit animum* (aiebat Senec. lib. de Tranq. Cap. 7.) *quàm amicitia fidelis, & dulcis. Quantum bonum est, vbi sunt preparata peccata, in qua tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam, minus quàm tuam, timeas, quorum sermo solitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet?* De Phenice Arabica illa volucre quinquagesimo anno nasci, & sine compari viuere, fama profert; sed oculorum notitiam fugit: vera, fidelisque amicitia esse refertur, sed quo in pectore inhabitet, non scitur. Quisquis sibi amicum amat, amicitiam adulterat. Cùm Absalom exularet, & iram Principis sustineret, Thecutis eius suscepit causam, & sapienti, figuratòque eloquio sopiuit iram: David demiratus mulieris artificium, & supra mulierem agnoscens captum, auctorem consilij indagat, & an Ioabus fuerit, interrogat: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* Et cur è tot Absalonis amicis à Ioab suspicatus est, promanasse consilium? Quia etsi plures, dum Absalom patris vteretur beneuolentia, eius cingerent latera, & vsque ad feruilia demitterentur obsequia, secumque decertarent, ut grata exhiberent officia, solus Ioab exulis agebat curam, & satagebat delinire Principis iram. Ergo David solum de Ioab interrogauit, quia ceteros temporarios amicos nouit. Dubium hoc excitauit Abul. q. 15. *Queret aliquis quare potius Rex cogitauit de Ioab, quod adiuuisset mulierem illam, quàm aliquis alius?* Iam respondet: *Ioab erat amicus Absalonis, antequam recederet de Israel per mortem Amnon, & nunc retinens amicitiam orabat occultè pro illo, ut rediret in terram Israel.* Expendit David è tot Absolonis, cum prospera fortuna utebatur, amicis, nullum eius suscepisse partes, & solum Ioab adnatum fuisse Principis iram sopire, & calamitatem exulis alleuare: ergo facile, à quo illud con-

filium promanasset, agnouit, quia solum Ioab veræ amicitiae leges colere vidit. Requisita Thecutes de auctore parabolæ non solum asseruit Ioab extitisse, sed inter cæteros laude dignissimum refulgere: *Seruus tuus, Ioab ipse præcepit mihi.* In Hebræo habetur: *Si est vir ad intelligendum, vel dextrandum, sicut Ioab.* Ac si dicat mulier: Veritatem attigisti, quia ex palatinis omnibus solus Ioab per me Absalonis veniam sollicitauit, & solus amicitiam retinuit. Ita exponunt Hebræi apud datum Abul. *Hebræi exponunt: Non est vir in palatio Regis, vel in toto Israël ad intelligendum, vel dextrandum, id est, qui possit intelligere hæc, & dextrare nisi Ioab.* Confessa est mulier è tot aulicis, palatinisque olim Absalonis amicis nullum præter Ioab in aduersitate remansisse, qui negotium illud curaret, & ipsam ad sollicitandam gratiam instrueret: *Si est vir ad dextrandum:* Rarus in utrâque fortunâ inuenitur idem, quia Fortuna Circem imitata, omnes transformat, & in sibi dissimiles mutat. Vbi arbor illa præexcelsa, ditissimæque corrui, Nabucho expellitur, & expulsus sustinet durum exilium. *Ex hominibus abiectus est.* Dan. 4. vers. 30. Vbi aurea illa statua resplenduit, omnes adorationis impenderunt obsequium, plausum, imò & cultum: *Cadentes omnes populi, tribus, & lingua adorauerunt statuam auream.* Dan. 3. v. 7. Idem erat Nabucho, dum fulgebat auro, & tabescebat exilio, sed non erant iidem, quos iam aduersa fors dilucidè ostenderat caruisse verâ amicitiam, & solum adstitisse fortunato cupiditate amicitiae fucus compta; exulem, & iam abiectum prorsus ignorarunt, auro prædiuitem coluerunt; hic enim est mortalium mos, aduersitate scilicet pressum nescire, & dignitatis fastigio celsum indignis demissionibus colere. Prodest Theodor. apud Gloss. *Regis mutatione ab eius imperio descinerunt.* Ruente arbore, foliis, fructibusque denudatâ, ab ea descinerunt, qui ad colendam statuam auream velociter inuolarunt. Aduersitas qualis fuerit illa amicitia detexit, quia prosperitas occuluit.

§. XXXVII.

Pro manibus, & armis est consilium à prudentiâ profectum, & temporibus opportunum.

Consilium à verâ prudentiâ exortum, & occasionibus opportunum multa expediuit, quæ adeò facillè nec assequerentur arma, nec alia obtinerent machinamenta. *Per Paracletum* (scribit Tertul. de Vel. Virgin. cap. 1.) *componitur in maturitatem.* Rudis natura, & variis affectionibus deturpata per Paracletum, cui salubria attribuuntur consilia, non solum eruditur, sed maturitatem assequitur. Vt calidum consilium mores euertit, sic maturum, & prudenti morâ excoctum omnia expolit, & componit: *Consilium sapiens* (aiebat Plutarc. lib. An seni) *multas unum manus superat.* Præclaras, & summâs res perficere solet prudens consilium, rerumque circumstantiis accomodatum. Cùm Ioab variis modis studisset in Davidis gratiam Absalonem exulem reuocare, consequi non valuit, quousque Theculti, vt sermonem verteret, Regemque adiret, opportunum consilium dedit: consilio res est perfecta, & David consilium appellauit manum: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* Vt ostenderet non minus conducere, quàm robustum brachium ad difficultates superandas, opportunum consilium. Hugo sic interpretatur: *Numquid manus, id est consilium, &*

operatio, quasi dicat: Numquid omnia dixisti de consilio Ioab? Cùm manus militum copiam, aut operis donotet energiam, David manus Ioab appellauit consilium: vt denotaret non minus prodesse sæpè apti consilij prudentiam, quàm militaris manus efficaciam: *Numquid manus Ioab tecum est?* Ac si dicat: Ioab prudentia pro militari manu fuit ad indignationem sopiendam, & veniam Absaloni impetrandam. Ergo vt consiliorum noueris efficaciam, inquit Hugo, manum appellauit, quasi pro armis, & militibus sit consilium ad feliciter assequendum intentum. Materna alius pro arena fuit gemellis fratribus, sanguinem ad alendam vitam fuerant sine controuersâ partiti, & appetente iam parturitione circa primogenituram collidebantur rixati: *Collidebantur in utero eius parvuli.* Gen. 25. v. 22. Excellentiae cupido, ambitio dignitatis fratres separat, bella mouet, fœdera naturæ nescit. Ergo Iacob, etsi egregius luctator, lucem secundus vidit: aderat tempus assequendi benedictionis maiorum, & prudens mater optimum Iacobo præbet consilium: *Acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem, asser mihi duos hædos optimos.* Gen. 27. v. 8. Quàm est antiquum assequi dilargitis donis, quod non assequitur meritis! Cæcus inducitur, qui accepit edulia, nam munera excæcare iudices, edocet experientia, offerentis agnouit vocem, & tamen affectasse videtur personæ ignorantiam, aut corrupisse muneribus subornatus conscientiam: ad tactus experimentum recurrit voce informatus. Isaac culpa obscuratus non est, quia omnia ad nostram eruditionem figurata, & conscripta. Itaque à voce ad tactum, dum offerebantur munera, appellasse retulit Scriptura, vt compertum fuerit, plures eloquentiâ munerum persuasos, vim conscientiae inferre, & argumenta pro affectione conquirere. Sed ad thesim nostram reuertamur. En Iacob, quod non obtinuerat, decertans veluti in Martiali campo, sapienti obtinuit consilio, & dum obtemperat prudenter consiliis, triumphalibus redimitur trophæis. *Rebecca* (inquit Hugo) *id est, gratia, consulit Iacob.* Cœlestis fuit gratiæ opportunum consilium, vt obtineret primatum obediendo, cùm obtinere nequiverit decertando. Hinc est, quod diabolus minùs ad speciem, quàm prodigiosum miraculum, optimum extimescit consilium. Audit Herodes, imò per Herodem diabolus, Magos insolito syderis iurare Christum querere, & timore quatitur obturbatus, & ad callida confugit consilia astutus: *Turbatus est.* Matth. 2. v. 3. Priusquam ad arma, callida confugit ad consilia: *Cùm inueneritis, renunciate mihi.* Nouerat versutus, quàm inimica probis moribus sint iniqua consilia: vtque itineris laborem Magus amiserit, ad curiam redire consulit. Verùm Magus claris syderis luminibus informatus, Christum inuenit, & oblati muneribus, adorauit: adorationis, ac muneris præmium salubre fuit, & opportunum consilium: *Responso accepto in somniis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Quid tunc? Herodes, qui, audito syderis prodigio, solum refertur turbatus: *Turbatus est:* iam ardentissimis iracundiæ flammis fuit delusus: *Videns quoniam delusus esset à Magis, iratus est valde.* Miraculum obturbauit, sed præstitum Magis consilium & fefellit, & torfit: *Iratus est valde.* Sperabat antea miraculum effectu cariturum, suis peruersis dolis, & consiliis, sed modo iam desperat, quia videt opportuno consilio callidam astutiam frustratam, & dolositatem prorsus detectam: ergo acerbius tulit, quàm miraculum, consilium. *Illâ ira* (scribit Chryostom. in Cat.) *magna, & inextinguibilis est.* Inextinguibili ardet Herodes

Dan. 4.
v. 30.

Dan. 3. v. 7.

Gen. 25.
v. 22.

Gen. 27.
v. 8.

Matth. 2.
v. 3.

Herodes irā; & quem turbarat miraculum, illud valdè cruciauit consilium.

§. XLIX.

§. XLVIII.

Facile præbentur consilia, non adeò facile ad consilium necessaria.

Plures opportunum non ministrant calamitoso remedium, contenti, si præbuerint salubre consilium: rectè consulunt, sed præstandam opem subtrahunt. Notauit Iacobus: *Si frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederetis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Iacob. epist. 2. vers. 15. Non improbo (inquit Apost.) bonum consilium, sed, cum possitis, non exhibere nudo vestimentum, pauperi aurum. Nudus accepta veste caleficeret, sine veste alget: ergo otiosum erit consilium, si denegent vestimentum. Hispanè dicitur: *Deme dineros, y no consejos.* Cum Ioab Thecuiti consulisset veniam Absalom à Rege impetrare, in eius ore ea verba posuit, quibus quiret consilium perficere, & feliciter negotium absoluere. Nouit Dauid vnum sine altero sæpè irritum, vnde non rogauit Thecuitem, an Ioab eam ad loquendum instruxisset, sed, an iuuasset: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* Acti dicat: Qui te veste lugubri consuluit indui: *Induere veste lugubri:* præbuit-ne vestem? Qui ad Regem monuit ingressum, expediuit introitum? Hunc esse horum verborum sensum tradit Hugo: *Numquid manus Ioab tecum est, id est, consilium, & operatio?* Plures namque retrahunt manum, præbent consilium. Cum Petrus, & Ioannes templum oraturi peterent, in desidiosum inciderunt mendicum; Petrus commiseratione motus, vt surgat, admonuit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Act. 3. v. 4. Post consilium manum extendit, & pauperem alleuauit: *Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum.* Optima fuit Petrus consiliantium idea, dum non solum assurgendi dedit consilium, sed qua ad assurgendum indigebat, extendit manum: porrexit, vt iuuaret, dexteram, non solum depellere monuit, desidiam. Notauit Basil. Seleuc. Orat. 21. *Emisit vocem, immisit tangendi vim.* Adiuuit, & monuit, pedes procudit, & vt ambularet, consilium dedit. Edocuit factis, nil deseruire consilium, quantumvis honestum, si ad consilium explendum desit necessarium: nec satis esse admone- re, si refugas, cum possis, opem præstare.

TEXTVS.

VERS. 20. *Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud: tu autem domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.*

Charitas aliena commoda propria reputat incrementa.

ERga propria commoda sollicitudo semper inuigilauit ardentior, circa aliorum utilitates inuenitur sæpè tepidior. Quis eadem cura laborauit aliis, ac sibi? quando natura ipsa edocet prius sibi consulere, postea cæteris providere; verum quod ignorat natura, charitatis addiscitur in scholâ. Ioab Thecuitem admonet, Regem adeat, & ad impetrandam Absaloni veniam, sermonem vertat. *Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud.* Id est, disposuit, vt Absalonis causam meam esse, proponerem, vtque de proprii filij salute agerem. Ita Abul. quæst. 15. *Iussit, quod verterem figuram sermonis... vt introduceretur petitio de Absalom per similitudinem petitionis de filio suo.* Thecuites acti pro filio suo ageret causam, sollicitam adhibet diligentiam. Sermo versus internâ respundet charitate, emicat perfectâ sollicitudine: Thecuitis alienam causam vt propriam tractat; est enim charitati innatum, non minus, ac propria, alterius sollicitare incrementa, dolere incommoda. Si Thecuitis figuram sermonis non verteret, eam ad se pertinere causam nullatenus allegaret: sed charitas sine mendacio vertit, quia alienam calamitatem, propriam reputauit. Ezechiel de sublimi illâ quadrigâ agens, iam vnicam apparuisse rotam testatur: iam quatuor enumerasse videtur: *Apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies. Et aspectus rotarum &c.* Ezechiel. 1. v. 16. Mira res! Si est rota vna, quomodo est rotarum aspectus? aut si rotas non falsus distinguit intuitus, quomodo numerus est breuiatus? Quia sic altera, alteri videbatur vnita, vt esset vna plures, & plures vna: *Aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rota.* Quævis rota numero ab alia inuenitur distincta, sed videtur eadem charitatis vinculo alteri compaginata, & inserta: sic rota erat in medio rotæ, vt eodem motu agerentur, vnde pro vna, eademque reputantur. Ergo etsi numero inuenirentur discretæ, strictis adeò vinculis apparebant vnitæ, vt censeret vnâ, etsi non ambigeres numero alteram ab altera separatam. Sed iam attende, quo spiritu moueantur: *Spiritus vita erat in rotis.* Sic Spiritus sancti charitas rotas adunarat, vt numero geminata non tam videretur vnita, quam vna sola: *Quasi sit rota in medio rota.* Illo verbo: *Quasi:* Propheta distinxit numerum, & declarauit arcanum. Si esset rota vnica, illud *quasi* satis esset otiosum: si quælibet ab alia inueniretur prorsus separata, eodem spiritu agitari non esset verum; at dum numero discretæ, charitate mouentur vnitæ: numerus charitati deseruit, & charitas distinctionem non sapit: *Spiritus vita erat in rotis:* vnus motus esse videbatur alterius: *Quasi sit rota in medio rota.* Itaque duæ rotæ numero erant vna charitatis affectu. Notauit Interlin. *Vt non vnâ rotam crederes, sed alteram alteri copulatam.* Quo vinculo? Spiritu quidem sancto. Glossam audi: *Ad Spiritum sanctum tendunt.* Dum charitatis viuunt spiritu, sic vniantur, vt quidquid ad alteram spectat, non sit extraneum, sed proprium. Et fortassis hanc charitatis excellentiam explicuit Elisæus, dum ait ad Eliam: *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. v. 9. Non arbitror, petiuisse spiritum numero geminari, sed ambos eodem spiritu viuere: duplex, & vnicus erat spiritus: vnicus, quia singularis; duplex, quia in

Iacob. epist. 2. v. 15.

Act. 3. v. 4.

Ezechiel. 1. v. 16.

4. Reg. 2. v. 9.

magistro, & in discipulo; eodem videbantur spiritu viuere, & erat, vnius, quidquid re vera esse probabatur alterius. Ad rem Eucher. apud Gloss. *Elias spiritu propheta, & operatione miraculorum excellenter pollebat: geminam ergo gratiam, quam Elifaeus in magistro urgere cognoscebat, sibi tribus rogauit.* Rogauit, vt gratiam, quam Elias sortiebatur, sibi geminam concederet, vt magister, discipulifque, cum numero essent distincti, duplici illo spiritu viderentur animati. Hanc doctrinam videtur Thecutes sequuta, dum figurato sermone, quam Abalom patiebatur calamitatem, non alienam dixit, sed suam.

§. L.

Commendabilis est sapientia veritate fundata, & innocentia munita.

NON est Philosophus, qui fulget verborum eloquentia, fabularum notitia, ingenij praestantia. Ille dicendus est sapiens, qui cupiditatem depellit, qui castitatem colit, qui ad expoliendos mores attendit. *Videndum* (aiebat Senec. epist. 88.) *Vtrum docent isti virtutem, an non: si non docent, nec tradunt quidem: si docent Philosophi sunt.* Non sunt depradicandi sapientes, qui pollent ingenij perspicacia, & argumentorum argutia, si a veritate aberrarint, nec innocentiam coluerint. Satius pluribus esset ignorantia, quam scientia; nam scire ad concinnandam fallaciam, ad euertendam iustitiam, ad violandam innocentiam, pestifera sapientia est. Vnde aiebat Paulus 1. Corinth. 3. vers. 19. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Stultus est apud Deum, qui solum pollet ingenij acumine, vt alios irretiat, vt fallat, vt peruersis artibus sibi opinionem acquirat: *Homerum Philosophum fuisse, persuadent* (addit Senec.) *cum iis ipsis, quibus colligunt, negent.* Philosophum negant, dum probant, cum Philosophus non voluptates debeat magni aestimandas asserere, sed innocentem vitam stabilire. Sapiens nec (si esse quiret) immortalitatis pretio ab honesto recedet, quia pro elyce honestatem ad vitae cursum dirigendum ante oculos habet. Hinc est, quod Thecutes, vt sapientem Dauidem depradicet, angelicam testatur sapientiam praeditum, & innocentiam exornatum. *Tu domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.* Angelus dilaudanda sapientiam fulget, quia nec a veritate, nec ab innocentiam recedit. Cachodæmon inter bruta censendus est, cum solum polleat ingenio ad fallacias concinnandas, & virtutes penitus evertendas. Notauit Hugo: *Sicut habet sapientiam Angelus Dei cum innocentia, & veritate.* Angelicam, veramque sapientiam innocentiam, & veritas debent comitari: & dæmon, etsi ingenio polleat, inter serpentes debet recenser. Ergo Dauid in numerum sapientium referendus est, angelum imitatus, & virtutibus expolitus. Plures dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, quia solum sapiunt ad evanidum plausum, & ad praesumptionis delirium: solum sapiunt, vt adulationibus venentur gratiam, non vt excolant innocentiam. Scriptura sacra serpentem aliis animantibus praefert callidum, non sapientem: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terra, quae fecerat Dominus Deus.* Genes. 3. vers. 1. Cateris erat ad speciem prudentior, sed re vera inueniebatur stultior. Miseranda erat sapientia, quae aeternam sibi maledictionem ac-

quisiuit, quae turpem corporis adreptionem inuenit; quae virginis Euae aures promissis corrumpit. Serpens eloquenti fulgebat lingua, obmurmurandi pollebat gratia, fallendi astutia: ergo non erat sapientis elogio dignus, dum artificiosis fraudibus obscuratus: *Insidiose* (inquit Basil. Orat. 3.) *meditata aggreditur, curatorem imitans.* Sic fallaciam colorauit, vt haberetur curator, cum salutis esset everfor. Ergo sapientia calliditate plena detestabilior erat inscitia.

§. LI.

Qui Principem tentat fallere, grauissimis poenis est dignus, & rigide castigandus.

INTER praecipuas Principis curas, quas perpeti debet cogitatione revoluere, ea in primis cordi sit, veraces scilicet eximiis praemiis remunerare, & fallentes seuerissimis poenis punire. Priuatum fallere, est culpa, sed Principem decipere, est impudentissima audacia, & numquam mansura sine castigatione insolentia; nam Principis error totius Republicae probatur incommodum, & decoris dehonestamentum. Xerxes assentatione deceptus, & spebus vanis impulsus ferè innumerum exercitum amisit, Respublica tulit miseram cladem, & ipse grauiotem clade ruborem. *Xerxes* (inquit Senec. 6. de Benefic. cap. 31.) *puore, quam damno miserior, Demaratho gratias egit, quod solus sibi verum dixisset.* Non tam doluit Xerxes se pulsum, quam falsum: & quidem dum Principem adulatio fefellit, Respublica corruit. Ob id Thecutes, cum sermonem de Ioab praepropto vertisset, nec veritatem Regi propalasset, ad eius sapientiam recurrit, quasi numquam fuerit animus fallendi, sed sermone aenigmatico persuadendi. *Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab praepit istud: tu autem domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.* Acti dicat: Ego non auderem de filio tuo, vt de meo loqui, nisi a Ioab impulsa, & de sapientia tua certa, alioquin grauem, fas esset, pendere multam, si praetexissem fallaciam: cum Principem fallere, sit grauissima culpa, & punienda seuerâ poenâ. Audi Abulens. quaest. 16. *Introduitur ista littera, scilicet quod mulier excusaret se, & Ioab in hoc, quia posset dicere Rex: Quomodo tu, & Ioab conabamini fallere me per sermonem simulatum?* Vidit mulier posse sibi a Rege imputari fallendi animum; quod non ignorabat graue delictum: ergo recurrit ad Regis sapientiam, vt auerteret a se inuidiam. Redeat Abul. *Respondet mulier, quod non putabant fallere Regem. Nam sciebant, quod cum ipse esset sapiens, sicut angelus Dei, nihil poterat eum latere de his.* Itaque asserit sermonem vertisse, vt maiorem precibus inderet energiam, non vt coloraret fallaciam: cum Dauid eâ polleret sapientiam, vt intentio eum nequiret latere, imò facile posset dignosci. Itaque dum prudens mulier illam fallaciae speciem excusauit, quam sit graue crimen, Principem fallere ostendit, & poenis grauissimis dignum edocuit. Diabolus nequitiae artifex, vt vidit hominem paradyseis innoxie voluptatibus fruitum, & prolatum in creaturas omnes eius imperium, inuidientiae aetro ictus, ingemuit, & pulchram fabricam fraudis ariete subruere studiosè tentauit: mulierem alloquitur, & spebus vanis inflatam fallit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terra, quae fecerat Dominus Deus,*

Gen. 3. v. 1. &c. Gen. 3. v. 1. Callidus dicitur, sed factis impug-
nare nomen videtur, dum, quod vehementer
discupit, tardat. Si Adam est generis princeps, ori-
ginis radix, cur ipsum directe non aggreditur, sed
per mulierem tardius labefactare nititur? Adamo la-
bente, tota subruitur structura, seducta solum Eua,
adhuc perseverat fabrica: ergo aggrediatur fallacia-
rum mucrone principem, non mulierem. O vtilem
nobis eruditionem! Non ignorabat serpens prin-
cipem esse Adamum, sed ausus non est aggredi, prin-
cipem fallere, sed maluit per mulierem impetere:
negotium tantisper distulit non virtutis studiosus,
sed versute politicus. Itaque quodammodo timuit fal-
lacijs principem irretire, etiam dum ardebat vota
compleri. Innuvit Basil. Sel. Orat. 3. *Per latus hominis
structuram subruere incipiat.* Timida ad speciem ver-
sucia, dum Adamum non tentat fallere, sed per mu-
lierem subruere, indicat, quam graue sit, dolose
cum Principe agere, & fallaciarum telis ferire: *Adam
non est seductus* (aiebat Paulus 1. ad Thim. 2. v. 14.)
mulier autem seducta in prauaricatione fuit. Dum ser-
pens seducere Adamum non est permissus, quam
magnus ostenditur, Principem fallere, sit reatus.
Ergo prudenter Thecuitis eiusmodi inuidiam a se
propulsat, & se Dauidem fallere, tentasse nullatenus
asseuerat. Iam Pharaonis vergebat ad occasum
imperium cum, magicis artibus proditur falsus, &
speciosis dolis illusus: aduentauit Moyses, non so-
lum, vt opem Israëlitis ferret, sed vt Pharaonem
ad iustitiam erudiret. Prima Moyses cura fuit, à men-
dacijs Principem liberare, quasi aliter vtramque
Remp. nequiret componere. *Deuorauit Aaron virgas
eorum.* Exod. 7. v. 12. Gratis fraudibus Magi Pharao-
nem dementabant, & à virga serpente nil timendum
asserbant, seque illius artis non ignaros ostenta-
bant. Ergo dum mendacio credit, vtrique populo
nocet: Israëlitia iniuste retinetur, Ægyptius percuti-
tur. Quid enim Princeps delusus cogitaret, nisi mi-
seros premere, fallaces honorare? Huius medelæ
cursus à fallaciarum expunctione incipit, quasi locus
non esset salutis, dum Princeps grata detineretur illu-
sus fraude. *Corpora videbantur Pharaoni, & Ægy-
ptijs* (aiebat Tertul. de Ani. cap. 57.) *Magicarum
virgarum dracones, sed veritas Moysi mendacium
deuorauit.* Totum se Moyses perfecisse negotium
existimabat, si Principem à consensu, contentumque
mendaciorum eriperet, & magicas fallacias depel-
leret. Et quidem si Pharaon non amaret falli, vitasset
calamitatum dolorem, & Ægyptiorum perniciem;
at, dum fallacijs illuditur, Ægyptius confusus vorti-
cum voluminibus mergitur. Generale aded detrimen-
tum attulit, Principem decipi, & adulatoribus assentiri.

1. ad Thim.
2. v. 14.

Exod. 7. v.
12.

cum temporibus pugnant, dum puerilitatem adulta
iam ætate retinemus, & adol. scientiam vsque ad se-
nectam deducimus. *Adhuc enim* (aiebat Senec. Epist.
4.) *non pueritia in nobis, sed, quod est grauius, pue-
rilitas remanet: & hoc quidem peius est, quod auctori-
tatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum
tantum, sed infantium.* Pueri ludicris oblectantur, &
lapillos varijs coloribus distinctos magni æstimant,
quia verum pretiū ignorant. Hanc puerilitatem adulta
iam ætate plures conseruant: & inuenitur, qui centum
annis ingrauat, factis sit puerulus. *Non erit tibi
amplius* (promittit Isai. cap. 65. v. 20.) *infans dit-
rum, & senes, qui non impleat dies suos, quoniam puer
centum annorum morietur, & peccator centum annorum
maledictus erit.* En in centum annis viget non solum
adolescencia, sed & pueritia. Notauit Gregorius lib.
17. Moral. cap. 4. *Ac si nos aperte deterreat dicens:
Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis pue-
rilibus corrigatur, sed si à peccati perpetracione nec
temporis longinquitate comescitur, hac ipsa vita lon-
ginitas, quam per misericordiam accepit, ei ad cu-
mulum maledictionis crescit.* Dum iuuenis retinet
adhuc pueritiam, dum senes conseruat adolescentiam,
sibi incutit notam, & multiplicat etiam pœnam. Quid
enim deterius, quam senes adolescentiæ flammis
adustus, & vir rebus puerilibus occupatus? Dauid
non videtur prorsus sopiuisse contra Absalomem
omnem iracundiæ scintillam, dum pueritiæ inuisit
adulto notam: *Renoca puerum Absalom:* puerum
vocauit, non ætatem designans, sed puerilitatem
carpens. Hugonem audi: *Vocat puerum non propter
ætatem, sed propter stulticiam.* Itaque Absalom, re-
fragante ætatis processu, pueri retinebat non in-
nocentiam, sed stulticiam: ergo satis inglori-
um erat, puerilitatem produxisse, & viri
tempore conseruasse. Econtra: gloriosum est acer-
ba in ætate ad maturitatem peruenisse, & prudenti-
æ, ac modestiæ luminibus fulgurasse. *Rudes annos*
(aiebat de Tholonico Athalar. lib. 8. Var. 10.)
*ad sacri cubiculi secreta portauit, agens, non vt atas,
sed vt locus potius expetebat.* Canis moribus decorauit
iuuentutem, floridam supergressus ætatem. Dauid
creuerunt laudes, dum à parente puer appellatur, &
à Numine ad populos regendos eligitur: *Reliquus est
paruulus, & pascit oves.* 1. Reg. 16. v. 11. Fratrum
minimus proditur, & nihilominus vngitur: *Tulit
ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum
eius.* Quam erat pulchrum in pueritia senem agere,
in adolescentia morum mensuram custodire. Audi
Basil. Seleuc. Ora. 14. *Derepenè puer Dauid produ-
citur paruus ætate, animo magnus.* Mitis erat Dauid
aspectu, sed mitior animo, elegans corporis habitu,
sed elegantior virtutum censu, adolescens senes,
iuuenis grauis.

Isai. 65. v.
20.

1. Reg. 16. v.
11.

TEXTVS.

VERS. 21. Et ait Rex ad Ioab: Ecce plâ-
catus feci verbum tuum: vade ergo,
& reuoca puerum Absalom.

§. LII.

*Inglorium est, vsque ad iuuentutem ex-
tendisse pueritiam, vsque ad sene-
ctutem adolescentiam.*

R Idiculus est elementarius senes. Quid turpius,
quam eo tempore discere prima rudimenta, quo
debuisses alios edocere naturæ arcana? Mores nostri

§. LIII.

*Lex non est subiecta Iudicis arbitrio, sed
Iudex legis decreto.*

L icet Iudex, aut Princeps suspiciendo dignitatis
splendore nobilitetur, clarior tamen redditur,
quoties honorandis legum decretis animo reue-
renti subijcitur. Gloriosum est, proprias offen-
sas generosa magnanimitate remittere, vt in-
glorium contra statuta legum excedentibus ve-
niam pro arbitrio concedere. *Assessor, & custos est
domestica imperantis* (scribit de Legib. Plutar. lib. ad
Princ. indoct.) *de potestate, sicut bono habitu præci-
dens quod lubricum est, relinquit, quod est sanum.* In
Iudicis

Iudicis, & Principis laudem cedit, non posse, quod constat legibus contradici. *Qualem caelo solem Deus* (addit Philosophus) *supra modum venustam illigavit sui effigiem, & lunam, eiusmodi in urbibus simulachrum, & lumen est Princeps, qui religiosus iustitiam colat.* Si Iudex, Princepsve pro arbitrio leges despiciat, amicorum precibus inclinatus, aut oblati muneribus delinitus, non erit Dei simulachrum, sed improbitatis profugium. David precibus Ioab annuit iam placatus, non ut Iudex, sed ut parens: *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuocauerum Absalom.* Abul. rogat quaest. 17. an David regia potestate abusus, delinquenti filio pepercerit? nam cum per legem vita mulctetur, qui necem intulerit, & Absalom fraterni sanguinis fuerit reus, morte videbatur damnandus: ergo non potuit pater remittere, quod ius exigebat damnare. Abulensis veluti geminam in Dauide personam distinguit, Iudicis scilicet, & parentis: atque remisisse, ut parens, factam sibi offensam; ut Iudex, nullatenus violasse iustitiam: dilectum filium morti tradidisset, legi obsecutus, ni ut parens filij morte offensus remittendi esset potestate donatus. Abulensem audi: *Si consideretur ut pater, erat facta ei iniuria in morte Amnon, & cum sit delictum istud remissibile per partem, cui inflicta est iniuria, poterat David remittere eam ... non dispensando aliquid in lege Dei.* Remisso per partem crimine, licebat Iudici a causa cessare, & mortis poenam remittere: ergo David Iudicis impleuit officium, & parentis prodidit etiam affectum, nec moueretur affectu, si legis constringeretur edicto. Legem tulit Dominus contra Amalec: *Percute Amalec, & demolire vniversa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro vsque ad mulierem.* 1. Reg. 15. v. 3. Saul damnabili misericordia commotus, aut muneribus persuasus, Agag pepercit. *Pepercit Saul, & populus Agag.* Sic Saulis piaculum Deo displicuit, ut Samuel continuis precibus veniam non impetrarit, nec copiosis lachrymis indignationis flammam restinjerit. *Vsquequo tu luges Saul? cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel.* 1. Reg. 16. vers. 1. Expendere iuvat: cur Deus, qui ad Moysis preces placatus est, ne pro conflato vitulo poenam infligeret: *Placatus est Dominus, ne faceret malum.* Exod. 32. v. 14. Samuelis lachrymis placatus non fuerit, sed Saulem a regni culmine deturbarit? Magnus erat Moyses, sed & Samuel erat magnus: Saulis culpa defendebatur fucata misericordia; vitulum adorare, stultissima probabatur infania, & tamen Deus Saulem potestate exaugurat, & populo remittit offensam. Ecqua discriminis causa est? Quia Saul, cum Rex esset, subijci noluit legis edicto, sed legem seruire fecit arbitrij placito: ergo non erat potestatis culmine dignus, qui voluit non solum imperare hominibus, sed diuinis etiam legibus. Vitulum colere, erat amentia, sed imperare legibus toti Reipublicae vis pestifera. Ergo Deus Moysis precibus exoratus, criminosis veniam largitur; Samuelis vero gemitus non exaudit, quia Saul totum regiminis ordinem & confunderet, & euerteret. Quid enim statum, & firmum, si Iudex, aut Princeps inuiolandas leges sic corruerit, ut suis adaptauerit placitis, & inferuire cogat decretis? *Infelix* (inquit Theodor. quaest. 33. in 1. Reg.) *cum Deus iussisset punire, misertus est, & cum Deus morte damnasset, ipse, ut existimauit, vitam tribuit. Non fuit ergo paruum eius peccatum, sed maximum.* Alia culpa peccantem contaminat, legis per Iudicem transgressio Rempublicam totam perfundat; nam uti nauigantes, si elycem auferas, nauigium nequeunt auriga-

re; sic, corrupta lege, nequit populus salute frui. Ergo si Iudex, aut Princeps pro arbitrio suo legem interpretatur, totius Reip. status periclitatur.

TEXTVS.

VERS. 22. Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adorauit, & benedixit Regi: & dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inuenit gratiam in oculis tuis, domine mi Rex: fecisti enim sermonem serui tui.

S. LIV.

Quò quis Dei fauoribus probatur ornatior, laudabili inuenitur humilitate depressior.

Hoc est discrimen inter diuinis fauoribus exornatum, & humanis Principum privilegiis erectum: quod humanus fauor inflat, diuinus demissiore humilitate praelatum exornat. Humilitas est solidarum virtutum lydius: in ea dignoscitur, quantis quis virtutibus adornetur. Specialis Dei fauor secum affert humilitatem: fictus est, qui promouet elationem. *Humilitatem* (aiebat Gregor. lib. 21. Moral. cap. 14.) *pietas suffulciat, humilitas pietatem.* Eximius pietate, humilitate resplendet, & quod plus virtutibus relucet exultior, plus etiam humilitate laudabiliter probatur deiectionior. Ioab specialissimam obtinuit gratiam, Absalonis scilicet veniam. *Hodie intellexit seruus tuus, quia inuenit gratiam in oculis tuis, domine mi Rex: fecisti enim sermonem serui tui.* En speciali pra aliis fauore nobilitatus resplendet. Quid tunc? Ad terram deijcitur laudabiliter prostratus: *Cadens Ioab super faciem suam in terram adorauit.* Inuidendus casus, quem non attulit arrogantiae vanitas, sed solida cordis humilitas. Demissior proditur, dum specialem obtinuisse gratiam refertur. Innuit Abul. q. 17. *Quando David dixit Ioab, quod propter eum volebat reducere Absalonem, prostrauit se Ioab super faciem suam in terram.* Maiore fauore potitus, demissiori ad terram vsque humilitate est deiectus; nam qui Davidis, Christi figuram gerentis, maioribus inueniuntur gratiis decorati, praecipua etiam relucet humilitate deiectionior: *Erit in nonisimis diebus* (aiebat Isai. cap. 2. vers. 2.) *preparatus mons, domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Galfridus in Allegor. Thilm. ad hunc locum notauit, fluere non arduitate, sed decliuitate denotare; aqua dicitur a vertice in vallem confluere, a valle in montem non dicitur fluitare: quomodo ergo Isaias contraria ad speciem iunxit, scilicet ad eum confluere, & Dei montem celsiorem praeter ceteris eminere? Galfridem audi: *Quomodo fluent ad montem? non enim solent sursum vergere fluida, sed deorsum.* Si fluxus denotat decliuitatem, quomodo hic fluitur ad altitudinem? Quia mirabili philosophia (respondet Galfridus) hic mons eminebat ceteris virtute altior, sed ceteris etiam humilitate depressior; ergo fluere gens poterat. Nam quem eximia merita extulerant, humilitas, & modestia depresserant. Redeat Galfrid. *Mons iste preparatus in vertice montium, omnibus quoque vallibus humilior erat.* Humilior erat vallibus, & celsior montibus; nam quos Dei gratia magnis nobilitauit

1. Reg. 15.
v. 3.

1. Reg. 16.
v. 1.

Exod. 32.
v. 14.

Isai. cap. 2.
v. 2.

nobilitauit fauoribus, demissa etiam humilitate sic custodiuit, vt se omnibus postponent sua existimatione abiecti, cum prae ceteris fulgeant conspicui. *Statura tua* (aiebat Sponsus) *assimilata est palma, & vbera tua votris.* Cant. 7. vers. 7. De eadem sermonem iterum instituens, ait: *Soror nostra parua, & vbera non habet.* Cant. 8. v. 8. Facile erat intellectu, si ordinem inuertisset: si prius dixisset paruam, & statura postea proceram; nam temporis tractu exigua adulescent, & incrementis proficiunt: verum si prius excreuit elata palma, quomodo postea inueniri potuit exigua? Quid commune cum exiguitate altitudinis? Quia humilitas deprimebat, & meritum copia eleuabat. Si expendas perfectionis altitudinem, palmam videbis exaequantem: *Assimilata est palma.* Si, quam de se aestimationem habeat, inspicias, inuenies paruulam, & exiguam; miro enim modo diuersa ad speciem confederantur extrema: & humilitas, quae ad imma deprimit, & quae ad aethera perfectio extollit. Vbi sponsa staturae proceritate palmam inuenitur supergressa, sui aestimatione paruulis, exiguisque proditur comparata. Si attendas meritum, palma est; si humilitatem, exigua est, imò tanto depressior, quanto ceteris eminentior. Huc voco Ambros. ad 4. Luc. *Quò plus emeruerat, hoc presumebat minus.* Praesumptio est virtutum tinea, humilitas est custodia. Ergo sponsa sic à praesumptione distabat, vt suis in oculis haberetur parua, quae operum magnitudine vel palmarum florebat altitudinem supergressa.

§. LV.

Plures vota assecuti, gratitudinis tributum tardant, aut negant.

Quid sit ingratus, nulla lex monstrat (aiebat Sen. lib. 3. de Benefic. cap. 7.) Lex, dum taxat poenam, definit culpam. Ergo nulla lex, quid sit ingratus, poenis definit, & dum non definit, abiectissimum, & multiplex esse vitium ostendit. Ingratorum species variae: alij gratias tardant, nec intelligunt tantum se gratitudini demere, quantum moram probantur adijcere: alij argumenta nihil debentium ab obliuione, aut iniuriis quaerunt: alij ipsius largientis esse commodum, quod acceperint, putant, vnde, & quia acceperunt, sibi gratias reddendas existimant. Inter benefactorem, & gratum is ordo sit, vt statim ac ad accipientem peruenerit obsequium, honestam beneficis obliuionem subeat, & beneficiatus gratitudinis tributum soluat. *Tunc cursum suum seruat* (aiebat Sen. de Pila agens lib. 2. de Benef. cap. 17.) *vbi inter manus viriusque aptè ab viroque & iactata, & excepta versatur... Eadem beneficij ratio est.* Itaque vt pila ab vno mittitur, & ab alio celeriter redditur, ita beneficium debet & honestè conferri, & celeri gratitudine solui. Dauid Ioab, quod exorabat, concessit: *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom.* Audis collatum beneficium, audi redditum gratitudinis obsequium: *Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adorauit, & benedixit Regi.* Nulla mora intercessit inter accipientem, & dantem. *Benedixit Regi* (inquit Caiet.) *benedictione gratiarum actionis.* Quam rari inueniuntur, qui Ioabum imitentur! sunt qui cum ipso beneficio beneficij ebibant obliuionem, & affectent ingratitude. Citharae pulsu depulerat Dauid à Saule daemone, reddiderat sospitatem: *Tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul.* 1. Reg. 16. v. 23. Putares Dauidem muneribus *Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.*

onerandum, sed à memoria videbis prorsus expunctum. Descendebat in arenam, vt, deuicto Philistaeo, firmaret Saülis coronam, & Saül indecoram confessus est ignorantiam, & ait Rex: *Interroga tu, cuius filius sit iste puer?* 1. Reg. 17. v. 56. En interrogat Abnerum, quis, & cuius filius sit puer, cum ipse ad Isai pueri parentem legatos miserit, & in modum supplicis, vt ad se mitteret, precibus obnixis rogarit. Bene nouit, quis esset Isai, & quis Dauid esset, cum eguit medicamine, ignorauit post sospitatem, nec beneficium debita confessus est gratitudine. Est enim frequens post beneficium obliuio, & benefactoris ignoratio. *De hoc* (inquit Hugo) *quaesuit Saül.* De eo quaesuit, cuius crederes immortalem fore memoriam, & delendam nunquam notitiam. Adde: alios de acceptis beneficijs arma contra benefactorem procedere, & in certaminis arenam descendere. Infimae nota se Agar seruum prodidit, dum consilio, beneficioque Sarae honore fruita, despexit, & iniuria beneficium perfoluit: *Dedit viro suo uxorem.* Gen. 16. v. 3. In gentilem thorum admissa concepit, & de ipso honore contra Saram arma procedit: *Despexit dominam suam.* Vilis erat ancilla, & obscura stirpe genita, quae intumuit prospera fortuna vsa, quae extitit in beneficam ingrata: despectu compensauit fauorem, & ipso, quo debuerat exhibere se gratam, se praestitit superbissimam. *Despectam habet* (inquit Hugo) *quasi de herede praesumens.* Praesumptuosa, & vana omnia voluit sibi arrogare, cum omnia deberet Sarai grata humilitate referre.

§. LVI.

Gloriosum est, quam apud Principem sortiaris gratiam, aliorum beneficijs ostendere, nec vni tibi ex ambire.

Male vim suam (aiebat Plin. 8. epist. 24.) potestas aliorum contumelijs experitur, male ierre veneratio acquiritur. Vim potestatis, & apud Principem gratiam melius publicant collata plurimis beneficia, quam admitti ad interiora domus secreta: posse in aliorum perniciem, est vis pestifera; posse ad aliorum vtilitates, potestas est secunda, & elogijs immortalibus celebranda. Honestam ambitio est, Principis vti beneuolentia, non ad superba dignitatum obtinenda fastigia, sed ad aliorum pellenda incommoda. Ioab ostentat apud Principem gratiam, cum aduersam Absalonis pellit fortunam: in hoc gloriatur Principis familiaritate vsu fuisse, vt scilicet reuocaret exulem, & redderet curiae extorrem. *Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi Rex: fecisti enim sermonem serui tui.* Obtinuit Ioab apud Principem gratiam, sed ea est vsus, non ad conciliandam sibi inuidiam, sed ad aliorum depellendam miseriam. *Non dicebat Ioab* (scribit Abul. q. 17.) *quòd hodie intellexisset se habere gratiam in oculis Regis, quia ante hoc intellexerat: cum Dauid fecisset eum multa bona, & constituisset illum Principem belli, & honorabilem in toto Israël: sed dicitur, quòd cognoscebat istud hodie, scilicet intensius, & perfectius.* Modò erat perfecta gratia, & laudibus digna, quia sibi non accumulabat honores, sed ea utebatur ad depellendas aliorum aduersitates. Cum speciali beneuolentia Iacobus, & Ioannes à Magistro haberentur, praecipuas sibi sedes ambierunt, sed ipsa petitione se non bene vsos fauore, manifestè declararunt: *Nescitis, quid petatis.* Matth. 20. v. 22. Petrus se primatus honore dignum prodidit, cum Ioannis vtilitates ambiuit. *Hunc cum audisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid?* Ioan. 21. v. 21. Arbitratus est Ioannem

1. Reg. 17. v. 56.

Gen. 16. v. 3.

Matth. 20. v. 22.

Ioan. 21. v. 21.

Cant. 7. v. 7.

Cant. 8. v. 8.

1. Reg. 16. v. 23.

folicitudine vrgeri : ergo præ cæteris Chriſto familiaris aliorum voluit beneficiis , quàm fortiebatur gratiam , honorare , & quantum poſſet , oſtendere. Huc voco , quod aiebat Auguſtin. in Cat. *Non quæ noſtra ſunt , quaramus.* Ioannes , & Iacobus , dum , quæ ſua ſunt , quarunt , fauorem innubilant ; Petrus , dum aliena quarit , commendat : dignus fuit Petrus , qui extolleretur à Principe , quando cæteris antelatus in aliorum vtilitatem eſt beneuolentia Domini vſus.

§. LVII.

Eximius Dei fauor eſt , eligi ad peccatores reducidos , & exules diuinis conſpectibus præſentandos.

EA Deus erga mortales benignitate reſplendet , vt ſui arbitretur prouectum , quod in omnium reſultat commodum : atque idedò alacriter conuenit eius deſiderio adulari , & in moribus expoliendis incumbere. Felicitas eſt , Principis dignis promereri actionibus gratiam , & optandus honor , deligi ad aliorum tutelam. O quàm eſt glorioſum reducere errantes , & reuocare ad Principis gratiam extores. *Tale obedientibus* (aiebat Caſſiodor. 6. Var. 17.) *dari debet donum , quale in deuotis poſuit eſſe periculum. Grandia ſunt , quæ ſuſtinent excubantes : perſonas contumaces ad parendum cogunt , latentes in cubiculis ſuis prudenti ſagacitate veſtigant , ſuperbis modeſtiam æqualitatis imponunt.* Quod à Numine conſtat optari , fortunatum eſt , efficaciter adimplere. Fauor eſt , ad aliorum componendas cauſas deligi , & deligentis votis prompta executione blandiri. Exulabat Abſalom à parentis oculis remotus , & fratricidij ſanguine maculatus : importunis Ioab precibus Dauid ad miſericordiam maturauit , & tandem Ioab , vt exulem reuocaret , elegit : *Vade , & reuoca puerum Abſalom.* Quid tunc ? Submiſſo vultu gratias agit , & impertito ſibi exultat honore. *Cadens Ioab ſuper faciem ſuam in terram adorauit , & benedixit Regi , & dixit Ioab : Hodie intellexit ſeruus tuus , quia inueni gratiam in oculis , domine mi Rex.* Inquires : Quomodò ſe gratiam inueniſſe modò aſſerat , qui in exercitus Principem antea electus , & honore ampliffimo nobilitatus ? Nonne fatis reſplenduit Principis beneuolentia in promotione ad militiæ magiſterium , & ad honoris ſtaſtigium ? Ita ſanè : ſed ſpecialis fauor Principis fuit , deligi ad reducendum peccatorem , & ad paternis conſpectibus præſentandum exulem. Ergo iure Ioab ampliores gratias agit , quia , dum eligitur , à Principe honore præcipuo nobilitari cognoſcitur. *Hodie intellexit ſeruus tuus , quia inueni gratiam in oculis tuis.* Notauit Abul. quæſt. 16. *Poterat ſimplex nuncius cum littera Regis deſtinari de ſecuritate Abſalonis ... miſſus eſt illuc Ioab vir honorabiliſſimus in toto Iſraël.* Ioab hanc legationem demandare , erat gratiæ apud Principem clariffimum teſtimonium , & beneuolentiæ argumentum. Vt hinc nouerint , qui ad reducendas barbaras gentes cœleſti dignatione eliguntur , quantis fauoribus perfruuntur. Quid enim optabilius , quàm elucrari animas errorum maculis defædatis , & vinculis peccatorum conſtrictas ? Magna pericula ſubeunt , qui ad eiufmodi cauſas mittuntur , ſed eximius fauor eſt , præ cæteris delegari , & pericula exoptanda ſubire. Chriſtus Dominus Petrum , & Andream vocauit , vt eius ſequerentur veſtigia , & , ne perfectæ tempora-

lium renunciatio , & imitatio Chriſti impræmiata videretur , eos ad hominum piſcationem delegit , & honore eximio nobilitauit : *Venite poſt me , & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. 4. verſ. 9. Et qua , Domine , oblata mercede iubes quæſtui , & retibus renunciare ? Eos (inquit) hominum piſcatores conſtituo , & ad elucrandas animas deſigno : vterque frater crucis ſubibit tormentum , ſed magnum animarum expiſcabuntur etiam numerum : ergo retibus renunciare , & meis veſtigiis inſiſtere non carebit eximio præmio , quandò magnus fauor eſſe dignoſcitur ad elucrandas animas præ aliis eligi , & labores exoptandos ſubire. Notauit Chryſoſtom. in Cate. *Faciam vos fieri piſcatores hominum , id eſt , Doctores , vt cum rete verbi Dei comprehendatis homines de mundo tempeſtuoſo , & periculoſo , ubi homines non ambulant , ſed feruntur , quia diabolus cum delectatione compellit eos in mala , ubi alterutrum homines ſe comedunt , ſicut piſces fortiores deuorant iuniores , vt tranſlati viuant in terra , corporis Chriſti membra facti.* Magnam ſe apud Chriſtum inueniſſe gratiam , oſtentare poterant fratres , cum præ aliis electi ad animas hominum elucrandas , & conſcientias inſtruendas. Quid enim homini optabilius , & honoratius , quàm à veritate exules ad veritatem reducere , & errorum tenebras Euangelicæ veritatis ſplendore depellere ? Glorietur ergo Ioab ſe inueniſſe gratiam , cum deligitur ad reducendum culpæ denigratum , & præſentandum paternis conſpectibus de peccatore iam filium.

§. LVIII.

Orationis perſeuerantia feliciter vota aſſequitur , & viciffe ardua gloriatur.

GRata vi in Deum quodammodo præualeat oratio , ſi indefeſſa perſeuerantia obarmetur , & fiducia religioſa muniatur. *Percipio ſpe* (ſcribit Ennod. lib. 5. epiſtol. 14.) *ſutura , quæ deprecor.* Oratio in modum imperantis ſupplicat , & in modum ſupplicis vim affectat : verum energia orationis perſeuerantia eſt. Honeſta pertinacia , dum generat ad ſpeciem ſtaſtidium , extorquet votum. Amicus petenti amico plures difficultates oppoſuit , non animo orationem impediendi , ſed perſeuerantiæ energiam validam promulgandi. *Propter improbitatem eius ſurget , & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Luc. 11. verſ. 8. Repuſſus inſtitit , temporis difficultate retardatus orauit : ergo amicus veluti importuna prece laſſatus , quod exorabatur , eſt dilargitus. Audi Chryſolog. ſerm. 39. *Negare noluit , qui ſibi etiam neganti , qualiter extorqueretur , oſtendit.* Præmiſerat : *O quàm neceſſitatis eſſe ſua , quod ſua poteſtatis eſt , vult videri !* Videri voluit orationis perſeuerantiam quandam neceſſitatem inducere , & deſiderata laudabili violentia extorquere. Fugit Abſalom parentis iram , quam fratricidij prouocarat offeſſa. Per tres annos à parentis oculis exulauit : *Fuit ibi tribus annis.* Supra. 13. v. 38. Ioab exulis ſuſcepit partes , & opportunis precibus inſtitit ; & tandem , quod deſiderabat , obtinuit : *Ecce placatus feci verbum tuum.* Aſſiduitas per tres annos erat honeſte importuna , laudabiliter moleſta. *Orabas occultè pro illo* (inquit Abul. quæſt. 15.) *vt rediret in terram Iſraël.* Nullam Ioab prætermittebat orandi occaſionem. Ergo cum Dauid Ioab diligeret ſpeciali beneuolentia , & eius continua adurgeretur inſtantia , ceſſit veluti defatigatus , & vitandi tædij ſtudioſus. Dalia Sanſonem orat ,

Matth. 4.
v. 9.Luc. 11.
v. 8.

Iudic. 16.
v. 6.

vt sibi virium referarit arcanum : *Dic mihi , obsecro , in quo sit tua maxima fortitudo.* Iudic. 16. vers. 6. Votis fraudata institit , & secretum sibi communicari , exorauit : *Saltem nunc indica mihi.* Sanson cautus texit veritatem , sed Dalia armauit iterum precem : *Ostende , quo vinciri debeas.* Iterum Sanson vota distulit , nec roganti annuit. Quid tunc ? Ei iugiter adhæsit , & iteratis precibus sic vsit ; & iam qui de leone tulerat triumphum , lassatus referauit secretum : *Cum molesta esset ei , & per multos dies iugiter adhareret , spatium ad quietem non tribuens , defecit anima eius , & ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei , dixit ad eam &c.* In arenam descenderant precum , lachrymarumque instantia , & Sansonis cautissima resistentia. Verum oratio assidua sic præualuit , vt Sanson cesserit , & Dalia detriumpharit. Notauit Lira : *Per molestiam mulieris importunè petentis veritatem rei aperuit.* Quasi pauida , sollicitaque , vt dilectæ suæ secretum committeret , exorabat : & licet diu Sanson obsurduerit , cessit tamen precibus , & palmam concessit reportare gemitibus. Omnia in figura contigisse , testatur Paulus , & in Sansone Christum adumbrari , Interpretum non exiguus numerus. Ergo hoc facto nobis datur intelligi , quàm sit magna orationis valentia , & quàm non fraudatur votis assidua precum instantia.

§. LIX.

Efficax est oratio meritis petentis innixa , & exhibitis obsequiis armata.

DE sacrario mundi pectoris (inquit Ennod. in Paneg.) *laudatio debet principalis effluere. Nec solum lingua nitorem postulat commemoratio Numinis tui , bona adferenda conscientia. In diuinis obsequiis feriato ore peragit mens serena sacrificium : actuum munus claritate in æthereo cultu etiam mutus obsequitur.* Obsequitur , dum precatur beneuola lingua , sed suffulcienda est deprecatio bonæ conscientia. Etiam mutus petit obsequiosis officiis , etsi non resplendeat nitidis verbis. Thecutes orationem industriè expolit , & lepore grato componit : Ioab feriato ore tacet , sed loquitur meritorum voce. Quid tunc ? Dauid Ioab , quod desiderabat , concessit , & meritum honorauit : *Hodie intellexit seruus tuus , quia inueni gratiam in oculis tuis , domine mi Rex : fecisti enim sermonem serui tui.* Sermonem fecit officiosè famulantis , non mulieris eleganter eloquentis. Inquires : Cur Dauid non proferat annuisse mulieris votis , sed Ioabi desiderii ? *Fecisti sermonem serui tui.* Si mulier petit , cur Ioabo annuit ? Hoc dubium excitauit Abul. quæst. 16. respondetque , mulieris preces artificioso sermone resplenduisse expolitas , sed Ioab eximiis factis Principem obligasse exornatas : ergo satis non erat ad impetrandum lingua , si meritorum destitueretur conscientia , & satis fuit virtutum conscientia , etsi feriaretur lingua. Abulensem audi : *Mulier non erat digna tanto beneficio , sed Ioab , qui erat vir excellens in Israël.* Ioab defudarat præliis , excubias egerat campis : ergo attendit Dauid quid egregia exegerint merita , non quid precaretur mulieris lingua. Itaque etsi attenderit linguæ leporem , pluris manus æstimauit fortitudinem : mulieris oratio nitebat elegantia , sed Ioabi roboris militaris valentia : ergo verbum fecit famulantis , non eloquentis ; cumque Dauid Christi personam gerat , factis ostendit exiguum linguæ vim inesse , si desint merita , & magnam

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

ad impetrandum silentio , si egregia precentur facta. O imitandam politicem ! Discant Iudices , Principesque plus attendere vulnere cicatrices , quàm fucatas mulierum facies ; est enim tinea regiminis , si blandis adulationibus obtineat fœmina , quod non obtinet miles strenua , & annosa militia. Clamabat diues ille audaci lingua , nec impetrare potuit , quia aduersabatur conscientia : *Pater Abraham , miserere mei , & mitte Lazarum , ut inungat extremum digiti sui in aquam , ut refrigeret linguam meam.* Luc. 16. vers. 24. Sanson clamat , detriumphatis iam Philistæis , & crystallinis laticibus Deus siti æstuantem recreat , & copioso fonte satiat : *Fons innocantis de maxilla.* Iud. 15. vers. 19. En aquæ gutta negatur diuiti , & conceditur fons Sansoni ; cum apud sæculum diuites vel improba facillè assquantur vota , & irremunerata querantur militum merita. Quomodo ergo diuitis clamor inanis , & efficax oratio Sansonis ? Quia clamori diuitis eius refragabatur vita , & obnitebatur conscientia ; Sansonis verò preces eximia tunc comitabantur virtutes : ergo obnuit oratio petentis merito commendata , & virtutibus innixa. Audi Chrysolog. serm. 66. *Ibi cassa vox est , isthic inanis est clamor.* Clamat diues , sed quod precatur lingua , suadet efficacius denegare conscientia. Sansonis preces muniebat meritum , & sic assecutus est votum. Sibi prospiciunt , qui lucis huius vsura fructi , humiles preces fundunt , & opportunam opem sibi à Numine conferri exambiant ; accrescit tamen precibus energia de pura conscientia , & de morum elegantia. Plures non impetrant , quia , quàm Dei misericordiam ore deprecant , factis contradicunt , & culparum mole retardant ipsam , quàm indulgentiam desiderant.

Luc. 16.
v. 24.

Iudic. 15.
v. 19.

TEXTVS.

VERS. 23. Surrexit ergo Ioab , & abiit in Gessur , & adduxit Absalom in Ierusalem.

§. LX.

Cui munus magni momenti committitur , fas non est moras necere , & executionem tardare.

Plures inueniuntur , qui cum munia importunè exambiant , iam adepti , & honore fructi , executionem differunt , & necere moras contendunt. Publica vtilitas de mora queritur , sed executio muneris coloratis causis tardatur : & quidem bona politices exigebat , vt exaugurarentur munere , qui gratiam Principis obsequij dedecorant tarditate. Alacriter incumbendum est iussis , & subeundus sine tædio angor laboris : magnum genus incitamenti est , iussu citò complere , & iniunctum munus perficere. *Tu iudicio nostro , electionique respondens* (aiebat Princeps Abundantium alloquutus. 5. Var. 17.) *ostendisti , quàm fuerit indubitata perfectio efficacissimis imperasse , quod queritur. Renuncias illicò complerum , quod vix credi poterat inchoatum.* Abundancio demandata erat nauium constructio , adeoque solerter muneri incubuit , vt ea , qua nauigare solent , velocitate , naues apparuerint constructæ , obtulit oculis classeam syluam , domos aquatiles. Quàm fuit Reipublicæ commodum , Præfecti efficacia ! Quàm esset detrimentum inertia ! Habuit Princeps exercitiales pedes , qui hostilem frænarent impetum , & adaugerent commercium.

Nec minùs efficax inuenitur Ioabus, qui vbi reducere Absalonem est iussus: *Vade ergo, & reuoca puerum Absalom*: non distulit, sed viam celeriter carpsit: *Surrexit ergo Ioab, & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem*. Honorabile munus erat Principem reducere, & tranquillitati Reipublicæ prouidere: ergo nullam interposuit moram, sed celeriter arripuit viam. *Noluit morari super hoc* (verba sunt Abulens. quæst. 17.) *sed illicò executus est*. Si expectaret tempus sibi commodum, si magnum disponderet commeatum, si differret Absalonem reducere, & vellet, excusato laboris censu, honoris munere resplendere, Absalom graue subiret incommodum, & pateretur Respublica detrimentum. Video Eliam Iezabel minas fugientem, tantisper quiescere, & de periculo proprio anxium dormire. *Obdormiuit in umbra iuniperi.* 3. Reg. 19. vers. 5. Video de Domini præcepto viam carpere, & nullum leuamentum laboris quærere: *Vade, & ostende te Acab, vt dem pluuiam super faciem terræ.* *Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Acab.* 3. Reg. 18. vers. 1. A Sarepta ad Acab rediisse tradit Abul. hinc quæst. 1. *Omnibus istis diebus Elias stetit in domo Saraptaneæ.* Hinc oritur quæstio: Cur scilicet, qui proprii periculi effugiendi sollicitus obdormiuit, longo adeò itinere, scilicet à Sareptâ vsque ad Acab limites somnum non caperit, cum de more sit hominibus segniùs tractare aliena, quàm propria? O vtilem nobis doctrinam! Si Elias Domini mandatum differret, aut in via somnum caperet, quæ longa siccitate tellus premebatur, cœlestibus imbribus non frueretur. Ergo Elias alacriter inuolauit, vt impleret munus ad Reipublicæ vtilitatem spectans, & obdormiuit, periculum proprium declinans: si missus à Deo ad Acab, indulgeret otio, aut lento processisset vestigio, grauissimæ difficultates emergerent, dum diuturniori fame adureretur Respublica, & copiosis fluentis careret terra. *Obediuit verbo Domini* (addit Abul. q. 2.) *& iuit contra Samariam, vbi erat Acab.* Si nuncius ad Acab delegatus moras neceteret, si suis peculiaritatibus studeret, Respublica fame consumpta periret. Ergo qui nuncij fruebatur honore, munus impleuit vtili sollicitudine.

§. LXI.

Reprehensibile est, si possis, à Dei conspectu exules quàm citò non reuocare, & anxio desideria differre.

A Nimæ culparum reatibus obstrictæ, & Purgatorio detentæ ardentissimis Numinis aspiciendi faciem desiderii vrgentur, & tantæ felicitatis dilatione qualibet diuexantur. Vndè crimini vertitur, si possis, earum desideria non explere, & opem exoptatissimam protelare. *Decet* (aiebat Cassiodor. 5. Var. 5.) *semper esse paratum, quòd vtilitatibus publicis probatur accommodum; ne quòd ad celeritatem repertum est, incongruam potius festinantibus inferat tarditatem.* Missarum Sacrificia, indulgentiarum suffragia, plenissima iubilæa pro expediendis animarum vinculis valida probantur esse subsidia. Ergo reprehensibilis est, qui morosus attulit tarditatem, cum potuerit sopire celeriter anxietudinem. Absalom Regis filius à parentis exulabat conspectibus, criminis detentus reatibus: David reducendi puerum Ioabo facultatem concessit: *Vade, & reuoca puerum Absalom.* Quid tunc? Nec per breuem moram distulit, sed viam, vt præsentaret patris conspectui, festinus carpsit: *Surrexit ergo Ioab, & abiit in Gessur,*

& adduxit Absalom in Ierusalem. Ad pacis visionem (hoc enim sonat Ierusalem) extorrem adduxit, statim ac accepit potestatem: laudabilis fuit celeritas; reprehensibilis esset tarditas: posse namque exulis filij anxia desideria explere, & interiectis moris tardare, esset acri reprehensione dignum, vt celeriter reuocasse, fuit laudibus celebrandum. Prodest Abul. q. 17. *Noluit morari super hoc, sed illicò executus est.* Celeritate sibi obstrinxit Principem, & quam fortitus fuerat, commendabilem reddidit potestatem. Dei filij Ægypto detinebantur, laboribus pressi, & fornacis vaporibus vsulati: Deus educendi facultatem Moyfi concessit, & Virga, hoc est, crucis Domini cæ subsidio armavit: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israël de Ægypto.* Exod. 3. v. 10. Moyse status conditionem allegat, linguæ tarditatem opponit: verum Deus pergere celeriter iubet: *Perge igitur, & ego ero in ore tuo.* Exod. 4. v. 12. Iterum replicat, & ire tardat. Quid tunc? Deus irascitur, & morâ offenditur: *Iratus Dominus in Moysem.* Huius indignationis causam, tarditatem fuisse, tradit Caiet. *Iuxta Hebraum habetur: Et iratus est furor Geonah in Moysem ... è ipso quòd iratus describitur, manifestatur culpa Moysis.* Culpa erat Moyse concessâ virgâ non vti, & in ouibus pascendis morari; quando adeò dura Dei filios diuexabat angustia, & acris vrebat flamma. Fas erat celeriter vti concessa facultate, & Israëlitas grauissimo alleuare dolore. Furore iratus describitur Deus: *Iratus est furor Geonah:* quia etsi exigua ea videretur mora, vrgentissima erat afflictorum angustia. Videant, quibus commissum est testamenta disponere, pro excedentibus suffragia offerre, qua breuitate teneantur perficere, si nolint indignationem Dei sustinere.

§. LXII.

Laudabile est, Dei presentia, orationique te tantisper substrahere, vt valeas peccatorem reducere.

Qui, relictis familiis, ad vos venire properabant (inquit Aurel. 10. Var. 14.) *de vestra erant potius securitate solliciti. Quando, rogo, vicissitudo recepta est, cui salutis premia debebantur.* Quid possit æquale rependi, cui salus debetur, & vt debeatur, regio conspectui, & alloquio subducitur. Cunctis optabile est, aspectu Principis frui, eiusque alloquio honorari; verum nouit fidelis deuotio legitimo amore inflammata, tantisper se regio conspectui substrahere, vt aliorum possit vtilitatibus prouidere. Ioab Davidis fruebatur conspectu, eiusque nobilitabatur alloquio, & tamen, vt Absalonem parentis gratiæ restituat, alloquium, & conspectum tantisper intermittere non recusat, sed celeriter pergit, & itineris molestias lubenter subit: *Surrexit ergo Ioab, & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem.* Absentiam fructu nobilissimo compensauit, & plus peccatoris reductione promeruit. Dignus fuit præcipuo Regis amore, qui, vt plus inseruiret, otia exoptanda deseruit: *Adduxit Absalom in Ierusalem,* scilicet culpis exulem reduxit, vt regijs conspectibus præsentaret, & beneuolentiæ Principis restitueret. Ita Abul. q. 17. *Adduxit eum, vt videret Regem.* Negotiatio fuit, aliquid amisisse, vt maiora lucraretur: poterat aula immorari, Principis conspectu frui, maluit tamen exoptandâ tantisper carere presentia, vt Absalom frueretur Principis gratiâ. Gloriosum est, orationi tempus insumere, Deoque adstare; verum nouit animarum zelus his renunciare sacratis otijs, & in campum proficere,

Exod. 3.
v. 10.Exod. 4.
v. 12.3. Reg. 19.
v. 5.3. Reg. 18.
v. 1.

Apoc. 8. v. 1.

Isai. 6. v. 3.

vt & bellum vitii possit inferre. Ioannes arcanum refert silentium: *Factum est silentium in caelo quasi dimidia hora.* Apoc. 8. v. 1. Iam se offert difficultas: si angeli incessabiliter proferunt trifagium illud, quod audiuit Isaias: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Isai. 6. v. 3. quomodo conuenit cum trifagio silentium, aut cum silentio trifagium? Iam refert Ioannes: *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, & datae sunt illis septem tubae.* Septem tubis Angeli ad bellum contra draconem muniuntur, & quanto salutis hominum zelo inardescant, illo silentio testantur. Ita Anselm. ad hunc locum: *In hac tertia visione agit de officio praedicationis iniuncto septem angelis.* Nunquam angeli à Dei laudibus cessant; Verùm Ioannes, vt animarum zelum commendaret, introducit Angelos Martiali tuba clangentes, & tantisper à laudibus diuinis cessantes, quasi potius elegerint bello ad animas reducendas insistere, quàm iteratis acclamationibus occupari: non per longum tempus, sed quasi dimidia hora silent; nec silent, vt ora contineant orationis tædio, sed vt inflatis tubis bella pro hominibus elucrandis intulerint aduersario: tantisper se orationi subtrahunt: *Factum est silentium:* sed vt instruant contra acies vitiorum bellum. Nouit namque animarum zelus orationem tantisper intermittere, vt possit praedicatione, suadendoque, peccatores elucari, & durum dæmonibus bellum inferre. Ergo Ioab laudabiliter ad Gesur pergit, & Absalomem reducit.

quàm eo in statu viuere. Audi Valer. lib. 5. c. 8. *Tam tristi sententia patris percussus Syllanus, lucem vitæ rarius intueri non sustinuit.* Amariorem censuit vitam, commodiorem mortem. Hinc disces, quo dolore purgatorij animæ torqueantur; deletâ iam culpâ, metu sunt liberae, sed culpæ reatibus aulâ caelesti, & Numinis conspectu priuatae; ergo amarius dolent absentiam, quàm flammam: eligerent, vt breuiarentur absentiae spatium, flammarum adaugeri tormentum. Adamus in paradysum admissus, innoxius voluptatibus utebatur: carebant deliciae serpentino veneno. Verùm ad inuidiam excitatus dæmon, infidiosè meditata aggreditur, & infeliciter votum fortitur. Deus, quem alloquio, palatioque fuerat dignatus, mulctauit exilio. *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.* Gen. 3. v. 23. Quo dolore percussus fuerit, non est explicatu facile: amissæ felicitatis recordatio adurebat præcordia, & veluti præpilato telo feriebat viscera, aspectu Domini priuatus, & paradiso interdictus, plenam ærumnis ducebat Adamus vitam; imo patiebatur mortem dilatam. Prodest Procopius in cap. 3. Gen. *Quidam inquit: satis fuisse hominem non nasci, quàm vt in tanta veniret mala.* Digna, sed seuerissima pœna fuit, paradisi interdicti ingressu, dominantis priuari vultu; eligeret fortè Adamus alijs tormentis vrgeri, quàm à palatio secludi. Quid enim ingenuis acius, quàm à regia excludi, & Principis aspectu carere? Ergo Absalom graui mulctatur pœnâ, dum exclusus manet ab aula.

Gen. 3. v. 23.

TEXTVS.

VERS. 24. Dixit autem Rex: Reuertatur in domum suam; & faciem meam non videat: reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem Regis non vidit.

§ LXIII.

Acerrimus dolor est, palatio interdici, & Principis aspectu priuari.

Premium est vita (aiebat Cassiodor. 12. var. 18.) domino vidente, seruire... nam cui nos parere conrendimus, magnus prouectus est, si mereamini ad eius placidos venire conspectus. Optabile præmium est, posse ad secretiora palatij intrare, & placido Principis conspectu frui. Econtrario: veluti immedicabile vulnus est à palatio secludi, & à Principis facie arceri. Aduentarat Absalom, veniâ iam donatus, & patris videndi cupidus; verùm Dauid vultum denegauit, & contineri domo præcepit: *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Degebat iam à metu securus, interdictione tamen dolebat anxius: iam non defædabatur culpa, sed reatus ingemiscebat detentus pœnâ. Ipsa proximitas, securitas ipsa incrementabat dolorem, nam proximius gaudium accendebat viuidius desiderium, & durius erat exilium. Prodest N. Sanct. *Supplicium instar Absalomis mortis fuit, qui quasi à regio sanguine alienus videbatur, dum ad Regis aspectum, & consuetudinem accessus non pateret.* Viris ingenuis nobilibusque grauissimum est à palatio arceri, & Principis conspectu priuari. Domo conspectuque interdixit Syllanum filium Manlius Torquatus, adeoque ægrè tulit hanc mulctam, vt maluerit vitam cum morte commutare,

§. LXIV.

Etiâ dimissâ culpâ ob reatum, diuturnus discruciat pœna.

Verus, & salubris pœnitudo dolor criminis abolet offensam, sed, hac abolita, adhuc manet grauis mulcta. Diu à gaudio exulat, quem reatus criminis ligat. Quod de ambitione à Tertul. lib. de Pœni. cap. 11. scribitur, à Dei conspectu exulibus conuenienter aptatur: *Nullis conuinys celebres, nullis commensationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate.* Dei placido vultu frui, Principis conspectu gaudere nequit, qui offensæ reatu dignoscitur illigari, & quamuis citò legitimo dolore expungatur culpa, diuturnior soluenda discruciat pœna. Dauid delinquenti filio pepercit, sed licet paterna benignitas in sui gratiam admiserit, iustitiæ æquitas ab aula diu exulare coëgit: *Reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem Regis non vidit.* Vultu interdicebat reatus; culpam aboleuerat Absalomis lamentum, & paternæ pietatis indultum. Quanto tempore domo veluti carcere detentus manserit, Scriptura non tacuit: *Mansit Absalom in Ierusalem tribus annis, & faciem Regis non vidit.* Mansit metu securus, sed aspectus gaudio priuatus. Audi N. Sanct. *Sic voluit Ioab, & populi votis satisfacere, vt tamen non videretur institi, & humanitatis immemor; concessit enim Ioab Absalomis reditum in Ierusalem, & securitatem à metu, negauit tamen aspectum sui.* Longo tempore est denegatus aspectus, quia prolixo adeo spatio erat soluendus reatus. Qui purgatorij flammis purgantur, à periculo tuti sunt, quia pœnitudo culpam expunxit, sed culpæ reatus nutrit flammam, & dum nutrit, producit pœnam. Iosephi fratres fedâ turgentes inuidiâ fratrem vendiderunt; nec impij adeo sceleris recordati sunt, quousque prauialida fames adire Ægyptum coëgit, & adorare fratrem suasis: reuerant abundantes debitam reuerentiam impen-

dere, exhibuerunt famelcentes. Sæpe enim quos prospera fortuna à ratione deflectit, calamitas salubri asperitate reducit. Ioseph explorationis crimine interpellat, & asperis verbis obiurgat: carpsit, non vt affligeret, sed vt ad delicti pœnitundinem, confessionemque attraheret. *Loquuti sunt adinuicem: Merito hac patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.*

Gen. 42. v. 21.

Gen. 42. v. 21. Post criminis agnitionem Simeon vinculis illigatur, & carcerem sibi ignotum intrare compellitur. *Tollens Simeon, & ligans, illis presentibus.* Exoptabat Simeon ad parentis redire conspectum, intuebatur fratres inuolare ad paternæ Domus tranquillum gaudium, ingemiscebaturque carcere detineri, & vinculis illigari. En post criminis pœnitundinem, post sceleris confessionem paterno aspectu priuatur, & non sine anxietudine detinetur. Historiæ cortice volunt Interpretes delineari, quod animabus solet accidere. Simeon post ritam criminis confessionem non exiguo tempore detinetur ergastulo, & paterno priuatur vultu, quia etsi culpa pœnitundine fuerit deleta, adhuc digna erat soluenda pœna, & ob reatum ferenda mulcta. Confessio crimen expunxerat, sed reatus adhuc vinculis constrictum tenebat. Vt nobis compertum fuerit, adhuc elutis peccatorum maculis, iustorum animas reatus detineri vinculis, & duris affligi pœnis. Philo lib. de Ioseph. existimat Simeonem præ alijs, vinculis detentum, & præ cæteris culpa denigratum. Eius verba sunt: *Fortasiè maxima pars culpa in eo fuerat quasi auctore conspirationis nefaria, qui cohortem fratrum animauerit, & ad odium concitauerit.* O quàm grauis est culpa, alios ad delinquendum excitare, & monitis peruersis allicere! Qui deliquit suusus, abire permittitur, Simeon qui suusit, ferreis illigatus vinculis premitur. Sed nos thesi restituamus: Simeon post amaras cordis angustias, post profusas largiter lachrymas acerbam vinculorum molestiam sustinet, & felici patris præsentia caret: & quem iam conscientia periculo exemerat, reatus admissi criminis illigabat.

TEXTVS.

VERS. 25. Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.

§. LXV.

Eximia coporis pulchritudo esse solet virtutis naufragium, calamitatis auspiciū.

Felix est pulchritudinis prærogatiuâ decorus, si morum fuerit etiam concinnitate expolitus: amabilem reddunt pulchra corporis lineamenta, & partium bene colorata concordia. *Hac summa virtus* (aiebat Menand. apud Stob. cap. 65.) *existit in vita, corpus habere, quod res pulchras mereatur, si natura decus mores exornent.* Pro commendatitijs epistolis aiebat Aristoteles pulchritudinem esse. Audi datum Stobæum: *Aristoteles dixit pulchritudine homines quâuis epistola, magis commendari.* Commendabiles sunt aliqua eximia dote præditi, & cæteris antelati. Verùm vt nauigatio inter cæcas syrtes naufragijs inuenitur obnoxia, sic inter plausus, & vulgi admirationem forma, fortunæque inuenitur periculis plena. Ve-

nustas decens animæ vestis est; verùm, ni moribus adornetur, infeliciter naufragatur. Absalom præ cæteris refertur decorus, sed capillorum venditione probatur auarus. *Sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël... ponderabat capillos capitis sui ducentis scelis.* Ergo, dum venustas auaritiæ deseruit, infelicem mortem adduxit: ipsis capillis pependit suspensus, & occubuit gladio transfossus. Notauit Abul. q. 20. *Fecit Deus, quod illi, in quibus ista bona maxima fuerunt, felicitatem nequaquam consecuti fuerint, sed calamitosi inter alios effecti sunt.* Eximiæ dotes, dum aliquos præ cæteris reddiderunt commendabiles, si ad prauas affectiones detortæ, effecerunt infelices. Dum Absalom capillorum pulchritudo desit ad auaritiâ, patitur mortem miserrimam. Vidit Pharao pulcherrimas iuenculas mira corporis habitudine commendatas: *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem boues de anne conscendere pulchras nimis, & obesitas carnis: quæ in pastu paludis vireta carpebant.* Gen. 41. v. 17. Fortè, si pulchritudinem ieiuniorum austeritate edomuisent, infortunium vitassent; ast flumine lotæ, abundantanti pastu innutritæ, ad resistendum viribus probantur inualidæ: eminebant corporis habitudine, cedebant animi imbecillitate: ad se vocabant pulchritudine intuentium oculos, sed inspectæ, subierunt etiam acerbos casus. Innuit Lira: *Obesitas carnis, id est ad esum aptis.* Dum palatum proritabant, ad deuorantem vrgebant. Pulchellæ dum solum student venustatis ornatui, ornatus cultui, deuorantur, quia facile cedere appetitui noscuntur.

Gen. 41. v. 17.

§. LXVI.

Oris pulchritudo allicit humanos oculos, ad se trahit anima venustas Diuinus.

ORIS venustas in admiratione est, & dum oblectat grato lepore intuentium obtutus, animi deuincit etiam affectus. Pulchritudo est honestum incantamentum, aut efficax saltem illicium. *Sensus omnes* (aiebat Phauor. apud Stob. cap. 65.) *formosus delectat.* Diogenes pulchritudinem veluti diuinitatis radium putauit. Ipsum audi apud datum Stob. *Qui alij beati iudicandi, quàm per Ionem, qui corporis pulchritudine donati sunt natura dono? illos enim plurimi cen Deos, aut Deorum statuas maximi faciunt, & colunt.* Maximifacit pulchritudinem hominum ignorantia; nec expendit, quàm sit caduca. Solida verò est animæ venustas, & pulchra morum concinnitas. Absalom præ cæteris refertur venustus. *Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis.* Eo ipso tempore refertur etiam à Dauidis conspectu exclusus: *Faciem Regis non vidit.* Et cur Dauid, Christi personam gerens, à conspectu suo repellat adeò pulchrum, & naturæ dotibus commendatum? Vt nouerimus (respondet N. Sanct.) quàm pauci apud Deum corporis habetur venustas, magni apud homines æstimata: *Tandiu videre noluerat filium, cui tantus esset à natura decor, quem etiam cum magna voluptate, ac studio spectabant alieni.* Certatim accurrebat stulta hominum illuuius, vt Absalonis pulchritudine oblectaret obtutum, sed fratricidio defædatus, Dauid non merebatur conspectum; nam apud Deum morum æstimatur elegantia non oris forma. *Indica mihi* (aiebat Sponsa) *quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Cant. 1. v. 6. Potiri desiderabat meridie saporatis ferculis, innoxijs gaudijs, sed, quid sponsus respondeat, audi: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hados tuos iuxta tabernacula*

Cant. 1. v. 6.

tabernacula pastorum. Ac si dicat: Quia pulchritudine alias excedis, existimas facile obtentura, quod cupis, sed ex ignorantia procedit: operibus, ac labore obtinetur meridiana luce frui, non sola oris elegantia, & venustatis prerogativa: egredere, & hados pacce; nam quantumvis ore decoloreris, gratis te oculis aspiciam, munus explentem, & in pacendis gregibus defudantem. *Magna tibi* (inquit N. Delr. in litt.) *est fiducia forma tua.* Forma facile ab hominibus, quod cupit, assequitur; apud Deum morum praestantia nanciscitur. *Abi post vestigia gregum* (adnectit) *Patriarcharum, Prophetarum, & iustorum omnium, qui in hac vita pressiones pro Deo sustinuerunt, per crucis iter ambulantes.* Docetur sponsa forma non fidere, sed per crucis iter ambulare, si cupit meridiana quiete frui, & saporatis ferculis vesci. Apud Deum namque morum valet elegantia, apud ignorantes forma.

§. LXVII.

Pulchritudo milites contra virtutem solet adlegere, & in campum prosilire.

Corporalium partium pulchra lineamenta, ut oculos voluptate trahunt, sic interna corda pellunt. Oris venustate eximius habetur dignus imperio; unde spontaneè huic plures subdiderunt ceruices iugo. *Pulchritudo cerè desiderium sui* (aiebat Diogen. ad Stob. cap. 65.) *non sine voluptate accedentibus immittit.* Trahit sua quemque voluptas, & quò vult, ducit. *Si quo in homine hac concurrant* (scribit Plato lib. 3. de Rep.) *in animo pulchri mores insunt, & in corporis specie illis singula corresponsdeant, consentiantque eandem suscipientia rationem, pulcherrimum hoc erit, qui inspicere possit spectaculum.* Innocium spectaculum est pulchritudo plus egregijs moribus micans, quàm aptis lineamentis prolectans. Verùm homines frequenter rationem affectionibus subdiderunt, & externa sequentes oblectamenta, speciositati dederunt nomina. Vbi Absalom egregiè pulcher describitur, iam Dauidi, hoc est, Christo, & virtuti imminere bellum refertur: *Porrò sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis.* Quid tunc? Nuncius Dauidi refert, totum populum Absalomis amplecti imperia, & sequutum fuisse signa: *Toto corde uniuersus Israel sequitur Absalom.* Infra. Cap. 15. v. 13. Dauid celeriter fugit, & à facie Absalom periculum promanare cognoscit: *Surgite, fugiamus. Nec enim erit nobis effugium à facie Absalom.* Effugium esset à fortitudine, à bellandi dexterritate; à facie tamen pulcherrima testatur non esse effugium, quia pulchritudo proferebat signa, & contra rationem agebat bella. Notauit N. Sanct. *Paulò post scribitur, quomodo multi se ad Absalomem adiunxerint, illique contra parentem optimum suam operam non grauatè praestiterint.* Adnectit eruditus Interpres: *Ad quod plurimum sine dubio forma contulit, quam stulta hominum multitudo admirari solet.* Vbi pulchritudo in campum prosiluit, plures nomina contra Dauid dederunt, obsequentes venustati, & refragantes rationi: à facie pulchra graue virtuti exoriri solet bellum; nam, Dùm homines dementat, contra virtutem obarmat. Ieu à Deo in Regem vnctum, hominum copia sequebatur, & Iezabel rem odorata, ad fucos, vt sequentes auerteret, confugit, & se per fenestram Ieu signa sequentibus ostendit. *Porrò Iezabel, introitu eius audito, depinxit oculos*

ponere, non ad fucos inuolare, & tamen Iezabel, vt bellum ingerat, non se armis munit, sed pulchram, & pigmentis coloratam faciem ostendit. Si spectes litteram, femina demiraberis imprudentiam; si sub cortice quæras latentem nucleum, callidam stupēbis astutiam. Ratio exigebat à Deo in Regem inaugurati sequi vexilla, mulier tamen fucata pulchritudinis opposuit castra, sperans à pulchritudine contra virtutem subsidium, & contra rationem adornans bellum. Audi Hugonem: *Tincta facies efficitur rubra.* Vnde Ierem. 4. *Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monile aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris.* Mirum fuit frustra componi, cùm frequens sit femina pulchram pigmentis exultam, & floridè ornatam castra virtutis euertere, infelicitèrque triumphare. Ergo Iezabel ad formam confugit, & ad oris elegantiam recurrit: vt quæ nouerat à pulchritudine graue bonis moribus periculum promanare, & acere contra virtutem bellum oriri.

§. LXVIII.

Pulchelli, & compti frequenter inueniuntur virili robore enervati, & ad fortia prorsus inhabiles.

Virorum ornamentum non est oris venustas, sed animi vigor. Leo placet ex horrido. Qui sustinuit iubas expoliri pectine, denudatus probatur iam fortitudine. Nihil à comptis & expolitis speraueris forte, nihil egregium, nihil magnum. Eleganter Sene. Epist. 115. *Nosti complures iuuenes barba, & coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum.* Ornatus index animi est: coma circumtonsa, cutis fucata, & manufacta venustas ostendit animum femineum, & fractum. Non est ornamentum virile concinnitas: quod in femina placet, viro inglorium est. Quid turpius, quàm virum muliebrem elegantiam affectare, & oris curam manifestis signis ostendere? Redeat Sen. Epist. 41. *Aliter leo aurata iuba demittitur, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus integri spiritus. Hic scilicet impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore aspici, praefertur illi languido, & bracteato.* Vir crinitus, & comptus in femina migrat, & naturam dehonestat. En, dùm pulcher speciosus Absalom describitur, imbecillis etiam refertur. *Porrò sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis.* Nimius decor, prolixus capillus eneruam promittebant, & femineo animo praeditum praedicabant. Terga Martiali in certamine vertit, indecorèrque fugit. *Cum ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhaesit caput eius quercui.* Infra. 18. v. 9. Vir strenuus mauult pectus vulneribus obijcere, quàm stationem deferere; verùm Absalom crinitus, & comptus & timuit, & cessit, & effugit. Audi Angelom. apud Gloss. *Absalom mulo fugiens in quercu per casariam capite suspensus est.* Indecoram in campo arripuit fugam, qui prolixam in curia nutrierat comam; nam oris, capillique cura animum indicat inermem, & ad magna prorsus inutilem. Cùm Samuel ageret de eligendo Rege, qui hostes attereret, & populum strenuis certaminibus liberaret, obijcitur Eliab procerò corpore, pulchro ore, & primo aspectu eligi dignus: properabat Propheta cornu inungere, & in Regem, ducemque consecrare. Verùm Deus speciem eius prohibuit atterere, & grato oris nitore duci. *Ne respicias vul-*

4. Reg. 9. v.

30.

4. Reg. 9. v. 30. Tempus suadebat milites Ieu op-

1. Reg. 16.
v. 7.

sum eius, nec altitudinem statura eius. 1. Reg. 16. v. 7. Et cur rejicitur, qui ob oris elegantiam imperio dignus censetur? Quia cum ad hostiles euertendas acies deligendus esset, non erat coniectura ex pulchritudine desumenda, quia satis fallax: cum non raro cum oris elegantia coniungatur manus inertia. Ergo iubet Deus eis signis non duci, nec oculorum non sine voluptate aspicientium consilio regi. Prodest. N. Sanctius: *Et dixit Propheta, ne intueretur elegantiam, & formam, qua saepe mentitur, & sub qua profunda latent, & perniciose latebra.* Oris venustas in homine non est imbecillitatis animae evidens argumentum, aut testimonium, nec certum vigoris, ac strenuitatis indicium; frequenter tamen plus oris venustas indicat animi languorem, quam fortitudinem. Ergo iubet Deus Prophetae, ne specie ducatur; nam species saepe mentitur. Ergo Absalom, dum pulchritudinis elogio extollitur, dedecore etiam fugae innubilatus refertur.

§. LXIX.

*Eximiam pulchritudinem leuis etiam
naeus obscurat, & macula quae-
uis infamat.*

Morum concinnitas, ni naevo careat, non est absoluta, & perfecta; nam vt cartha pulcherrimis litteris scripta, si apices desint, plenum elogium non assequitur, quia defectus ille notatur: sic quaeuis macula splendorem obscurat, & venustatem infamat. *Cato* (aiebat *Sene. de Tranquill. animi cap. vlt.*) *curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros.* Non erat graue peccatum temperatus calix, & tripudium festiuum; verum, quod morderet, inuenit inuidia: *Catonem* non perfecte sobrium obmurmurat, & *Scipionem* vitandis lusuibus tempus infumentem condemnat. Pustula, & leuis naeuus dedecori pulchro est; absolutissima namque pulchritudo omni macula debet carere, imò quò eximior, magis à naevo distare. Dùm *Absalom* omnium refertur pulcherrimus, nulla macula proditur defædatus: *A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.* Quantumuis eximia oris venustas oculos traheret, non esset perfecte pulcher, si aliqua in corpore macula lateret; & licet industria absconderet, re vera pulchritudinem infamaret; cum eximia, absolutaque pulchritudo omnis maculae sit expers, & ab omni naevo immunis. Prodest *Abul. q. 17. A planta pedis vsque ad capitis summitatem non reperiebatur in eo aliquid reprehensibile, & quod pulchrum non esset.* Intus, exteriùsque pulchrescebat, nec vlla macula pulchritudinem infamabat. *Tota pulchra es, amica mea* (aiebat *Spons.*) *& macula non est in te.* *Cant. 4. v. 7.* Satis videbatur otiosum, cum asseruisset pulchram, nulla addidisse macula aspersam: *Et macula non est:* Cur ergo addidit? Quia absolutissima, perfectissimaque pulchritudo non solum à macula, sed à suspitione etiam ita debet distare, vt nec calumnia quid possit obijcere. *N. Delr.* in litter. illam particulam *Es* in futuro accipit: *Es, pro eris, accipio more Hebraeo cum Nyseno, Ruperto, & multis alijs.* Itaque sensus est: *Tota pulchra eris, si macula non fuerit in te.* Tres *Patres* apud *Delr.* in *Tropolog.* aiunt: *Pulchra mente, corpore, & anima. Corpore, quia per actionem à varijs vitijs purgata, & virtutum moribus excellens. Anima vero, quia ab omni improba cupiditate seiuncta, & sermonibus decorata mandatorum, Mente denique, quia à vilibus quoque, & exilibus cogitationi-*

Cant. 4. v. 7.

bus liberata, splendida, & per Spiritus Sancti gratiam quasi diuina fuit effecta. Si otiosum verbum, si inutilis cogitatio, si vitanda actio in Sponsa inueniretur, perfecta pulchritudinis careret elogio, & leuis macula existeret dehonestamento. Ergo opus fuit ab omni maculae suspitione distare, vt absoluta quiret venustate nitere.

TEXTVS.

VERS. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebat, quia grauabat eum caesaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.

§. LXX.

Ad corporis culturam tempus statuitur certum, & fixum, ad animae ornatum casuale relinquitur, & incertum.

Quantum temporis corporis infumat cultura deploranda, edocet experientia: maiorem diei partem terunt feminae in irrufandis capillis, in curanda oris cute, in producendis supercilijs, in consulendis speculis: cum nullum describatur tempus praescriptum ad eluendas animae maculas, & criminum deplorandas miseriae. Eleganter scripsit *Sene. lib. de Breu. vitae cap. 12. Apud tonsorem multa hora transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consiliu[m] itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens: hinc, atque illinc in frontem compellitur. Quomodo irascuntur, si tonsor paulò negligentior fuerit! tanquam virum tonderet. Quomodo scandescunt! Si quid ex iuba sua descissum est! Si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia, in annulos suos resciderunt. Quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quam comam suam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comprior esse malit, quam honestior? Iam otium expunctum est; nam ferè omnes feminae, & virorum plures in eiusmodi rebus occupantur, & curis eiusmodi distinguntur. Et nota *Senecae* leporem, dum ait: *Tanquam virum tonderet.* Nam eiusmodi in feminarum censum sunt redigendi, & virorum nomine denudandi. *Hos tu otiosos vocas* (adnectit) *inter pectinem, speculumque occupatos?* Haec praecipua aliquorum est occupatio, capillos comere, speculum consulere, & huic rei tempus praefigitur, & decernitur. *Absalom* refertur comatus, & fixo tempore tonsus: *Semel autem in anno tondebat, quia grauabat eum caesaries.* Interpretes existimant illud *Semel* non denotare annua tonsione capillos praecidere; imò in anno pluriès, sed tempore statuto, fixoque tonderi. Audi *Hugonem Card. Hebraei dicunt, quòd singulis mensibus tondebat Absalom, & dicunt Semel in anno, id est, statuto tempore, semper scilicet trigesimo die.* Non approbo *H. braeorum* sententiam, ea tamen vtor ad morum doctrinam. En *Absalom* tempus fixè decernit tonsioni, nec inuenies statuissè penitudini: non ignorabat perpetrassè se fratricidium, non ignorabat texuissè dolum: Sed, vt aiebat *Seneca*, sollicitior erat de capitis sui decore, quam de animae salute. Et vtinam solus *Absalom* describeretur hac otiositate occupatus; verum inuenitur eiusmodi grandis numerus. *Ecclesiastes cum cap. 3. v. 1. omnia**

Ecc. 3. v. 1.
nia

nia statuto, certoque tempore peragi retulisset: *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt uniuersa sub cælo*: Non sine mysterio de orationis tempore, & veræ pœnitudinis tacuit. *Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est; tempus occidendi, & tempus sanandi, tempus destruendi, & tempus edificandi, tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi*; ac si dicat: Certum tempus decernitur plantationi, euulsionique tempus præfigitur, in funere fletibus, tempus comellationibus, tempus ad infortunia plangenda, tempus ad tripudia celebranda. Sed cum his omnibus tempus præfiniatur, orationi, criminumque confessioni præfixum non inuenitur; quia homines frequenter aut procurandæ animæ salutis tempus non inueniunt, aut nullatenus præfigunt: casu quodammodo exercent virtutem, & consilio prauitatem. *Discamus (aiebat Basil. Seleuc. Ora. I.) & scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudire.* Ab Ecclesiaste tacente audimus, non esse tempus expoliendis moribus designatum; nam si esset, silentio fuisset nullatenus præteritum. Ergo dolendum est euanidis, & futilibus certa tempora præfigi, colendæ verò sanctitati ab hominibus non statui.

§. LXXI.

Auaritia probatur in homine priuato indecora, in Principe spurca.

Inter cæteras, quibus humanum genus dehonestatur, pestes, non exigua auaritia est: in imensum iactata rapitur, nec auctionibus vllis sopitur. *Auaritiam siquidem radicem esse omnium malorum lectio diuina testatur (scribit Cassiodor. 4. var. 39.) qua tali sorte punita est, ut, cum multa rapiat, semper egeat.* Ut hydrops aqua accenditur, non sopitur; sic auaritia non sopitur, sed incrementis pecuniarum augetur. Adnectit Cassiodor: *Quid enim faciunt sordes animorum in splendore natalium. Illud te potius decet eligere, quod nos possit ornare. Hamalis sanguinis virum non decet vulgare desiderium, quia genus suum conspicit esse purpuratum.* Hominem purpuratum auaritia sordida obscurat; & quanto plùs nobilis vena promittit generositate decorum, tanto plùs auaritia reddit obscurum. Absalom regio prognatum sanguine, cæsariem vendidisse merito Textus sugillat, quando à cupiditate sordida debuit distare, quem tot constabat naturæ, & natalium splendoribus relucere: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis scelis pondere publico.* Quàm erat indecens regiam cæsariem publicè venalem sub hasta iacere, & ad publicum pondus adduci! Quid enim aliud facerent mercatores, qui exambiunt lucretum, & quæstum! Innuit Abul. q. 17. *Postquam tonsus erat, appendebat capillos abscissos, & ponderabat ducentis scelis.* Consonat Lira: *Dicunt aliqui, quòd tantum vendebat tonsionem capillorum mulieribus, qua inde ornabant capita sua.* Admiratione dignum est Absalomem Regis filium indecorum ambisse quæstum, & capillos venales prostituisse, ut posset ouinum aut caprinum vellus venditare. Audi N. Sanct. *Certè hoc dicendi modo significatur, cæsariem illam publicè venalem prostare, & ad publicum pondus adduci solitam velut merces communes.* Quid expectandum erat à Principe mercatore? & quomodo magnifica, relucentiâque profluerent dona, à quo indecora auaritia magno vendebantur pretio su-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

perflua? Non est insolitum dignitatum fastigia occupantes, quæ accipiunt, non sine dignitatis offensâ dona, diuendere; curant tamen rectè mercatoribus tradere, eorumque industriâ quæstum tegere: at flauam cæsariem venalem exponere, non solum erat indecorum, sed prorsus Principe indignum. Christus Dominus non sine irarum significatione Scribas, Pharisæosque carpsit, & uti indignos dignitate è templo eiecit: *Eiciebat omnes ementes, & vendentes de templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertiri* Matth. 21. v. 12. Chrysoft. in Cat. dignâ, ait, irâ in sacerdotes exarsisse; nam ipsi, quæ accipiebant animalia pauperibus distribuenda, tradebant mercatoribus rectè vendenda: cæteros supergressi dignitatis lumine, auaritiæ etiam excedebant sordicie. Chrysostomum audi: *Excogitauerunt sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, venderent, & venderent non habentibus, & ut ipsi rursus emptâ susciperent.* Cum sacerdotes plura Deo oblata acciperent animalia, pacto cum mercatoribus inito, ea illis tradebant, ut tanquam propria venderent, & venditionis pretium illis traderent: fœda auaritia aliorum nomine exercebat commercia, & quæ oportebat generosè dilargiri in pauperum commodum, diuendebantur in auaritiæ crementum. Nec satis erat eis Principibus eiusmodi exercere mercimoniam, sed sitiebant etiam vsuram. Ergo numos tradebant numularijs, ut sub cautione non habentibus mutuarent, & relictis vsuris pecunias auerent. Audi Chrysoft. datum: *Posuerunt numularios, qui mutuum sub cautione darent pecuniam.* Numularij manu exercebant vsuram, & vendentium vmbra exercebant Principes, ministrisque mercimoniam, eratque turpissimum dignitatibus, & sanguine decoratos non solum generosam liberalitatem non exercere, sed spurcis, ac sordidis artibus thesaurum incrementare.

§. LXXII.

Aurum sæpè acquisiuit, quòd natura denegauit.

Plures inueniuntur, qui sibi adaptent nomen alienum, & conantur dici, quod constat origini, aut moribus aduersari. Qui rusticis laribus innutritus, nobilium origini inuenitur infertus, quia acquisiuit industriè aurum, quod natura denegauerat priuilegium. *Cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita (scribit Cassiodor. 8. var. 18.) nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possit in moribus inueniri.* Absurdum est, aliud dici, quàm quis possit in origine reperiri, hoc tamen absurdum introduxit sapissimè aurum: & quem, si originis scrutareris venam, ignobilem inuenires, nobilissimis stemmatis decoratum videbis. Infertus Cæsarea propagini aurum, quem à nobilitate excluderat natalium verissimum testimonium. Quæ deturpata sordescerat caluicies, flauis, regis adornabatur capillis, quia capillos regios emerat numis. Absalom venalem offerebat cæsariem, & qui pendebat aurum, regium ostentabat capitis ornamentum. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis scelis pondere publico.* Quàm erat lugendum, publicè regios capillos ditendi; quandoquidem natura calvus lucebat capillis regalibus insignitus, solum illo carebat nobilitate, qui aereo carebat

F nutritate;

numismate; nam qui exundabat auro, relucebat etiam regio ornamento. *Dicunt aliqui* (verba sunt Lira) quod tantum vendebat tonsionem capillorum mulieribus, quae inde ornabant capita sua. Capilli naturam nigri, apparebant oculis flauis, quia acquirerebat aurum, quod natura non dederat ornamentum. Usque ad Numinis fastigium, usque ad Deitatis cultum extulerunt Israelitae bouem rudissimum, & tardigradum: *Fecit ex eis vitulum constabilem, dixeruntque: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Exod. 32. v. 4. Multa veniunt examinanda: Si Moyses eduxit in mirabilibus populum, si opus fuit virgâ acriter depugnare, & Aegyptios vndarum voluminibus mergere: si ipsi confessi sunt: *Dominus pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14. v. 25. quomodo vitulus sine pugna ducis fortitur honorem, & throno elatus ostentat Numinis maiestatem: Deus totus est sapientia; bos naturali obbrutescit inscitia: quomodo ergo absurdè portat nomen alienum, & occupat dignitatis fastigium? Iam Textus explicuit: Israelita exundabat auro; Aaron diuinitatem promisit auri desiderio: Ergo consecuti sunt vitulo diuitiarum merito, quod actionum Moyses suffragio. En exaugurant munere Moysen benemeritum, ut nobilitauerint vitulum: aurum eleuauit ad thronum, quem natura produxit ad iugum. Iam cum Moysen Pharaonis Deo de sapientia contendit, quem natura rudem produxit: ut auri noueris vires, & artes. Notauit Olearius. hic ad mores: *Facile omnia haec isti expendunt ad idolum fabricandum.* Vbi expenderunt copiosum aurum, assequuti sunt votum; & iam resplendet, etsi empta, nobilitate, qui mugire debuit in exaranda tellure.

§. LXXIII.

Ad pompam, cultusque vanitatem aurum profunditur, obligationibus, & virtutibus denegatur.

Verus splendor à virtute promanat, & mirabili sanos oculos fulgore delectat. Verum apud saeculum magni solùm habentur euanida, & in acquirendis impenditur tota animi cura. Ille solùm sibi videtur gloriosus, quem pompaticus condemnat excessus: noua quotidie excogitantur, ut nitidiùs fulgeat vestium luxuria. *Si forma desit* (aiebat Tertull. de cultu fæm. cap. 9. *adminiculo nitoris, quasi de suo gratiam supplet. Aetates denique requiescit iam, & in portum modestiae subduetas splendor, & dignitas cultus auocant.* Fæminæ pauonem referunt varijs coloribus pompam nutrientes, & margaritarum luminibus astra imitantes. Redeat Tertull. de habitu mulieb. *Feruntur, ut niteant, & subdolè substruntur, ut floreat, & anxie forantur, ut pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.* Non solùm fæminæ, sed & viri cultum affectant, & de vestium prodigâ pretiositate euanidum nitorem comparare sibi adlaborant. Absalom pulcherrimam, prolixamque cæsariem tondebat, quam certatim magno pretio quisque acquirere procurabat: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Magno constabat cæsaries pretio, sed emebatur profuso auro. *Hoc pretio* (inquit Hugo) *emebatur.* Putares tanto auri dispendio homines retrahendos; emebatur tamen tonsura, ut nitidiùs fulgeret pompa. Si obolum exigeret lurida pauperis fames, aut ægotantis vocales exorarent dolores, manus

contraheretur, nec numus inueniretur. Ieroboan non exiguam auri copiam expendit, ut iuenculas coleret: *Ecce vir Dei venit de Iudâ in sermone Domini in Bethel, Ieroboan stans super altare, & ibus iacente.* 3. Reg. 13. v. 1. Quem fructum fragrans thuris vapor pepererit, Scriptura non tacuit: *Exaruit manus eius.* Manus ariditas, neruorum contractio, virium imminutio plurimo auro comparabatur, & ut iuencula nitidiùs resplenderet, prodigebatur. Transi ad cap. 14. videbisque satis sollicitum saluti filij tentasse Prophetæ demereri gratiam, & munus misisse, ut dignam auerteret iram. Tolle (Reginam alloquitur) *in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis.* Infr. 14. v. 3. Exiguo munere Prophetam satagit demereri, & salutem filio adipisci. Quod si discriminis inquiras causam, respondebit Olearius. ad Exod. 32. eam homines insaniam laborare, ut faciles inueniantur ad praua, difficiles ad honesta; eius verba sunt: *Quot sunt hodie in mundo, qui effundunt pretiosa bona in meretrices; qui uxorem, aut filiam induere negligunt. Quot ad ludum alearum, & taxillorum prodigi, à quibus pauperes obolum habere, & impetrare non possunt.* Ad exornanda idola, ad negotia carnis exercenda, ad oblectamenta spurcissima depretiatur aurum, offertur pretium. En pro filij salute crustula offertur, & ad vitularum splendorem aurum prodigitur. Quam sollicitè inquirebant omnes, quo tempore cæsaries tonderetur, & venderetur; erat ad emendum certamen, & quisque se fortunatum existimabat, si ingenti pretio emeret, & aliorum vota frustraret. Itaque ad pompam, ad luxuriam, ad opiparam mensam aurum profunditur, ad salutem, ad honestam obligationem vel obolus non expenditur.

§. LXXIV.

Plures, cum de alieno fulgeant vestiti, se ostentare solent superbi.

Cum plures experiantur viuacitate ingenij carere, & egregijs naturæ dotibus non ornati, alienis pennis vestiuntur, & corniculam imitantur. De hac auicula produnt fabulæ aliorum plumis ornatam intumuisse, & aues tumore offensas, eam denudasse, & denudatam, risuque obiectam tumoris pænas soluisse. Audi Orat. in epist.

Moueatur cornicula risum, furtiuus nudata coloribus.

Hanc fabellam tangit Hieronymus ad Paulin. *Malo alieni operis interpres existere, quam, ut quidam faciunt informes, cornicula, alienis me coloribus adornare.* Nolebat Hieronymus venditare aliena, ut propria, sed plures à Hieronymi more deuiant; & cum alienis plumis orientur, de ornatu veluti proprio insolenter efferuntur. Pulchram, flauamque cæsariem nutrebat Absalom, sed cum fulgeret polixâ cæsarie, molesto etiam incedebat grauatus onere: ergo tondebat, & ingenti pretio cæsaries vendebatur. Alienis capillis fæminæ, & viri ornabantur, & mentiebantur uti à se nutritam, quam non ignorabant comam alienam: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Certatim cæsaries ambiebatur ad nitorem augendum, & ornatum ostentandum. Ita lira: *Dicunt aliqui, quod tantum vendebat tonsionem capillorum mulieribus, quæ inde ornabant capita sua.* Tumbat fæmina prolixis, flauisque capillis, sed emerat, non nutriuerat. Si à faminis, virisque aliena detraheres, inuenires deformes, quos demiraberis

Apoc. 9.
v. 7.

rabaris veluti pulchritudine eximiâ fulgentes. Deme à fæminâ purpurifam, deme stibium, deme alienum capillamentum, deme artificiosum cultum, & inuenies fœdam, quam eximiè deprædicabas venustam. Plures pulchrescunt ex alieno, & intumescunt vt proprio. Non sine vanitatis fumo volitarunt locustæ coronis redimitæ, faciebus comptæ, & prolixis capillis ornata: *Super capita earum tanquam corona similes auro, & facies earum, tanquam facies hominum; & habebant capillos mulierum.* Apoc. 9. v. 7. Quid fœdius & exilius locustâ? & tamen sic de alieno exornabatur, vt oculos traheret, & splendida luceret. Detrahe redimicula, subtrahe capillamenta, aufer faciei pigmenta; quid inuenies? Locustam fœdam. Et cum totus ornatus esset alienus, & decor totus mentitus, superbam credidit fastus. Prodest Ambros. ad hunc locum: *Locustæ facies hominum habere videbantur; sed similitudo erat, non veritas.* Non erat vera pulchritudo, sed arte elaborata, & medicamentis compta. Vt videas à fæminis industriè decorem elaborari, & cæsarie aliena fulgere.

§. LXXV.

Nonnulli sollicitiores sunt de cultus decore, quàm de salute.

ITa corrupti sunt mores, ita adulterata sunt tempora, ita extincta virtutum studia, vt sollicitè non solum fœminæ, sed & viri latiore habitum induant, imo & gloriosiore exambiant; solum illis in mente est, nouas polituræ artes exquirere, & alienis oculis complacere. Olim nec Milesij oues tondere didicerant; nec Tyri colores miscere, nec Phryges infuere, nec Babylonii intexere. Verum nimius culturæ amor pretio sollicitauit industriam, & artificum manus aurum subornauit ad operam. Eleganter Tertull. lib. de habitu mulieb. cap. 1. *Age nunc, si ab initio rerum, & Milesij oues tonderent, & seres arbores nerent, & Tyri tingerent, & Phryges infuerent, & Babylonii intexerent, & Margaritæ canderent, & cerauea coruscarent; si ipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodidisset, si iam & speculo tantum mentiri liceret.* Primo illo sæculo virtus florescebat, & natura seipsa contenta erat. Verum paulatim polituræ excreuit studium, & docuit capillos vertere, & faciei mentitam pulchritudinem ostentare. Noua quotidie cultus excogitantur artificia, & artificiosa crescunt inuenta. Absalom prolixam nutriebat comam, & cæsarie pondere patientiam affectabat prægrauatus, vt oculis placeret formosus. *Semel in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* Cæsaries intonsa grauabat, tonsa leuamentum, & aurum afferebat; id tamen erat placendi studium, vt semel in anno capillum pateretur abscindi, & quotidie sollicitaret in annulos retorquere. Prodest. N. Sanct. *Alebat Absalom comam, & quia elegantia erat studiosus, admodum, illam inuitus opere tonsorio deponebat, non quia prolixam magis non gestaret libenter, sed quia illius pondus, atque molestiam sustinere non poterat.* Non erant ad sustinendam prolixam aded cæsariam naturæ vires: capitis robur cedebat; sed elegantia studium cum viribus, & natura pugnabat: malebat Absalom grauem sustinere molestiam, quàm denudare elegantiam, nec solum damnabili patientia pondus sustinuit, sed instante mortis periculo, præscindere comam renuit. Capillaturâ suspensus pendebat: cumque ad prælium ar-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

mato ferrum non deesset, quo præcidere capillos, & euadere periculum posset, elegit mori, antequam eleganti comâ nudari. *Vidi Absalom* (aiebat Gregorius miles) *pendere de quercu.* Infr. 18. v. 10. Non modico spatio pependisse, innuit Textus, & cum vrgeret periculum, elegantia desiderium, & quod, venditis capillis, sperabatur aurum, persuasit adolescenti comam seruare, & sibi vanissimis spebus illudere. Huc voco, quod aiebat Senec. de Breu. vit. cap. 12. *Quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam suâ? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quàm de salute.* Magis anxius fuit Absalom de capitis decore, quàm de salute: pendente duce, exercitus totus turbabatur, & mucronibus hostilibus obijciebatur, Absalom tamen malebat comâ non nudari, quàm exercitum non perire. Sponsa in custodum manus incidit, à quibus & percussa, & ornatu dispoliata: *Vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Cant. 5. v. 7. Non minus indoluit cultu, quàm sanguine denudari, quia fæminis in minori pretio non est, quàm salus, cultus. *Quasi sponsa veniebat* (scribit Ambros. in Collect.) *cum pallio, quo obnuberet caput suum, cum sponsus occurreret, sicut Rebecca.* Molibus, & splendidis veniebat ornata: ergo non minoris doloris fuit ornatu dispoliari, quàm vulneribus vestiri. Isaias vt dignam testetur de viris, fæminisque desumendam vindictam, viros gladio prædicat interficiendos, & fæminas ornatu nudandas: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* Isai. 3. v. 25. Vide accuratam scripturæ distinctionem: pulchros non vocauit fortes, sed dixit gladio interemptos, non certamine occisos: *Pulcherrimi viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* A pulchris, & comptis viris nihil erat forte sperandum, aut virile præsumendum. Transi modo ad fæminarum supplicium. *Decaluaabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia, & armillas, & mitras, &c.* Quis fortasse censerat inflictam pœnam æquitatis ponderibus non libratam; si commune est fæminis, & viris peccatum, cur dissimile sit supplicium? Si viri gladio occiduntur, cur fæminæ ornamentis solum nudantur? Quia fæminæ non minus graue ferunt, quàm mori, ornamentis denudari. *Lirani audi: Subditur pœna debita, cum dicitur: Decaluaabit Dominus verticem filiarum Sion, auferendo naturale ornamentum.* Acerrimum fæminis incussit dolorem, quia quot ablata ornamenta, tot inflicta videntur vulnera. Viri hostili gladio feriuntur, & ne minorem subierint pœnam, ornamentis fæminæ denudantur.

Cant. 5.
v. 7.

Isai. 3. v. 25

§. LXXVI.

Multis solent peccatores commodis exundare; iusti vel necessarijs carere.

Maximam arbitrantur homines felicitatem commodis exundare, & eximijs naturæ dotibus prælucere; nesciunt solum esse felicem expolitum moribus cultum, & eximijs virtutibus exornatum. *Qui omne bonum* (aiebat Sene. epist. 75.) *Honesto circumscripsit, intra se felix est; nam quæ alia bona indicat, in fortuna venit potestatem, alieni arbitrij sit.* Qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam solidum bonum, egregie fal-

F litur

litur. Quæ à fortuna (vt dicitur) sparguntur bona, euanida, & fluxa sunt, hærent, & abduci facile possunt. Hinc est, quod Deus ad hanc depellendam hominum ignorantiam peccatoribus speciosa huiusmodi dona dilargitur, & iustis prouidenter aut denegat, aut angustiiori manu concessisse dignoscitur. Absaloni fratricidæ, proditori, libidinoseque pulchritudinem concessit, & proluxa, flauaque cæsarie nitore permisit. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Capillus erat ornamentum, & lucrum: sæpè namque ad infame lucrum, naturale, aut artificiosum deflectitur ornamentum. Elisæus ille magnus, & spiritu geminato insignitus proditur calvus, & ob caluitiem à pueris & contemptus, & derisus, *Illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue.* 4. Reg. 2. v. 23. Si inquiras: Cur Deus Elisæum pulchra cæsarie non ornarit, & Absalonem pulchro, & lucroso capillamento vestierit? cur Propheta derisui habeatur calvus, & Absalom in admirationem crinitus? Respondebit Chrysostr. apud Gloss. ad hoc 14. c. ostendere voluisse, quàm sint contemnenda dona ista, quæ rapiunt oculos, & irritant vsque ad inuidiam affectus; quandoquidem prauis concessa, & peruersis hominibus liberali manu largita. Chrysostr. audi: *Multa natura commoda adsunt etiam sceleratis. An non erat pulcher, & formosus Absalom, & vsque ad capillos, capitis porrigebatur eius corporis species? Caluus autem Elisæus ut etiam irrideretur à pueris? Sed nec illum quidem inuit forma, nec hunc læsit deformitas.* Rudi chonquilio pretiosum latet margaritum, operoso, & fabrè facto sepulchro putridum cadauer, & fœdum. Non est taxandus homo ab externa specie, sed ab interna virtute. Malo cum Elisæi spiritu fœdam, & deridendam caluitiem, quàm cum Absalonis improbitate pulchram, & flauam cæsariam. O quàm stultè anguntur homines, si illis desint eiusmodi naturæ ornamenta, & commoda! Quàm parui pendunt solida virtutum incrementa, & interna virtutum lumina! Nabucho duplicem statum sortitur: procera arbor emicat pulcherrimis folijs vestita, venustis floribus adornata, & fructibus saporatis copiosa: *Folia eius pulcherrima: & fructus eius nimis.* Dan. 4. v. 9. Tota Nabucho pompa citissimè disparuit, & fœnum proluxis temporum spatijs vt bos comedit: *Ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos comedit.* Dan. 4. v. 30. Idem erat, sed status longè diuersus. Ergo perhorrebant inopem, accurrebant ad diuitem. Exul pœnitundine deleuit culpam: arbor non sine culpâ nutriuit pompaticam comam. Quo in statu pluris censebis habendum, & æstimandum? Si hominum opinionem consulas, felix erat, cum diuitiæ suppetere, & ornamenta exundarent: si veritatem roges, fortunatior fuit, commodis exutus, quàm pulcherrimis folijs ornatus. Audi Tertul. lib. de Pœni. c. 12. *Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* Deus verus rerum æstimator magni faciebat hominibus horridum, sed patientiâ ornatum: homines virtutibus despiciebant ornatum, & magni faciebant externa pulchritudini eximium, & multis commodis diuitatum. Vt compertum fuerit, quàm hæc opinione magnâ, re sint futilia, & quàm re vera sint magna, quæ minùs ab hominibus exambita. Ecce improbis largâ conceduntur manu caduca, iusti sæpè ærumnis laborant defatigati, sed intùs veris, & solidis bonis frui.

Qui pœnitundinis cultro differt culpas refecare, non dissectis, solet perire.

Humana fragilitas est fœcunda culparum vena, errorum scaturigo copiosa. Plura occurrunt, quæ fragilitatem incrementant. Cupiditates dum irritant, animum labefactant, & dum videntur blandiri, periculosa dulcedine constat sauciare. Vt nauis, quæ non bene compacta aquam admittit, & admissa, ni exhauriatur, naufragium facit; sic animus non bene ratione instructus fluctuat, & admissis culpis, nisi repurgetur, periculum subit. Deus pœnitentiam seuit, quæ inquinata abraderet, superflua præcideret, & vitiorum sentinam pelleret. *Iterata valetudinis* (aiebat Tertull. de Pœnit. c. 7.) *iteranda medicina est. Gratus in Dominum exiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes.* Non est statim subcidendus, ac subruendus animus, si opus sit sæpitis ad pœnitentiam recurrere, & plagarum saniem depellere: pigeat redire ad culpam, sed non pudeat assumere iterum pœnitentiam. Verùm ea homines cæcitate adlaborant, vt, cum non ignorent se culparum morbis, & quidem gratissimis, sauciari, curationem adnitantur differre. Vera pœnitudo est salutis titulus, criminis expunctio, seueritatis tessera, cœli ianua; & tamen hæc sic plures medicinam recusant, vt malint emori, quàm curari; & cum pestiferum hauerint ad venenum, nauseant miserandi ad antidotum: vanis spebus conscientiam sopiunt, & de die in diem pœnitendi occasionem protelantes, sibi illudunt, & illusi pereunt. Absalom capillorum grauitate admonebatur tonsuram, sed refugiebat conscientiam: malebat oculos pulchritudine pascere, quàm sarcinam molestam præcideret, ergo tardabat medelam, & recusabat tonsuram: *Semel in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* Cæsaries grauabat, sed polituræ studium grauari patientiâ detestabili sustinebat. Verùm ô miserum! dum tonderi differt, intonsus periit. Fugiebat hostium ferociam, sed numinis euadere non curauerat iram; ergo dum terga vertit, coma celeri motu flabellata arbori ramosa adhæsit adedò implicata, vt arbori veluti carnifici traditus inter cœlum, & terram manserit parricida suspensus, vt à cœlo, tellurèque agnosceretur repulsus. *Adhæsit caput eius quercui.* Infr. 18. v. 9. Dilationis pœnas dedit, dum occumbit integra coma: si capillos frequenter præcidisset prouidus, non periret irretitus. Verùm dum imprudenter differt tonsuram, reparandam nunquam maturauit sibi miseriam. Prodest Abul. q. 19. *Volebat gloriari nimis de pulchritudine sua, & quia multitudo, & magnitudo capillorum faciebat ad pulchritudinem, volebat semper eos sustinere, nec tondebat.* Ex vna parte capillorum grauitas adurgebat, ex alia pulchritudo, & proluxitas delectabant: ergo dum indulget voluptati, perit salutem. Pharaonis arbitrio relinquitur respiscere, & à ranis loquacibus liberari. *Constituè mibi, quando deprecer pro te.* Exo. 8. v. 9. Humanitate inuitatus, & ranarum clamoribus pressus, adhuc respiscere differt: *Respondit: Cràs.* Protelauit remedium, & retinendi populum fouit intimis visceribus votum: ergo tēpus, quod impendit cæcissimæ pertinaciæ, aufert indulgentissimæ veniæ: perit in flumine, vt quas distulerat abigere in vita, cogeretur sustinere ranas

4. Reg. 2.
v. 23.

Dan. 4. v. 9

Dan. 4.
v. 30.

Exod. 8.
v. 9.

Exod. 14. v. 27. ranas in morte: *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Exod. 14. v. 27. Ambros. quâ solet elegantia, expendit moram illam infelix fuisse naufragij auspicijs, & calamitosæ mortis præfagium: exigua videbatur dilatio temporis, sed differre pœnitentiam, non exigua erat adauctio criminis. Ambros. audi lib. de Cain, & Abel citatum à Lippom. *Cum deberet in tantâ positus necessitate rogare, ut iam oraret, nec differret, respondit: Crastina die: otiosus, & negligens morâ pœnam Egypti soluturus excidio.* Proprio excidio moram persoluit, & qui ranas abigere distulit in flumine, cum ranis perijt: Consonat Lira: *Pharao in crastinum distulit, cum maxima necessitate urgeretur.* Plures admonitore conscientia vrgentur, differunt tamen respiscere, & dum opportunam rapere negligunt occasionem, miseram subeunt, & extremam perniciem.

§. LXXVIII.

Non adeò molestus est squalida pœnitentiæ rigor, ac politura, & speciositatis splendor.

Multum mali sub fucato splendore latet. Quæ malliciunt oculos ornamenta, inueniuntur molcita pondera. *Quid tibi opus est (aiebat Sen. Epist. 80.) ut sis bonus, velle? Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic seruituti, que omnes premit... compara inter se pauperum, & diuitum vultus: sapius pauper, & fidelius ridet... Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia: & quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros.* Si adspicias virtutis alumnum, videbis exterius mala tractatione luridum, rudi amictu sordidum, ore pallidum, interiorius tamen animo pacato serenum, & solida hilaritate iucundum. E contra qui facie nitidâ, qui ornatu splendet, interiorius cogitur durissima tolerare, & internis præssuris cor ipsum exedere. Nitebat Absalonis caput flauis, & in annulos retortis capillis, sed grauabatur molestis sarcinis: *Grauabat eum casaries.* Deficiebat caput ad sarcinam, cedebant vires, & cogebantur pondus sustinere, ne ornatu contingeret denudari. *Illius pondus (inquit N. Sanct.) Atque molestiam sustinere non poterat.* Certabant cum decore vires, fatiscebant vires ad pondus, & reluctabatur elegantia studio, ne amitteret grauissimum capillorum ornatum. Video Dauidem in campum proflire baculo Christi crucis ænigmate ornatum, munitumque; sunt namque virtutis onera securissima munimenta: *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.* 1. Reg. 17. v. 40. Pastorem auratis Princeps munierat armis, & regalibus vestimentis: *Induit Saül Dauid vestimentis suis: Expertus ornatus sarcinam, & baculi; hoc est, crucis, molestiam: hanc uti leuiorem elegit, & illam uti grauissimam repudiavit: Deposuit ea, & tulit baculum suum.* Contulit crucis molestias, mortificationis ærumnas; cum regalium ornamentorum pondere, cum curarum grauitate, & elegit virgam, non pompam. Prodest Basil. Seleuc. Ora. 15. *Recusat thoracem, galeam abijcit, scutum deponit, manum hastâ liberat, bellicam stolam excutit, stolâ pastoritiâ, & virgâ, ac perâ obarmatur.* Manum hastâ liberat, virgam prehensat, quia longior, & ponderosior erat hasta, quàm virga. Super tellurem capit religiosus placidum somnum; in molli, & affabrè facto lecto solet diues infomnem noctem ducere, & ambitionis, solitudinisque curis grauissimis adurgeri. Elias vel

inter pericula placidè dormit: *Obdormiuit in umbra iuniperi.* 3. Reg. 19 v. 5. Seminudus, & caprinis pellibus tectus quiescit, & somnum capit. Transit ad Achab, cui cum Naboth paternam vineam denegasset, tanta indignatione exarsit, ut quæsierit recessum, nec regio in lecto quiuert capere somnum. *Projiciens se in lectum suum auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Reg. 21. 3. Reg. 21 v. 4. Elias se projicit ad iuniperi umbram, & Achab se etiam projicit supra culcitram plumeam, & regiam: Verùm Achab indignatione flammescens frendet: *Indignans, & frendens:* Elias cælo tectus dulcissimos somnos capit: *Obdormiuit in umbra iuniperi.* Durius vrgebat Achab denegatâ vinea, quàm Eliam rigiditas vitæ aspera: Eliæ adest Angelus, qui pane cælesti alat, Achab Iezabel, qui iniquo consilio perdat. *Obdormiuit in umbra iuniperi (inquit Lira) arbor est crescens in desertis, cuius umbram serpentes fugiunt, ut dicit Plinius, & idè in umbra eius homines securè etiam dormiunt: Elias caret molli lecto, sed serpentis morfu; Achab regio vititur lecto, sed vititur ambitionis aculeo.*

§. LXXIX.

Aliud est rerum pondus iuxta sæculi opinionem, aliud iuxta veram rationis lancem.

Plura sunt magni apud sæculum habita, quæ si ad rigidum veritatis examen expendas, inuenies nihili habenda, aut sanè parui æstimanda. *Vides (aiebat Senec. Epist. 80.) illum Scirhyæ, Sarmaciæve Regem insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, totumque scire, qualis sit, fasciam solue; multum mali sub illa latet. Quo de alijs liquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis.* Arrogantiâ tumens, credit blandienti; factâ libidine obscurus mauult, quàm internæ conscientia adhibere fidem, euanidam inquirere voluptatem. Rarus est, qui, incorrupta æquitatis lance se, suaque expendat, cum ferè omnes res æstimant iuxta iniquam vulgi opinionem, aut merissimam vanitatem. Flaua, puchràquæ Absalonis casaries ducentorum siclorum pretio taxabatur; notanter tamen aduertit Scriptura, hoc esse iuxta trutinam publicam, non iuxta sanctuarij stateram *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico:* id est capilli æquabant pondus ducentorum siclorum, aut valor eorum eo taxabatur pretio iuxta communem hominum opinionem: *Pondere publico.* Notauit Abul. q. 17. capillos sanctuarij siclis expensos non ducentos, sed centum tantum siclos æquare: *Ponderabantur capilli pondere publico, scilicet, quo tota ciuitas utebatur. Hoc dicitur ad differentiam siclorum, quia sicli sanctuarij erant duplici in pondere ad siclos vulgares.* Itaque adeò magnum erat discrimen, ut capilli vulgari pondere expensi, pondus ducentorum siclorum exequarent; sanctuarij verò librati trutina centum tantum. O vtilem nobis eruditionem! Plurima apud sæculum magni habentur, quæ redacta ad Sanctuarij examen, dimidium pretium non valent; sed eo homines tenentur errore, ut res expendant ad vulgarem trutinam, non ad sanctuarij fidelissimam stateram. Babylonius ille Rex auro exundans, & prolati regni gloria, magnitudinèque arrogans, ad instar Numinis colebatur, & vanis adulationibus inflabatur: ve-

Dan. 5.
v. 27.

rùm vbi rationabili, fidelique lance expenditur, minus nihilo habens inuenitur: *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Dan. 5. v. 27. Quæ expenduntur, aliquo pondere examinantur, & tamen cum vnâ bilancis parte nihil referatur appositum, & Balthasar aliâ exprimitur inclusus; dicitur minus habere, & vt minus habens reprobari: *Inuentus es minus habens.* Quo minus. Certè splendor plausus, luxus magni vulgari in staterâ habebantur, ad Dei verò trutinam examinata nihilo erant minus: *Inuentus es minus habens*: denudatâ fasciâ, multum mali apparuit; & qui alijs maluit credere, coactus est duram sententiam subire. Innuuit Noster Sanct. *Cum multò haberet minus, quàm regium nomen, & pondus, postulabat, non è regno solum, sed etiam è vita depulsus est.* Minus habuit ponderis, quàm iuberet legitima ratio, & exigeret regie dignitatis constitutio. Balthasar ab hominibus laudabatur, sed à Deo reprobatur: vulgari trutinâ expensus dicebatur felicissimus, fideli staterâ libratus inueniebatur miserimus. Absalonis cæsaries apud stultos valebat plurimum, rationabili, verâque librata trutina valebat dimidium pretium.

§. LXXX.

Quæ inutilem molestiam afferre solent possessa, leuamen, & lucrum attulere sæpè præcissa.

VSus, aut euanidæ gloriæ fastus ad plura cogit, quæ non solum inueniuntur superflua, sed commoditati contraria. Videas teneras fœminarum ceruices molesto pondere prægrauari, & huius ponderis fructus aliorum oculis est placere. Ad superflua desudamus, inutilia ambimus, quibus nudati augeremus lucrum, & commodum. Disertè Seneca epist. 60. *Taurus paucissimorum ingerum pascuis impletur: Vna syluâ elephantis pluribus sufficit: homo è terra pascitur, & mari. Quantum est enim, quod naturæ datur? paruo illa dimittitur; non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio.* Nabucho domo pulsus, rore infectus, herbis pastus, nullo morbo laborasse refertur: ipse illam suam pompam cõdemnavit, & aulam: arbor nitescens floribus, diues fructibus securis ictum tulit: ipsum experientia edocuit satis esse ad alendam naturam fœno, cætera deseruisse solum superbiæ, & ambitionis delirio. *Vinit is* (addit Sene.) *qui se vititur: qui verò latitant, & torpent, sic in domo sunt, tamquam in conditio. Horum licet in limine ipso nomen marmoris inscribas, mortem suam antecesserunt.* E fœminis plures, & è viris aliqui se ipsis vti non possunt, ornatus onere impediti, & brevioribus pede calceis gressu tardati, sui ipsorum sunt carnifices, vt resplendeant elegantiores. Absalom graui capillorum sarcinâ premitur, & molesto onere prægrauatur, vt niteat, & se spectabilem alijs reddat. Cæsaries denudata afferebat lucrum, & commodum; nam caput non grauabatur, & thesaurus augebatur. *Tondebatur, quia grauabat eum cæsaries; ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* En detonsus molestiâ eximitur, & censu augetur; intonsus ingemiscit molestiâ, & copiosâ caret pecuniâ, vt noueris, quàm sit commodum, & lucrosam superflua præcidere, & à se prorsus repellere. *Pondus* inquit N. Sanct. *atque molestiam sustinere non poterat.* Lucebat prolixa cæsarie, sed carebat lucro, & ponderis grauabatur incommodo. Sponsus candidulos sponsæ

dentes dilaudans, detonsis, & fœtu copiosis ouibus comparauit. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Cant. 4. v. 2. Vellere prolixo vestitæ oues grauantur, decenter, & peritè tonsæ abijciunt sarcinam, & habiliores redduntur ad duplicem nutriendam fœturam: ergo hac in tonsione duplex agnoscitur commodum, agiliores scilicet inuolare ad pastum, & lætiori pastu lac fœtibus subministrare copiosum. *Comparat* (inquit N. Delr. in litte.) *non attonsis tantum, vel fœtis tantum, sed simul fœtis, & attonsis.* Nam à pastoribus sæpè usu compertum, post tonsionem oues avidius comedere. Rationem reddit interpres: *Quia non sibi tantum iam alimentum parant.* Detonsæ prolixi velleris excusant molestiam, & vberiore exhibent fœtibus lactis copiam. Ergo monet sponsam superfluum deponere ornatum, quò excuset oneris molestiam, & educandis filijs abundantiore lactis fortiatur copiam. Sæpè pudet videre fœminas filijs exundantes, & velleris nimietate grauatas, quæ si nimietatem deponerent, quo nutrent filios haberent; malunt tamen filios esurire, quàm redundantem ornatus luxuriam amputare.

Cant. 4.
v. 2.

§. LXXXI.

Ad emenda euanida exhibemus monetam integram, & probatam; ad comparanda caelestia sæpè adulteratam, aut reprobam.

Ovi venditant (scribit Tertul. de Pœni. cap. 6.) *Oprius numum, quo paciscuntur. examinant, ne scalptus, nène rasus, ne adulter.* Non audet emptor monetam scalptam, aut subæratam venditori offerre, quia veretur de graui crimine interpellari. Numus, si scalptus, aut erasus, reiicitur, & à venditoribus reprobatur: ergo emptoribus curæ est, probatam monetam exhibere, ne contingat desideratis fraudari. Venalis exponebatur pulcherrima Absalonis cæsaries: fœminæ, virique culturæ studiosi accurrebant, & certatim probatam, integramque monetam exhibere curabant. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico:* id est, quos offerebant ad emendam cæsariam, sicli, integro pondere constabant, nec minuti, aut scalpti erant. Hunc legitimum esse sensum tradit N. Sanct. *Cum singulis annis crines tonderet Absalom, aderant confestim, qui formosi capitis exuuias emerent, penderentque libenter ducentos siclos ex moneta proba, & pondere legitimo, ac publico.* Qui exuuias pulchras exambiebant, siclos legitimos, ac integros exhibere curabant, ne rescinderetur pactum, si numisma inueniretur minutum; verum cum ad emenda euanida nec scalptus, nec rasus offeratur numus, ad acquirenda caelestia sæpè numus offertur adulteratus, & reprobus. Pauperi porrigitur, quod à cæteris reprobatur; pœnitentia inuenitur minuta, & scalpta; mandatorum obseruantia non integra: quasi Deus non examinet, nec virtutum pretium exploret. Redeat datus Tertul. *Etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire: tantam nobis mercem, perennis scilicet vitæ concessurum.* Cælum veluti mercem venditur; nec Deus sine monetæ probatione paciscitur: eâ tamen homo dementiâ laborat, vt monetam minutam, scalptam, & adulteratam exhibeat. Auditur sacrum, sed miscetur cum adhærente colloquium: obseruatur ieiunium, sed quid integritati detrahitur. Cum Christo Domino accederent Scribæ, &

Matt. 22.
v. 16.

& Pharifai eius inire gratiam fucatis obsequijs, & veris dolis cupientes, census numifima exhibere coëgit. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet census dari Cæsari, an non?* Matth. 22. v. 16. Christus à dolosâ versutiâ fucata laudem promanare dignoscens, numifima census iussit exhiberi. *Quid me tentatis hypocrite? ostendite mihi numifima census.* Numifima regiâ erat effigie sculptum, & legitimâ quantitate probatum. *Obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hac, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Achi dicat: cum debeatis Deo laudis, adorationisque census, & Cæsari pendere etiam tributum, cur ad solvendum Cæsari tributum exhibetis numifima legitimam, & inscriptione Cæsaris approbatum; Deo verò numifima fucata adulatione speciosum, & internis dolis plenum? Prodest Chrysostom. in Cat. *Non secundum sermones eorum pacificos blandè respondit: secundum conscientiam eorum crudelem, aspera dixit, quia Deus voluntatibus respondet, non verbis.* Cæsari reddendum numifima, quod legitimum pondus externâ imagine, & inscriptione promittebat, interiùs etiam seruabat; ast laudis numifima, quod offerebatur Christo, exterius videbatur legitimum, sed interiùs erat vultuosum. Vt noveris, quàm se aliter gerant homines in soluendis sæculo tributis, ac Deo: Mundo exhibentur pulchra, & legitima; Deo imminuta, & adulterata.

TEXTVS.

VERS. 27. & 28. Nati sunt autem Absalom filij tres; & filia vna, nomine Thamar elegantis formæ; mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.

§. LXXXII.

Fæminas commendat oris elegantia; nimia homines dedecet politura.

A Matronis, probisque mulieribus exulare debet nimia vestium pompa, & oris cultior, quàm ratio postulat, elegantia. De flore corporis quæstuarijs permiserunt Lacedæmones lasciuio rem ornatum, vt eis designarentur notis, & dignoscerentur indicijs. Eleganter Clemens Alex. 2. Pædag. 10. *Solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permisit.* Dum Lacedæmoniorum. Respub. solis meretricibus mundum permisit aurum, à castis præcidit euanidum ciuifinodi studium. Verùm, etsi pro innatâ placendi cupiditate in fæminis tolerari queat redundantis cultus elegantia, in hominibus probrosa est nota. *Quis decor (aiebat Tertul. de cultu fæm. cap. 6.) cum iniuria? quæ cum immunditijs pulchritudo? Sexus pudet aliquos viros, & malunt de elegantia indignam laudem captare, quàm dignis factis virilitatem stabilire.* Non est curanda viris oris elegantia, sed fæminis. Hinc est, quòd Textus, dum filios Absalonis refert, silentio præterit formam; cum refert filiam oris commendat elegantiam:

Nati sunt autem Absalom filij tres; & filia vna nomine Thamar elegantis formæ. En fæminæ elegantiam retulit, virorum silentio formam præterit; vt noscamus, viro ab egregiè factis quærendam gloriam, in fæminis formæ esse commendabilem elegantiam. *In sacris litteris (inquit N. Sanct.) fuisse puto id vsitatum, sicut etiam in historia profana, vt fæmina ab egregia specie cognomentum assumant.* Fæminatum est proprium ab eleganti forma aut cognomentum mutuare, aut elogium quærere, viros non commendat vultus, sed manus. Absalom, vt sui posteris notitiam relinqueret operosam tumuli substructionem ædificauit, quam manum appellari voluit. *Vocauit titulum nomine suo, & appellatur manus Absalom usque ad hanc diem.* 2. Reg. 18. v. 18. Inquires: Cur, qui eximiâ oris elegantia fulgebat, non Absalonis appellauerit venustatem, sed manum tentauerit exprimere fortitudinem? Ipsum dubium responsum est: ambiebat æternare famam, & ad posteros mittere sui notitiam: *Hoc erit monumentum nominis mei.* Ergo cum in viris non sit magni faciendæ oris elegantia, & faciendæ sit magni fortitudinis, & actionum gloria, à manu immortalitatem quæsiuit, oris venustatem despexit: *Hoc erit monumentum nominis mei, & appellatur manus Absalom.* Innuit N. Sanct. *Quia manus operum penè omnium artifex est, fit, vt pro ipso sumatur opere.* Manus est operum index, ergo tumulo sculpsit manum pro epitaphio, & celebrando sæculis monumento.

§. LXXXIII.

Est quasi non sis, qui factis non meretur elogium, sed solum adauget numerum.

NOs (aiebat quidam) numero sumus, & fruges consumere nati. Qui vitam per inertiam exegit, nec gloriosis factis nobilitauit, est quasi non sit, nam etsi producat vitam, non nanciscitur famam. Strenui viri, & qui ad posteros sui transmittunt laudabilem semper notitiam, desudant egregijs factis nomen sibi prouidendo, & laudem elaborando. Prodest Senec. epist. 45. *Nunc verò cunctantes vita, quasi aliena transcurrit, & ultimo die finitur, omni perijt.* Aliquorum vita cunctantes fugit, & quasi aliena, eos præterit: durant stipitum adinstar, rationali vitæ vsu priuati, & nomine honorabili indigni. Tres filij nati Absalom referuntur: *Nati sunt autem Absalom tres filij.* Hos ipse pater ab hominum numero exclusisse videtur, dum sui nominis monumentum operosè construere adnititur. *Dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei.* Infr. 18. vers. 18. Cum filios suscepisse constet, inquirendum est; Cur se testetur improlem, & monumentum elaborare mirâ operositate ad nominis laudem conetur? Interpretes existimant filios delicatè innutritos, & gratis adulationibus assuetos nihil forte, nihil laude dignum effecisse, & ob id se improlem existimasse, numeròque tantum natos, quasi non natos præterijisse. Audi N. Sanct. *Quidam dicunt illos filios cerè fuisse eo ingenio, vt ab illis nihil magni expectari potuerit.* Vbi vidit egregijs factis prosus nudos, & nomine honorabili indignos, pro non natis habuit: *Filium non habeo.* Redeat Sanct. *Verisimile est, illos filios, qui nati hoc loco dicuntur Absalomi, adeò debiles, & stolidos fuisse, vt pro mortuis haberi potuerint tanquam inutiles rebus administrandis, de quibus nihil sperari poterat homine dignum.*

num. Vbi homine dignum nil speravit, silentio, doctrinali satis, sepeliuit. Adde: nec cum cæteris fas esse in censum referri, quem constat fœdis actionibus deturpari. Audi Iobum, noctem fiderrum splendoribus interdictam à mensibus excludentem: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus; sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Iob 3. v. 6. Et cur à noctium numero excludatur, quæ ad speciem alijs noctibus excellentior? nam si nox constat ex luminis carentiâ, ex tenebrarum copiâ, hæc alias noctes longè euincit caliginibus ditata, & turbinibus circumfusa. Ita sanè: Verùm cum nihil in ea laude dignum inueniretur: *Nec laude digna;* & si opulentiore tenebrarum censu ditescat, esse testatur, ac si non fuisset: Opportunè Greg. lib. 4. Moral. cap. 12. *Nox illa solitaria efficitur, quia distinctione perpetuâ à frequentia patriæ supernæ separatur.* Nox solùm vixit, vt impetuosus turbinibus omnia concuteret, vt astra etiam caligine aspergeret, vt cum lumine decertaret. Ergo dum nil laude dignum in ea reperitur, fas fuit, vt à cæterarum etiam numero secluderetur. Esse ad aliorum perniciem, ad obtenebrandam cæterorum claritatem, non solùm non habendum est pro non esse, sed nec in natorum censum debet redigi, aut computari.

§. LXXXIV.

Alienis precibus reatus sæpè temperatur supplicium, sed proprijs meritis citius peruenitur ad gaudium.

DEBITA sæpè mitigatur districtio, si Magnatium, venerabiliumque interuenerit supplicatio. Alienis precibus euadere solet pœnam, qui puniendam admisit culpam. *Careat, quo utimur mundo* (aiebat Cassiodor. 3. var. 27.) *de quo alterum crudeli fugauit exitio, quando superstes recipit, quod euentu mortis infligit.* Qui se homicidij sanguine polluit, pœnam morte acerbiorẽ subire meruit: reus capitis in locum aliquando mittitur viuus, in quo verâ latitiâ, & gaudijs lugeat priuatus. Verùm sæpè Magnatis proficit patrocinium, vt iudiciale temperetur decretum. Absalom crudeli exitio fratrem sustulit, & grauissimam pœnam meruit; sed Ioab precibus ab exilio est redditus; longo tamen tempore deguit Regis conspectu priuatus: *Mansit Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* En in curia exulat à palatio, & priuatur patris colloquio: Ioab de Dauid satis benemeritus obtinuit pœnam remitti, sed non est assecutus integrè absolui. Transi modò ad Prodigum, qui post plurima perpetrata delicta, citissimè parentis fruitur mensâ, & eleganti fulget stolâ: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum.* Luc. 15. v. 22. Si Prodigus citò adeptus est veniam, cur Absalom patiatu diuturnam multam? Si pater criminofum filium pio adstringit amplexu, cur pater filium interdicit affatu? Quia alter veniam consequutus est dolorosis gemitibus. *Pater peccauit in cœlum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15. v. 21. alter veniam assecutus est Ioabi precibus: *Ait Rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: Vade ergo, & renoca puerum Absalom.* Vidisti alibi Prodigum ad dolorosam exhomologesim recurrere; alibi Absalonem amici precibus adiuuari: profuerunt amici preces ad sedandam Dauidis iracundiam: Pro-

Luc. 15.
v. 22.Luc. 15.
v. 21.

digi clamor citò opiparam meruit mensam; nam et si alienis meritis aliquod obtineatur leuamentum, sine proprijs cumulatum non peruenitur ad gaudium. Opportunè Nyssen. in Cat. *Confessionis meditatio placauit ei patrem, vt obuiam iret ei, & oscula collo conferret.* Prodigum pater placatus est confessione, Dauid amici temperatus est prece: ergo Absalom tardiùs peruenit ad parentis conspectum: *Mansit autem in Ierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* Prodigus citiùs ad desideratum gaudium: *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Moyses familiarissimus Dei amicus obnixè rogauit pro sorore, vt fœdâ mudaretur à leprâ: *Clamauit Moyses ad Dominum dicens: Deus, obsecro, sana eam.* Num. 12. v. 13. Preces placarunt iram, breuiarunt pœnam: *Separaretur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur.* Transi modò ad Matth. 8. v. 2. Videbísque leprosum citissimum leprâ mundatum, & saluti restitutum: *Extendens Iesus manum tetigit eum dicens: Volo Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Et cur citò adedò hîc abigatur macula, & ibi inhæreat diuturnior lepra? Quia hîc leprosus accelerauit gressum, depromptit salutis votum. *Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Vbi leprosus pro se orat, abstergitur citò macula; vbi alius interuocatur accurrit, et si breuietur spatia, affligit tamen diuturnior pœna. Prodest Chrysof. in Cat. *Spirituali medico spiritualem offerebat mercedem; nam sicut medici pecunij, iste oratione placatur.* Leprosus pro se orationem obtulit de puro corde profectam: ergo citò oratio deterfit maculam, quæ alienis precibus vsa tardiùs, & morosiùs depulit lepram.

Num. 12.

v. 13.

Mat. 8. v. 2.

§. LXXXV.

Inter delicias, & sæculi voluptates potioris irrepit obliuio, & tardiùs salutis agitur procuratio.

DELICIAE, voluptatèsque præstigiatrices probantur, & dementare homines inueniuntur: si affluant deliciae, si incantent voluptates, auolat potioris memoria, & nulla subit animæ salutis cura. Enorme fascino est prosperitas, qua homines potiora probantur obliui veluti Lethæis vndis potati. Erichthonium Mineræ, & Vulcani filium esse semicolubrum testabatur antiquitas, vt eodem tempore depingeret originis gloria tumidum, & telluri vscendæ addictum. Audi Tertul. de Spect. cap. 9. *Erichthonius Mineræ, & Vulcani filius, & quidem de caduca in terra libidine, portentum est demonicum, imo diabolus ipse, non coluber.* Coluber addicebatur telluri, dum intumescibat de origine, portentum dæmonicum erat; iura nesciens, omnia corrupens. Quàm erat longè à reformandis gressibus, dum turpi adreptationi dicatus, ab homine vsque ad astutiam serpentinam deiecit felicitas, & in portentum demonia cum conuertit prosperitas. Videas in curia plures facultatibus copiosos, delicijs circumfufos, terrena solùm cogitare, & quæ potiora sunt, obliuisci. En Absalom tres filios, & elegantis formæ filiam suscipit, & commodis exundans, vti Regis filius in curia degit: cumque sollicitâ curâ, & vigilantia sollicitudine debuisset Regis sollicitare conspectum, oblitus duplicem tranlegit annum: *Nati sunt autem Absalom filij tres; & filia vna nomine Thamar elegantis formæ. Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem*

faciem Regis non vidit. Duobus annis Regis faciem non vidisse refertur, imò nec videre tanto tempore procurasse notatur: exudabat filijs, ipsa in caesarie copiosum possidebat censum, de pulchritudine euandim fortiebatur plausum. Ergo inter plausus, & cultus sic videndi Regis auolauit memoria; vt nulla tanto tempore referatur adhibita diligentia. Vt Historiæ coloribus expresserit sacra Scriptura fortunatos frequenter potioris obliuionem subire, & veluti commodis incantatos stertere. *Mansi* (inquit Abul. q. 20) *duobus annis in Ierusalem, quibus non vidit faciem Regis, quia nunquam ibat ad palatium, nec ad locum ad quem Rex ibat.* Cùm vita sit regio conspectu frui, Absalom, etsi publicè Rex prodiret, non curabat eius aspectum videre. Saül à dæmone occupatus, sic salutis diuertebatur oblitus, vt opus fuerit seruis vrbane memoriam excitare, & de morbi grauitate admonere. *Dixerunt serui Saül ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat Dominus noster, & serui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere citharam.* 1. Reg. 16. v. 15. En ægotum salutis prorsus oblitum. Quod si iniquitas obliuionis causam; inuenies regiã mensã frui, collucente purpurã ornari, & clientum turbã cingi. Inter plausus ergo, & luxus prudentia de mentis arce rotabatur, & salutis memoria prorsus expungebatur. Eleganter Basil. Seleu. ora 14. *Desertam à gratiã, nec habitãtam Saülis animam nactus demon proprium sibi effecit domicilium, & aduentus sui notas euentu rerum dedit. Prudentia de mentis arce deturbabatur.* Prudentia erat animæ procurare medelam, sed præcipitata prudentia traxit secum etiã salutis memoriam; cum morbo medicaminis irrepfit obliuio, & circumfluentibus commodis circumuallatus, potiori non attendebat oblitus: felicior esset, si miserior; nam ipsa ærumna adiuuaret conscientiam, & reuocaret memoriam: verum felicitas dum sic prudentiam infatuarat, vt curationem differret, & fastidiret.

T E X T V S.

VERS. 29. & 30. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cùmque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum, dixit seruis suis, scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Et venientes serui Ioab scissis vestibus suis, dixerunt: succenderunt serui Absalom partem agri igni.

§. LXXXVI.

Sapè qui differunt ad Deum venire leniter inuitati, vexatione veniunt compulsi.

PAUCI sunt, qui dubitent de numinis prouidentia, sed de ea queruntur plures quasi seuerius sapè agat, & aliquos durè affligat; verum ij in gratiam cum prouidentia reducentur, si expenderit, sapè parentes ad virtutem expolire duris tractationibus filium: compellunt laborare, otia discutere, & cùm tractare seuerius videntur, filiorum causas agere comprobantur. *Bonum vi-*
Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

rum (aiebat Senec. de Prou. cap. 1.) *in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum preparat.* Quæ ad speciem apparent aduersa, sunt ingentissima commoda, si ad officium excitent, & ad velociorem cursum adaectis veluti calcaribus incitent. *Districius* (aiebat Cassiod. 4. Var. 40.) *aliqua iubere compellimur amore iustitiæ.* Iubet Deus domũ exuri, filium ægotare, fortunam imminui: sed hoc totum amore iustitiæ, nec nocet, vt noceat, sed vt traxerit asperis, quem allicere non potuit blanditijs. Absalom Ioab ad se aduentare desiderat, & semel atque iterum per internuntios vrbane rogat: ille negotijs alijs occupatus, aut parendi oblitus, si non renuit, saltem obsequi distulit. Quid tunc? Absalom non animo nocendi, sed ad se efficacius euocandi, maturam iam falci messem iussit aduri, & voracibus flammis deperdi. *Cum secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum, dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni.* Non succendit messem igni, vt diuitijs spoliaret, sed vt venire compelleret. Vitasset Ioab detrimentum; si executus fuisset promptè mandatũ: Verum dum differt, dum dissimulat, dum tardat, temporali dispendio vrgetur, & parere quodammodò cogitur. Audi Abul. q. 20. *Absalom non cremabat principaliter agrum Ioab, quia non venerat ad vocationem suam, sed magis, vt veniret.* Non annuerat sapè vocanti: ergo adussit segetes, non tam vt renuentem puniret, quàm vt ad parendum cogeret. Medicum videbis sinapi vrere, ferro secare, cauterio affligere, sed fructus scuitiam excusat, quia ægoti salutem clementer rigidus reparare adlaborat, ferro occurrit serpenti veneno, non vr̄it vt vr̄at, sed vt ægotò subueniat. Nec aliter Deus; vr̄it, vt torpentem excitet; castigat, vt expoliat, flagellat, vt ad semitam reducat. Abstiniisset pœnis, ni homines testitissent inspirationibus blandis. Itaque pro ipsis agit; cùm seuerior affligit, Nabucho arbor florida obijcitur, quæ citò repetitis ictibus corrui, emarcuit, Daniel mysterium enodat, & à Deo immissum somnium ad correctionem affirmat: *Pœccata tua elemosynis redime.* Verum Nabucho blandam admonitionem despexit, & maluit aurum futilibus expendere; quàm miserias pauperum subleuare. Quid tunc? Iam somnium fortitur effectum, & ab humana forma transit in belluam, vt qui maluerat opipare aues pascere, quàm pauperibus subuenire; cibario careret pane, & exureretur siti. Quàm suaue monitum: *Pœccata tua elemosynis redime!* Quàm facile consilium: *Et iniquitates tuas misericordijs pauperum!* Dan. 4. Dan. 4. v. 24. Opus fuit austeris remedijs, ne Nabucho radicitus euelleretur, & ab homine transiit in bestiam, vt à bestia transfiret in hominem; quasi non adeò sit arduum tardigradum bouem ad virtutem expolire, quàm superbiã delirio correptum ad rationem, mentemque reuocare. *Ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos, comedit.* Qui affluentibus commodis despuit, & parere renuit; malis tractationibus oculos ad caelestia leuauit, & obediuit: *Oculos meos ad caelum leuauit, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudauit, & glorificauit.* O felicem, quem Deus dissimulatione non fefellerit, sed austeris remedijs ad sanitatem reduxit! Nabucho blandè monitus reluctabatur monenti, paruit misericorditer castiganti: pro Nabucho fuit inflicta calamitas, quia obbrutescebat;

dum effloreat prosperitas. Huc voco Tertul. de Pati. c. 11. *O serum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit!* Certè Deus despicit, cuius emendationi non insistit, magni æstimat, quem castigationibus corripit. A Dei sæpè misericordia austerior promanat pœna, & ab indignatione cumulator fortuna. Ioab non aduentasset, nisi infortunium vixisset; Nabucho non saperet, ni periret.

§. LXXXVII.

Quævis amicissimi offensa grauius exulcerat, & graui digna videtur pœnâ.

Quo quis cum altero arctiori amicitia vinculo est constrictus, eò obseruantiori studio tenetur esse deuotus: ab amico commissus error plus ferit, & grauiori multâ videtur dignus amicitia legibus improbat. *Amicitia* (scribit Cassiod. in Prolog. lib. de Amic.) *in se solida est, & in omnibus amici necessitatibus adest, compassionem, & tolerantiam secum quadrans.* Cum amicitia lex obliget ad subueniendum, & impertiendam opem amico, si minus studiosè lex obseruetur, amicus exasperatur, & plus, dum amicitia strictior, offenditur. Hinc est: quod cum Absalom arctissimo amicitia vinculo Ioabo esset coniunctus, vbi vocatus venire distulit, Absalomem grauius exasperauit, & eligere pœnas decreuit. *Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad Regem; qui noluit venire ad eum.* Opus habebat Absalom Ioab, interuentione, vt assequeretur Regis beneuolentiam, vt euaderet prolixam multam: ascitus Ioab vel quia negotijs alijs impeditus, vel quia Dauidis patientiam dilassare veritus, venire distulit. Et quamuis ea dilatio exigua videretur offensa, sic indoluit Absalom sibi in tanta necessitate posito non adesse, vt iusserit Ioab copiosas fruges anhelantibus flammis consumere: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei; ite igitur & succendite eum igni.* Si inquiras, cur Absalom leui ad speciem offensâ exasperatus; quas Sanson, pœnas exegerit, cum iste offensus grauissimis incanduerit commotus? Respondeo Sansonem graui exulceratum offensâ Philistinorum segetes igni consumpsisse. *Adhuc stantes in stipula concrematae sunt.* Iud. 15. v. 5. Et Absalom non adeo magnâ iniuriâ offensum segetes concremasse. Verùm cum Ioab strictissimâ amicitia Absalom esset associatus, & Absalom eius ope prorsus innixus, graue tulit amicum, in quo totam spem collocarat, defecisse, & amici causam tardasse; nam etsi leue fuerit erratum, erat contra amicitiam graue delictum; cum quæuis ab amico offensa plus alijs exulceret, & grauiore dolore diuexet. Abul. aud. q. 20. *Nullum alium habebat magis amicum; cum ipse procurasset regressum eius de Gessur, & inisset pro eo.* Magna inter Absalomem, & Ioab amicitia intercedebat; cumque Ioab familiaritatis iure amici causam promouere, & pro eo teneretur stare, cum defuit, grauissimum Absalomî dolorem intulit, censuitque amici errorem graui indignatione dignum, & severitate puniendum. Quod si ad Deum transferas, inuenies sæpè grauiorem ab amico exigere pœnam, quàm ab alijs grauem culpam, quasi minus offendat extraneus, & delinquat grauius amicus. Contra Ariolum ad Dei populo maledicendum properantem Angelus euaginat gla-

dium, occidere tentans: *Cernens asina Angelum stantem in via, euaginato gladio auerit se de itinere.* Num. 22. v. 23. Et contra Moysem gladium etiam Num. 22. prehendit, & speciem depreliantis assumit: *Cum esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere.* Exod. 4. v. 24. Huius indignationis causam fuisse filium secum incircumcisum deferre Textus innuit, dum ait: *Tulit illic saphora acutissimam petram, & circumcidit preputium filij sui.* Leuis videbatur error, filij circumcisionem tantisper distulisse, grauissimum peccatum, ad maledicendum populo Dei properasse, & tamen utrobique mors intentatur, & gladius stringitur. Et cur inæquali offensâ æqualis pœna decernatur, & multa non dissimilis intentetur? an quia cum scelestus Ariolus alacriter acciperet iter ad iniqua Regis explenda vota; pedetentim ibat Moyse ad cœlestia absoluenda mandata? Bene: sed fortassis, cum mirificâ illâ rubi visione Deus Moysem fuerit dignatus, & speciali iam amicitia coniunctus, tulit grauius amici erratum, cum obsequentissimum exhibere teneretur officium. Innuit Lira: *Volebat Dominus occidere, eò quod ducebat secum Eliezer filium suum incircumcisum.* Ipsa amicitia quodammodo erratum adaugebat, & amicum exasperabat. Offendebat error Arioli; sed quid mirum! si dæmoniicus, & magus oppugnarit virtutem, & inuolarit ad eneruandam populi alacritatem. Verùm Moysem tot beneficijs nobilitatum, & tanto ministerio præfectum, ab officio deficere grauius quodammodo exasperabat, & ad pœnam infligendam cogebat. Ergo Absalom doluit ab amico tardiùs officiosum exhiberi obsequium, & opportunum differri auxilium.

§. LXXXVIII.

Magnates, si quid contra eorum auctoritatem perpetratum presumant, grauius ulcisci anhelant.

Magnates suæ auctoritatis acerrimi vindices sunt: quadam diuinitate pollere existimant, & ab omnibus humillimâ deiectione colendos, & venerandos: grauius ferunt exiguam in parendo moram, profundissimam exigunt exhiberi sibi reuerentiam. Opportunè Sene. epist. 47. de feruis agens: *Infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet: virgâ murmur omne compestitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo vlla voce interpellatum silentium luitur.* Tussire habetur irreuerentia, & infligitur tussi multa. Quod Seneca de seruis testatur ad alios etiam extenditur. Si minus celeriter quis obsequatur, si tantisper votis refragetur, magno malo luitur. Satis est ad expetendam multam irreuerentia vana præsumptio, & debilibus fundamentis innixa cogitatio. Absalom Ioabum vocat: ille hac, aut illa causa occupatus parere tantisper distulit; & iam Absalom factam sibi irreuerentiam præsumit, & Ioab segetes vstulandas incendio tradidit: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei; ite igitur, & succendite eum igni.* Non examinat, an legitima causa fuerit dilationis; sed vbi præsumit auctoritatem neglectam, aut minus reuerenter cultam, anhelant pœnam grauem incutere, & vindictam duram expetere. *Absalom* (inquit Abul. q. 20.) *concitatus irâ contra Ioab, quia non veniebat, voluit exure-*

re segetes eius. Multa egerat Ioab in Absalonis obsequium: modo solum distulit explere mandatum; satis tamen fuit ut exureret segetes, existimasse, Ioabum minus reuerenter se gessisse, & pendi dilatione auctoritatem violasse. Piso ex com-
 meatu sine commilitone militem redeuntem interfici iussit; praesumpsit commilitonem a com-
 militone interfectum, rogauit damnatus tem-
 pus ad conquirendum sibi dari, non dedit. Sed
 cum iam ceruices porrigeret, subito apparuit,
 qui occisus credebatur, commilito: Centurio
 supplicio praepositus spiculatori iubet gladium
 suspendi, & celeriter ad Pisonem causam redu-
 ci. Ille vero, quasi eius praeepto dilato auctori-
 tati iniuria fuisset irrogata, iussit non solum
 vtrumque occidi militem, sed & centurionem
 iugulari. Audi Senec. lib. 1. de Ira cap. vlt. *Iu-
 bet duci vtrumque, & eum militem, qui non occi-
 derat, & eum, qui perierat. Piso adiecit & ter-
 tium. Nam ipsum Centurionem qui damnatum re-
 duxerat, duci iussit.* Sic aegre tulit, quaecumque
 iussa executioni statim non mandari, ut in au-
 ctoritatis suae deffensionem exoculatam vindi-
 ctam expeteret, & innocentes puniret. Vbi
 Naboth denegauit legitime vineam, Iezabel in-
 canduit ardentissima ira, quasi irrogata auctori-
 tas sorduerit offensa: utque Acab viuidius ad
 vindictam excitaret, hironice magna auctori-
 tatis esse merenti obiecit: *Grandis auctori-
 tatis es.* 3. Reg. 21. v. 7. ac si diceret: Auctori-
 tas tua despecta est; satis namque erat voluntatem
 tuam indicare, ut Naboth exambiret parere.
 Ergo iam non tam agitur causa vineae denega-
 tae, quam auctoritatis despectae. Prodest Lira:
Hironice loquebatur. Vbi auctoritatem laesam sua-
 sit, ad graue expetendum supplicium vsit: quod
 & factum est; nam Naboth lapidibus obrutus
 soluit non paruisse, & expetenti Principi vi-
 neam negasse. Nam Magnates, si quid auctori-
 tati subtractum praesumant, vlcisci ardentem
 auhelant.

3. Reg. 21.
v. 7.

S. LXXXIX.

*Gravi poena videtur dignum magna tentasse, &
 ob exiguum laborem non perfecisse.*

Alacriter incumbendum est (scribit Cassiod. 6.
 Var. 17.) cum iam vicinitas perfectionis arri-
 rit, quando spes effectus tedium laboris excludit, &
 magnum genus incitamenti est credere desiderata
 compleri. Vicinitas perficiendi voti pro stimulo
 est, ne morosa delinquat tarditas; cum alacrior re
 absoluere suadeat exoptanda opportunitas. Tæ-
 dium ingenerant, si magnae difficultates occur-
 rant; at, cum ad optatam metam exiguum restat
 spatium, subsistere censetur peccatum: & grauius
 tunc desidia meretur ad speciem supplicium. Ioab
 perpeti conatu Absalonis egerat causam: tandem
 placauit patrem, reduxit filium; Verum restabat
 aliquid non adeo arduum, scilicet in ipsa curia
 exulem ad conspectum patris adducere: Absa-
 lom hac, aut illa coniectura parentem facile sua-
 dendum nouit, & effectus non vanam spem osten-
 dit: ergo Ioab ad se venire rogavit, ut opus, quod
 aggressus fuerat, perficeret, & feliciter manum im-
 poneret. *Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad
 Regem: qui noluit venire ad eum.* Ioab tardita-
 te, dilationeque sic est Absalom exasperatus, ut
 agrum messibus exundantem vastarit igni: *Ite
 Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.*

igitur, & succendit eum igni. Quarunt interpre-
 tes: Cur adeo grauem intulerit mulctam, quan-
 do leuem ad speciem Ioab commisit offensam?
 Respondentque potuisse facile interuentor apud
 Regem, quod ipse inceperat, absoluere; Absalo-
 nemque graui ea molestia liberare: quod ex Tex-
 tu ipso constat; nam statim ac rogauit, obtri-
 nuit: *Ingressus itaque Ioab ad Regem, nuntiavit
 ei omnia; vocatusque est Absalom, & intrauit ad
 Regem... osculatusque est Rex Absalom.* Ergo dum
 interuenire apud Regem distulit, cum tot labores
 posset complere, dignus fuit, qui graui puniretur
 poena. *Absalom* (inquit Abul. q. 20.) *concita-
 tus ira contra Ioab, quia non veniebat, voluit exu-
 rere segetes eius.* Si Ioab venisset, & pro Absalone
 Regem orasset, facile obtineret, & inceperat opus
 perfecte absoluere. Facilitas ergo perfectionis
 Ioab damnabat inertiam, & exulcerabat exulis
 iram. Sponsa ardentissimo praesentiae Sponsi desi-
 derio exaestuans, trahi se postulauit, & impigro
 vestigio sequi promisit: *Indica mihi, quem diligit
 anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Cant. 1.
 v. 6. Sponsus pascere haedos iussit, & labore nullum
 recusare, ut eius frueretur & alloquio, & conspe-
 ctu: *Pasce haedos tuos:* rusticanam vitam egit, gregis
 excursibus defatigata, & ab hominum conspectu
 femota; cum sponsus blandis, mellitibusque ver-
 bis sibi rore infecto, & per montium aspera
 itinere diuexato aperire rogaret ostium: *Aperi
 mihi, soror mea.* Crederes, quam cito inuolaturam;
 verum distulit, ornatu se iam exuisse, vestigio-
 rum absterisse maculas, allegans: *Expoliaui me
 tunicam meam: quomodo induar illam; laui pedes meos,
 quomodo inquinabo illos.* Cant. 5. vers. 3. Spon-
 sus mora exasperatus, se subtraxit, recessitque.
 Si inquiras: cur non institerit, sed abierit? Res-
 pondebit N. Delr. in Lit. aegre tulisse post tot
 labores in pascendis haedis latos, excusasse mo-
 do satis exiguos; & cum iam arderet perfe-
 ctionis vicinitas, texuisse pueriles moras. Ipsum
 audi: *Qua paulo prius per niues, & ignes secu-
 rura videbatur, & mox fastiditum summo cum la-
 bore quaret, friuolas, & pueriles moras neclit.*
 Proposuerat, ut dulcibus Sponsi amplexibus
 frueretur, niues despicere, flammam sustinere: re-
 nuntiarat (quod satis arduum feminis est)
 pompatico ornatui, muliebri cultui, & post
 tot, tantaque affectionis argumenta, modica
 excusat ad aperiendum vestigia. *Friuolas, &
 pueriles moras neclit:* quod ita Sponsum vide-
 tur exasperasse, ut permiserit a custodibus pal-
 lio denudari, & vulneribus incussis affligi. *Per-
 cusserunt me, & vulnerauerunt me:* Et cur gra-
 uem adeo vindictam sumat, qui alias sua sibi
 patientiam quodammodo detrahit, & dissimu-
 lanter parcat? Quia ipsa excusatio (inquit Del-
 rius) accusatio erat: plurima egerat, & qui-
 dem ardua, ut frueretur Sponsi dulci affatu, &
 grato conspectu: & cum modo perfectionis vi-
 cinitas arderet, pauca renuit vestigia pone-
 re: ergo digna fuit graui poena, censuraque;
 cum post tot labores suaderet ratio aliquid, &
 satis exiguum pati, ut incepta quiret absol-
 uere, quod sponsae semel, saepepius nobis
 contingit: cliuum vincimus, per abrupta, &
 aspera incedimus, ut deueniamus ad perfectio-
 nem; & cum iam viae satis exiguum restet, las-
 si subsistimus, aut reculis detinemur, nec ne-
 gotium tantum absoluimus: ergo digni sumus,
 qui stultitiae nota aspergamur, quando satis stul-

Cant. 1.
v. 6.

Cant. 5. v. 3.

tum est post anxios, magnosque labores ad metam non peruenire, & exiguis impedimentis tardari. Multa egerat Ioab, ut Absalomem patris gratia, & oculis restitueret, iam Perfectionis vicinitas arridebat; satisque erat modica vestigia ponere, & Regem satis iam ad misericordiam maturum, iteratis precibus exorare. Ergo dum differt, meretur poenam, & sibi ipsi incutit notam; est enim magna imprudentia post graues labores exiguo tædio lassescere, & ad desideratam metam non peruenire.

§. XC.

Magnates delinquere palam affectant, nec lucem ad delinquendum formidant.

Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. Ipsa natura refugit, quod inanus appetitus sæpè suadet; & licet placeant scelera, scelerum non placet notitia. Hinc est: quod & dæmon, si specie prodatur homo, nociturus ad secreti latebras confugiat, & publicum ad speciem exhorreat. *Cum dormirent homines, venit inimicus eius, & superfeminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Mat. 13. v. 15. Expectauit latendo tempus opportunum, somnij suffragium, noctis patrocinium. *Magna pars* (aiebat Sene. epist. 11.) *peccatorum tollitur, si peccatoris testis adsistat.* Ipsa innata verecundia pro fræno est; & qui non fugit peccare, erubescit videri. Hanc ingenitam verecundiam, & vtilem erubescentiam, quam, ut dicebam, ipse dæmon, dum homo appellatur, affectasse videtur. Plures è Magnatibus ad eò expunxerunt, ut affectent publicum, & de insolentiâ quærant magnitudinis testimonium. Absalom contra ius, falsque, Ioabi messes disponit incendio tradere, & huius sceleris artificem se non erubescit videri. *Ite, & succendite eum igni.* Non erubuerunt lucem serui auctoritate domini fisci; non cauit Absalom notitiam, imò de publicitate quæ fuit gloriam. Graue fuisse delictum, segetes igni tradere, & graue ad eò damnnum Ioab inferre sentit Abul. q. 20. *Iniuste agebat Absalom contra Ioab, qui benefecerat eum; nam non poterat aliquo iure Absalom hoc facere.* Legibus, iurique refragabatur ea fronte, qua posset, si obsequeretur: se incendij iactabat auctorem, nec erubescit delinquere, imò gloriabatur præscripta legum violare. Adde: quod in magnatibus ordo euertitur: alij, si benè agant, lucem non auersantur, si malè, verentur; at verò potestate, aut originis claritate celsi ad benè operandum, quasi de bono suo erubescant, quærunt secretum, ad malè agendum exambiunt publicum. In mandatis accepit Gedeon Baal aras euertere, & obumbratrices scelerum arbores extirpare. *Destrues aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide.* Iudic. 6. v. 25. Expectauit noctis silentium, tenebrarum patrocinium: *Per diem noluit id facere, sed omnia nocte compleuit.* Transi ad caput. 8. videbisque, acceptâ de hoste victoriâ, in aures petiuisse, & ex eis idolum, ut placet pluribus, contruxisse, & publicè collocasse. *Fecit ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra.* Iudi. 8. v. 27. Hinc non audies occultè idolum conflasse, eum ibi audies tenebrarum auxilio euertisse. Et quidem contrarius videbatur ordo tenendus; nam cum euertere Baal aram, esset cælestibus obtemperare mandatis, non videbatur celandum, & cum Ephod conflare, graue piaculum, & scandalum esset, non

videbatur sine rubore effingendum, & tamen ara euertitur nocte, & Ephod ara construitur die. Iam Ephod idolum fuisse, tradit August. apud Gloss. Innuat Hugo: *Dictum est, quod fecit Gedeon Ephod contra legem Dei ex auro.* Vbi contra legem Dei agebatur, publicum non formidabatur, cum Dei præceptum adimplebatur, lux fugiebatur. Audi datum August. *Hoc quoddam idoli genus erat, quod extra Dei tabernaculum, quodlibet manufactum pro Deo coleretur.* Itaque siue Ephod fuerit idolum, siue sacerdotale fuerit indumentum, diuinæ legi inueniebatur contrarium. Ergo Gedeon populi Princeps publicè delinquit, & Deo obsequutus per obscurum noctis aram euertit. Nam sæculi proceres quodammodo erubescunt virtutis opera, & gloriantur publicè perpetrare delicta.

§. XCI.

Magnatum serui non attendunt, an sint licita, sed explere gestiunt mandata.

A Seruis plures non solum obedientiam cæcissimam exigunt, sed exprimunt, sed extorqueat. Si seruus iussa prudentiæ examinet læce, si expendat, an congruat legi, dominantis subibit iram, quasi intulerit discutiendo grauem offensam. *Nos* (aiebat Tertul. de Patien. c. 4.) *non de hominibus modo seruitute subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequij, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris à domino pronis, traditæque.* Quia bestia, pecudisque nobis subiectæ ab eis obedientiam exprimimus, quasi non liceat reniti, aut regentis placitis refragari. Asella, cui infidebat Balaan, prudenter deuiabat; sed, quia infidentis cæco non parebat arbitrio, verberibus castigata iacuit, & corruit. *Verberabat eam.* Num. 22. v. 25. Nec aliter cum seruis nos gerimus, quibus tanquam iumentis abutimur. Audi Sen. epist. 47. *Nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur.* Iumentum paret calcari, non discurret. Ergo seruus iumentum loco habetur, nec libertate uti ad expendenda iussa permittitur. Hinc est: quod plures serui de sibi iniunctis sententiam non audeant ferre, sed solum studeant celeriter obedire. Absalom exigua causa contra Ioab multis de se officijs benemeritum irascitur, & eius fruges incendio tradere seruus iubetur. *Dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni.* Maturas ad falceam messes flammis consumere, graue apparebat esse delictum, manifestumque nocumentum; verum serui non attendunt, an licita fuerint iussa, sed contendunt celeriter adimplere mandata: *Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni.* Vox audiebatur, & iussio complebatur: nullum incersit spatium inter iussum, & incendium, quasi iam in manibus ardentibus habuerint faces, ne exurere maturas distulerint messes: maluerunt, quam æquitati, parere iubenti. Audi Abul. q. 20. *Succenderunt serui Absalom segetem igni, sicut iusserat eis Absalom: ipsi tamen rei erant, quia non debuissent obedire Absaloni, cum hoc esset manifestè illicitum.* Illicita erant iussa, serui tamen legem contemnunt, & vel iniquis obsequijs prometeri, gratiam dominorum exambiunt: quam citò inuolarunt, quam celeriter segetes succenderunt, quin apud se expenderint, an fas, aut nefas esset, detrimentum ad eò graue inferre, & iussis obtemperare! Pharaon recens natos pueros

cum

Matth. 13.
v. 15.Iudic. 6.
v. 25.Iudic. 8.
v. 27.Num. 22.
v. 25.

Exod. 1.
v. 22.

cum nulla humanitate condemnat: *Quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen proiците.* Exod. 1. v. 22. Præceptum audis, executionem relatam non inuenies, quasi otiosum censuerit Scriptura exprimere obseruatum mandatum, cum retulerit datum præceptum. Sed examinandum venit: Cur nullus è populo pro recens natis steterit, nec præcipienti belluinam esse feritatem obiecit: Certè verti in quæstionem nequibat, è matris visceribus recenter fufum nullum admisisse delictum, vt pateretur naufragium; & tamen valebat minùs ad continendas carnificum manus euidentis inualidæ plebis innocentia, quàm præcipientis execrabilis ira. Audi Basil. Seleu. Orat. 9. *Regis edictum quilibet naturam velut obsidione concludebat, serâque fascinus perquam insolens. Quod Dei manus efformabant, Regis manus aquis obliterabant. Vbique erant genitura speculatores, & fluius natorum carnifex constituebatur: lex seruabatur, & natura mulctabatur.* Non solum iniuriam expromptè periniquum exequiebantur præceptum, sed, vt præcipienti adulerentur, puerosum speculabantur exortum. Non attendebant, an præceptio æquitati congrueret, aut à lege discordaret, quia placendi obcæcabantur studio, imò præcipitabantur adulandi desiderio.

§. XCII.

Frequentius serui dominorum minuunt substantiam, quàm doleant eius iacturam.

PRouerbiu est, tot nos sustinere aduersarios, quot alimus seruos. Non assentior; sunt enim plures, qui fidelissimè tractent domini facultates: maiora sibi faciunt credere, dum iniuncta satagunt solerter disponere. Verùm vt rara pretiosa sunt, sic eiusmodi serui sunt pretiosi, quia rari. *Magne laudis occasio est* (aiebat Cassiod. 5. Var. 18.) *si in ea causa communi, aliquid singulariter videatur impleri.* Fideles, laudabilésque Ioabi comprobantur serui, dum frugurâ iacturam vero ingemuerunt dolore. Iusserat Absalom seruis suis agrum Ioab flauis messibus nitescentem exurere: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messes hordei: ite igitur, & succendite eum igni.* Serui impigrè paruerunt iussis, & arsit messis. *Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni.* Ioab serui inopino casu percussis, vestes sciderunt, & iacturam fufis lachrymis deplorarunt: *Et venientes serui Ioab scissis vestibus suis, dixerunt: succenderunt serui Absalom partem agri igni.* Vestes scindere, erat olim argumentum doloris, & signum amaritudinis. Ergo dum serui Ioab scindunt vestes, amarum sibi satis testantur messium iacturam, & domini imminutam substantiam: cumque visitatus sit varijs coloribus fraudare, quàm substantiam dominorum imminutam dolere, notanter expressit Textus, Ioab seruos vestes scidisse, & dolorem intimum ostentasse. O demirandi serui, dum domini dispendio non vestiuntur, sed ob dispendium, & facultatum diminutionem verè afflictantur! Prodest Abul. q. 26. *In signum doloris sciderunt vestes, & venerunt ad Ioab.* Vestes scidit Iob, cum perierunt chara pignora, & flammarum voluminibus combusta perijt substantia: *Scidit vestimenta sua.* Iob. 1. v. 20. Et serui vestes scindunt, quasi iacturæ dolor non minùs quàm dominum, perculerit seruum. Horum amorem, fidemque alij contrarijs factis commendant, & elogio dignos suis factis præter opinionem declarant. In baculo

Iob. 1. v. 20.

Io Iacob tranfuit Iordanem, & Laban domum ingressus, gregis curam suscepit, adeoque est auctus, vt ipse Deo gratias agens, demiretur. *In baculo meo tranfui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. v. 10. Qui viderant Labani greges imminutos, & serui adauctos, cum virgarum ignorarent arcanum, subesse putabant furtum. *De illius facultate ditatus, factus est inclytus.* Gen. 31. v. 1. Iacob in eorum æstimatione non credebatur substantiæ dominicæ dolere iacturam, sed putabatur imminuisse fraudulenter substantiam. Iacob edocuit Oraculum, & quod egit, rationi, iurique satis fuerat consonum; verum apud mysterij ignaros putabatur substantiæ Domini extitisse seruum ruinam, nec diuitiarum augmentum legitimis laboribus comparasse, sed tectis fraudibus acquisisse. *Isti* (inquit Oleast. ad mores.) *non curarunt, quo titulo Iacob habuerat substantiam patris sui, sed solum se spoliatos considerarunt.* Itaque etsi seruus iusto titulo fuerit copiosus, malè audiebat, quia intuebantur greges Labani imminutos, & serui adauctos; est namque frequens seruis plus sibi attendere, & dominorum augmentis minùs consulere. Cum omnia in figura contigerint, Iacob laudandis delineauit factis, quo cautis accidere solet dolis.

Gen. 32.
v. 10.

Gen. 31. v. 1.

§. XCIII.

Ad instar miraculi est, alienam culpam minuere, nec amplificatam referre.

VT frequenter intuentis turbatur oculus, aut propria malignitate, aut audaci suspicione, aliorum culpæ grandescunt. Homines iustè statuaræ cæco illi arbores videbantur proceræ. *Video* (aiebat) *homines velut arbores ambulantes.* Marc. 8. v. 24. Propria cæcitas augebat magnitudinem, incrementabat proceritatem. Notauit eleganter Chrysol. serm. 176. *Imperfectis oculis grandescunt forme, turbantur species, res falluntur ipsæ: quia non iam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis.* Res imperturbatis oculis obiectæ, vt sunt, apparent, cæcutientibus verò, vt non sunt, esse videntur, quia non visione, sed visionis umbra informantur. Infirmus liuore oculus duplici cæcitate laborat; non videt, quæ sunt, & videt, quæ non sunt. Sæpissimè iniqua de rebus fertur sententiâ, quia ipsam visionem innata solet adulterare malitia. Hanc Christus Dominus rationem reddidit, cum Apostoli ei objecissent, *Pharisæos, auditâ doctrinâ, egregiè scandalizatos: Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Matth. 15. v. 12. Quo verbo? Scilicet hominem blasphemij pollui, illotis manibus ad mensam accedentem non inquinari. Ergo Dominus illud scandalum testatus est ab audito verbo non oriri, sed à propria cæcitate emanare: *Sinite illos: cæci sunt, & duces cacorum.* Aded erant liuore obcæcati, vt contrariam veritati ferrent sententiâ, aded erant suâ æstimatione perspicaciâ excellentes, vt docerent alios viam: ergo bis cæci, & plus infelices præsumptione, quàm cæcitate, graue fugillabant delictum, non lotis manibus edere, & nullatenus testabantur peccatum parentibus non succurrere. Itaque salubre documentum perniciosum testabantur scandalum, & auaritiæ inuentum asserabant sacrificium. Prodest Chrysof. in Cat. *Discipulis secundum Iudaicam infirmitatem respondit: Acsi dicit: Si Pharisæorum obtutus non esset in-*

Mar. 8.
v. 24.

Mar. 15.
v. 12.

firmus, illotis manibus vos accessisse ad prandium, non graue condemnassent delictum: ab eorum ergo obturbato varijs affectionibus aspectu prouenit huiusmodi sorditiem imputare, & fugillatione augere. De perspicacia sibi, dum alijs præstant ducatum, blandiuntur: *Duces cæcorum*: Cùm re verà non visione, sed visionis umbra decipiantur: *Cæci sunt*: Cùm hæc cæcitas sit hominibus frequens, demiror seruos Ioab. Iusserat Absalom seruis suis Ioab agrum maturis iam messibus opulentum igni succendere: serui celeriter paruerunt, & fruges vstularunt: *Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni*. Hanc culpam Ioab ministri non exaggerarunt, imò minuerunt: *Venientes serui Ioab scissis vestibus suis dixerunt: succenderunt serui Absalom partem agri igni*. Qui totum succendit, partem etiam adurit. Ergo sic retulerunt culpam, vt veritati non contrairent, nec illatam offensam ampliarent: *Partem agri*. Innuit aliquomodo Abul. q. 20. *Viderunt, quod serui Absalom succenderant agrum Domini sui*. Non ignorabant illatam iniuriam, minuerunt tamen, referentes offensam: quod, vt insolitum, admiratione probatur dignum. Est enim miraculi adinstar, si quis ab alio perpetrata retulerit culpam, quin adauerit, aut extenderit. Cùm Doeg tabernaculo afflisteret, videre potuit sacerdotem Dauidi panem dedisse; & quem petebat, gladium ministrasse, consuluisse verò pro eo Dominum, nec audiuit, nec aspexit; & tamen, dum factum, quod culpam non carere putabat, Regi referret, de suo commentus est, preces pro Dauide fudisse, & Oraculum rogasse: *Consuluit pro eo Dominum* 1. Reg. 22. v. 10. Aliquid adiecit, quod sacerdotis ingraueret, quam reebatur, culpam, & Saülis prouocaret audaciam. Audi Hugon. Card. *In hoc mentitur Doeg*. En refert sua opinione culpam adauertam, & malignis suspicionibus solùm extensam. Est enim frequens alienas culpas augere, & miraculi adinstar honesta interpretatione minuere.

§. XCIV.

Frequenter asper casus refertur Principibus temperatus, & imminutus.

Serui, & ad quos spectat, ministri sollicità curâ sibi iniuncta complere, & prouidâ cautelâ discrimini obuiare, si asper casus contigerit, sic Principi referunt, vt & leniant, & minuant. Rarò integra veritas deuenit ad Principem, aut quia relatores timent exasperare, aut quia student sibi consulere. *Vtile remedium est* (aiebat Cassiod. 5. Var. 39.) *nosse, quod inferatur*. Dum Princeps totam casus acerbicatem non noscit, ignauiam ministrorum non carpit, aut remedium competens non apponit. Vnde cùm veritas scalpitur, cùm casus lenitur, feruientis inulta manet inertia, aut contemnitur exigui damni notitia. Igni tradiderant Absalonis serui Ioab agrum, maturis iam ad falcem messibus opulentum. *Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni*. Ioab serui sic retulerunt casum, vt totum agrum flammis non restarentur correptum. *Venientes serui Ioab scissis vestibus dixerunt: Succenderunt serui Absalom partem agri igni*. Et cur non referant totam ruris messem gliscente flammâ deuoratam, sed partem solùm consuptam? Multæ causæ possunt quæstionis afferri: forsitan serui, quibus agri cura demandata, non aderant, alijs forsitan negotijs attendebant. Ergo veriti sunt in-

dignationis contra ipsos supplicium, ni relatione temperarint incendium: Si iam non maluerunt veritatis imminutione Ioab blandiri, & dolorem temperare. Verùm quauis fuerit incendium occasione excitatum, Ioab relatum est diminutum. Vt noueris, quàm certum sit asperi casus notitiam peruenire ad Principem adulteratam, aut imminutam. *Nomen, quod ponitur hic in Hebræo* (inquit Abul. q. 20.) *potest significare partem, vel agrum*. Sic retulerunt incendium, vt Ioab posset intelligere partem messium exustam, non totam flammis voratam. Prosiluerat è secreto cubili adolescentula; & dum nocte per ciuitatem vagatur, in custodes incidit ciuitatis: illi abstulerunt pallium, & vt auferrent, sanguine tinxerunt ferrum. *Inuenerunt me custodes, qui circumueunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*. Cant. 5. v. 7. Hoc in statu tota erat sollicitudo, vt sponso solùm denuntiarent languere, non plagis confosam, non dispoliatam, sed internis, honestisque affectionibus agram. *Adiuuro vos, filia Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore languet*. Et cur non adiurat, vt denuntient languere, quia à custodibus inurbane dispoliata, & percussa? Facile est ad quæsitum responsum; si denuntiaret malè à custodibus tractatam, percussamque, constaret è domo fuisse noctu egressam, & per calles diuagatam. Ergo cùm non posset infirmitas cæleri, honestis causis voluit adscribi. Si vulnera referrent, causa non poterat non inquiri: & nota causa, erat indignationis ad speciem timenda ira. Ergo sodales adiurat, vt referant amore languere, non acceptis vulneribus ægrotare. Sæpè animaduerto, sacram Scripturam laudabilium, honestarumque actionum penicillo mores nostros adumbrare, & veluti coloribus, quod accidere solet, exprimere. Sponsa è domo est egressa, diuini sponsi amore fauciata, quin noctis horruerit tenebras, quin lecti mollis æstimaret blanditias, tulit vulnera, sed vulnerum dolorem sopiebat amoris vehementia, & viuida flamma; verùm quod huic nobilissima fuisset causa, alijs fœminis, & adolescentibus suadet inconsiderantia, & cæca imprudentia; quòd si patiantur similia, totum est eorum studium in colorandis alijs causis; nè ad parentes, superioresque perueniat vera notitia. Prodest. N. Delr. in litt. *Nihil de custodum iniuriâ lamentatur, nihil excusationis prætexit, quod fœmina iuuenis, & honesta sic noctu vagetur: clamet, cinium turbet soporem. Vnum explicat, quod sponso placando maxime idoneum*. Si denuntiarent superiori noctu ambulasse, & in custodum manus incidisse, nequibat ad indignationem non prouocari: ergo socias adiurat, vt solùm referant, quod indignationem non inflammet, imò quod ad commiserationem proleget.

§. XCV.

Rarum est, si serui, aut ministri Iurisdictionem, aut facultatem ad nocendum non extenderint, sed breuiarint.

Potentia, Iurisdictioneque vt ad muneranda merita fulget præmijs ditata, ita ad excessus corrigendos fustibus, gladiisque probatur munita. Quod si aliquam in partem contigerit inclinari, satius esset ad humanitatē flecti, quàm ad rigorem incumbere. *Potes hoc Casar predicare audacter* (aiebat Seneca. de Clem. cap. 1.) *omnium, que in fide,*

1. Reg. 22.
v. 10.

Cant. 5.
v. 7.

dem, tutelamque tuam venerunt, nihil per te nec vi, nec clam Reipublica ereptum. Laudabilis erat potentia, quæ æquitatis regebatur consilijs, non vi ablati, iniustisque ditescerat spolijs. Verum et si iurisdictionio, potentiaque laudabilius, quam ad nocendum, ad benefaciendum inclinaret, peruersum aded hominum ingenium est, præcipue ministrorum è media plebe, vt ad nocendum iurisdictionem extenderint, non breuiarint. Ob id demirabar Absalonis seruos à Domino ad exurendas Ioab messes delegatos, iurisdictionem ad alios agros non extendisse, imò potestatem angustasse. Dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei; ite igitur, & succendite eum igni. Accepta à Principe facultate, partem, non totam vstulasse messem dicuntur: Succenderunt serui Absalom partem agri igni: Ergo adinstar miraculi fuit; cum frequens sit aliqua potestate donatos, eam ad nocendum, dispoliandumque amplificare, & extendere. Audi Abul. q. 20. Serui Absalonis noluerunt comburere totum agrum, sed partem eius. Si alij essent, manus non continerent, sed totum agrum messibus dispoliarent, imò ad adiacentes iurisdictionem extenderent, & dominos auro redimere periculum cogerent; sæpè namque ministri colorato iurisdictionis titulo, sine titulo inferunt nocumentum, & fœdum conquirunt luctum. Sponsa cum domo egressa, honestissimo desiderio sponsam quæretet, in custodum manus incidit: Inuenerunt me custodes, qui circumueunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum. Cant. 5. v. 7. Custodibus commissâ erat ciuitatis securitas, tranquillitas soporantium, grassatorum supplicium: non illis licebat exercere rapinam; & innocentibus infligere plagam. Eiusmodi verò custodes iurisdictionem protulerunt, & exarmatam fœminam dispoliarunt. Audi, N. Delr in Litte. Inuasere illam ferociter muro-rum stationarij compacturi in carcerem, conantur comprehendere: sed cum se celerrime versus urbem iterum reciperet, arreptam, quam neglectim sibi penulam iniecerat, illa retentante, vi lacerant, & eripiunt. Ad custodes spectabat, fœminam noctu vagantem in domum reducere, & periculis obuiare, abusi tamen iurisdictione, varias finxere causas, vt ablatâ penulâ dimitterent nudam. Doeg facultatem, et sicut iniquam, fecit in Princeps domini sacerdotes: Irruit in sacerdotes. 1. Reg. 22. v. 18. Accepta facultate, non solùm irruit, sed trucidauit: Conuersus Doeg Idumeus irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa &c. Inquires: Cur occidere iussus, trucidare fuerit aggressus? Profectò trucidare sonat mortem inferre, acerbius, & durius; est enim crudeliter, immanèque occidere. Ergo Doeg quod acceperat mandatum, ad nocendum extendit, & ampliauit. Innuat Theod. q. 53. Doeg impius hanc fecit cadem. Hanc crudeliorem, fœuoremque eadem intulit, de proprio, peruersoque ingenio feritatem addens, & à sibi iniunctis excedens; frequenter namque Principum ministri, aut serui non solùm iussa exsequuntur, sed ad nocendum iurisdictionem extendere detestandis modis conantur.

TEXTVS.

VERS. 31. Surrexitque Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? Et respondit Absalom ad Ioab:

Misi ad te obsecrans, vt venires ad me, & mitterem te ad Regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo, vt videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

§. XCVI.

Prudentia est, irritatam iracundiam frenare, & maturius irritationis causas expendere.

Ira audissima pœnæ est; sæpè, indiscussâ causâ, inflammescit, & impetu præcipiti furit. Flamma subita est (aiebat Sene. lib. de Ira c. 7.) & hic stimulus peragitant, misitque in pericula audaces. Optimum itaque quidam putant temperare iram, non tollere; eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere: Ad salutare prudentiæ suffragium recurrendum est, & cogenda ira, vt irritamenta discutiat, & pacata cogitatione causas indignationis expendat. Serui Ioab scissis vestibus de Absalonis seruis conqueruntur, & applicitis flammis maturas in cinerem redegisse messes, lamentantur: Succenderunt serui Absalom partem agri igni. Audit Ioab, nec in incendiarios effundit iram, donec attentè examinet incendij causam: ad Absalonem tendens sciscitatur, an serui suo opte genio, an de domini intulerint damnum mandato? Et cur, si ipse Absalom, segetem aduri præcepit? Surrexit Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? Si alius esset Ioab, irâ scandesceret, & à seruis Absalonis incendij pœnas exigeret; verum, vt erat prudens, maluit indagare causam, & ad plenioram deuenire notitiam: ab Absalone didicit, cur segetes aduri præceperit, & iam scitâ causâ, iram contra incensores continuit, & indignationem temperauit. Innuat Aliquomodo Abul. q. 20. Venit ad Absalom in domum eius, scilicet ad proponendum querelam, nesciens, cur succensus fuisset ager eius. Nesciebat Ioab, an serui Absalonis egissent de mandato Absalonis, vel de propria auctoritate: & si de mandato Absalonis, volebat scire, cur hoc actum esset? Digni erant serui, qui darent pœnas, si propria malignitate combussissent spicas; non tantam merebantur indignationem, si deliquissent domini præcepto coacti. Ergo licet subitaneo, inopinòque ad iram irritaretur incendio, se continuit, & maluit maturo rem examinare iudicio: quod si plures imitarentur, in exoculatam iram, & præcipitem cæcitate lapsi non fuissent; ast, dum vindictæ auiditate obcæcantur, imprudenter sæpè labuntur. Asina ab itinere deuians insidentis Arioli deseruiebat salutis, & tamen illa cæca exacerbabatur indignatione: asinæ abstulisset vitam, si incederet armatus, & sibi maturabat necem indignatione delirus: Iratus vehementius cadebat fuste latera eius. Num. 22. v. 27. Bruti resistentia erat Baalam vtilissima, verum ille, indiscussâ reluctantiæ causa, furebat, & se defectum putabat; vbi verò, quàm sibi vtilis renitentia fuisset, cognouit, indignationem sopiuit: Nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidisset, & illa viueret. Si asina à via non deflecteret, Baalam iaceret occisus, & maluit asina pati verbera, quàm dominum subire discrimina, & cum re vera ab ea renitentia promanaret Ariolo beneficium, putabat indignationis irritamentum: externa solùm specie ductus fallebatur, & iracundia accende

Cant. 5. v. 7.

1. Reg. 22. v. 18.

Num. 22. v. 27.

accendebatur : vbi clarius reluctantiæ causam agnouit , miratus est bruti perspicaciam , & suam inscitiam. *Bruium* (inquit Phil. lib. 1. de Vit. Mos.) *perspicacius erat , quam is , qui se iactabat videre non mundum solum , verum etiam ipsum mundi rectorem , conditorémque . Tandem vix agnito resistente angelo , non quòd dignus esset eo spectaculo , sed vt indignitatem suam intelligeret , ad supplicationes , deprecationésque versus , orabat veniam ignorantia .* Contumaci ad speciem renitentia exacerbabatur , sed imprudenter illatam sibi existimabat offensam ; cum potius tuere alicuius satageret vitam : re examinata , inuenit se à prudentia deuium , non brutum flagellis dignum . O quàm oportet fallacibus coniecturis , & leuibus suspicionibus non credere , sed iracundiæ ardorem reprimere , liberiorique mente , quæ irritamenta videntur , examinare .

§. XCVII.

Contra se inuidiam minister excitat , si meliores fortunâ inflatus despiciat .

Sic quosdam fortunæ extulit fauor , vt prudentiam de mentis arce deturbet , & quandam arrogantiam insaniam exagitet . Quod de fluuio illo Lethæo fabula finxit antiqua , opulentæ fortunæ congruere frequens edocet experientia . Qui ad dignitatis apicem euolauit , qui regiam gratiam fortunatus promeruit , sæpissimè nec quis fuerit recordatur , nec qui alij sint , recordati videtur . *Beatus* (aiebat Sophoc. in Antig.) *qui simul opes , ac mentem possidet .* Beatus est , qui maritat cum felicitate mentem , cum mente felicitatem ; subrepat namque fortunatis pro prudentia tumor , pro modestia arrogantia , pro ciuilitate odiosa semper cæterorum despicientia . Sed dum imprudentes auctoritatem sibi aliorum despectu parant , inuidiam periculosam conciliant . Semel , & iterum per sequestratos seruos rogat Absalom Ioab , vt dignetur ad se venire , quòd ambo de modo placandi Dauidem commodius possent conferre : humanè à Principe vocatus aut contempsit , aut distulit . Iterata supplicatione eum Absalom asciscit , sed iterum parere noluit : ergo Absalom despectu prouocatus inurbani agrum voracibus flammis adusit , & maturas iam messes prorsus in fauillas conuertit : Ioab conquestus est , incendij causam sciscitatus , sed vt audiuit , ora silentio pressit confusus . *Misi ad te* (inquit Absalom) *obsecrans , vt venires ad me .* Si sciscitatis incendij causam : *Quare succenderunt serui tui segetem meam igni ?* Iam reddo , scilicet , te mecum inurbanè satis gessisse , & fauore inflatum nec iteratis precibus annuisse : *Respondit Absalom ad Ioab : Misi ad te , obsecrans vt venires ad me .* Ac si dicat : Ego Princeps , & Regis filius in modum supplicis te rogauit , vt ad me venires ; verum tu regio fauore innixus , & fortuna prospera elatus , nec dignatus es venire , nec urbanè saltem respondere : ergo tibi imputa incendium . Nam qui se meliores , fortuna elatus despectat , ardentissimas contra se flammis prouocat , & insufflat . Opportunè Abul. q. 20. *Misi ad te obsecrans , vt venires ad me , id est , misi rogando , vt venires , & noluisti , idè combussi agrum .* Ac si dicat : A Principe humiliter rogatus , debuisses obtemperare , aut saltem ciuilitè respondere : ergo cum nec venire , nec coloratas saltem causas exhibere volueris , mirum non est , quod meæ dignitatis conscius , & superba inciuilitate irritatus

indignationis flammis effuderim , messesque aduferim . Mirum fuit austeriora non tentasse Absalomem , & grauiora non tulisse Ioabum . Quid enim inciuilius , quàm nec Principi obtemperare , nec respondere ? Ioseph Manasem filium præponi exorbitat , sed pater etsi cæcus , satis perspicax excludit . *Videns Ioseph , quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim , grauius accepit .* Gen. 48. v. 17. Arcanum in hac manus transmutatione scrutantur Interpretes , afferuntque idem esse Manasem , ac paternæ domus obliuionem . *Vocauit nomen primogeniti Manases , dicens : Obluisci me fecit Deus omnium laborum meorum , & domus patris mei .* Gen. 41. v. 51. Dum Ioseph antiqui status obliuiscitur , dum ad culmen elatus , alijs se minorem non recordatur , ipsa obliuione domum nequibat stabilire , imò probabatur euertere . Ergo maturus senes decussatis edocuit manibus , antiquæ originis , & fortunæ obliuionem aduersari sæpè prouentibus : superbia procellosos ventos excitat , & , dum tumidius effertur , citius subruitur . Dum Ioseph se quondam pastorem , & emptitium seruum non recordatur , sed meminit solum Ægypti præfecturæ , & apud Principem gratiæ , è prosperitatis fastigio refertur deiectus : nec enim poterat non concitare contra se inuidiam , dum fortunatus obliuionis affectabat offensam . *Per Manasem* (inquit Hugo) *maiores significantur diuites huius sæculi , qui se putant in dextera .* Adnectit post alia : *Manases interpretatur obliuio .* Cum hæc omnia contigerint in figura , & mysterijs extiterint grauida : dum Ioseph satagit primatum obliuione fundare , non potest consequi , illos adumbrat , qui ad fortunæ apicem elati , & conditionis antiquæ oblitii , votis suis refragantur , & inciuiles , asperique prosperitati obnituntur : dum enim inurbana obliuione constat tumere , contra se constat etiam plurimum animos obarmare .

§. XCVIII.

Minister graui dignus penâ inuenitur , si à se prudentes differre causas probeur .

Malunt plures spes suas præcidi , quàm trahi : ab spe cadentes semel exasperantur , sed suspensis diu spebunt , prolixius , & acerbius torquentur . *Quemadmodum* (aiebat Sen. lib. 2. de Benef. cap. 2.) *in agris opportunitas cibi salutaris est , & aqua tempestinè data remedij locum obtinuit : ita quamuis leue , & vulgare beneficium sit , si præstò fuerit , si proximam quamque horam non perdidit , multum sibi adiicit , gratiamque pretiosi , sed leni , & diu cogitati muneris vincit .* Gratia si diu cogitata , dilataque non tam accipientis allicit animum , quàm molestum parit fastidium . Quòd si qui beneficia distulit , aliquomodo delinquit , quid erit , si quis sibi commissas , & à se pendentes causas otiosus distulerit , aut de industria retardarit ? Certe iste , si talionis penâ multandus esset , suspendi meret , cum à se pendentes cõstet durissima dilatione , & dubia suspensione cruciare . Absalom cõtra Ioab eiacularur ardentissimas flamas , & ad falcem iã maturas incendio tradit spicas . *Ite , & succedite igni .* Agru flauis nitescentem messibus aduri iussit , & à Ioab meritas pœnas exegit ; nam cum illi Princeps cõmendasset Absalomem reducere , eiuque causam agere . *Renoca puerum Absalom :* contentus est adducere ad curiam , sed diu introducere distulit ad Dauidis præsentiam .

Gen. 48.
v. 17.Gen. 41.
v. 51.

tiā. Ergo, dum absoluere causam differt, dilatione anhelum detorquet, & ad euomendas flammās compellit: *Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad Regem: qui noluit venire ad eum.* Dilassata iam post biennium Absalonis tolerantia, Ioab admonuit vrbane, ut cœpta perficeret, & negotium citò abfolueret: Ioab obscuruit ad preces: institit iterum Absalom; sed Ioab iterum preces aut contempsit, aut distulit: ergo dilatione offensus, & indignatione commotus, messē aduēit Absalom: *Cum secundo misisset, & ille nolisset venire ad eum, dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem, messē hordei, ite igitur, & succendite eum igni.* Dignus fuit, qui graui multaretur pœnā, dum à se pendentes dilatione torfit, & vrsit. Innuī N. Sanct. *Reluctantem primum, & deinde combustis messibus, ad se agrē admodum ascitum permoit.* Vrbane asciuit, iteratis furdescens precibus admonuit; ac tandem cum spes suas trahi vidit, aduēit messibus, vindictam accepit. Et re vera erat Ioab graui pœnā dignus, dum negotia curæ suæ commissa desidiosus differebat, aut otiosus tardabat. Moyse, Aaronique committitur ardentem populi sitim crystallinis laticibus sopire, & vrgētibus satis necessitatibus prouidere: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Num. 20. v. 18. Moyse, bis percusso silice, elicuit vndam, & tamen incurrit mortis sententiam: *Non introduce- tis hos populos in terram, quam dabo eis.* Diuinæ indignationis causam sciscitantur interpretes: nam cum sitienti plebi sanctissimus ille Sacerdos blandas eliceret vndas, & scitis ardore exæstantium sopiuerit flammās, potius videbatur præmijs amplissimis munerandus, quam rigidis pœnis puniendus: cur ergo vitā, & potestate interdicitur, qui vbi erat sicca duricies, crystallinos populō exhibuisse probatur latices? Quia cum fratribus (inquit Lira) commissa esset eius laboris expeditio, tardarunt tantisper illud negotium. Quos vnico verbo potuerunt liquores elicere, maluerunt ictibus repetitis extrahere. Ergo dum, à se pendentes, sitique ardentissimā exæstantes, etsi exigua dilatione discruciat, sibi pœnas præter opinionem adagge- rant. Liram audi. *Primo ictu non exiuerunt aquæ.* Primo verbo profluerunt vndæ, ictu impeditæ sunt aquæ. Ergo pœnā ad eō graui censetur dignus, qui in expediendis negotijs tantisper tardus. Si absolutè expendas illam moram, nullius momenti censebis, si cum viscera exurenti ardentissima siti conferas, molestissimam fuisse inuenies. Ergo vt noueris ministrorum ignauiam, & ad speciem exiguam moram afferre sæpè anxie expectantibus intolerandam molestiam, Deus Moysem ob exiguam satis dilationem remedij, grauem ad eō voluit pendere multam supplicij. Adde: In proprijs causis posse ministrum prolixiori somno indulgere, debere tamen in generalitatis causis sollicitè inuigilare. Elias iter carpit, vt Iezabelis minas effugiat, & suæ securitati prouideat, sed, dum itinere dilassatur, vires somno reficere admittitur: *Obdormiuit in umbra iuniperi.* 3. Reg. 19. v. 5. Alibi iubetur Hazael Regem super Syriam inaugurare, Ieu ad Israëlīs impetium eligere, Elisæum in Prophetam consecrare: acceptis mandatis, è monte properat, Elisæumque pallio Prophetico quodammodò in Prophetam iniciat: *Profectus ergo inde Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, &c. Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.* Hinc oritur quæstio: Si cum montem inscendit, longa temporis

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

spatia consumpsit, prolixa etiam descendens, vt ad Elisæum perueniat, consumet: qui ergo vnus diei itinere defatigatus dormiuit, quomodo, cum è fastigio descendit, nec dierum refertur numerus, nec somnus? *Profectus inde Elias reperit Elisæum:* an quia arduum est ad fastigia conscendere, & facile ad planiora deuenire? Ita sanè: sed aliud hinc desumitur documentum. Cum Elias fugit, sibi consulebat, reuertenti Deus communem causam iniunxerat: Ergo cum iam suus non esset, nec otio, nec somno indulgit, licet priuatus, quantumuis periculis cinctus, eis curis expeditus, stiterit, & dormierit. Innuī aliquomodo Lira: *Ponitur mandati Domini executio per Eliam vngendo Elisæum in Prophetam.* Publicis, generalibusque causis designatus, totus fuit vigilantissima sollicitudo, totus indefessus labor, totus laboriosus sudor, vt discant, quibus Respublica, aut munia publica demandata, cum otio non pacisci, nec ignauo somno indulgere, sed à se pendentium causas citò expedire, nec ad ipsos confluentes molesta suspensione, aut dilatione torquere.

§. XCIX.

Principum gratiā vsi, aliorum accessum de industria aut vetari, aut tardari.

NVllus deuenit ad gratiam Principis fortunatus, qui aliquo timore non agitur sollicitus. Qui opulentum adinuenit thesaurum, studiosè cælat, ne quid alius auidus felicitatis diripiat: sic qui Principis benevolentiam meritorum suffragio, aut fortunæ ludo acquisiuit, cæteris aut accessum præcludere, aut retardare saltem cautellā semper vigili procurauit. *Cui nos parere contendimus* (aiebat Cassiod. 12. Var. 18.) *magnus prouectus est, si mereamini ad eius placidos venire conspectus.* Magnus profectus existimatur, si Regis quis præsentiam demereri putetur. Ergo trepida semper ambitio satagit discrimini occurrere, & ne quis ad Principis perueniat gratiam, studiosè procurat impedire, ne Venerit ad præsentiam. Ioab Regis familiaritate vsus, ab Absalone humillimis etiam precibus exoratus obsurdescit; instat Absalom; sed Ioab differt: *Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad Regem: qui noluit venire ad eum.* Non ignorabat Ioab vocari, vt ad Principis præsentiam Absalonem intruderet; sed ob id ipsum venire noluit, quia benevolentia principalis participem timuit. *Misi ad te obsecrans* (aiebat Absalom) *ut venires ad me, & mitterem te ad Regem.* Absalom venire ad Regis exoptabat conspectum, sed Ioab differebat industriè votum. Notauit Abul. q. 20. *Volebat Absalom stare in conspectu Regis... & ad hoc volebat mittere Ioab ad Regem.* Ioab se Absalonis ostentabat amicum; verum nihilominus ad Principem retardabat accessum; nam qui Principum familiaritate vtuntur, sollicitè alios impedire conātur. Eandem video patabolam apud Matth. & Luc. repetitam: Rex refertur alibi geniale ad Filij nuptias celebrandas instruxisse conuiuium. *Simile factum est regnum calorū hominū Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Matth. 22. v. 2. Qui hic regiā decoratus refertur dignitate, apud Luc. sub communi proditur instruxisse mensam appellatione: *Homo quidam fecit canam magnam.* Luc. 14. v. 16. Vtrobique inuitatos admonent serui, & utrobique inciuiles se excusauerunt inuitati. Ergo pauperes, debiles, claudique inuitatorum loco afferuntur: sed notatu est dignum, apud Luc. superref-

H se

Num. 20.
v. 18.

3. Reg. 19.
v. 5.

Mat. 22.
v. 2.

Luc. 14.
v. 16.

se adhuc locum à seruis hero renuntiari. *Factum est, ut imperasti, & adhuc locus est: cum apud Matth. superesse locum videas prorsus arcano silentio præteriri, imò conuiuis plurimis exundare domum referri. Impleta sunt nuptia discumbentium.* Hinc oritur quæstio: Cur scilicet alibi locum conuiuis alijs esse, seruus denuntiarit? *Adhuc locus est:* & alibi prorsus tacuerit? Certè cum eadem sit parabola, locus superuenturis conuiuis erit: quomodo ergo, alibi seruus introducere alios gestit, & alibi alios introduci posse non admonet? O expende, amabo te, alibi Regis nomine, alibi cuiusdam conuiuium instrui: ergo priuati seruus non grauatè alios vocari tulit, imò ut vocarentur, superesse locum, renuntiavit; ast aulicus siluit, nec superesse locum admonuit. Rarus namque est ex Regis familiaribus, qui alios ad regiam mensam fatagat introducere, imò qui non studeat retardare. En qui adstabant Regi, nuptias testabantur conuiuis exundare, nec locum dixerunt superesse, cum priuati famuli nec inuidiâ, nec ambitione obscurati, alios introducere procurarint, solliciti. *Adhuc locus est.* Nullus est, qui totum Principem sibi non exambiat, & alios amouere non gestiat. Daniel laudandis factis ambitionis desideria exprimit, & depingit, Principis familiaritate, ac benevolentia vsus, socios dignitatibus sollicitat exornari. *Daniel postulauit à Rege, & constituit super opera prouincia Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus Regis.* Dan. 2. v. 49. Si ipse pro foribus stat, cur socios secum non asciscit, sed operibus præficit; quia laudabilis Danielis prudentia veluti actionum coloribus delineauit aulicorum studia. Si amicos, cognatosve vereantur, aut odorentur Regi placere, ut ab eius præsentia amoueant, diffitis præesse prouincijs procurant, ipsi verò stant pro foribus, ut nulli pateat aditus, aut accessus. *Etiam audi: Ut teneret Regem in amicitia, ideò non recedebat à latere eius, ne aliqui inuidi in eius absentia seminarent odium.* Si aditum sollicitè non præcluderet, forsitan alius venari sibi gratis adulationibus, aut alijs artibus Principis adniteretur benevolentiam, & Danieli conciliaret inuidiam: ergo Daniel pro foribus stabat, & accessum impediēbat.

§. C.

Dum felicitas proximior, vrit, si differatur, acerbior.

VT est in fabula: Tantalus, ut duriori fitis, ac famis diuexetur tormento, proximiori allicitur vnda, & pomo: miserum esset siti vrgeri, fame cruciari; erat tamen miserrimum vndam iam iam labris contingere, & fugaci illecebra, illuloriamque falli. Adusta siti labra ferè tangebant frigidam, sed fugacitate accendebatur viuidius flamma. *Parcendo* (aiebat Cassiod. 12. Var. 10.) *non parcitis, exonerando prægranaris... grauius percussit, qui blandiendo grassatur.* Dum desiderij perfectio proxima arridet, plus, si differatur, distorquet. Absalom, dum Gessur incoluit, etsi in patris conspectum venire desideraret, nec Ioab alicui, nec quia votum differebatur ingemuit: modò verò, & segetum dispendio Ioab tarditatem punit, & sibi leuiorem fore mortem gemitu ostendit: *Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse.* Et cur melius erat longius abesse, quam Principi

proximare? Dum curiam incolit, videndi Regem opportunitas est proximior, in Gessur erat occasio remotior: quomodo ergo quod exonerat, grauat? & quod spem allectat, discruciat? Ob id ipsum (inquit Abul. q. 20. Absalomis nomine.) *Non veni de Gessur, ut magis punirer, sed ut releuaretur pœna, & tamen magis puniar, si non videro faciem.* Dum in Gessur eram, inquit, distans, felicitatis spes non aded viuidè inflammabatur, nec proximitate cor vrebatur; ast modò cum explendi desiderij inuitet opportunitas, cupiditas inardescit, & frustrata durissimè vrit. Discrucianti certè artificium est, felicitatis proximitate accendere desideria, & dilatione frustrare vota: *Non veni de Gessur, ut magis punirer, sed ut releuaretur pœna, & tamen magis puniar, si non videro faciem.* Diues ille epulo viuidiorem sentiebat in lingua flammam; utque alleuaret tormentum, non petiuit frigidam sibi deferri, sed Lazarum extremum digiti vndis, ut flammam temperarit, intingere: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. v. 24. Acute satis notauit Chrysolog. serm. 122. non postulasse afferri aquam de longinquo, ut qui haberet in proximo: quòd si inquiras; cur vnda aded proxima profluxerit? Respondebit Chrysologus; ut proximitate accenderetur viuidius sitibunda flamma, & dilato desiderio, durior discrucietur pœna. Ipsum audi: *Ut intingat extremum digiti in aqua, & non defferat aquam? Ergo iuxta te est aqua, & si iuxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? Quia vinctæ sunt manus tue.* Aqua erat in proximo, sed impedita manus stricto obstaculo. Ergo cum de proximitate vehementius inardesceret desiderium, & differretur impedimentis solatium, recrudescerebatur cruciatus, & vehementior vrebat linguam sitibundam ardoris æstus. Nam quò desiderij perfectio arridet proximior, si differatur, distorquebit acerbior. Moyses post longa viarum itinera, post traiecta profunda maria exoptatæ Promissionis telluri approximatus: & cum iam eius oblectaretur aspectu, prohibetur introitu. *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.* Deut. 34. v. 4. Iam oblectabat oculos perpulchra fructuum vbertas, iam blandiebatur odoratui venusti floris suauitas: iam inflammabat desiderium termini exoptati vicinitas; sed Moyses retardatur, & impeditur. Quid tunc? *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Mortuus est, non ut cederet morbo, sed ut Domini obsequeretur præcepto. O mortem exoptandam! quam non attulit corruptionis fœtor, sed parendi Domino ardor. Benè: sed eruamus ipsa ex historia pro moribus documenta. Quid opus erat, dum ob culpam corrigitur, ut Promissionis terræ vicinitas referretur? Fortè ut nosceremus, quàm distorqueat explendi desiderij vicinitas, & dilationis anxietas. Tunc enim veluti geminata causa, dolor augetur, viuidiorque pungit. Mortuus est Moyses. Qua ægritudine? Felicitatis proximitate, assécutionisque dilatione. Audi Hugonem. *Ibi dicunt Moysen ascendisse, & inde contemplatâ terrâ Promissionis, mortuum esse.* Ipsa possessionis vicinitate, dum transire impeditur, moritur. Nam felicitas, quò arridet proximior, vrit, si differatur, acerbior.

§. CI.

Infelix est, qui Dei gratiâ non fruitur, etsi fortunâ cumulatissimâ utatur.

Cumulatus est felicitatis humanæ, præsentia Principis frui, & ille solus habetur fortunatus, qui suo Principi putatur acceptus. Quantumuis cumulatâ utatur fortunâ, infelix est, qui Principis sordescit ingratiâ. *Ad comitatum nostrum* (aiebat Princeps apud Cassiod.) *iussis te presentibus euocamus, ut non mediocri gaudio perfruaris. Et ideo otij delectatione postposita ad illam diem deuenire propera, ut & tibi aspectum nostrum gratum fuisse iudicemus.* Grato Principis aspectu vel labores difficiles compensantur: qui, si desit, insipidæ quæcumque aliæ felicitates habentur. Quodsi qui regali aspectu probatur gratus, gaudet cæteris inuidendus; & qui regali non probatur iudicio, iurè luget infortunatus; quid censendum est de illo, qui à Numinis præsentia abigitur, & amicitia priuatur? Profectò etsi Nestoreos annos supergrediatur, etsi exundantibus fruatur diuitijs, etsi exundet filijs, re vera est miserimus, & à vera lætitia exclusus. Absalom Pulchritudine excellit, prole regia fecundus nitet, diuitijs, & commodis circumfusus admirationem cæteris facit, & tamen ad mortem recurrere adurgetur, dum à Dauid præsentia, amicitiaque excluditur. *Obsecro, ut videam faciem Regis: quodsi memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Prudenter se luget miserimus, dum Regi se non experitur acceptum; nam cætera minoris sunt æstimationa, & plaris gratia Principis est habenda. Prodest Abul. q. 20. *Si Rex recordatur de iniquitate mea occidendo Amnon, & propter hoc non vult me videre, interficiat me, & non infligat mihi istam poenam.* Tolerabilius erat Absaloni infligere poenis acerbissimis interire, quàm à præsentia, & gratia Principis exulare. Quid enim acerbius, quàm excludi à gratia, & exulare à præsentia? Profectò si homines æqua prudentiæ, & æstimationis lance pensarent, quàm sit miserum, Deo non probari, nunquam desinerent lachrymis largissimis flere: discant ab Absalone, diuite, nobili, pulchro, quàm sit dolendum Regis aspectu priuari, dum eligit interire: *Interficiat me.* Populo vituli artificii Deus non denegat ad terram promissionis ingressum, imò spondet introducendum per angelum: *Miram tam præcursorem tui angelum, ut eijciam Chananaum &c. Et intres in terram fluentem lacte, & melle; non enim ascendam tecum.* Exod. 33. v. 2. Quid tunc? In lachrymas populus funditur, & exercitis clamoribus lamentatur. *Audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit, & nullus ex more inductus est cultu suo.* Equidem si sermonem expendas, non videbatur mœstis auribus excipiendus, sed lætis plausibus celebrandus: triumphus de inimicis promittitur, exundantia diuitiarum, deliciarumque cumulatissima offertur; & cum putares de felicitate sibi blandituros, tristissimis aspicias ciulatibus lamentatos: *Luxit populus propter sermonem hunc pessimum: Sane inquit Hugo: dum conferunt cumulatissimam illam fortunam, & Dei absentiam, prudenter se de absentia planxerunt miseros, non fortunis diuitatos.* *In hoc punieris* (Hugonem audis) *quia amittes Dei manifestam præsentiam.* Consonat Oleast. hîc ad mor. *Quantum debe at peccator sentire recessum, & absentiam Dei, pulchre locus iste adumbrat.* Fruerentur tellure, diuitijs, ac delitijs onusta, se à Dei carerent præsentia: Ergo se deplorauere miseros, & ipsis fortunis infortunatos.

Eman de Naxera in Reg. Tom. IV.

§. CII.

Dei molestè absentiam ferre ad salutem est properare.

Manifestatio est conscientie bona (aiebat Cassiod. 7. Var. 35.) *præsentiam iusti Principis experisse.* Aspectum solis lumina humore vitata refugiant, perspicacia prædita exambiunt. Indicium est sanitatis oculorum ad rutilantes expandi radios; ut infirmitatis recessus eligere tenebrosos. Sæpe ægrotati gratulatio fit, si sentiat, quia si amisit sensum, & vitæ amisisse putatur vltim. Dum peccator cum vitijs conuenit, nec Numinis absentiam sentit, longè distat à sospitate, & salute; si verò iam conscientie stimulum sentiat, & in Numinis gratiam redire exambiat, ad misericordiam assequendam probatur dispositus, & saluti dolet vicinus. Post biennium incepit Absalom offensa patris sentire absentiam, & ardentè desiderare amicitiam: utque antea infelix illa tranquillitas à salute ostendebat remotum, sic modò anxietas suadebat sanitati vicinum. *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis: quodsi memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Iam Dauid, qui Dei personam gessit, ad misericordiam maturarat, cum hanc Absaloni sitim indidit, & absentiam sentire fecit. *Oscularis que est Rex Absalom.* Fecit absentiam dolere, quia volebat dulcissimo amplexu adstringere: osculo redemit pater peccatum, & meruit osculum, qui ob absentiam patris fudit lamentum. Sponsa non quiescit in lecto, quia felici vritur dilecti absentis studio: sollicita surgit noctù, circumit ciuitatem; non pericula metuit, sed intrepidâ anxietate per vicos, & plateas discurrit, vigiles sciscitatur, si dilectum viderint, & statim quem anxie requirebat, inuenit: *Num, quem diligit anima mea, vidisti? Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Cant. 3. v. 3. Proxima erat adinueniendi felicitas, dum absentem quærendi sollicita adurgebat anxietas; ni sponsus ad dulces non properaret amplexus; sponsa absentis non adedè viuiddè desideraret affatus: ipsa quærendi sollicitudo, quæ videbatur absentie clarissimum testimonium, indubium erat proximitatis indicium; nec enim, ni sponsus adesset proximus, sic sponsæ incanduisset affectus. Ast, dum agrè absentiam noscitur ferre, citò contingit inuenire. Iniuit Gregor. hîc: *Paululum vigiles transit, & dilectum inuenit.* Parùm distabat, qui eâ desideria ingerebat; remissius sponsa quæreret, si sponsus longius distaret. Est enim ob absentiam lamentum, vicinæ felicitatis satis evidens testimonium.

Cant. 3. v. 3.

TEXTVS.

VERS. 33. Ingressus itaque Ioab ad Regem nuntiauit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intrauit ad Regem, & adorauit super faciem terræ coram eo: oscularusque est Rex Absalom.

§. CIII.

Qui in parente regiam potestatem veretur, in Rege parentis indulgentiam sortitur.

Seuertissimus peccatorum censor Deus est, vti etiam benignissimus hominum pater. Iram

H 2 iustæ

iusta indignationis amor paternus temperat, ut etiam æqua iudicis seueritas iracundiam inflammat. Sic vtrumque debet terrenus attendere, ut nec nimium de parētis indulgentia superbiat, nec nimium de rigida seueritate diffidat. Sciat per Regis timorem ad patris deueniendum pietatem: & sæpè qui solum attendit patrem, post delictum inuenisse constat seuerissimum cognitorem. *Boni Principis* (aiebat Cassiod. 1. Var. 30.) *est, non tam delicta velle punire, quam tollere; no aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus.* In iudice, quantumuis parente, arcto copulari fœdere debent benignitas, & seueritas; ne seueritas negauerit patrem, ne benignitas obsecrauerit iudicem. Absalom post delictum interuentores mittit ad Regem, nec meminit patrem: *Misi ad te obsecrans, ut venires ad me, & mitterem te ad Regem.* Ioab Absalomem introducit, qui trepidus Regem extimuit, & reuerenti se timore deiecit: *Intrauit ad Regem, & adorauit super faciem terra coram eo.* Quid tunc? Rex filium amplectitur, & osculo beneuolentiam testatur: *Osculatusque est Rex Absalom.* Expendere oportet: cur ingressus Absalom solum attendit in patre Regem; & cur Dauid Rex se solum exhibuit patrem? Si Absalom dolosis fraudibus insurgit contra naturam, & execrandam fratricidij committit offensam, Dauid, ut dignè puniat excolatam audaciam, denudet etiam naturam. Osculum non testatur Iudicem, sed parentem. Cur ergo Dauid filium oblectat osculo, cum fas esset fratricidam percùtere supercilio? Quia prudenter Absalom se gessit (inquit Abul. q. 20.) per Regis timorem disposuit venire ad clementem patrem, & inuenit patrem, quem extimuit uti seuerissimum Regem. Accipe Abul. *Humiliauit se Absalom usque ad terram coram Rege, ad exhibendam magnam reuerentiã, osculatusque est Rex Absalom, id est tunc Rex fecit surgere Absalomem de terra, & osculatus est eum tanquam filium suum.* Rectè se gessit vterque. Rex filium est amplexatus, & filius Regem est veritus. O quàm contrariam peccatores solitant tenere viam! Deum patientissimum recordantur parentem, seuerum obliti iudicem: & dum nimium de indulgentia præsumunt, infelicitè seueritatem inueniunt. Seducta Eua diuinitatem ambiuit, & vito veritum pomum comedere persuasit: Adamus non est seductus; sed deliquit blanditijs feminae persuasus: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Gen. 3. v. 6. Iam criminis reus ad tribunal interpellatur, & iudici præsentari tremens veretur. *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui.* Quærunt Interpretes: cur modò acri concutiatur timore, qui pomum intrepida edit auiditate? Respondentque seuerum inuenisse iudicem, quia, ut delinqueret, solum cogitarat parentem. Modò trepidat, qui spebus nuper se ad offensam proritarat. Prodest Lira: *Credidit post transgressionem consequi veniam, & sic in statu suo remanere.* Sibi promisit indulgentiam parentis, sed inuenit postea sententiam iudicis: si prius non solum patrem attenderet, sed etiam iudicem, postea non sentiret iudicem, sed parentem. Hinc Absalom ad parentis peruenit osculum, quia Regis pectore fouit metum: Humiliauit se Absalom usque ad terram coram Rege.

§. CIV.

Sæpè quos Deus diu austerè tractauit, dulcissima postea suauitate repleuit.

Sæpè deseruiuit vtilitati, quod videbatur miserrare dolori. Benignitas auctoritatis specie latet, & latendo plùs indulget. Difertè Cassiod. 11. Var. 37. *Splendescunt usu ipso laboribus attriti, qui reddunt homines semper instructos: labores, inquam, violenti magistri, solliciti pedagogi, per quos cautiior quis efficitur, dum incurri pericula formidantur.* Sæpè quem prudens pedagogus erudiendum suscepit, seuerò vultu ferit, & feriendo componit, labore indurat, minis territat, sed quia interius diligit, exterius vtili asperitate amorem abscondit, quia discupit expolire, satagit laboribus exercere. Ipsaque aspera tractatione dum auget patientiæ meritum, incrementat etiam laboris brabium. Dauid Absalomem filium tenerè dilectum præsentia suæ dulcedine priuat, & asperitate humilem tolerantiam examinat: Absalom per biennium ipsa in curia à parentis conspectu alienatus exulat, & tractationis asperitatem patienter tolerat: tandem suo nomine rogatorem mittit Ioabum, ut parentis rigorem emolliat, & asperitatem mitiget. Quid tunc? Non solum patris fruitur exoptato conspectu, sed suauissimo etiam osculo: *Osculatusque est Rex Absalom.* Hæc historiâ facer delineauit Textus, quomodò se Deus gerat aliquando cum filijs sibi dilectis: orationi incumbunt, & aridi non solum à Dei præsentia sibi videntur exulare, sed (si dicere licet) repelli; illos tamen Deus patientiã expolit, asperitate disponit, ut, emenso militiae tempore, excreuerint merita, & suauissima potiantur oscula. Audi Abul. q. 20. *Osculatus est eum tanquam filium suum.* A præsentia repulerat, aulæ ingressu priuarat; sed ut pœnitudine culpam admissam abstergeret, & se ad suauissima oscula meritis tolerantia disponeret. Sponsa dilecti sui exambiebat præsentiam, nec blando lectulo quibat somnum capere, quia non permittebat amoris æstus quiescere: quæsiuit, sed non inuenit; vocauit, sed non respondit: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Cant. 3. v. 1. Anxio desiderio se foràs prorumpit, & à vigilibus mœret dispoliata, & percussa. Tandem post sollicitos cruciatus, post labores anxios, quem concupierat, inuenit. *Inueni, quem diligit anima mea:* & iam inuento, placidissimos somnos capit, & suauissima tranquillitate quiescit: *Adiuo vos filia Ierusalem* (aiebat Sponsus) *per capreas, ceruosque camporum, ne suscitatis, nec euigilare faciatis dilectam.* Mira res! Cum antea sponsus nullum in lectulo otium permiserit, cum curis æstuatem responso affabili non leuarit, cum inter circuitorum manus malè tractandam reliquerit, totus est modò in fouendo suauissimo somno, modò in tuendo otio dulcissimo. *Ne suscitatis* (Cassiodor. apud. N. Delr. in litt. sic quærit: *Si requirebat sponsus, quomodò quiescebat?* Quia se subducente sponso relicta fuerat veluti abacta, & despecta: emittebat ardentia suspiria, promebat sollicita vota, nulla vitabat itinera: & sponsus, dum ad speciem non solum non dignatur anxiam solari, sed nec audire, tenerius diligit, & quia diligit, exercet. *Quæsiui illum, & non inueni; vocaui, & non respondit mihi:* asperitatis cortice dulcissimus tegebatur affectus: utque suauissimo frueretur otio, expoliuit

fuit patientiæ merito. Dum se sponfus aspectui substraxit, dum vocanti non respondit, viuidius incanduit amoris flammâ, desiderij vehementiâ: & iam sponfus compensat desertæ ad speciem tolerantiam mira dulcedine, & ineffabili suauitate. Redeat datus Cassiodor. *Eius contemplationi inhaeret, eum solum desiderat, ad illum peruenire contendit.* Qui antea non capiebat fomnum, laborio-

fas vigilias sustinens, modo emenso militiae tempore, amplissima recipit præmia, & inhærens sponso suauissima potitur otia. Deus namque quos sibi parat, exercet; sed exercitos, expolitofque mira dulcedine lactat, & infallibili, ac suauissimo vino contemplationis inebriat. Ecce sponfa placidè dormit, si antea veluti repulsa inuigilauit, & gemuit.



CAPVT XV.

I. **L**IGITUR post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. 2. Et manè consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni, & iusti: sed non est, qui te audiat, constitutus à Rege; dicebatque Absalom: 4. Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem? 5. Sed & cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israël venienti ad iudicium, ut audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israël. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. 8. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syria, dicens: Si reduxerit me dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. 9. Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israël dicens: statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. 11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. 12. Accersuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom. 14. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. 15. Dixeruntque serui Regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui. 16. Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque Rex, & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à domo. 18. Et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethai, pugnatore validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant Regem. 19. Dixit autem Rex ad Ethai Gerthæum: Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam, quo iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem. 21. Et respondit Ethai Regi dicens: Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus. 22. Et ait Dauid Ethai: Veni, & transi. Et transiit Ethai Gerthæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. 23. Omnesque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. 24. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei, & deposuerunt Arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec explicitus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate. 25. Et dixit Rex ad Sadoc: Reporta Arcam Dei in urbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat, quod bonum est coram se. 27. Et dixit Rex ad Sadoc sacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: Et Ashimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. 29. Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Ierusalem, & manserunt ibi. 30. Porro Dauid ascendebat Cliuum oliuarum, scandens, & flens nudis pedibus, & operto capite: sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatum est autem Dauid,

quod Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. 32. Cùmque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissâ veste, & terrâ pleno capite. 33. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri: 34. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: seruus tuus sum, Rex, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar sacerdotes: & omne verbum, quòd-cumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus, 36. Sunt autem cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar: Et mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico David in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

TEXTVS.

VERS. I. Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.

§. I.

Etsi, deficiente opportunitate, non erumpant vitia, inuis foueri solent venena.

Multorum, quia imbecilla sunt, latent vitia: non minus ausura, cùm illis vires sue placuerint, quam illa, quæ iam felicitas aperuit. (aiebat fatis disertè Senec. epist. 42.) Fouent plures intus nequissima vota, sed contegunt, quia sæpè defunt opportuna instrumenta. Multorum æmulation, ambitio, & luxuria fortunæ fauore destituuntur, & explicandæ nequitia infelici occasione fraudantur. Da eis posse, & reperies eadem, ac pessimos exercere. Sic tutò serpens (addit datus Senec.) etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non defunt tunc illi venena, sed torpent. Fouet serpens pestifera venena, sed gelu retardatus, contractis spiris cauernosa cogitur inhabitare foramina; ast si arrideat tempus, deserit latibula, & erecto collo, sinuosus explicatis spiris, ardentissima eiaculatur venena. Ecce Absalom primogenito superstite, modestè viuebat, exul Thecuitis, Ioabique fauore vsus, in patris redire gratiam impensè optabat; verùm iam regni (vt interpretibus placet) hæreditario iure elatus, & meliori fortuna vsus, quam diù animo conceperat abominationem, incipit explicare, & opportuna fraudis instrumenta conquirere: Post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Currus instruxisse, equites sibi associasse, & copiosâ seruatorum turbâ stipatum processisse, vt, quam cogitabat proditorem, quiete explere, interpretum sententia est. Itaque etsi eadem semper fouerit vota, aduersitate, ac laboribus impeditus, nequibat detestanda prodere desideria; modò verò in parentis gratiam restitutus, & plebi acceptus, militares disponit ad bellum currus, & equitum parat manus. Audi N. Sanct. Continuit Absalom diu venenum, quod malus illi genius, & natura delictijs fracta mollioribus indiderat, quia exul, & inops, & multis odiosus. Nihil exul, & inops, quod haberet successum, quibat tentare; at vbi iam tutus, vbi curia redditus, vbi fortuna auctus, venena cæpit euomere, & ad proditorem necessaria parare. Itaque in aduersa fortuna non deerant ambitiosa deliria, sed pestifera torpebant venena. O quot, quia infirmitate vexati, quia inopia pressi, quia ad explicandam nequitiam opportunitate priuati; à

vitijs abstinent, si opportunitas adfuerit, plurima ausuri! Quàm opportunè Psalmista: Posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestia sylua. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quarant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Psal. 103. v. 20. Videbis leonem obscura, orto iam sole, inhabitare latibula, non rugit, non cruentam rapinam exercet; ast, vbi obscuræ offunduntur tenebræ, iam deserit antrum, iam terret rugitu, iam occidit homines morfu. Quòd si inquiras: cur idem genius iam quiescat, iam gliscat? Respondebunt interpretes, ipso in secessu eadem fouisse desideria, se tamen continuasse, quia, exorto sole, timet pericula. Prodest Enthym. Feris (nox) liberam prodeundi facultatem præstat. Non latebat fera fulgente sole, quietis studiosa, sed temporis opportunitate priuata; ergo vt opportunum tenebrarum est tempus sortita, quæ tegebantur, explere discupit vota. De pluribus canere posset Pappinius, quod lib. 4. Thebai, vbi sic de Thydæo.

Psal. 103.
v. 20.

— Cen lubricus alta

*Anguis humo verni blanda ad spiramina solis;
Erigitur liber senio, & squalentibus annis;
Exutus, latisque minax interniret herbis.*

Vt frigore retardatus serpens spiris contractis torpet: sic Absalom retardatus difficultatibus, se continuit; ast, vbi aura fortunæ tepidior flauit, venena in parentem ipsum euomuit.

§. II.

Nimia filiorum pompa & ipsis ominosa, & parentibus inuenitur nociua.

Sæpè parentes, vt teneræ, cæcæque erga filios blandiantur affectioni, deseruiunt inopinato discrimini, dissimulant nimiam pompam, ornatus moderandam luxuriam, nociuam familiarium cateruam: & filius superbiam inflatus, & nimiam licentiæ abusus, sibi maturare solet periculum, & parentibus procreare lamentum. Castigabat quidam filium (scribit Plin. 9. epist. 12.) quòd paulò sumptuosius equos, & canes emeret. Prudens pater non cupiebat adaggerare pecuniam, sed sumptuosam filij refrænabat insaniam. Quod si plures imitentur, sibi, & filijs profuissent, & discrimina moderatione anteuertent. David, dum pompaticos currus, equitum turbam, seruatorum præcedentium numerosam copiam Absaloni permittit, dum Absaloni delirium fouet, & sibi, & filio præter opinionem nocet. Absaloni pompa audacissima innutriuit desideria, & infanis desiderijs iactatus, è quercu mansit suspensus. Non iam quasi priuatus (inquit N. Sanct.) sed quasi

supra

Gen. 37.
v. 2.

supra reliquos aliquid haberet dignitatis, & iuris, regnum voluit habere satellitum. Quare speciem quandam presertulit imperatoris. Addit doctus interpres: Incedebat splendens, & hilaris inter illustres, & elegantes equites sicut serpens post hyemale frigus inter virentes herbas. Consonat Chrysof. apud Gloss. Perdidit Absalom scelestissimum mentem, perdidit sensum, amisit consilium. Absalom de se tumidus, & comitatus splendore, nitida seruorum circumstantia insanus imperium ambiuit, & immaturam ambitione sibi stragem, & parenti dolorem acerbissimum maturavit. Si plures parentes pondere moderationis filios educarent, & ad bonos mores cogere, sibi, & ipsis prouiderent; at, dum degeneri amore filiorum, filiarumque excessus dissimulant, prater opinionem honori sæpe, & tranquillitati domesticas infidias parant. Historiæ coloribus, & honestis factis sæpe sacra delineat Scriptura, quod accedat edocet experientia. Ioseph pastoris filius cum fratribus oues pascebat. Pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer. Gen. 37. v. 2. Pater generosa pueri indole delectatus, & amore tenero affectus, polymitum, & florentem ornatum naturæ pulchritudini addidit: Fecit ei tunicam polymitam. Splendido ornatu fulgens, iam se ceteris superiorem somniat, & à sole, lunâ & stellis adorandum se putat. Florida tunica, & odiosa fratribus somnia sollicitarunt Iosepho vincula, patri lamenta. Iacob, nudatis vestibibus, sordet indutus silicio, & perenni viuit lamento: Scissis vestibibus, indutus est silicio, ingens filium suum multo tempore. Nonne vides tunicam attulisse patri dolore, & nuditatem? Forsitan, si ornatum à pastoritio instituto alienum ad eum Ioseph non gestasset, patri opus non esset ornatum denudare, & squalidum silicium vestire. Fors inuidiam non furetur, nec de venditione cogitaret; at, dum geniali ornatu nitidus, se ceteris existimat antelatum, prater opinionem asciscit sibi, & parenti infortunium. Vel ipsi fratres vendiderunt, & à fera sanè pessima, inuidentiâ scilicet, deuoratum nuntiarunt. Basil. Seletic. tunica splendorem, cæcitatem videntibus existimat intulisse, & somniatæ elationis, paternæque indulgentiæ, suo videri, nimiam, fratres pœnas postulasse: Basilium audi Ora. 8. In speciem cadis vestem compositam, quasi sine sanguine invidentiam nequeant extinguere, patrijs offerunt manibus, morte mentita ad verum luctum senem incendentes, & caritatis pœnas à generatore reposcentes. Itaque genitor duram sustinet molestiam ob Iosephi floridam pompam, & modò squallet nudus; quia Iosephus floruit splendidus. Ut historiæ coloribus nouerimus, non semel parentes deuenisse ad paupertatis miseriam ob nimiam filiorum pompam; & soluisse lamentis, quam euanidam perceperant voluptatem. Si Dauid Absalonis pompam angustasset, audaciam forsitan resistisset; at dum permittit apparatus regalem, violentam Absalonis amarum deplorauit lachrymis necem, & prodicionis pertulit cladem.

§. III.

Sæpe peccator in sceleris perpetrati supplicium domesticum fouet, & experitur venenum.

Ipsa in scelere sceleris pœna est. Quid enim foedius, quam ab æquitate exorbitasse, & rationi vim intulisse? Prima, & maxima peccantium est pœna (aiebat satis moralis Sene. epist. 97.) pec-

caste: nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. Christiano digna calamo stoicus protulit: verum secundæ aliæ pœnæ sequuntur peccatum; & sæpe magno sumptu nutrit improvidus lethale venenum, & carum experitur supplicium. Absalom parentis expensis plures construit falcatos currus, splendidum asciscit equitum comitatum, & copiosum præcedentium famulicium. Post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Ecce Dauid apparatus bellicum nutrit, quo è regia exularit expulsus, & proditoria coniuratione aufugerit diuexatus. Totum hoc in violati coniugalis thori, & perpetrati homicidij pœnâ permisisse Deum tradunt interpretes. Ita Glossa: Fecit sibi currus, & equites; quo transacto, expulit patrem de regno. Nec pro seductione, & interfectione sacerdotum eiectus est de regno, sed pro adulterio, & homicidio, Nathan cuncta prædicente. Prædixerat Nathan domesticos intra lares fouendum periculum, & contra Dauidem adornandum suis sumptibus bellum. Ergo modò Absalom Prophetiæ incipit deseruire, & quo expellendus è regio throno, bellicum Dauid apparatus incipit adornare. Isti currus (inquit Abul. q. 1.) erant ad bellandum armati falcibus curuatis in rotis, ut quidquid obuium haberent, lacerarent. Contra Dauidem currus construebantur, & ipsa, quæ prolestabat oculos, filij pompa, erat infidiosa contra salutem, & tranquillitatem ruina. O quoties peccator domesticum nutrit venenum, & quæ exiguo tempore fallacia oblectantur gaudia, amarissima probantur esse supplicia! Christus Dominus insulsi pomi pœnam persoluens, & peccatoris personam gerens, proprio sumptu, ait, proditorum aluisse, & dignitatibus exornasse. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vanitatis, dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Psal. 54. v. 12. 13. & 14. Ac si dicat: viuidissimus discruciat dolor, dum memini me domesticos intra lares, & expensis proprijs aluisse venenum, & comparasse inimicum. Ecce Iudas in Apostolorum censum asciscitur, apostolatus dignitate exornatur; mersa socius admittitur; & Christum prodit, necique tradit; impertitis honoribus aduersarium Dominus nobilitauit, & amicum fraudulentissimum sumptibus innutruuit. Qua sequuntur (inquit Euthym. hic) ex Christi personâ proferenda sunt aduersus Iudam. Satis non erat, si inimicus speciosos laqueos obtenderet, si fallacissimas infidias disponeret, opus fuit, ut acerbior videret dolor, Iudam humanissime altum, & honoribus impertitis antelatum, prodicionem textuisse, & cohortem contra magistrum armasse. Dauid non modicas facit expensas, ut Absalom comitatu fulgeat, & auratâ quadrigâ incedat; sed ipso impendio sibi emisse probatur supplicium; & adornasse prater opinionem bellum. Certè eiusmodi exemplis instruit nos sacra Scriptura, ut veluti in speculo possimus videre, quæ peccatoribus frequenter solent accidere: magnis expensis, impendijs sumptuosus, laboriosis curis pestifera sectantur gaudia; & ipsa, quæ eos delectauerunt peccata, nocentissima attulere venena: dumque securant sibi peccatores promittunt tranquillitatem, inuiseratam inopinè experiuntur perniciem.

Ps. 55. v. 12.
13. & 14.

§. IV.

*Frequenter diabolus specioso virtutis fucō tenet
exigua, ut facilius peruenire possit
ad magna.*

Agax versutia specioso fucō tecta disponit lentē nocitura, ut peruenire facilius possit ad magna; veretur cautam inuigilaturam suspicionem, si apertē suaserit prauitatem: ergo vitij virtutis satis affinibus tentamina fouet, & imprudentes facilius fallit. Bene Sene. epist. 120.) *Mala interdum speciem honesti obtulerunt; & optimum ex contrario nitiunt. Sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus recti similitudo est.* Ut Absalom dæmon contra Dauidem versutus hostes armaret, currus prius construere persuasit. *Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* In Hebræo habetur: *Fecit sibi currum.* Cùm inimici fuerit studium, audacem iuuenem ad bellum disponere, proditiōemque suadere, inquirens, cur prius ad currum construendum incitarit, & cur Textus noster singularem non dixerit, sed multiplicem? *Fecit sibi currus.* O profundam nobis doctrinam! Absaloni suasit dæmon, statui ad speciem debitum cultum ambire, & ab exiguis inceptit bellum disponere. Decens videbatur Regis filium vehi affabrè factâ quadrigâ, & stipari seruorum copiâ. Ergo versuta dolositas consuluit decentem ad speciem pompam, ut postea facilius impellere posset ad proditiōis insaniam: ut qui bene nouerat citò vitia succrescere, & ad summum veluti repentinis successibus properare. *Currus* (inquit Abul. q. 1.) *constituti fuerant ab Absalone pro tempore belli.* Constructi currus, asciti equites, dispositi cursores, etsi tantisper denotent iuuenis ambitionem, videbantur regio statui congruere, & Regis filium decere; aut ubi dæmon splendenti oblectari pompâ cognouit, ut coronam immature ambiret, suasit. Hic est enim diaboli mos, ad vitia virtuti confinia tentat, nequitiam colorat, ut ad exitiosa perueniat. Si Absalom plures sibi adlegere, & copiam militum ostentare suaderet, forsitan Absalom periculum præcelleret, & fugeret. Ergo prius pompaticâ vanitate oblectari fecit, & ambitione iam obscuratum, ad proditiōem contra patrem armavit. Temporis processu quadrigarum auctus est numerus, equitum comitatus, & iam Absalom acre bellum contra parentem disponit, & regnum ambit. Ita dæmon exiguis inceptat, etiam dum ingentissimam ruinam suspirat. Ismael Isaacum ad idololatriam tentat pertrahere, & pueriles iocos exordio admittitur fraudulenter disponere. Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiã ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: *Ei ecce ancillam hanc, & filium eius.* Gen. 21. v. 9. Paul. 4. ad Galath. v. 29. ludum persecutionem vocauit: *Qui secundum carnem natus fuerat, persequeretur, qui secundum spiritum.* Rogabis, quomodò acris persecutio ludus vocetur, & quomodò si ludus, persecutio dicatur? Quid enim commune persecutionis anxietati cum ioco, periculis cum oblectatione? Ludus secum affert pueris oblectationem, non anxietatem; persecutio parit dolorem, ingerit sollicitudinem: ergo si Ismael persequitur, non ludit; aut si ludit non persequitur, imò quò occultior, erat persecutio acrior. Inquit Hierony. in quaest. Hebraic. *Hoc exponitur: quod idolis ludos fecerit.*

Gen. 21.
v. 9.
4. ad Gal.
lat. v. 29.

Ismael nitebatur Isaacum benedictione priuare, primogenituram auferre, & ad idolorum adorationem allicere: ergo per ludum res disponebat, & versutiam detestandam cælabat. Itaque per iocum ad rem execrandam disponebat Isaacum trahere, & paulatim mores cotrumpere. Sara vti prudentissima ex ludo animum coniecit, & inoculatâ prudentiâ discriminibus obuiauuit. Videas inter viros, & fœminas festinos ludos disponi, & veluti temporis lege animos honestis ad speciem oblectationibus recreari. Verum non semel qui exordio iocus, bellicus contra castitatem processit adsultus, & dum non præcauetur latens specie ludi periculum, inopinum attulit detrimentum. Absalom, vna constructa quadriga, alias construxit, & exiguum militarem manum nactus, Dauidis coronam rapere adnifus est ambitiosus.

§. V.

In pace debent disponi, quæ belli tempore constat proficere.

Agax prudentia prouido studio debet disponere, quibus belli tempore constat egere. Res improuisa generat tarditatem, dum animus inopino casu perturbatus nequit non hæere. *Res præliorum* (aiebat Cassiod. 1. Var. 17.) *bene disponitur, quoties in pace tractatur. Munitio quippè tunc efficitur præualida, si diutina fuerit excogitatione roboreta. Omnia subita probantur incauta: & malè constructio loci tunc queritur, quando iam pericula formidantur.* Nequit animus inueniri in audaciam promus, si diuersa fuerit curâ sollicitus, nec opportunis medijs fundatus. Hinc est, quòd Absalom, dum se ad detestabilem proditiōem parat, instruit prudentiam, & salubrem tradit doctrinam, nam in pace disposuit, quæ in bello profutura non ignorauit. *Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Expende illud post hæc, id est, postquam curiæ restitutus, parentis gratiæ redditus, & tranquillitate vsus. Et quidem otiosum videbatur, falcatos currus fabricare, & manum militarem adlegere, cùm nec hostis moueret bellum, nec quiret suspicari periculum. Iam quòd fuerint currus bellici, tradit Abul. q. 1. *Isti currus erant ad bellandum armati falcibus curuatis in rotis.* E re non videbatur esse, res bellicas disponere, cùm Absalom constabat tranquillissima pace frui: ad quid ergo adlegit equites? pedites stipendiarios conducit, & curuatis falcibus currus instruit? O astutam versutiam! O versipellē prudentiam! O imitandam laudabiliter politiam! Proditorius Absalonis animus præuidebat, opus sibi esse tempore belli falcatis curribus, militibus equestribus, expertis peditibus. Ergo tempore pacis comparauit, quæ prælio opportuna, & ad pugnam necessaria. Redeat datus Abul. *Isti quinquaginti viri erant distincti ab equitibus, & curribus, quia equites, & currus constituti fuerant ab Absalone pro tempore belli.* Non ignorabat futurum prælium: ergo pacis tempore disposuit militare subsidium, ne inueniretur imparatus, dum in campum procederet inimicus. Omnes scimus nobis incundum cum dæmone hoste validissimo prælium, siue blandis alliciat, siue horridis terrefaciat, & nihilominus non comparamus nobis necessarium pœnitudinis, & virtutis subsidium; vnde sæpè contigit, ut, instante morte, ad laborem animum perturbatione sollicitus, quia inuenitur necessarijs

cessarijs armis nudatus. Inter Philisthinos, & Hebræos satis durum bellum initur: vicit Hebræus; sed quia factum est prodigiosum miraculum: *Factum est miraculum in castris.* 1. Reg. 14. v. 15. Et cui fuit necessarium miraculum, vt reportaretur trophæum? Quia Hebræi (inquit sacer Text.) armorum carebant subsidio, & quia armis nudati, carebant animo: *Cum venisset dies prælij non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi.* 1. Reg. 13. v. 22. Tempus cogebat ad prælium, & armorum prorsus deficiebat auxilium. Ergo deuicti sub iugo Israëlitarum gemerent, ni factum fuisset miraculum: *Factum fuit miraculum in castris.* Quibus in castris? Certè Hebræorum; alioqui, Marte feruente, non reportarent victoriam, cum nullam prouiderent sibi armaturam. *Factum est miraculum* (inquit Lira) *in persecutione eorum, qui erant in statione.* Exarmati vicerunt præsidio, armisque munitos, sed quia à Deo factum miraculum, alioquin subirent iugum. Videmus nullis virtutibus antea adornatos in mortis agone de diaboli armis triumphare, & ad veram pœnitentiam confugere; est tamen diuinæ misericordiæ quasi miraculum, quod cordatus non debet expectare; quia nisi aderit diuina misericordia, certissimum erit perire: & quod de spiritali bello dicimus, ad Martia bella etiam extendimus: opus erit miraculo, vt in prælio coronetur victoria, qui ante prælium necessaria non prouidit armorum, & bellici apparatus subsidia.

§. VI.

Sapè peccator, cum deberet esse deuotior, de ipsa fit cœlesti benignitate insolentior.

QUæ debitam, laudabilemque cogunt ad deuotionem, sapè humanæ temeritatis fouent libidinem, & redundantia diuinæ misericordiæ vertitur ad fomentum exoculatae malitiæ. Homo fit deterior, quia Deus benignior, & dum respicere tenebatur ob veniam, tunc ardentius inhiare solet ad culpam. *Abstinebat Tertul. de Pœni. cap. 7.) vt aliquis ita interpretetur, quasi eò sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementia cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior fit, quia Deus melior est.* Parata Dei indulgentia, dilargita venia deuota consulebant obsequia, & religiosa deuotionis officia. Verùm peccator, quia semel turbulentum euasit naufragium, repetit deterior periculum, & vnde videbatur emanatura cautior prudentia, effrœnator crescit audacia. Deliquit Absalom in fratrem dolosus, Datid fratricidæ pepercit satis benignus: exilij spatium, Thecuitis lamentum ad misericordiam patrem allexit, & exulem curiæ restituit. *Osculatus est Rex Absalom.* Suprà v. 23. Pater osculo piura promit affectum, & amplexu fugat delictum. Quid tunc? Absalom incipit contra patrem milites adlegere, & bellieos currus construere. *Igitur post hac fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederem eum.* Expende illud *Post hac*, id est, cum paternæ indulgentiæ redundantia, cum exhibita sceleribus venia cogeabant ad ampliorem modestiam, & ad maiorem morum polituram, tunc Absalom osculo peruiicator, amplexu insolentior; cœpit sumptuosiori potipâ tumere, & detestandâ contra patrem prodicionem moliri, quasi redundantia paternæ benignitatis fuerit temeritatis fomentum; *Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV:*

& peruiaciæ suffragium. Notauit Abul. q. 1. *Postquam receptus est à Rege, fecit currus, & equites, scilicet vt iam honorabilior esset, quam prius. Isti currus erant ad bellandum.* Obtentâ veniâ, remissa clementer culpâ, studiosius volaticum ambiuit plausum, & proditor eruentum in benignum parentem dispouit prælium. Hæc est enim peccantibus consuetudo, vt diuinæ benignitatis redundantiam detorserint ad alendam deteriore malitiam, & augendam procacior audaciam. Homo à dæmone inuasus vocem amisit; & oclusâ taciturnitate linguâ, hosti suppetias exhibebat: Christus Dominus clementiæ dignatione vsus, linguam restituit, & cum hoste interno congressus, abegit: *Cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.* Luc. 11. v. 14. *Luc. 11. v. 14.* Censeres hominem saluti restitutum exinceps dæmoni repudium dicturum; & improbo clausa silentio labra, iam soluta continuo Dei laudes illitè prolaturâ: verùm contrarium accidit, nam dæmon pellebatur, & plus sumebant audaciæ hominis mores: iterum per impudentiam dæmonem vocat, & capatiorem hospitibus locum parat: *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Si inquiras, cur nequioribus spiritibus amplum pararit hospitium, qui exordio vnicum tantum pectoribus recepit dæmonium? Respondebit Tertul. lib. de Pœni. cap. 5. de ipsa venia fouisse peruiaciâ, & incrementasse de benignitate insolentiam. *Ceterum non leuiter in Deum peccat, qui cum amulo eius diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset rursum eundem regressu suo erigit, & exultationem eius seipsum facit.* Quia euasit semel, detestabili præsumptione cupiditatibus adulatur, & insolentiori audaciâ aduersarijs blanditur: Quia Christus benignior, homo etat deterior; quia semel assequutus est veniam, in deteriore lapsus est culpam. En Absalom exilio castigatus, iudicialis sententiæ timore suspensus, nec currus sibi construxit, nec de prodicione cogitauit; ast, vbi saluti, libertati que restitutus est, vbi osculo culpa dimissa, vbi amplexu venia concessa, deteriora tentat ambitiosus, & coniurationem disponit impius. Videas non semel de mortis faucibus ereptum, saluti restitutum, & Dei amicitia benignitate cœlesti redditum insolentius viuere, & audaciùs criminibus indulgere, quasi ipsa diuinæ indulgentiæ dignatio exaceruerit procaciam, & fouerit insolentiam. Inde homo fit periculosè audacior, vnde debuit salubriter fieri deuotior.

§. VII.

Sapissimè despiciuntur iura, si aurum attenditur, aut potentia dignitatis suspiciuntur.

PRIncipum præcipua iura, aiebat quidam male politicus, bellica esse tormenta, quasi parum incommodet, eorum votis obnitatur iustitia; si armorum, & militum insolenti exundauerint copia. Ius sapè teclamat, sed plebs minus incorruptam æquitatis attendit trutinam, quam infidam potentia stateram. *Hanc gratiam Reipublica reddidit* (scribit Sene, de Ca. Pomp. lib. 5. de Benef. c. 16.) *vt in possessionem eius alios quoque induceret, quasi potentia sua detracturus inuidiam, si quod nullè licere debebat, pluribus licuisset... Eò redegit populum Romanum, vt saluus esse non posset, nisi beneficio seruitutis.* Cedebat populus iuri, quia percellabatur timore, & erant arma Pompeij iura. Et si Cheleab maior esset natu, & po-

§. VIII.

Minus prodest ad honores assequendos clarissima originis vena, quam auri, famulatiq; copia.

Mltos (aiebat Sen. epist. 97.) fortuna liberat pœnâ. Addere potuisset: Et multos adornat honoris prærogatiua. Exundans diuitiarum copia, ingens satellitij circumstantia, splendentis comitatus pompa sibi adspicientium venerationem conciliat. Qui defecatissima vena exortus, contemnitur sæpè, si nudus; qui obscura origine satus, adoratur, si splendidus. Cùm Baruch c. 6. v. 15. idola luteo vasi, non integro, & ad vsum apto, sed inutili, & confrecto comparauerit: *Sicut enim vas hominis confractum, inutile efficitur, tales sunt dii illorum*: nihilominus eiusmodi dijs eximium offerri cultum, & venerationis testatur obsequium: *Lucernas accendunt illis, & quidem multas*. Si inquiras: quomodò humillima deiectione hos turba deos veneretur, & genua flectens uti diuinòs honorare adnitatur? Respondebit ipse Propheta, splendere auro, & pretioso vestiri cultu: *Sicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro fabricati sunt*. Ut virgo nubilis, & ad sponsi domum traducenda, ornamento fulget, & margaritarum fulgoribus nitet; ita eiusmodi dii auri splendoribus fulgurant, & pretiosa ornamenta ostentant. Ergo eos turba sequitur, & adorat, quia plus ad venerationem extorquendam valet splendoris nitor, quàm ad suadendum despectum lutosæ originis fœtor. Prodest Lira: *Sicut virgini amanti; sic idolis sunt ornamenta*. Ornamentorum splendore vilem contegunt luteum, & assequuntur venerationis obsequium. Hinc est, quòd Absalom, ut ad se popularium corda alliceret, & venerationem suaderet, & affabrè factas ostentauit quadrigas, & præcedentium, ac equitum copias: *Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum*. Splendidum apparatus comparasse honoris sciti, & sitibundâ cultus ambitione, tradit Abul. q. 1. *Fecit currus, & equites, scilicet ut iam honorabilior esset, quàm prius*. Prius regali vena agnoscebatur exortus, & naturæ dotibus expolitus; verùm tanto non fulgebat comitatu: ergo minus colebatur, & minus suspiciebatur: ast vbi quandam imperatoris speciem splendenti satellitio ostentauit, honorem sibi amplissimum acquisiuit: quasi efficacius ad ampliorem cogeret reuerentiam ornatus pompa, quàm originis excellentia: *Ut honorabilior esset, quàm prius*. Honorabilis erat ob regalem originem, sed honorabilior censebatur ob comitatus, quadrigarumque splendorem. Ioannes deprædicat adesse agnum candore immaculato purissimum, & regali vena exortum: *Ecce Agnus Dei*. Ioan. 1. v. 36. Quid tunc? Magistri hor-
tatu duo discipuli Agnum sequuntur, & Messiam
fatentur: *Inuenimus Messiam*. Hunc ipsum Agnum alter intuetur Ioannes throno, scilicet excelsum, & multis Angelorum agminibus stipatum: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum*. Apoc. 5. v. 6. Quid tunc? In facies suas omnes prouunt, & faustis acclamationibus omniveneratione, ac cultu dignum ostendunt: *Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno*. Hinc promanat difficultas: si idem Agnus

tior ad regnum iure, regalem Absalom aditus est thronum inscendere; & immaturus imperia præripere; ergo currus construit, equites adlegit, peditum præcedere turbam disponit. *Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum*. Huius apparatus finem fuisse, populares sibi conciliare, regnumque adire, tradunt interpretes. Ita Lira: *Fecit sibi Absalom currus, & equites, quasi quoddam præludium, quòd deberet regnare post patrem suum*. Et si Cheleab maioris natu iura Absalonis votis manifestissimè refragarentur, ut constat ex cap. 3. v. 2. *Nati sunt filij David in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraelitide. Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalom*. Successionis ius sibi fecit, & populus in principem conclamauit. Iam si quæras, quo iure regnare præsumpsit? respondit Lira, curruum, & armorum potentia; nam et si nouerit populus pro fratre iura stare, acclamauit quem iratum, potentemque extimuit: credidit populus saluum esse non posse, nisi beneficio seruitutis; ergo cesserunt potentia iura: norat Absalom fratrem iure sibi præponi, sed exegit à potentia, quod denegabat iustitia. Liræ concinit N. Sanet. *Quasi supra reliquos aliquid haberet dignitatis, & iuris, regium voluit habere satellitium*. Aliquid iuris supra reliquos ostendebat, quia satellitium regium habebat, quasi ius esset censendum à potestate, non à natiuitatis origine. Et utinam vni hoc Absaloni contigisset! Verùm inualidorum, priuatorumque iura sæpè violantur, quia magnatum satellitium, & potestas attenduntur. Absalom plus putatur habere iuris, quia sortitur plus potestatis. Nota erant matri Iacobi iura, stabant tamen pro Esau parentis cæcutientis suffragia. Quid tunc? Mater prudentissima, & oraculi conscia: *Maiores seruiet minori*. Iacob cælesti decreto antelatum optimis vestibus ornat, fratremque nudat. Agnouit pater Iacobi vocem: *Vox quidem Iacob est*. Gen. 27. v. 22. & nihilominus statim ac vestimentorum sensit fragrantiam pro Iacob dedit sententiam: *Statim ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait, &c.* Multiplex se quæstio offert: Si existimat Isaac Esau iure potiorē, si non ignorat vocem accedentis, quomodò benedictionem impertit, & ad speciem iuri manifestè contradicit? O attende, omnia illis contigisse in figura, & esse mysterijs plena: Rebecca Esau reliquit nudum, Iacob patri obtulit veste splendissima ornatum: ergo plus valuit apud cæcum vestimentorum fragrantia, & minus Esau originis præcedentia: Esau ad speciem erat iure præcipuus, sed remaserat vestibus denudatus: Iacob iure putabatur nudus, sed pompa vestimentorum resplendebat ornatus, ergo citò obtinuit fragrantia, & originis ingemuit prærogatiua: nullo inuenitur crimine Isaac denigratus, sed eius factis nobis sæculi innotescit stilus. *Primogeniti* (inquit Lira) *erant sacerdotes, & idè habebant vestes speciales, pretiosas, & odoriferas*. Prima Rebeckæ cura fuit Esau vestes auferre, & Iacob eis vestimentis induere; nec eam sua fefellit opinio; nam licet Iacob, ut putabat cæcus, careret iure, antelatus est, quia splendida fulgebat veste, & licet Esau iure esset præcipuus, ingemuit, quia vestibus denudatus. Profectò Absalom iura sibi procudit, & facit, quia potentiam ostentauit, & timorem refragantibus iniicit.

2. Reg. 1.
v. 2.

Gen 27.
v. 22.

Baruch. 6.
v. 15.

Ioan. 1.
v. 36.

Apoc. 5.
v. 6.

Agnus à Baptista designatur, & ab Euangelista conspicitur, cur alibi duo tantum sequuntur, & alibi animalia etiam eius diuinitatem exertis clamoribus contestantur? Ibi Ioannis discipuli referuntur sequenti, sed non vsque ad terram humili veneratione deiectioni. *Duo discipuli sequenti sunt Iesum.* Hinc venerandi senes in faciem adorauere prostrati: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Ecqua discriminis causa est? Quia Ioannis discipuli Agnum audierunt, sed sine apparatu, sine externis splendoribus spectarunt; at seniores inspexerunt throno insidentem, & luminibus coruscantem: *In medio throni.* Ergo ad nostram eruditionem; dum throno eminet, dum luminibus fulget, ampliore venerationem assequitur, quasi de sumptu, de apparatu, de suggestuque fidem sibi fecerit, & reuerentiam suaserit. Prodest Hugo Card. *Viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, id est ad corda sua se conuertentes, humiliauerunt se.* Throni maiestas, fulgurantium luminum claritas conciliauerunt Agno venerationem; cum eidem splendore, thronoque carenti adeo magna impensa reuerentia non fuerit; vt noueris apud homines plurimi aestimari apparatus, & satellitium.

§. IX.

Sapè vertimus contra ipsum in arma, accepta à Numine beneficia.

FRæquenter homo, dum plus beneficijs caelestibus cumulatur, plus fit obliuiosus, & quod deterius est, plus ingratus: beneficia vertit in arma; & vnde sperandum erat venerationis officium, oritur ardentissimum bellum. *Quis ferat* (aiebat Cassiod. 2. Var. 19.) *in domesticis presidij locum fuisse periculis? & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxilium?* Cuncta profecto scelera sunt detestanda, sed ea maxime execratur auditus, quæ ingratitudinis summæ damnat reatus. Quis ferat, exhibita liberaliter ornamenta verti contra largitorem in arma? & inde periculum procreari, vnde obsequium debuit deuotissimum exoriri. Dauid Absalonem fraternali sanguinis effusione pollutum, benignis indulgentiæ brachijs complectitur, & dulci osculo ad meliorem morum reuocare statum adnititur; nec contentus fuit clementi dignatione remississe delicta, sed regali etiam ornauit pompa: *igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Quis dubitat filium sub patris potestate constitutum, eius expensis ornatum, sibi comparasse, & equites adlegisse? Itaque de patris largitate profuebat, quidquid splendorem Absalonis incrementabat; verum ingratus filius accepta à parente beneficia contra ipsum vertit in arma: quadrigas falcibus instruit ad prælium, equitum manum disponit, & peditum copiam ad prodicionem perficiendam asciuit. Equis hoc ait. Certè Abulens. q. 1. eius verba sunt. *Equites, & currus constituti fuerant ab Absalone pro tempore belli.* Itaque cum iam animo meditatus fuisset prodicionem, de ipsa patris largitate militarem disponebat instructum, & parabat bellicum apparatus. Dauid, tot dilargitis beneficijs, expectare debuit ab Absalone, si ingrueret bellum, defensionis auxilium; verum defensionis auxilium versum est à proditore in nefandum, & ardentissimum bellum, vt hac imagine discas, sapè accidere

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

Numini, quod semel contigisse vides Dauidi. Dilargitum à Deo aurum vertitur in vitiorum fomentum: honorabilis splendor originis insanam nutrit audaciam, & audacissimam insolentiam. Decor turpitudinis est illicium, salutis robur cedit in culparum augmentum, & Martia contra virtutem vertuntur in arma dilargita à Numine beneficia. O prodigiosum! O verum! Ceilitas dura obsidione premebant Philisthæi: hostili subiugo gement, ni Dauid, antequam subirent, depulisset; & aduersarium frænasset: *Saluauit Dauid habitatores Ceila.* 1. Reg. 23, v. 6. Asserta 1. Reg. 23, v. 6. iam Dauidis beneficio Ceilitarum libertate, Saül eorum contra Dauidem opem testis fraudibus sollicitat, & bellum parat: Dauid non inanibus coniecturis ductus consuluit prouidenter Oraculum, rogatque, an Ceilitæ præstent Saüli contra defensionem auxilium, & prodicionis disponant dolum? *Si tradent me viri Ceila? & dixit Dominus: Tradent.* Non expendis acceptam salutem, libertatemque contra Dauidem amari? Si Ceilitæ subiret captiuitatem, concinnare nequirent ingratiſsimam prodicionem, excusso ab eorum ceruicibus, antequam subirent iugo, florebat libertate, valebant robore: ergo salus, & libertas, vt Saüli ferrent suppetias, captiſas disponebant Dauidi insidias. Vt repetat Cassiod. *Quis ferat in domesticis presidij locum fuisse periculis? & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxilium?* Debitæ defensionis auxilium Dauidi proditorium est conuersum in dolum, & plus sibi debuit à beneficiatis cauere, quam à Philisthæis legitimo certamine deuictis, & profligatis; nam Philistæi pressi, abactique non ruebant in arma, & Ceilitæ tot beneficijs obstricti, Saüli captiſa contra Dauidem disponebant auxilia. *Viri Ceila ingrati beneficijs Dauid, quos de manibus Philistinorum liberauit* (scribit Rabban. apud Gloss.) *apud sæculi potestates insidiantur.* Insidiosa erat Ceilitarum libertas, & opulenta armabatur contra benefactorem facultas.

TEXTVS.

VERS. 2. Et manè consurgens Absalom stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israël ego sum seruus tuus.

§. X.

Non semel quos exulit originis claritas, indecore detrescere suasis ambitionis anxietas.

INdecorè sapè ambitiosus deiecitur, vt cæteris dominetur, dum discipit dignitatis adire celsa, indigna pendit deiectionis, & adorationis tributa: decoquit, quas honor sordes, decenter fugit. Audi Cyprianum ad dona. *Qui amictu clariore, conspicuus fulgere sibi videtur in purpura; quibus hoc sordibus emit, vt fulgeat? Quot arrogantium fastus prius non percussit? Quis superbas fores martinus saluator, obsedit? Sordibus emit Absalom, quem suspirabat ambitiosus honorem, & martinus saluator palatij foribus perstabat, & vel rufis*

sticis acclinis venientibus occurtebat : *Manè consurgens Absalom stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se.* Regia stirpe prognatus, & tot naturæ prærogatiuis decorus, vbi ambitioni locum dedit, maiestatem indigna humilitate obscuravit. Quid à Principe remotius, quàm lucem anteuertere, mollis delicias lecti despiceret, & in palatij atrio venientibus nimis vrbana adulatione inclinari? Ea tamen est huius ardoris violentia, vt deuorare Principi suaserit indecora. Innuit Hugo : *Stabat iuxta introitum portæ, vbi iudicia tractabantur. Iam enim aspirabat ad regnum.* Vbi ambitione præcipiti exarsit, decoris, originisque quodammodò oblitus rusticis reuerentiam pendebat verbis blandissimis adulatus. Certè Princeps, & copioso satellitio stipatus adspiciendum se præbere non dignaretur, ni ambitionis venula in domus vestibulo, in palatij limine persistere, & vel rusticorum manus osculari ingenitæ iniurijs nobilitati cogeretur. Tanta vero est ambitionis amentia, tam cæca alijs dominandi infania! Aaron Magnatum votis paruit, & artificis munus, vt vitulum conflaret, subiuit: *Cum ille accepisset (inaures) formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflabilem.* Exo. 32. v. 4. Quis crederet nobilem adeo antistitem non recusaturam ad conflatorium accedere, fumo obscurari, & conformando vitulo deseruire? Si inquiras, quid sic Aaronem deiecerit, & auctoritatis splendorem tetrīs fornacis vaporibus obscurarit? Respondet Caietan. inaugurandi citò Dei ambijisse sacerdotium, & inter sacerdotes ceteros principatum. Ergo vt ambitioni aduletur, vsque ad indigna ministeria deijcitur. Ipsum audi : *Ecce quò ducit ambitio principatus.* Ambitio artificem reddidit, vtque electores sibi conciliaret, non recusauit conflando vitulo assistere, & munus artificis exercere. Videas plures longè præstantiores origine in ministrorum vestibulo adstare, blandis intrantem, aut exeuntem adulationibus demulcere; & hoc totum, vt annuo decore fulgeant, & lubrica dignitatum fastigia inscendant. *Quæ non atria (aiebat Tert. de Pœni. cap. II.) nocturnis, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum maioris cuiuscumque persona decrepentes. . . idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Vt annuam assequantur dignitatem, infuscare originis indignis actionibus non verentur honorem. Quid à Regis filio distantius, quàm lecti delicijs renuntiare, & dubia luce in palatij atrijs adesse, aduentantibusque adulari? & tamen vbi ambizioso furore correptus, originis, status, & conditionis probatur prorsus oblitus.

§. XI.

Ipsa, quibus renuntiantur in aliorum obsequium commoda, efficacissima sunt ad affectus promerendos illicia.

Cvi proprijs renuntiare commodis pia suavit generalitatis affectio; qui suam minus probatur causam attendere, vt augmenta potiùs suorum quiuerit stabilire, omnium sibi deuincit animos, imò captauit affectus. Ecce Absalom, dum quietis renuntiat delicijs, dum palatij, vt venientibus faueat, antelucanus persistit in atrijs: sic omnium sibi corda deuinxit, sic popularium animos traxit, sic suauissimis amoris vinculis illiga-

uit, vt, quò voluit, duxerit; & pro eò pericula deuorare suaserit. *Venit igitur nuntius ad David dicens: Toro corde vniuersus Israël sequitur Absalom.* Sic omnium allexit sibi corda; delectabili somnij otio renuntians, & pro palatij foribus adstans: *Manè consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se: vt nullus recularit eius partes sequi, & eius desiderio adulari, expendebant filium Regis tot quadrigis exundantem, tantæque regali pompâ fulgentem, pro ipsis lucem anteuertere, frigore vri, & mellitis verbis omnium angores solari: ergo nequibant affectus tributum non pendere, & pro ipso pericula non subire.* Quotidiè (inquit Abul. q. 4.) *surgebat de mane, vt vacaret blandimentis ad populum.* Quisque Principem, vt ei non sine labore consuleret, putabat manicare, vtque eius promoueret causam, limina palatij terere. Ergo humanitate, & labore oblectati, ei inferuire satagebant exprompti. Certè de præstita Absaloni subiectione non modica oritur Christianis confusio; nam dum toto corde vniuersus populus eum sequitur, quia delicijs renuntiantem, & aliorum ad speciem commodis attendentem agnouit, Regis regum Filio non obtemperantes arguit. Quis Christianorum ignorat Diuinum Verbum cælorum delicijs quodammodò renuntiasse, & incarnatum, vt nobis salutem præstiterit, temporis iniurias tulisse? Et tamen plures malunt fœdis cupiditatibus inferuire, quàm debitæ seruitutis tributum pendere. Sponsus posse suauissimis oblectari odoribus, frui fauorum dulcedine, generosique vini suauitate testatur. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauam cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 5. v. 1. Tener erga sponsam amor tot renuntiare oblectamentis suauit, & ad perferendos labores vrsit. *Aperi mihi, soror mea, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincoinni mei guttis notitium.* Quid tunc sponsa? Censeres è lectulo exilituram, vt hospitio vrbane reciperet, & debitis obsequijs amorem compensaret; ast illa moras nectit, & friuolas excusationes opponit: *Expoliam me tunicâ meâ; quomodo induar illa?* Sic delicijs renuntianti respondit, & has gratias tot laboribus afflicto retulit. Notauit N. Delr. in litt. *Friuolas, & pueriles moras nectit.* Profectò quod plurimis accidit, sponsa factis expresseit, & actionibus delineauit: sed vt in gratiam cum sponsa redeamus, si vidimus ingratiam, videamus etiam ardentem, & generoso amore percussam: expendit, quid sponsus pertulerit, quid, vt ei faueret, effecerit, & iam clamat: *Fulcite me floribus, quia amore langueo.* Cant. 2. v. 5. Hinc oritur quæstio: si antea sponsa dulce amoris non experiebatur deliquium, cur modò depascens amoris sentit incendium, aut si modò sentit incendium, cur antea non patiebatur deliquium? Fallat, ni, sponsus ipsa deliciarum renuntiatione, & laborum electione viuandum adeò non excitarit affectum; vt defecerit robur. Expendebat anima affluentem delicijs pro ipsa non modicis vgeri incommodis: expendebat pro agro commutatum palatium, floridum pro gelu lectum. Ergo ipsa, renuntiatia, quibus frui poterat, commoda, ipsa, quæ vitare potuit, tribulorum spicula, ardentissimum, generosumque amoris excitarunt incendium, & virium prorsus attulere deliquium: *Amore langueo.*

§. XII.

Exod. 32.
v. 4.

Cant. 5. v. 1.

Cant. 2.
v. 5.

§. XII.

Nimia erga filios indulgentia ipsis, & parentibus attulit grauissima damna.

Sæpe amor, dū minū prudētē dissimulat filiorum reatum, grauē sibi, & ipsis probatur maturare periculum. Dissimulat patens iudicem, quia implere desiderat genitorem; verū dum sententiā vertit in veniam, de ipsa venia demetit, quā prematur, angustiam. Delicatus amor sibi blanditur, sed blandiendō calamitatibus auxiliatur. *Delicta* (aiebat Chrysol. serm. 3.) *non videt vis amoris.* Probat hanc veritatem Dauid, qui postquam redeuntī Absaloni dedit oscula, non flagella, non vidit pompaticum satellicium, nec quem regium ostentabat, ambitiosissimus apparatus. *Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, &c.* Nec solum regia procedebat maiestate, sed de parente, iudicibusque obmurmurans, litigantibus blandiebatur, vt eorum iniret gratiam, & immatura ambitione raperet de vertice parentis coronam. *Manē consurgens Absalom stabat iuxta introitum porta.* Pompaticum sumptum, regium, ac bellicum apparatus, adulatorium alloquium attulisse parenti exilium, & filio miserandum suspendium, tempus ostendit; è throno Dauid deturbatus aufugit, & filius Absalom dum copioso milite stipatus regnum ambiuit, arbori vt carnifici traditus, ac comā suspensus perijt. Si pater eam filio pompam non permitteret, tumentem eius animum refrænaret; ast dum maualt blandiri amori, se, & filium obiecit præter opinionem discrimini. *Quare Dauid* (querit Abul. q. 3.) *non obseruauit se ab Absalom, cum videret, quod faciebat sibi currus, & equites ad regnandum?* Dubio respondet. q. 4. *Tolerabat Dauid ista ex dilectione, quia postquam reductus est, & sterit coram facie eius, dilexit eum nimis.* Nimia dilectio, dum dissimulat errorem, nutrit perniciem: nimium indulgens venia exoculata temeritatis fuit causa: non interiret arbori traditus, si opportunā, & salubri fuisset moderatione correptus. Hæc in parte plūs matres peccant, quia filios in sinu fouent, nolunt tristari, eorum nolunt insanis votis obniti, & cum nimia licentiā puetorum crescit audacia, ipsorum, & parentum maturatur inopina miseria. Vbi prodigus ille redijt, pater dedit osculum, & amplexum. *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc. 15. v. 20. Chrysol. florido ingenij acumine expendebat super collum ruisse, vt suaue legis iugum imponeret; suauique amplexu & constringeret, & teneret. Itaque osculo dedit criminis admissi veniam, & ne iterum fœdaretur, imposuit salubrem Euangelici iugi sarcinam. Ipsum audi serm. 3. *Cecidit super collum eius, vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Venite ad me* (inquit) *omnes qui laboratis, & onerati estis. Tollite onus meum super vos, quia leue est.* Attentiùs notanda, quæ satis doctrinalis adnectit: *Videris, quia filius iuuatur istius patris onere, non grauatur. Cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Sic pater indicat, sic emendat.* Dum pater filij humeros salubri iugo non grauauit, totam Prodigus substantiam consumpsit, & fœtulentō gregi inferiuit; ast dum amplexu constingit, dum suaui onere premit, salubriter pragrauatus, fulget annulo, nitet vestitu, & quem, si fas est dicere, depauperauerat indulgentia, iam vtilia legis diuitem fecerunt onera. Prudentissimus pater seueritatem osculo temperans, humeris onus imposuit, & dum salubriter

grauat, periculum etiam fugat; nec minū se genitorem testatur, imposito legis onere, quā oblatā ferculorum dulcedine. *Filius iuuatur istius patris onere, non grauatur.* Ipsum grauamen attulit commodum, salutis abegit detrimentum. Si Dauid superbos, tumentēque Absalonis spiritus prouidenter repressisset, arbore pendentem, & transfossum telis non deplorasset; verū dum dissimulando amoriblanditur, suo, & filij inferuisse discrimini comprobatur: *Tolerabat Dauid ista ex dilectione.* O noxiam dilectionem! O dissimulationem pestiferam!

§. XIII.

Plures præcipuè Principes, vt cupiditatibus famulentur, antelucani resurgenti, aliter iura temporum inuertunt.

Summates consuetudine temporum non tenentur, quia contrarijs institutionibus gubernantur. Sunt, teste Catone, qui orientem solem nunquam viderint, sed tempus sibi peculiare excogitarint: contra naturam pugnant, & debitum temporum ordinem prorsus ignorant. Hoc est Magnatum propositum, gaudere rebus inuerfis; nec solum quā longissimè à cæterorum volunt consuetudine discedere, sed è contrario persistere. *Cum instituerunt* (aiebat Senec. Epist. 122.) *omnia contra naturam consuetudinem velle, nonissimè in totum ab illa desciscunt. Lucet: somnij tempus est; quies est; nunc exerceamur; nunc gestemur; nunc prandeamus.* Cæterorum Antipodes, albicante iam mane, cœnant, sole ad occasum iam vergente, resurgunt; inter faces, & cereos defunctorum adinstat viuunt. Verū nescias, si rutiùs ipsis altissimo somno indulgere, aut antelucanos resurgere; nam cum frequenter vicijs tempus impendant, fatiùs est; somno illigari, quā vitā vt. Ecce Absalom somnum discutit, & vt palatij limine adstet aurotam præuenit. *Manē consurgens Absalom stabat iuxta introitum porta.* Ad quid stabat? vt improbitate linguæ sibi conciliaret aduentantium aures; vt infamaret iudices; vt texeret proditioes: manitauit, sed vt insanis cupiditatibus insetuiret, vt candidorum corda peruertetet, vt parenti popularem inuidiam conciliaret: Et quidem cum eodem capite sacrificaturus perrexerit, anteuertisse lucem non refertur, imò adulta die viam arripuisse inuenitur: *Dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ vni Domino in Hebron. . . Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron.* Post cum Dauide colloquia; post ascitum satellicium, Deo vota solutus pertexit, vt laqueos candidis obtenderet manicauit. Prodest Hugo: *Stabat iuxta introitum porta, vbi iudicia tractabantur; iam enim adspirabat ad regnum.* Crudis salutationibus aduentantibus occurrebat, & vt occurreret, manicabat. Nam Magnates, vt cupiditatibus adulentur, non recusabunt lucem anteuertere, cum aliter somnum affectauerint protelare. Sponsam alto somno dormientem excitauit Sponsus. *Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis.* Cant. 5. v. 2. Dum Sponsus matutino rore se infectum testatur: *Caput meum plenum est rore:* aurotam iam illucescere confitetur. Quid tunc sponsa? Recusat somnum excutere, delicijs lectuli renuntiare, & frigoris iniuriam subire: *Spoliaui me tunicā meā, quomodo induar illā?* Audis detineri lectulo, indulgere somno, cum ab sponso vocatur? transi modò ad cap. 7. v. 11. videbisque vineæ pro-

Luc. 15.
v. 20.

Cant. 5.
v. 2.

uentus sollicitam, renuntiare lectulo, & somno: *Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Non reculabat lectum deserere, in agrum prodire, & vinearum curam manicare: *Manè surgamus ad vineas: vt vocanti pareret sponso, reculauit domus portæ accedere, & manè lectulo renuntiare.* *Dormiens* (inquit Anseli hic) *amicum somniat: vox dilecti. Dico: Dormio.* Oportebat quietem rumpere, & vocanti obtemperare; verum sponsa existimauit se somniare, non vocem re vera audire, vtque somnum extenderet, somnare sibi suasit. *Vox dilecti. Dico: Dormio.* Temporalis lucri studio somnum excussit: *Manè surgamus ad vineas: vt obtemperaret vocanti, quieti renuntiare tantisper, renuit.* Sponsæ factis, velut penicillo Textus expressit, quod nos experientia edocuit. Vt cupiditatibus, lucris, commodis quis inferuiat, lucem anteuertete non recusat; vt virtutibus tempus impenderit, tardat.

§. XIV.

Vrbana Principum humanitas animos sibi deuincit, & quod vult, facile trahit.

Polemon (teste Plutar. lib. ad Princ. indoct.) *amorem dixit ad respectum inuenturis ministerium.* Quali dij, vt iuuenum animos sibi conciliarint, asperitate abstinnerint, & blandis, ac mellitis verbis prolectarint. Et quidem natalium claritas, dignitatum maiestas, si vrbana humanitate conditur, facile sibi deuincit corda, & quod vult, ducit studia. *Mentis inopes* (addit Plutarch.) *plerique Reges, & Principes imitantur imperitos statuarios, qui grandem speciem, & amplam futuram existimant colossorum, si tibijs vehementer deductis, inflatos, & hiantes finxerint. Etenim hi vocis minis, obtutus toruitate, morum asperitate, & consuetudine dura, insocialique grauitatem, ac maiestatem exprimere putant se principalem.* Inciuiles, & inurbani votis prorsus refragantur; nam cum exambiant veneratione suspici, reuerenti genuflexione coli, asperitate, toruitateque sibi non conciliant cultum, sed odium, sed fastidium, sed despectum. Itaque quam longè ab scopo aberrant, dum asperi, & inciuiles omnium animos exasperant, & exulcerant. Benè nouerat Absalom, quam sit efficax ad animos deuincendos humana comitas, comis humanitas; aduentantibus occurrebat humanus, & humanitatis incantamento omnium sibi deuinciebat affectus. *Quamuis munificentia nostra* (aiebat Cassiod. 5. Var. 26.) *sit omnibus ubique gratissima, multò tamen acceptiora credimus, qua nostri presentia conferuntur. Quia maiora de conspectu Principis populi sumunt, quam de largitate beneficia consequuntur.* Plus æstimant prudentes Principis frui præsentia, quam magnifica dona. Qui humaniter à Magnate tractatus, remanet dulci subiectione captiuus; qui inciuiliter votiuum denegabit obsequium exasperatus. Dolosus, sed non malè politicus Absalom, vbi decreuit omnium sibi animos deuincire, non substraxit conspectum, non ostendit supercilium, imò in palatij limine venientibus occurrebat, & verbis humanissimis salutabat: *Manè consurgens Absalom stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, vocabat ad se Absalom.* Humanitate omnium deuinxisse corda, sacra asserit Scriptura: *Sollicitabat corda virorum Israël: id est, in sui amorem accendebat, & promptos occa-*

sioni parabat. Prodest Ambro. apud Gloss. *Conuertit in se corda omnium, dum blanditiæ intimorum iungunt viscerum sensum.* Non dubitant pro Absalome ceruices ponere, magni æstimantes affabilem dignationem, & vrbanam comitatem: *Toto corde* (aiebat nuntius) *sequitur Israël Absalonem.* Vbi experti sunt affabilem, & humanum, pro illo depexerunt commoda, prodierunt in bella. Astutus serpens, dum in Martialem campum procedit, diademate coronatus describitur. *In capitibus eius diademata septem.* Apoc. 12. v. 4. & cæli astra cauda traxisse refertur. *Et cauda eius traheret tertiam partem stellarum cæli.* Notum est, serpentes cauda demulcere, & demulcendo blandiri: ergo dum serpens coronatus demulcet, demulcendo stellas trahit: vt noueris humanitatem efficacissimam fortiri energiam ad animos demulcendos, imò incantandos. Huc voco, quod aiebat Basil. Seleuc. de eodem serpente alloquens. *Humanitatem* (inquit Ora. 3.) *simulat.* Itaque serpens ad speciem humanus stellis suasit eius partes tueri, & pro ipso bellum inire. Audi de hoc serpente Damasc. 2. de Fid. Orthod. cap. 10. *Serpens plus cæteris animantibus familiaris erat homini, ad ipsum frequenter accedens, & que placidis motibus corporis blandiens. Humanitatem in paradiso simulans, hominem ad sua vota traxit, & modò familiaritate, caudæque blanditijs stellas etiam allexit.* Vt ab iniqua politice discamus quanta vis insit vrbانيتati, familiaritatisque ad hominum corda allicienda, & si dicere licet, furanda.

Apoc. 12.
v. 4.

TEXTVS.

VERS. 3. Respondebat ei Absalom. Videntur mihi sermones tui boni, & iusti. Sed non est, qui te audiat constitutus à Rege.

§. XV.

Obscurus splendor est, de aliorum obscuracione quasius, & de infamia comparatus.

Nescio, quid grande de se videtur promittere (aiebat Aurel. 7. Var. 44.) *qui loca desiderat publica possidere.* Qui dignitatum culmina decenti, honestoque gressu desiderat occupare, quid magnum de se videtur promitteret; qui verò aliorum iniuriã nititur obtinere fastigia, non solum nihil magnum de se promittit, sed indignam peccatore ambitionem fouere ostendit. Inglorium est aliorum obscuracione lucere, & denigrando cæteros rutilare. Verum obscuram hanc gloriam plures venantur. Audi Tertul. de Pœni. cap. 10. *De alterius ruina alter attollitur, vbi prostrato superascenditur.* Absalom integerrimos à Dauide iudices dehonestat, vt eorum locum obtineat: ad iudicium aduentantibus occurrebat, & quos tractabant causas quantumuis iustas, testabatur nec prudentiæ, nec æquitatis trutina discernendas; quia constituti à Dauide iudices nec negotia expediebant ignaui, nec iura attendebant cupidi. *Respondebat ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni, & iusti, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege.* Suspirabat iudiciariam potestatem: *Quis me constituat iudicem super terram?* Et quam nequibat adire merendo, obtinere nitentur, cæteros dehonestando. Notauit Glossa Moral. *Ad hoc consequendum facit ostentatio propria sufficientia, & superioris insufficientia. Vtrumque enim fecit Absalom.*

Abſalom propriam oſtentabat ſapientiam vanus, & iudicum inſufficientiam obmurmurabat inglorius: ſerpentinâ aſtutiâ, ambitioneque iudicibus conciliabat inuidiam, & ſibi notam. Videas aliquando dignitatem ambientes, errata competitorum vulgare, & de alienis defectibus ſibi ius quærere: quod viro ingenuo probatur indignum, & omnibus modis fugiendum. Conſonat Chryſoſt. apud Gloſſam: *per exitium patris conſequi deſiderat regnum.* Alienis ruinis citò ruituram ſubſtructionem erigebat; iudicibus conquirens inuidiam, vt turpiſſima ambitione aſſequeretur populi gratiam. Doeg ſupremam inter paſtores dignitatem ſuſpirans, ad ſolitas adulationis, & maledicentiæ artes confugit: Achimelech fidelitatem infamauit, & Dauidem proditorem aſſeruit: *Reſpondens Doeg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saül; vidit (inquit) filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob Sacerdotem, qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſtei dedit illi.* 1. Reg. 22. v. 9. Grata Saüli mendacia protulit; filium Iſai Dauidem appellando, generis obſcuritatem aſſeruit: Et hoc totum, vt obſcure luceret primus, & inter ſeruos haberetur excelfus. Primus habebatur, ſed primatus aliorum dehonoratione acquiſitus, fordeſcebat obſcurus, quia indignis ingenuo viro artibus comparatus. Ecce (inquit Hugo) *more aduerſantium reperit iſte verba Regis, quia mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.* Conſonat Lira: *Non nominavit eum nomine proprio tanquam indignum nominari.* De Dauidis obſcuratione ſibi procudebat meritum, vt inter ſeruos obtineret primatum.

1. Reg. 22
v. 9.

§. XVI.

Ambitio ſemper ingrata, & iuris naturæ neſcia.

Elementa ſibi mutuis complexionibus illigantur, & licet inter ſe contraria, mirabili fœderatione, vt naturæ legibus ſeruiant, iunguntur amica: proprium quodammodo exnere non reſugiunt ingenium, vt debitum naturæ pendant tributum. Solùm inſociabilis eſt ambitio, quæ fœdera rumpit, vt ſeruierit inſaniæ. *Propago vitis (aiebat Caſſiod. 2. Var. 14.) propria ſeruit origini: & diſcrepat homo à ſuo ſuſus initio!* Homo, ſi cæca ambitione furat, initium prorsùs ignorat: non ſolùm eis beneficiis, quæ vel truculentam comprobantur delinire ferociâ, non reſpondet ingratus, ſed amplexu ſtrictiſſimo confœderata diſrumpere inuenitur adniſus. Abſalom poſt doſoſum fratricidium à pientiſſimo parente indulgenti donatur venia, & curiæ reſtitutus, ſplendidâ comitatus vtitur pompâ: cùmque tot beneficiis compelleretur promptâ deuotione pio parenti inferuire, lucem anteuertit, vt parentem de regio throno quiuerit deturbare. *Non eſt, qui te audiat, conſtitutus à Rege:* aiebat iudicialia ad ſubſellia aduentantibus, & dubias litis cauſas gerentibus. Hiſ verbis eò tetendiſſe, vt patrem ob nimiam, deſerfamque ſenectam, & iam regimini prorsùs ineptam deſidiam odioſum redderet, teſtantur interpretes. Quodſi inquiras: Cur filius patrem dehoneſtarit, & naturæ iura peruerterit? Reſpondeo ſolùm nouiſſe naturæ legem, vt violarit iniurius, & in campum contra parentem prodierit ingratus. Audi Gloſſ. Moral. *Per liberalitatem*

patris reconciliatus fuerat, & nihilominus tanquam ingratus, vel potiùs ingratiſſimus patrem ſuum maliſioſè quaſiuit ſubuertere, & ſibi dignitatem regiam eſſurpare. Sanctiſſimis naturæ legibus tenebatur inferuire pietati, & pientiſſimo obtemperare parenti; verùm ambitionis furore actus, non ſolùm ignorauit naturæ iura, ſed Martia contra parentem proceſſit ad bella. Vbi Rex Moab thronum agnouit nutare, & poſſe præſumpſit primogeniti ſanguine ſtabiliri, in holocauſtum obtulit ambitioni: *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* 4. Reg. 3. v. 27. Pietas ſuadebat conſulere filio, dignitatis etiam diſpendio; verùm ambitio maluit primogeniti ſanguine ſceptrum redimere, & periculum propuſſare: *Arripiens filium ſuum (inquit Lira) quia vidit, quod via humana non poterat reſiſtere.* Vidit opus eſſe amittere ſceptrum, aut litare ambitioni filium; ergo maluit carere filio, quàm regno. Tantus eſt ambitionis furor, vt prudentiam de mentis arce deturbet, & naturæ leges proſus ignoret.

4. Reg. 3
v. 27.

§. XVII.

Facile Principi popularis conciliatur inuidia, ſi aſquitas à Iudicibus præſumatur neglecta.

Iudices regnorum ſunt fulcimenta, ſi ab eorum animis abſit quidquid profanum, & legibus æquitatis aduerſum. *Sto innocentiæ templum (monebat Princeps apud Caſſiod. 1. Var. 12. ad iudiciariam poteſtatem electum) temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitia.* Honor Principis nequit illæſus reſplendere, ſi iniqua æquitatis adminiſtratione præſumat populus obſcurari: alienis culpis Princeps inſicitur, & maieſtas regnantis per iniquos iudices tenebratur. Nihil eſt, quod tantam Principi conciliarit inuidiam, quam ſi præſumat populus electis in iudicibus corruptelam. Hinc eſt, quod Abſalom, vt patrem deturbaret de throno, electos Iudices teſtatus eſt cauſas decernere æquitatis præiudicio: *Reſpondebat ei Abſalom: Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti: ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus à Rege.* Acti diceret: Cauſam geris æquitate ſubnixam, ſed Iudices à Rege electi minus curant illæſas leges ſeruare, quàm ampla munera accipere: ergo quantumuis tuâ cauſa æquitatis ponderibus ſuffulciatur, ab iniquis, ſubornatiſque Iudicibus reiicietur. Bene: ſed iniquites; Cur totum Abſalonis ſtudium fuerit Iudices abrodere, cùm Regem de throno moliretur depellere? Nonne ſatius eſſet ipſum Regem iam regiminis ineptum proderè, & nimiam grauatum ſenectâ aſſerere, præcipuè cùm ipſe & filius iam gubernationi maturus? O ſerpentinam aſtutiam! Iuſtitiam peſſuaſit prorsùs corruptam, vt auferret cotonam; nam cùm illæſa, incorruptaque iuſtitia poteſtatis fida ſit anchora, adnixus eſt perſuadere populo, malè iuſtitiam adminiſtrari, vt periculoſam Principi inuidiam poſſet conquirere Audi. Abul. q. 4. *Non eſt, qui te audiat, conſtitutus à Rege, id eſt, quamquam habeas bonam cauſam, in qua deberes obrinere; tamen nullus eſt conſtitutus à Rege, qui audiat te; ideo perdes cauſam tuam.* In hoc autem Abſalom nimis aſpirabat ad regnum. Conſonat Iosephus apud Gloſſ. *Deleſtabiliter loquebatur, quaſi non habente bonos conſiliarios patre Rege, ſed iniuſtos, in ſuis ſententijs conſiſtentes,*

sistentes, quorum iudicio grauarentur. Itaque totus fuit Absalom in persuadendo sordescere corruptam iustitiam, vt militaret contra coronam. Et quidem nobis est pro doctrina mendax Absalonis querela. Nouerint Principes, nihil adeo sceptrum stabilire, quàm si illæsa iura seruentur, & æquitatis leges non despiciantur. Vniuersus Israël Regem sibi dari expetiuit, & Samuelis displicere sibi gubernationem non erubuit confiteri: *Constituere nobis Regem, vt iudicet nos.* 1. Reg. 8. v. 5. Cum Samuel miris virtutibus effloreret, & miraculis coruscaret, quærunt Interpretes: Cur populus nouam regiminis formam ambierit, & Samuelem potestate priuarit? Sed, ni fallor, satis Textus explicuit, dum ait: *Posuit filios suos Iudices Israël.* Constituti Iudices avari, & æquitatis oblit, tantam Samueli conciliauerunt inuidiam, vt ad expetendam nouam regiminis formam compulerint populum. *Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* Samuel propriâ innitebatur innocentia, sed iudicium ei inuidiam conciliabat rapina. Ergo vbi iura corrupta, ad alium potestas gubernantis est translata. Displicuit Samuel alternis erroribus obscuratus, etiam ob virtutes proprias foret ab omnibus suspiciendus. *Patet* (inquit Glossa Mor.) *quòd propter malitiam regentium commouetur aliquando populus.* Contra Samuelem militauit iudicium nequitia; nec potuit regnum stabiliri, vbi iustitiam constitit non seruari.

§. XVIII.

Si Iudex acceperit dona, facile despiciet iura.

QVandam (aiunt) è muneribus caliginem exoriri, quæ obtutum iudicium facillimè quiuerit obsecare. Vt nimis candens ardor hebetat oculorum pupillam; sic auri splendor prudentiæ hebetat perspicaciam. Vbi Samuelis filij auaritiæ exarserunt siti, causas censebant ex auro, non attendebant ex merito. *Acceperunt munera, & peruerterunt iudicium.* 1. Reg. 8. v. 3. Vbi in causis allegabat auri eloquentia, gemebant iura. Audi Iosephum apud Gloss. *Muneribus, turpibusque lucris iustitiam comprimebant, & iudicia non vera, sed secundum premia proferebant.* More vestium vendebatur sententia, & meliorem fortiebatur causam, qui copiosorem iudicibus offerebat pecuniam. *Nihil vitile* (aiebat Cassiodor, 12. Vat. 2.) *nihil cupidum Iudices decet.* Iudices clarificat sui participatione iustitia. Sordescit ille, qui ab ipsa discessit: suspicionem contra se ingenerat iudex, qui diues vocatur; decoratur laude, qui iustus dicitur; plures tamen tribunalia conscendunt, non vt æquitate resplendeant, sed vt diuitiarum congerie niteant. Absalom facile persuasit populo iustas causas reiiciendas, legesque violandas: *Videntur mihi sermones tui boni, & iusti. Sed non est, qui te audiat constitutus à Rege.* Achi diceret: Ego non dubito causam te afferre iustam; sed ne dubites reiiciendam; nam constituti Iudices ad æquitatis clamores obsurdescunt, aures ad munerum eloquentiam expandunt. Hunc esse penitissimum sensum tradit Abul. q. 5. *Immuebat Absalom, quòd Iudices non bene iudicabant, quia diligebant munera, & sequebantur retributiones, idè litigare coram illis periculosum erat.* Totum Absalonis studiū fuit persuadere litigantibus, censerit causas non ex merito, sed ex auro; nam si semel persuaserit Iu-

dices muneribus subornari, iam ostendit iura corrupta, iudicia euerfa. Vt inuiolatam, integramque à Samuel testaretur populus custoditam iustitiam, falsus est numquam accepisse vel exigui momenti reculam: *Non es calumniatus nos, nec oppresisti, nec tulisti de manu alicuius quippiam.* 1. Reg. 12. v. 4. Si Samuel accepisset munera, locus suspicioni daretur, & detorsisse leges in largitoris gratiam putaretur. Ergo opus fuit nullis muneribus diuitatum asserere, vt constaret sine iuris querela iustitiam administrare. Prodest Lira: *Sic testificati sunt eius innocentiam.* Et si oblata gratis acceptasset licitè Samuel munera, iniqua suspicio eum denigraret temeritatis audacia; nam quomodocumque Iudex acceperit dona, euerfa putantur iura.

§. XIX.

Aduersus parentes Impius, nec longâ vitâ, nec fortunâ vitur prosperâ.

CVncta quidem iurè detestamur scelestâ, sed præcipuè auditus refugit, quæ contra parentes committuntur, peccata. Omnium contra se incitauere censuram, qui debitam pietati detrectarunt exhibere reuerentiam. Quid execrabilius esse potest, quàm inde nasci parentum iniuriam, vnde oriri subiectionis rationabilis crederes reuerentiam. *Proh dolor!* (aiebat Aurel. 2. Var. 19.) *pietas in anibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur.* Filius, qui periclitantibus debuit parentibus subuenire, solet calamitatem ingerere. *Fiat ergo* (addit Aurel.) *pastus pij vulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare pastoris.* Absalom dolosis fraudibus à piensissimo patre auferre cupit coronam, sed dum scelestis votis inferuit, amittit vitam: florida in iuuentute perijt, arboris, vt carnifici, traditus, telisque transfossus. Nec mirum! cum in parentem deliquerit impiè scelestus: *Non est, qui te audiat,* (dicebat lites gerentibus) *constitutus à Rege:* id est, Rex contemnit iustitiam, nec suorum dolet miseriam. En parenti conquirat inuidiam, qui conciliate tenebatur reuerentiam: ergo non potuit longâ vti vitâ, nec fortunâ florere prosperâ. Prodest Glossa Mor. *Tantum ingratus, vel potius ingratiissimus, patrem suum malitiose quasiuit subuertere.* Quis alius esse poterat impij, & ingratiissimi filij exitus? Sibi extremam maturauit perniciem, dum læsit naturæ iure debitam parentibus pietatem. Ioannes securim armari asseruit contra radicem, vbi vidit homines viperarum imitari progeniem. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? . . . iam enim securis ad radicem arborum posita est.* Luc. 3. v. 7. Cum securis illius Nabuchodonosor arboris radici pepercerit. *Germen radicem eius in terra sinite.* Dan. 4. v. 12. iuuat inquirere: Cur securis radicibus hanc arborem tentet præcidere, cum illam radicibus non tentauerit dissipare? Profectò Nabucho indulgebat ventri, deseruiebat vanitati, & euanida studebat ostentationi, & tamen eius radicem consulitur, cum alterius ferrum radicibus minuetur. Ecqua discriminis causa est? Quia Hebræus viperæ adinstar impius deliquit in parentes, vtque rapiat hæreditatem, immaturam exambit parentis mortem, genitorem spernebat alere, vt sacerdos maiorem victimarum partem quiret accipere: ergo diu non potuit viuere, dum pietatem probatur lædere. Audi, Chrysol. Ser. 137. *Soboles*

1. Reg. 8.
v. 5.1. Reg. 8.
v. 3.1. Reg. 12.
v. 4.Dan. 4.
v. 12.

Luc. 3. v. 7.

boles ingrata natura, cuius ortus est genitoris exitium, cuius vita est mors parentis. Viperina soboles de materno sanguine exigit nutrimentum, & impio furore conceptus sui adnuitur perdere domicilium. Ergo dum Ioannes synagogam, eiusque filios similes fuisse demonstrat, nec florere, nec diu posse viuere, doctrinali comparatione asseuerat. Ergo dum Absalom agresti, immaturaque ambitione impius contra parentem insurgit, telis transfixus, & insensus arbore perijt.

§. XX.

Maledica lingua populi sibi fauorem conciliat, præcipue si Principes, Superioresque arrodat.

Benedictio (aiebat Tertul. de Testim. anim. cap. 2.) inter nos summum disciplina, & conuersationis sacramentum. Cum morati, & bene religiosi Chrystiani beneloqua vterentur lingua, testabantur se virtuti studere, non plausui; nam apud sæculum fellitã obmurmuratione plausus acquiritur, & sapiens obmurmurator habetur. Maledicus, dum gratã aures murmuracione delectat, audientium sibi fauorem captat, præcipue si Magnatum facta abrodantur, aut errata florido lepore vulgentur. Tantalus Ioui inferte bellum disponens, & popularem fauorem ambiens, maledicã, ingrataque lingua eius denigrabat actiones, & infamabat virtutes; vt qui nouerat vulgo placere, quidquid contra Magnates effutitur, & contra Superiores obmurmuratur. Ita Euryp. in Orest. *Ione pugnaturus, vt aiunt, Tantalus cum arte non recte uti sciret, intemperantem linguam habuit, deinde ingratam.* Tantalus armorum indoctus, maledicã lingua Ioui disposuit inferre bella, & lucrari sibi maledicentiã plebis imprudentissimæ corda. Eandem Absalom viam iniuit, cum parenti inferre bella disposuit. *Solicitabat* (inquit Text.) *corda virorum.* Quibus medijs: Plebeis adulando, & Iudicum, & Superiorum facta carpendo. Ipsum audi plebeios alloquentem: *Videntur mihi sermones tui boni, & iusti. Sed non est, qui te audiat, constitutus à Rege.* His verbis populi fauorem ambijisse testatur Abul. q. 4. *In hoc captabat nimis fauorem cuiuslibet.* Quid est: *In hoc?* Id est priuatis adulando, & Magnates, ac Iudices arrodatendo; gaudet enim populus Magnatibus conuicium fieri, & eorum actiones carpi: Christus Dominus cum improbo decertans spiritu, eius occlusit linguam: *Obmuresce, & exi de homine.* Marc. 1. v. 25. Cur Dominus silentium indixerit: quærunr Patres: Aug. in Cat. existimat, dæmonem prudentis plausum sitiuisse, & popularem auram obmurmurando captasse: *Homo ille tanquam sapiens loquebatur.* Et quid loquebatur? Christum temporum euertisse iura, & ostendisse de aliorum cladibus potestatis argumenta: *Venisti perdere nos.* Itaque testabatur Christum vim temporibus inferre, & de aliorum ruina sibi plausum comparare; ergo dum de Magnate obmurmurat, dum famam superioris infamat, habetur disertus, & laudatur sapientissimus: *Tanquam sapiens loquebatur.* Lingua, quæ merebatur supplicium, obscurum acquirebat sibi plausum; quia gaudet populus obmurmurantem audire, præcipue si superiorum, Magnatumve facta conetur carpere. En Absalom, vt popularem sibi fauorem conciliet, de Rege obmurmurat, & Iudices inhiare muneribus asseuerat: *Non est constitutus à Rege, qui te audiat:* ac si dicat: Constituti iudices exiguum recusauerunt

laborem, & amplam student laboris percipere mercedem: *In hoc captabat nimis fauorem cuiuslibet.*

§. XXI.

Ambitentium, obmurmurantiumque verba aliud sæpe significant, aliud sonant.

Ambitio, maledicentiãque eo artificio sapissime vtuntur, vt splendentibus verbis feriant, & ambiguis sermonibus sibi caueant. Minus sæpe verba sonant, & plus significant, vt auditor in suspicionem quierit deuenire, nec quid prolatis verbis opponere. *Moliri sum* (aiebat Psal. Psal. 54. v. 22.) *sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Si maledici, ambitorisque sermonem extrinsecus solum attendas, non inuenies, quod arguas, si introrsum examines, exundare reperies veneno, & quidem famæ, & alterius opinioni mortifero. Euthymius censet Prophetam loqui de Christi cernulis, qui blanda proferebant verba, sed ita, vt quirent suspicionis audientibus occasionem præbere. *Blandos ei, ac leues sermones loquebantur, Rabbi eum appellantes... qui tamen re ipsa erant veluti acutissima quædam iacula.* Verbum *Rabbi* honore resplendebat exterius, sed nouam, Deo que contrariam attulisse doctrinam, significare proferentium cupiebat animus: erat sermo exterius mellitus, sed interius præpilatus. Absalom immaturum regni ambitum obiens, commiserationis obtentu, aiebat à Rege Iudices non constitutos: *Non est qui te audiat, constitutus à Rege:* verbum sonabat tot dirimendis litibus paucos esse iudices constitutos, significabat tamen à Rege constitutos non esse æquitatis studiosos, sed iura euertere donis corruptos, damnabili socordiã ignauos. Audi Abul. q. 5. *Innebat Absalom, quod Iudices David non bene iudicabãt, quia diligebãt munera, & sequebantur retributiones, ideo litigare coram illis periculosum erat.* Absalom animus erat asserere, constitutos iudices esse iniquos, exterius tamẽ solum videbatur significare tot dirimendis litibus esse paucos. Vtramque interpretationem verba admittebant, videlicet iudices non esse designatos, aut designatos non esse iudices: ergo Absalom, dum iudiciariam potestatem suspirat, aut maiorem affectat; talia verba protulit, quæ sonarent iudices deesse, & innuerent muneribus inhiare. Lunatici pater referebat Christo, attulisse se ad Apostolos filium, vt depellerent hostem, sed præualuisse inimicum. *Dixi discipulis tuis, vt eicerent illum, & non potuerunt.* Marc. 9. v. 17. Dum Magistrum vocat: *Magister.* & discipulos expellendi dæmones scientiã non præditos clamat, ad speciem discipulorum refert impotentiam, sed Magistro conciliare quærit inuidiam. Audi Chrysol. serm. 51. *Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon discipulis imperantibus non cedebat, iste ad infirmitatem Christi nominis, non discipulorum trahebat ad culpam.* Verba exterius excusabant discipulos ob impotentiam, sed interius Magistro affigebant notam, imponebant calumniam, quasi Christi nomen aut nullam contra dæmones haberet efficaciam, aut exiguam ad effugandos fortiretur energiam. Itaque verba aliud sonabant, aliud innuebant. Hic est enim solemnitas ambitorum, obmurmurantiumque rnos, verba scilicet talia proferre, quæ exterius non denigrent incussa notã, sed interius infament suspicionis audaciã.

Marc. 1.
v. 25.

Marc. 9.
v. 17.

De regimine obmurmurare, est seditionem periculosam mouere.

Nihil est tam subiectis, superioribusque perniciosum, quàm detractio, & obmurmurationis venenum; nam dum de Superioris defectibus quis dulciter garrat, venerationem regimini necessariam paulatim imminuit, & dilcit subiectus mandata contemnere, si sibi persuasit, non bene Principem gubernare. *Ipsos Quirites* (aiebat Tertul. in Apologet. cap. 35.) *conuenio, an alicui Casari suo parcat illa lingua Romana?* Accusabant Christianos, quasi seditionem molirentur, & Rempublicam turbare admitterentur. Verùm Tertullianus contra ipsos tela retorquet, & dum probat ipsos de Casare obmurmurare, conuincit seditionem mouere. Detractio audientibus affert oblectamentum, sed cum ipso oblectamento obedientis inquietat animum. Vbi Absalom de seditione cogitauit, ad obmurmurationem confugit: asserebat Principem senio iam confectum generalitati nec posse consulere, nec litigantium causis attendere: factiosas de Iudicibus dabat querelas: *Non est, qui te audiat, constitutus à Rege.* Ergo dum gubernationis formam abrodit, populum ad seditionem incendit. Prodest Iosephus apud Gloss. *Delectabiliter loquebatur, quasi non habente bonos consiliarios patre Rege, sed iniustos in suis sententiis consistentes, quorum iudicio grauarentur.* Consonat Caiet. *Ex intentione cordis tendebat ad hoc, ut ipse fieret Rex, sicut ad votum ei successit.* Ad votum ei successit, quia omnium animos ad seditionem commouit, dum formam regiminis infamauit. Psalmista ubi de Deo, eiusque regimine maleloquos audiuit, ad seditionem properare conspexit: *Malè loquenti sunt de Deo: dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Psal. 77. v. 19. Prouidentiam fugillabant, potentiam abrodebant, populi ærumnas exaggerabant. Quid tunc? Idolum conflant, & aliam regiminis formam suspirant: *In sculprilibus suis ad emulationem prouocauerunt.* v. 58. Vitulum rationis prorsus expertem in Deum eligunt, & factis Numen despiciunt: & quæ cæcissimi aded erroris occasio? Magnates maledicentia tranquillitatem turbasse, & regiminis formam fugillando, ad seditionem animos commouisse: *Malè loquenti sunt de Deo.* Tetra, maledicæque lingua turbauit pacem, & tranquillitatem periculosam vertit in seditionem, quia dum regimen infamatur, ad seditionem populus prouocatur. Prodest Euthym. *Obloquuti sunt de Deo, hoc est murmurauerunt, quasi fame eos necasset.* Deus, Hebræorum populo pro Imperatore erat, & loco temporalis Principis gubernabat: ergo populi Primores, & Republicæ Summates, vt regenti conciliarent inuidiam, regiminis damnarunt formam. Iam sequuntur vitulum, dum obmurmuratio Principem mentitur improuidum. Ergo Absalom armat in gubernatores linguam, vt seditionis accendat flammam.

TEXTVS.

VERS. 4. Dicebátque Absalom: Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem?

Dignitas inexpertis apparet speciosa, sed expertis inuenitur molesta.

Ille, qui in scena elatus incedit (aiebat Senec. epist. 80.) & hac resupinus dicit:

*En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua Ponto ab Helles, atque ab Ionio mari,
Virgetur Isthmos.*

Seruus est. Seruitute ingemuit pressus, qui splendida veste inuidebatur conspicuus; & quod imperium testabatur latius, asserebat operosius. Idem de istis, quibus dignitas placet, dicere licet: vt tecta auro perfusa oculis imponunt, & mendacio oblectant, ita fastigia externo splendore oblectant, sed possidentium humeros grauant. *Vides (adnectit Seneca) illum Scythia, Sarmatiæve Regem insigni capitis decorum? Si vis illum aestimare, totumque scire, qualis sit, fasciam solue, multum mali sub illa latet.* Fascia Absalonis oculis imposuit, & eligi in Principem concupiuit. Dicebat Absalom: *Quis me constituat Iudicem super terram?* Constitutus expertus est molestissima bella, & aperta euadere est adnixus pericula: *Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis David, sedens mullo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhaesit caput eius quercui.* 2. Reg. 18. v. 9. Modò experitur grauissimis molestijs, & vrgentissimis periculis obnoxium, quod putabat delicijs plenum, & speciosum. Audi Hugon. Cardinal. *Inexperti desiderant, quod experti fugiunt.* Expertus fugiebat, inexpertus desiderabat: antequàm dignitatem adiret, placidè ferebatur quadrigâ, fulgebat tranquillè copiosâ equitum, ac peditum circumstantiâ, electus in Principem, armatas contra se militares manus sensit, & periculum euadere fugiendo non potuit. Plures commodis, & tranquillitate potiti, speciosa dignitatum culmina suspirauere ambitiosi, sed anxîa, laboriosâque experientiâ edocti ingemiscunt, & *Quomodo huc veni: gementes repetunt.* Abimelech principatus ardentissimo inflammatus desiderio, omnem mouit lapidem, vt eligeretur in Principem: *Constituerunt Regem Abimelech iuxta quercum, quæ stabat in Sichen.* Iud. 9. v. 6. Quercus Absalonem suspendit, & Abimelech eligitur iuxta quercum, vt nouerit periculosa fastigia præcipuè iniquis artibus comparata: ubi splenduit Abimelech regiâ fasciâ, domestica expertus est bella. *Misit Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichen, qui ceperunt eum detestari. . . posueruntque insidias aduersus eum in summitate montium.* Qui suspirabat summitatem, in summitate est expertus insidias, & periculosas fallacias. Fæminea manu occiditur, & insidijs domesticis impugnatur: videbatur illi principatus speciosus, delicijsque plenus, dum inexpertus; at expertus captiosas tulit insidias, & angustias amaritudine plenas. *Describitur (inquit Lira) Sichimitarum rebellio.* Sichimitæ instruunt bellum, & iacit fæmina saxum; vt tantis expediretur angustijs, mortem sibi asciuit, vitam breuiavit. *Euagina gladium tuum, & percutite me.* v. 54. Splendor dignitatis fefellerat inexpertum, indecora mors puniuit citò ambitiosum.

2. Reg. 18.
v. 9.

Iudic. 9.
v. 6.

§. XXIV.

Qui iniquis artibus sibi comparat dignitatem, maturare soles perniciem.

Inter ceteras pestes, quas ambitio secum affert, præcipua est prudentiæ exilium, oculorum obturbatur pupilla, caligatque tetro cupiditatis fumo, & cæteris dominandi ardentissimo desiderio. Fastigium ambitiosus aspirat; sed vicinum præcipitium ignorat. *Respublica* (aiebat Cassiod. 2. Var. 26.) iure semper æquitatis augetur, & cum temperantia diligitur, velociter profutura succedunt. Temperanti velociter succedunt profutura, velociter ambitiosum vrgent amara. Ut papilio dū inuolat celerior ad splendore, maturat sibi perniciem; ita ambitio dū iniquis artibus sitit dignitatem, accurrit vrgentissimum ad dolorem. Absalom fucatis mendacijs, mellitis blanditijs, officiosissimis verbis sibi comparare sollicitat principatum, nec cruentum præuidet ferrum: *Quis me constituat Iudicem super terram?* Constitutus perijt hostili telo transfossus. Tullit (Ioab) tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom. Infr. 18. v. 14. Ipso in regni exordio suspensus interiijt ligno, & dum cæcè currit ad malis artibus comparatum fastigium, sibi inopinum sollicitauit suspendium. Prodest Chrysoft. apud Gloss. *In cor excordis tres sagittas infixit, illic eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis.* Vbi exarsit ambitionis flamma; trip. ex est infixata, & iniquis artibus proclamatus; quercui traditur suspendendus. En qui supra cæteros ambiuerat fraudibus eleuari, supra cæteros eleuatum contigit sagittis occidi. Ismael imprudenter sibi horrida solitudine sollicitauit exilium, dum peruersis artibus ambit maioratum: *Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit heres filius ancilla cum filio meo Isaac.* Gen. 21. v. 10. Ambitiosa sitis sitim peperit adedò ardentem, vt exul molesto periret incendio, ni Deus insolito subuenisset miraculo: Cum sacra Scriptura innuat exambijsse primatum, quærun Interpres, quibus medijs conatus fuerit sortiti votum? Hierony. apud Gloss. sentit Isaaco persuasisse, vt seruiret idolis, sperans ob culpam amittendam fore coronam: *Dupliciter hoc exponitur: vel quòd idolis ludos fecerit iuxta illud Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere: vel quòd aduersum Isaac quasi maioris ætatis ioco sibi primogenitâ vendicauerit.* Consonat Lira: *Sara vidit Ismaelem facientem aliqua, qua pertinebant ad idololatriam; item percipit, quòd querebat eautè Isaac occidere, vt haberet hereditatem.* Idolorum auxilio, dæmonum ope, violentâ nece discupiebat sibi primatum: ergo maturauit sibi supplicium. Tectæ fraudes, iniquæ machinationes solùm profuerunt, vt vasta solitudine exul oberraret, & sitibundus mortem, ni miraculum adesset, subiret. Vt noueris, quàm nostra thesis sit certa: scilicet stragem sibi maturare, qui iniquis artibus discupit dignitatem adire.

Gen. 21.
v. 10.

§. XXV.

Respublica stabit firma, si iustitia, æquitate, & ponderibus gubernata.

Sæpè Respublica amaris casibus implicatur, quia iustitia illæsa non colitur. Vtilitas publica ab æquitate oritur, iniustitiâ subruitur. *Propositio nostri est* (aiebat Theoder. 4. Var. 12.) *vt prouinciam Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.*

*nobis, Deo auxiliante, subiectas, sicut armis defendimus, ita legibus ordinemus. Quia semper auget Principes obseruata iustitia. Quid potest esse felicius, quàm Respublicam iustis legibus gubernare, & turbulentos casus iustitiæ clypeo depellere? Audi eundem Theoder. 3. Var. 17. Iura publica certissima sunt humana vita solaria, infirmorum auxilia, potentium frenâ. Amate, vnde & securitas venit, & conscientia proficit. Iustitia est securitatis mater, felicitatis nutrix. Hinc est, quòd Absalom Reipublicæ promisit obseruare iustitiam, vt peruenerit ad coronam: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem?* Felicitatem promittebat firmam Reipublicæ, vt qui ad regimen euectus, inferuiret iustitiæ, & legi. Et quidem nullus dubitat iustitiam esse securitatis fontem, felicitatis originem. Innuit Abul. q. 5. *Ego possem iudicare in illis conuenienter; id est, ego iuste iudicarem.* Vbi floret iustitia, floret etiam Respublica inexpugnabili muro cincta, & nullis casibus obturbata: ergo vt animos alliceret; omnia regenda sub æquitate promisit; quia nouerat illæsa iura felicitatis esse fomenta. Hostis humani generis æmulus Iobum de culmine adnixus est deturbare: omnè armavit elementum, vt assequeretur improbum votum; verum ampliauit coronam, dum patientiæ præbuit materiam. *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia.* Iob. 42. v. 10. Inquiramus, quo munimine defenderit regnum; qui adedò validum sortitus est inimicum? Ardentes ei aculatur flammæ, acres armat ventorum procellas, copiosas hostium adducit turmas, & nihilominus regnum, etsi laboratit tot aduultibus impetum, permansit non solùm firmum, sed ampliatum. Verum si munimen scire desideras, ipsum audi: *Iustitiâ indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo, oculus sui cæco, & pes claudio, pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Iob. 29. v. 14. Iob æquum proferebat iudicium, pauperum erat solatium, iustorum frænum. Ergo quòd iustitia regnum suffulciebat; subuertere inimicus nequibat. Prodest Greg. lib. 19. Moral. cap. 14. *Iustus est in actionibus suis, pius in infirmitatibus proximorum, strenuus in negotijs pauperum.* Omnia æquitatis legibus gubernabat: ergo regnum; vbi iustitia floruit; potuit impeti, non eterti. Econtrâ: patum iuuant militares instructus, copiosus armorum apparatus; immetatus equorum numerus; si iustitia læsa, & æquitas fuerit violata. Pharaos, vt firmarit regnum; ad iniquas recurrit versutias: ingenuos aditenas grauissimo premebat iugo, recens ratos rapido tradebat fluento. Et quamuis copioso armatorum cinctus numero, & militari munitissimus apparatu, periuit in Mari Rubro. *Ingressus est eques Pharaos cum curribus, & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris.* Exod. 15. v. 19. Rapida vnda deleuit, quos iniustitia fluentis tradidit, quin bellici currus, militares equi, aut pedites obarmati potuerint coronam stabilire, quia violata iustitia fecit subuerti. Audi Theoder. q. 25. *Tradidit iustissimus Iudex exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu, quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.* Opprimebat iniustissime innocentes aquarum exitio: ergo periuit, quantumuis copioso cingeretur exercitu. Nam præcipua regnorum fulcra, iniuolata sunt iura.*

Iob. 42.
v. 10.

Iob. 29.
v. 14.

Exod. 15.
v. 19.

§. XXVI.

Sapissimè ignavi arroganti præsumptione turgescunt, & aliorum facta abrodunt.

Seneca. 2. de Benefic. cap. 26. disertè aiebat: *Insitum mortalitati vitium se, suæque mirandi... Nemo non benignus est sui Iudex: inde est, ut omnia meruisse se existimet.* Hoc vitio ab exordio laborauerunt mortales, ut se, omniâque sua magni faciant, & aliorum vel eximias dotes paruipendant; verùm frequenter amenti hoc iudicio errant ignavi, & naturæ dotibus destituti: in se vident, quæ non sunt; in alijs non vident, quæ sunt. Absalom in certamina terga vertit, cum nullum studijs tempus insumpserit; sapientissimos à Dauide Iudices constitutos iniquo dente abroderebat, & se in iudicandis causis præstantiorem, & sapientiorem iactabat: *Non est, qui te audiat constitutus à Rege: Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Ac si diceret: Constituti Iudices sapientiâ destituuntur, aut muneribus subornantur; ego verò, si ad iudicariam potestatem deuenirem, facilius lites dirimam, & iustitiæ libratam pondetibus sententiam proferam. Hunc esse horum verborum sensum tradit Glossa Moral. *Ostendebat se sapientem ad regni negotia tractanda, & parem notabat de dispendiâ.* Benignissimus sui Iudex erat, litteris ineruditus, armis ignauus; nam frequenter ineruditi, & ignavi intolerabili arrogantia turgescunt, aliòsque despiciunt. Gigas ille spiritus cum ab adolescentia tractasset arma, nulla dicitur tulisse trophæa, nullâ nobilitatus victoriâ. *Hic vir bellator est ab adolescentia sua.* 1. Reg. 17. v. 33. Ab adolescentia secutus est castra, immutato corpore procerus, nullis fortitudinis bellicæ testimonijs nobilitatus. Hic Dauidem deridet, & cum ipso congregari indignum credit: *Despexit eum:* Dauidem despiciebat visorum domitorem, leonum interemptorem Gigas corpore procerus, animo, & corde pusillus. Ecquis hoc ait? Certè Chrysof. apud Gloss. *Non in forti virtus, non in audaci animus, non salus in bellatore consistit.* Itaque Gigas tumebat audaciâ, non animi, & cordis valentiâ, erat roboris apparens larua, & quærebat sibi plausum, maledicâ Dauidem abrodens linguâ. Sæpè namque externa specie fordidi, aut originis sanguine obscuri, maledicâ solum linguâ pollentes alijs conciliant inuidiam, & satagunt sibi famam conciliare arrogantia, & maledicentiâ. Absalom crinitus, & delicatus integerrimis Iudicibus affigebat notam, & arrogans ostentabat iurisprudentiam.

§. XXVII.

Inueniuntur minus habentes, qui munus ritè obituros præsumpserant arrogantes.

Grande discrimen est inter præsumptionis vota, & vigilantis solertiæ facta. Quisque sui Iudex benignus est, & si nanciscatur, ritè obituro munus præsumit; sed sæpè sæpius in ritè administrando munere deficit: cogitata nullo præpediuntur obstaculo, faciendâ tardantur impedimento. Nec idem est, bene de se præsumere, & muneris obligationem implere. *Fateor* (aiebat Senat. 12. Var. 2.) *auiditatem desiderij mei, cupio me vobiscum velle predicari, veniamus nunc ad consue-*

ra. Actio à munere non discrepet, nec promissio ambitiosa fallat. Absalom testabatur Principis munus se ritè obituro, si deueniret ad principatum. *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Non responderunt facta promissis; nam qui, si adiret principatum, ritè se administraturum præsumebat, conclamatus Princeps, militares acies ignauus, & timidus desertauit, indecorèque terga vertit: *Accidit, ut occurreret Absalom seruis Dauid.* Infr. 18. v. 9. Notauit Hugo Card. *Quis me constituat Iudicem: multi adhuc idem cogitant in corde suo: quanta bona facerem, si essem loco illius; & sæpè cum veniunt ad statum illum, deficiunt omnino.* Videbis, qui suspirat episcopatum, se fore testari pauperum solatium, miserorum auxilium, egenorum ærarium. Qui episcopatum adeptus odiosâ auaritiâ sordefcit, & aurum sitit. Videbis, qui, ut obtineant, se sollicitè, ritèque dignitatem promittant administraturos, cum magistratum adepti, æquitatis leges proculcent, & iura studio sè ignorent. Absalom, si fortiatur principatum, ritè se iactat munus obituro, sed iam Princeps, deseruit ignauus bellum. Cum Iacob cum filijs ageret de alimentis iterum ex Ægypto adducendis, responderunt sine Benjamin non posse Ægyptum repetere; alioquin Proregis indignationem subituros, & de mendacio fore confusibiliter arguendos: ad hæc adiecit Ruben: si in eius fidem traderetur Benjamin, patris conspectui immunem prorsus redditurum. *Trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituum.* Gen. 42. v. 37. Quibus pater videbatur, ut puerum Ruben fidei committeret, incitandus, ad speciem tardatus est: *At ille: Non descender* (inquit) *filij meus vobiscum.* Quæritur Interpretes: Cur profectionem distulerit, quando Ruben incolumitatem promittebat, & frugum inopia diuexabat? Respondentque noluisse tradere Ruben, quia vidit cæteris audaciorem, & præ cæteris munus illud obituro se promittentem. Nam sæpè, qui se rectè aliquod munus obituros iactant superbi, ipso in munere promissis inueniuntur contrarij. Inuit Abulen. hic. *Quia maior erat, sibi Benjamin commendandum esse putabat.* Ipse putabat, sed veritus est pater iactantiosum, & præ alijs tumidum promissis non responsurum, nec ritè munus implendum: ergo restitit, & curatoris munus committere iactantioso, & callido noluit, factis nos edocens, plures affectare pietatem, promittere, si munus adeant, sollicitudinem, cum adepti, à promissis deficiant, & commodis proprijs solum attendant.

§. XXVIII.

Si speres commodum, pendet populus debita subiectionis tributum.

Errare mihi videntur, qui existimant, gratis homines subiectionis, seruitutis pati gratis iugum, nec aliud præter subiectionis obsequiû, ambire commodum, cum re verà ob id alium in Principem salutarint, ut quiuerint exambienda pace frui, intrepidè degere, & licitis commodis exundare. Sine capite votium nequeunt consequi desiderium: nacti ergo, subiectionis pendunt tributum. Bene Senec. de Philosophis epist. 73. *Nulli aduersus illos (scilicet Imperatores) gratiores sunt: nec immeritò, nullis enim plus præstant, quam quibus frui tranquillo otio licet.* Itaque hi, quibus ad propositum bene viuendi adiutum confert securitas publi-

Gen. 42.
v. 37.

ca, necesse est auctorem huius boni, ut parentem colant. Principem ut parentem colunt, qui sub eius tutela violentiæ non sentiunt iniuriam, sed potentum euitare violentiam, qui rerum prouida administratione sortiuntur copiam; & quidem truncus insipientior videtur, qui in Principem electus subiectionum utilitatis, commoditatique oblitus prorsus probatur; nam truncus, si se in Principem sentiat electum, subiectionum se ostendat studiosè sollicitum. Audi rhamnum sylvæ arbores alloquentem: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite.* Iudic. 9. v. 15. Constitutus Rex agnouit plantas subiectionis pendisse tributum, ut placidæ quietis, tranquillitatisque exoptatum potiantur commodum. Rex (addit datus iam Sene.) *viribus suis protegit.* Ut nubes è terra subtilissimos vapores fugit, quos postea in telluris commodum fœcundam in pluuiam reddit conuersos; sic Princeps à populo recipit vectigalia, & subiectionis tributa, ut prouidâ tributarios feruet tutelâ. Ob id dignissimus imperio Rex aiebat: *Thronus meus in columna nubis.* Eccl. 24. v. 7. Putares instabilem thronum, cum nubes sæpè ventorum acrius adspirantium procellis impetatur, & tamen columnæ stabilitatem sortiori, apertè fatetur: è nube sibi thronum construxit sapientia, ut nouerint Principes firma esse dignitatum fastigia, si nubis illius adinstar depellant tenebras, & acceptas in Reipublicæ commodum diuitiarum expendant copias; etsi ventorum flatibus contingat impeti; inuenient fixa stabilitate fundari. Innuit Hugo Cardin. *Thronus meus in columna nubis, id est, potestas mea stabilis est, ut columna, & toti mundo utilis, ut nubes, quæ solis ardorem temperat, & terram irrorat, & fœcundat. Hæc est enim columna nubis, quæ præcessit, & protexit filios Israël.* Stabilis est thronus, si protegat, si defendat; nec grauanter populus subiectionis pendet tributum, si è throno sperauerit commodum. Huius politici non ignarus Absalom, ut ei omnes obedientiæ præstarent lubenter obsequium, quod regiminis suspirabat fastigium, promittebat omnibus commodum: *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Id est, qua modò regiminis utimini forma, non est opportuna Reipublicæ, cum David eius negotia iam non curet senio confectus, & ab eo electus Iudex muneribus hiarit auarus; ego verò si vestris suffragijs inscenderim thronum, & illæsa custodiam iura, & generalitatis curabo commoda: coloratis mendacijs, blandis promissis suasit, ut à Dauide resiliunt, & ei subiectionis tributum lubenter penderent. Innuit Abul. q. 8. *Volebat ostendere necessarium esse, vel opportunum pro utilitate populi ipsum constitui Regem.* Expende illud. *Pro utilitate populi;* nam populus grauanter subiicitur, si nulla à subiectione ei utilitatem promanare arbitretur. Itaque superiori subiicitur, ut tranquillitate, & commoditate potiatur. Discant superiores ab Absalonis politica, quantum interfit subiectionum augere commoda ad fulcienda, firmandaque dignitatum fastigia.

§. XXX.

Sapè, ut effectum sortiatur dolosus ambitus, affectatur utilitatis publicæ zelus.

Nihil est aded frequens, quam vitia virtutum faciem assumere, & honestatis colore regi.

Vitia nobis (aiebat Sene. Epist. 45.) sub virtutum nomine obrepunt. . . In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Non facilè credendum est sine temporis suffragio, sine examine lydio. Subarata moneta probatæ speciem assumit, & specioso splendore fallit. Plures dolosissimas fraudes, versutissimas astutias, astutissimas fallacias non solum obtegunt colore virtutis, sed generalis etiam utilitatis; & dum ambitus zelus habetur, periculosissimè erratur. Absalom fraudulenter ambitiosus, ambitioneque cæcus, Reipublicæ mentiebatur zelum, & generalitatis deplorabat incommodum. Dicebat Absalom: *Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Ac si diceret: Deploro huius Reipublicæ calamitatem, quia video nec iudices incorruptam custodire iustitiam, nec Principem, qua opus est; vigilantem habere solertiam. Si introrsus rem dispiceres, inuenires sordidissimum ambitum; si exterius, fucatum iustitiæ, utilitatisque publicæ zelum: Absalom mentiebatur æquitatis zelum, sed ut assequeretur facilius votum. Ita Abul. q. 5. *Nititur Absalom colorare iniquum affectum suum, scilicet quod ipse non aspèrabit ad honorem propter desiderium eius, sed propter bonum publicum.* Affectabat amare se publicam utilitatem, cum pectore gereret turpissimam ambitionem. O quot mentiuntur obseruantiaæ zelum, ostentantque publicæ utilitatis studium, ut virtutis fucò perueniant ad magistratum! Ezechiel in templo videt zeli idolum zelum prorsus vacuum, & ab imperitis cultum. *Erat statuum idolum zeli.* Ezech. 8. v. 3. Idolum, ut coleretur thure, victimis, sanguine, zeli nomen mentiebatur, & colebatur. Erat ille zelus ad fallendum, non ad virtutibus auxiliandum, erat ille zelus sine zelo: erat zelus, ut in Hebræo habetur, ad omnia perturbanda, non componenda. *In Hebræo habetur (inquit Lira) accensionis.* Erat ignis, qui non vitia excoqueret, sed pacem, & tranquillitatem adureret. *Secundum Hebræos (inquit Glossa Moral.) istud idolum erat idolum Bæal, quod deuorator interpretatur.* Itaque zelus ille non deseruiebat virtuti; sed propriæ utilitati. Plures iustitiæ, æquitatis, generalitatis affectant zelum, sed ut foueant ambitum. Scio scripturæ phrasim; sed sic ad mores velitor: Interrogatus Elias, quid specu delitescens ageret? respondit: *Zelo zelatus sum pro Domino.* 3. Reg. 19. v. 10. Superfluit ad speciem illa particula *Zelo;* nam si zelatus est, ipsa actio prodebat religiosum zelum, quo vrebatur Propheta, præcipuè cum nullus queat sine zelo zelari, ut nullus sine anima potest viuere: ergo cui videatur otiosum, asseruisse se pro Domino zelatum zelo. O vilem nobis eruditionem! Cum plures affectent sine zelo zelum, ut honesto fucò texerint ambitum, Elias testatur legitimo se zelo pro virtute inflammatum, non vmbrailem fucum mentitum. Prodest Lira: *Zelo zelatus sum, id est, ex toto corde zelavi pro lege Dei.* Et Absalom mentitur iustitiæ zelum, cum se verè detestabilem pectoribus foueat ambitum.

§. XXX.

Honore se indignum prodit, qui ardentè honores assequi cupit.

Veris meritis honoris exhibendum est præmium, nam virtutis ostentatio præcipuè aliorum detrimento contra se suspitionis ingenerat

præiudicium, & exhibet argumentum. Meritorum ornatus modestia est, nec potest regi ambitionis flammâ, si ambientibus desit modestia. *Humana mentis* (aiebat Cassiodor. 7. Var. 26.) *felix illa conditio est, quæ arbitrium prouectionis suæ intra terminum moderationis includit.* Dignè ad dignitatem eligitur, qui prouectioni suæ animitus refragatur. *Hinc* (addit. 9. Var. 25.) *virtutum omnium sumitur manifesta cognitio; hinc sapientia veritatis sapore conditur. Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuir doctrina celestis.* Cùm familiare humilibus sit de se abiectè sentire, & aliorum honesta facta animitus commendare, facillè est dignoscere, an quis solidis meritis adornetur, an aliorum ruina eleuari adnitatur: & quidem qui meritorum soliditate fundatur, etiam humilitate fulcitur. Absalonem in Regem plebs extulit, sed stultitiam plebis ipsa electio manifestauit; nam nulla arte apparere potuit honore dignus, qui regiminis culmen suspirabat immoderatè ambitiosus. *Dicebat Absalom: Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Et si æquitatis colore niteretur fallaciam tegere, sola plebis ruditas potuit eo honore dignum existimare; ardentissimus namque ambitus prodebat coloratam fallaciam, & publicabat manifestissimam imposturam. Audi Abulen. q. 5. *Fallacia non erat nimis latens, quia qui honorem desiderat, non est dignus honore, & qui desiderat statum excellentem, non potest eum conuenienter sustinere.* Eadem magistratus ardentissima desideria erant indignitatis manifestissima indicia; & ni voluisset oculos de industria claudere, ipsis Absalonis factis poterat populus erudiri, quandoquidem si ipse verè esset dignus, aded anxie non sollicitaret suffragia, nec abroderet aliorum mores audaci lingua. Dum Christus Dominus, ne in Regem eligeretur, aufugit, regno se dignum ostendit: *Cum cognouisset, quia venuri essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus.* Ioan. 6. v. 15. Ipsa arrepta animitus fuga testabatur merita, & ambitionis condemnabat deliria. *Erat Rex* (inquit Aug. in Cat.) *qui timebat fieri Rex.* Consonat ibi Chrysost. *Fugit erudiens nos, mundanas contemnere dignitates.* Christus, quia verè dignus, docuit dignitates contemnere, non ambire: Non sollicitauit suffragia, sed fuga anteuertit vota. Profectò etiam sibi officit benemeritus, si merita denigrauerit ambitiosus.

§. XXXI.

Plures honorem ambiunt fugiendo, & auersari affectando.

Sæpè sepius ambitio humilitatis laruam assumit, & gloriæ euanidæ, quam ardentè sitit, fugientis specie accedit. Bene Senec. epist. 5. *Indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambit ionem peruersâ viâ sequitur, deuita.* Cùm ambitio honorem suspiraret, viam inuertit, & renuntiare se honoribus fingit. Absalom subdolosus, & ambitiosus iudiciariæ potestatis, testabatur se honoribus renuntiare, & solùm optare ad Reipublicæ commodum, & æquitatis suffragium. *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Ac si diceret: Iudiciariæ potestatis honores prorsus auersor, sed iudicandi sollicitum laborem ad solatium populi subire non dedignor; non aiebat: *Quis me constituat Iudicem, ut togâ splen-*

deam, sed vt litigantium dissidia componam. Hunc esse horum verborum sensum testatur Abul. q. 5. *Nititur colorare Absalom iniquum affectum suum, scilicet, quòd ipse non aspirabat ad honorem.* Honores despiciendo, honorem sitiebat, & laboris desiderium ostentando, molestiam prorsus recusabat: vt ambiret, non ambiebat, & vt assequeretur, honores aspernabatur: *Nitebatur colorare iniquum affectum suum, scilicet quòd ipse non aspirabat ad honorem.* Iosephus polymita veste exutus, Ismaëlitis diuenditus, intrat Ægyptum: ibi dùm blandis fœminæ adulationibus occludit aures, eximias probatur studiosè coluisse virtutes: de seruo fit dominus, dum famis periculum anteuertit futurorum præfagus, & coniector indubius. *Fecit eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent.* Genes. 41. v. 43. In Iosepho virtutum domicilio, & sanctitatis thesauro adumbrari putat Philo lib. de Ioseph. Testè ambitiosum; qui frequenter affectat ornatus sordes, vt splendidas induat vestes, qui fugit conspectum, vt assequatur facilius plausum; qui humile incolit habitaculum, vt inscendat citius ad thronum. Philonis verba sunt: *Rectè dicitur hinc vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans, concionaturus locum superioris ascendit, sicut venalitiij, seruus fit ex ingenio propter honores.* Humilitatis, seruitutisque profitentur statum, sordidum affectant vestitum, incolunt angustum, & veluti luci incognitum habitaculum: & hoc totum, vt facilius adipiscantur honores, & popularem citius assequantur auram, dum mentiuntur sæculi fugam. *Illos* (aiebat Tertul. de Pœni. c. 11.) *qui ambitum obeunt, capeffendi magistratus, nec pudet nec piget incommodis animæ, & corporis tantum, verum & contumelijs omnibus entis in causa votorum suorum.* Animæ incommodum est hypocrisis, adulterata humilitas, mentita sæculi contemptus honestas; corporis etiam est incommodum affectatum recessus studium, luridum pœnitentiæ mendacium. His tamen artibus ambitio vitur, vt postmodum cæteris dominetur. Itaque vestium ignobilitate tendit politiorè ad cultum, recessu ad thronum, ieiunio ad prandium. Absalom pro palatij foribus stat, venientibus accurrit, acclinis exhibet reuerentiam, vt popularem inclinatione assequatur auram: affectat honoris auersari stipendia, non culminis onera; vt dùm putatur virtutibus inseruire, facilius possit ambitiosis affectibus adulari.

§. XXXII.

Ambitio certissimum affert dispendium, cùm sit dubium assequi magistratum.

Ovisquis immetatæ se ambitioni dedit, multis se difficultatibus implicauit. Electorum opus est atria terere, indigna deiectione decrescendo occurrentibus obuiare, indigna sæpè tributa soluere. Lepidè Tertul. de Pœni. cap. 11. *Atria nocturnis, & crudibus salutationibus occupant, ad omnem occursum maioris cuiusque persona decrescentes.* Ambitio chymæ adinstar patribus sibi contrarijs constituitur, & veluti hircocervus componitur. Opus est ad curiam aduentanti, fastu, domus, ac familiæ splendore, honoribus se dignum ostendere: opus est eodem tempore acclini adulatione blandiri, gratiam auro emere. Et cùm sitiat ambitus eminere, inde

Gen. 41.
v. 43.

Ioan. 6.
v. 15.

corè didicit subijci : deijciuntur ad genua , nitent quadrigà ; & post tot impensas , laboriosasque curas votis frustrantur , & tardà pœnitentiâ domo repetere compelluntur. Absalom in Iudicem deligi immmodicè exambit : *Quis me constituat iudicem super terram ?* Utque assequatur votum , ostentat faustum : *Fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Vides pompæ sùptum, vide modò adulationis obsequium. *Cum accederet ad eum homo, ut saluaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.* Vtrumque sibi necessarium ad assequendum votum putasse, adulatoria scilicet officia, & splendentis familiæ impendia, testatur Abul. q. 2. & 7. eius verba sunt. *Quia videbatur difficile, quòd homo parui status, & honoris, assumeretur ad principatum regalem, ideò voluit Absalom ex magno tempore esse in honore.* Itaque ne videretur, quam exambiebat, dignitate indignus, vtebatur quadrigà, splendentique seruorum pompâ; quod nisi magnis sumptibus nequibat comparare, & habere. Sumptum comitabatur osculi obsequium: terebat palatij limina antelucanus; & omnes ad palatium aduentantes indigna deiectione salutabat officiosus: nec audies in iudicem fuisse electum, aut ad tribunal iudicum eleuatum. *Quemlibet de populo venientem ad expediendum negotia osculabatur Absalom, & istud erat signum magnæ dignationis.* Præcesserunt impendia, oscula, officia; sed in Iudicem non est electus, etsi postea ad dignitatem aliam conclamatus. Itaque certum erat manicare, diuitias expendere, humillimis officijs blandiri, & erat dubium assequi magistratum, & iudiciaria potestate splendere decorum. Plures ad euriam cõfluunt, vt sibi sollicitent magistratum, opusque illis est quadrigà, famulitij pompâ, vt digni habeantur, & ad fastigia eleuentur. Et hos ipsos, quos vides splendere; videbis ministrorum in domus vestibulis expectare: autum profundunt, vt in secretius cubiculum admittantur, & post sumptus, auolauit magistratus. Nam incerta est ambientibus assecutio; sed certissima indecora deiectio. Balac indigna contra populum Hebræorum quærens auxilia, delegat ad Balaam nuncios, seruos mittit, qui eius nomine Diuino exhibeant officium, & pretium, sed post viæ labores votis fraudati, ad dominum reuertuntur. *Noluit Balaam venire nobiscum.* Num. 22. v. 14. Instat, nobiliores Principes mittit: *Plures, & nobiliores, quam antea miserat, misit.* Non sine pretio diuinationis Balaam allexit: venientique occurrit. *Egressus est in occursum eius: & eius præceptis paruit; quid deiectione, itinere, sumptu assecutus fuerit, Textus nõ tacuit, imò spebus prorsus destitutum ingemuisse pœnitentiâ ferâ, & inutili, expressit: *Complosis manibus, ait: Ad maledicendum inimicis meis vocauit te, quibus è contrario tertio benedixisti.**

Num. 24. v. 10. Intimo dolore percussus doluit sollicitasse contrarijs benedictionis suffragium grandi diuitiarum dispendio, indigno deiectionis officio, laborioso montium ascensu: votis ingemuit fraudatus, postquam plurimis sollicitudinibus est attritus. Notauit Hugo: *Complosis manibus, id est connextis adinuicem, quòd est signum magni doloris.* Indoluit post auri iacturam, post exhibitam reuerentiam, post scrupulosam per montium abrupta viam, votis inuenisse contrarium, & spebus, se prorsus destitutum. Timeat ambitiosus de infausto, noueritque fore labores certissimos, fructus verò incertos.

§. XXXIII.

Immetata sunt ambitionis vires ad incommoda deglutienda, & onera grauisima supportanda.

VT phrænetici viribus vigent, & quod nullatenus tentarent mente præditi, cæco illo furore audent; sic qui ambitionis insaniunt delirio, præualere videntur viribus, & robore corporis immetato: deglutiunt aspera, deuorant iniucunda, ingentissima ferunt onera. Audi Philon. lib. de Ioseph. de Ambitore dignit. *Seruus fit ex ingenio propter honores, quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis.* Ambitiosus innumeris dominis gerit obsequium, & prius seruulis occurrit demissior, vt turgere possit elatior. Absalom anteuertit lucem, palatij limina terit, aduentantibus obsequiosus occurrit, & hoc totum, vt tribunal inscendat, & togâ fulgeat: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem?* Eo tempore plures esse Iudices ex Textu constat, & Abul. q. 7. confirmat. *Erant Iudices per singulas ciuitates, qui audiebant causas totius populi; erant etiam super istos alios Iudices maiores, ad quos deuoluebantur causa per appellationem, & isti erant 70. qui vocabantur domus iudicij, & successerunt 70. senioribus, quos Deus dedit Moyse in deserto in coadiutores ad regendum populum, & ad iudicandum, vt patet Num. 11.* Cum tot essent Iudices, testabatur Absalom non esse satis constitutos à Rege ad tot populi componenda negotia, & dirimenda litigia, & eodem tempore testabatur sibi inesse sufficientes vires ad omnium dirimendas causas, & componendas querelas: *Vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem.* Et vndè tibi robur ad immensâ onera sustinenda? Si aduentarint omnes, nullum erit quieti spatium, hullum tot circumfluentibus negotijs otium: opus erit continuis clamoribus inquietari, negotiorum mole adurgeri: nequibus respirare, nequibus somno vel per exiguum tempus indulgere; vndè ergo tibi fortitudo ad eò indefessa, & tot laborum voluminibus vis infracta? Certè ex ambitione. Non ignorabat Absalom pondus, sed ambiebat fetre, vt quietet cæteris anteponi. *Respondendum* (inquit Abul. q. 7.) quòd *Absalom aspirabat ad regnum.* Ambitio principatus eò agitabatur furore, vt vires sibi inesse existimaret ad onera plurium ferenda, & fastidia detioranda. Ieremias ambientium mores exprimens, aiebat: *Inebriauit me absynthio.* Thre. 3. v. 15. Greg. li. 20. Mor. c. 16. ait ambitione ebrium esse absynthio ebrium. Absynthium amarissimum est; ergo amaritudinibus non ferendis inebriantur, & à ratione alieni semper post ebrietatem bibere plus admittuntur. Gregorium audi: *Miscetur eorum gaudijs plerumque tribulationes: atque ex rebus ipsis, ex quibus superbiunt, flagellantur.* Nec enim sine grauibus curarum molestijs possunt temporalia, quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæsita seruare: inter aequales præstantiorem gloriam appetere: à minoribus reuerentiam, plus quam oportet, exigere. Euaniidæ gloriæ ardore intoleranda sustinent, asperissima deuorant, & amarâ dulcedine ebrj vires infractas mentiuntur insani. Validum corporis robur necessarium erat, vt Absalom dilicijs innutritus, reiectâ lecti mollitie, matutinus asperitatem frigoris sustineret, & per prolixa temporis spatia attrio stans aduentantes

Num. 22.
v. 14.

Num. 24.
v. 10.

Thre. 3.
v. 15.

uentantes officiosissimus salutaret, & tamen ambitus onus aded graue leniebat, & robustas vires praestabat. Christus Dominus in vini vsu edocens temperantiam, suos admonebat: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Luc. 21. v. 34. Datus Gregor. vt semper est moralissimus, materialem crapulam crapulae morali adaptans; ambientium, ait, corda immetatis calicibus praegravari, & nihilominus insaniam crapulae plus sitire. *Pranorum mentes plus per aspera elationis, quam per blanda humilitatis, ac mansuetudinis delectantur. Esse sub sentibus delicias deputant: dura enim pra amore saeculi, quasi quadam mollia, ac delectabilia ferre parati sunt; dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur.* Quisque demirabatur Regis filium ingenio delicatum, delicijs innutritum anteuertere lucem, indebitam impendere aduentantibus adorationem, & limine persistendo infumere diem, & tamen tot incommodis oblectabatur, acerbitate fatigationis pascebatur, & ad sustinendos labores ambitionis insaniam roborabatur: vt videas, quam verum sit ambitu homines insanire, & non ferendis oneribus praegravari.

§. XXXIV.

Plures frui satagunt honorabili dignitatis plausu; sed excusato laboris censu.

Profecto quaeuis dignitas operosa est, cogit ad sollicitas vigilias, & curas semper anhelas. Verum sunt, qui astutis artibus muneris excusarint incommoda, & honoris potiri satagunt stipendia: dignitati debitum laboris pensum non soluunt, honoris splendorem subripiunt. *Hoc multo praestantius (aiebat aliorum Cassiod. 6. Var. 12.) adesse conspectibus regijs, & abesse molestijs, gratiam habere loci, & vitare contumelias actionis.* Hoc plurimum studium est: vitare laboriosa actionis, & solum frui honoribus dignitatis; quando talis est quaeuis dignitas, vt in laboris delinimentum pendat laborantibus honoris tributum. Vbi Iosephus a sole, luna, & stellis adorationem sibi vidit impendi, spicarum etiam manipulo non dubitauit signari. Et vide somniorum ordinem: prius se manipulum vidit, quam adoratum somniareti: *Putabam nos ligare manipulos in agro; & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. v. 7. Quot labores sustineat triticum, antequam hominum sit alimentum expendebat Basil. Seleuc. Ora. 33. *Multa humanum pastum antecunt. . . culmorum adscensus, opportuna segetum maturatio, legendae messis durus labor, arae miseria, molae auxilium, superflui excretio, artis conformatio, simul ignis adspiratio.* Spica paulatim assurgit, ventorum alibilibium flatu grandescit, falcis sentit rigorem, in area sustinet bestiarum pedibus teri, & tandem elibano coqui: cum tanta sustineat granum, multa sustinenda praenuntiabat Iosepho manipuli somnium; hos labores, ne irremunerati manerent, solabatur adorationis tributum. A fratribus venditus seruit, postea ad tot pasceudos populos sollicitis curis vritur: & tandem a fratribus adoratur, vt notum fuerit annexa dignitatibus esse laboris aspera, vt honoris perueniatur ad commoda. Opus est rite munus obeunti molesta vorare, labores plurimos sustinere; sunt tamen, qui aded confederata admittantur disiungere: ambiunt a

populis suscipi, cultum sibi suspirant impendi, sed nolunt manipulum imitari. Absalom iudiciale tribunal ad causas litigantium dirimendas inscendere ad speciem suspirabat, sed manifeste fallabat: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem?* Iudex honore fruitur, sed negotiorum ponderibus praegravatur: ergo Absalom callide promittebat subeunda onera, sed solum exambiebat adorationis tributa. Ita Abul. q. 5. *Ista fallacia non erat nimis latens, quia honores magni onera grauissima iuncta habent: tamen (ambitiosi) honorem cupiunt, non onera, sed requiem, & praesse desiderant.* Honoris sitiebat Absalom gaudia, adiuncta respuebat onera. De more namque est plurimis ambire magistratum, vt honoris fruantur tributo, excusato laboris tadio. Iob aenigmaticè de huiusmodi loquens aiebat: *Mandebant herbas, & arborum cortices.* Iob. 30. v. 4. In arbore cortex est externa, medulla intima: hi ergo ad exteriora inhiabant, sed cortice testa fugiebant. Audi Greg. lib. 20. Mor. cap. 15: *Frugem diuini eloquij non concupiscunt; sed ad rerum temporalium ambitum seruiunt.* Adnectit post pauca: *Quia blandimenta hic transitoria consolationis querunt, herbas comedunt: quia in cogitationibus suis exteriorum eorum gloriam meditantur, arborum cortices mandunt.* In munerum fastigio veluti in arbore est exterior nitor, & interior labor. Sed plurimi solum discipiunt exterioriam mandere corticem; & internam auersantur sollicitudinem: delectat eos splendore, sed refugiunt laborare, fallaces affectant desiderare laborem, cum solum honorem quaerant, & requiem. Ecce Absalom testabatur se compositurum litigia, sed ad honoris solum tendebat gaudia.

§. XXXV.

Ambitio honoris consuetudinem respuit, & agglomerare sibi dignitates omnes exambis.

Hydropica ambitionis flamma dum plus exhaurit, ardentius sitit: nullus cupiditatis est terminus, sed quidquid assequitur, ad vltiora probatur gradus. Audi Sene. epist. 19: *Tulit te longe a conspectu vita salubris felicitas, prouincias & procuratio, & quidquid ab istis promittitur: maiora deinde officia te excipient, & ex alijs alia. Quis exituserit? quid exspectas, donec desinas habere, quod cupias.* In eam ambitio febrim, & ardorem incidit, vt totum Iordanem admittatur absorbere, nec patiatur alios vel gattis aspergi. Ecce (aiebat Iob. 40. cap. 40. v. 18.) *absorbebit fluium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod insuat Iordanis in os eius.* Fluium cupiditatis sitis absorbet, & adhuc Iordanem sitit, nec contenta est capacitatem vincere, sed stomachum sibi facit, & Iordanem totum conatur absorbere. Huc voco Gregor. lib. 33. Mor. cap. 6. *Iam quidem fluium absorbit, sed adhuc Iordanem sitit.* Si aliqua Iordanis gutta ad alium detriuetur, hydropico ardore exurit: fluium, & Iordanem bibet, & post tot vndas vnam sibi deesse non sustinebit. Absalom vbi fordida ambitione intumuit, omnia subselia occupare arroganter desiderauit: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium.* Non ait: vt ad me veniant plures, sed omnes. Et quid Iudicibus alijs relinquas? Nihil (respondet) quia alium praeter me Iudicem ambitio non sustinet; siue parua, siue magna negotia mihi

Luc. 21.
v. 34.Gen. 37.
v. 7.

Iob. 30. v. 4.

Iob. 40.
v. 18.

mihî applico, dignitatis consortem respuo: Prodest Abul. q. 6. *Vt veniant ad me omnes, qui habent negotium: in quo volebat esse Iudex vniversalis in toto Israël.* Nullum dignitatis consortem admittebat, quia immetata sibi omnem sibi dignitatem applicabat. Proh immensam ambitionem! Omnium sibi dignitates exâbit, & post omnes adhuc sitit. Videbis in cutia plures dignitatibus onustos, honoribus plenos, & tamen agrè ferunt, siquid ad alios peruenerit, quia omnes dignitates sitienter sibi discipiunt. Benè Senec. epist. 73. *Nec vllum habet malum cupiditas maius, quàm quod ingrata est. Adijce nunc: quod nemo eorum, qui in Republ. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, adspit, & illis non tam incundum est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit.* Absalomis cupiditas contra patrem probatur ingrata, contra se cæca: ne alius Iudex in populo emineat, totam sibi iudiciariam potestatem vendicare sollicitat: Absalom equitibus associatus, peditibus instructus, quadrigâ sublimi vectus, plurimos pompâ, fortunâque vincebat, nec tamen hoc tam illi erat incundum, quàm aliquem supra se videre, molestum. Omnia prioris esse, pater est contestatus. *Omnia mea tua sunt.* Luc. 15. v. 31. Hic tot diuitijs copiosus, tot titulis antelatus dolet hædum in fratris honorem occisum, nec sibi datum: *Occidisti illi vitulum saginatum.* Chrysol. eleganti calamo expendebat, ea diuitiarum liti, ea dignitatum ambitione primogenitura ornatum aduri, vt nec hædum in minoris fratris obsequium permiserit immolari. Chrysol. audi serm. 4. *Credidit damnum, qui rediisse conspicit cohæredem. Et quando inuidus non avarus, quando quidquid habet alter, se computat perdidisse?* Respuit ambitio consortem, auaritia refugit cohæredem: & quidquid alteri confertur ad dignitatem, sibi ereptum ingemit ad dolorem.

Luc. 15.
v. 31.

§. XXXVI.

Ministri regium nomen excusare probantur, sed aliquando potestatem regiam affectare videntur.

Magistratus, Senatores, Iudicis que modesti, vt communi saluti satagunt providere; sic norunt intra modestiæ limites contineri, nec ampliare cupiunt potestatem, quia à se quàm longè relegauere ambitionem. Sunt tamen aliqui munere Iudices, potestate affectatâ Reges: omnia suo arbitrio disponunt, & ad omnia potestatem extendunt. *Conscientiam probamus* (aciebat Theoder. 4. var. 28.) *cui iudicanda committimus, quia dignus est inter alios sequenda decernere, qui sibi modum visus est legitime conuersationi imponere.* Conscientia inter æquitatis, iustitiæque contenta, ampliùs non exercet actione, quàm muneris possit lege, cum gestis iurisdictionem concordat, & nōminibus aptat gesta; aliquando verò sub contraria appellatione furit ambitionis insania, & diuitiarum rapina: aliquandò iuris patroni, & legum vindices inueniuntur perpetrare, quod morum euerfor non præsumpssisset audere. Ecce Absalom Iudicis ambit dignitatem, sed vt regalem exercere valeat iurisdictionem: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium.* Constituto Iudici vnus, aut alter populus committitur, quia super omne regnum iurisdictione ad Principem pertinere cognoscitur. Ergo Absalom

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

vtumque solerti astutiâ coniūgit: regium non inuadit nomen, vt fugiat inuidiam, sed sub Iudicis nomine potestatem exercere discipit regiam. Notauit Abul. q. 6. *Non dicebat: Quis me constituat Regem, sed quis me constituat Iudicem.* Regis excusabat titulum, sed dum in omnem extendebat terram iurisdictionem, regiam sibi vsurpabat potestatem. Notauit data. q. Abul. *Dicebat: Quis me constituat Iudicem super terram? id est super totam terram: hoc tamen ad neminem pertinebat, nisi ad Regem.* Item quia dixit: *Vt veniant ad me omnes, qui habent negotium: in quo volebat esse Iudex vniversalis in toto Israël; sed hoc ad nullum pertinebat nisi ad Regem.* Itaque vsurpabat regale exercitium, & Regis ciuitabat elogium, vt in se exprimeret aliquorum mores, qui siue in priuata domo, siue in Reipublicæ magistratu retento ministrorum nomine, vtuntur dominorum potestate. Absalom Iudex, & Rex esse vult: Iudex vocabulo, Rex exercitio. Seruus quidam cæteris seruis à domino præficitur, & facultatum administratione donatur: antelatus cæteris, solum studuit opiparâ mensâ frui; ab alijs obedientiam extorquere, & indigna tractatione vexare. *Si cæperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis.* Matth. 24. v. 49. Quid tunc dominus? Vti hypocritam punit, & potestate abusum redarguit: *Partem eius ponet cum hypocritis.* Profectò non videbatur inter hypocritas recensendus, sed inter prociacissimos castigandus. Hypocrita cauta dissimulatione se tegit, veritatis specie fallit, & quàm non habet, adspicientibus virtutem ostendit. Quæ ergo in hoc seruo hypocritis, quando conseruos tumidâ arrogantia despectat, durâ sauitia castigat, vtque saporatis refertâ dapibus vtatur mensâ, famelicos diuturna fame diuehat? O expende, amabo te, quo insigniatur titulo, & inuenies fuisse titulo seruum, actione dominum: si hypocritis aliud, quàm exercet, promittit, hic seruus hypocritis crimine tenebatur; quandoquidem nomen designabat ministerium, & actio vsurpabat sibi dominium: seruum agebat non dominum, cum reuera ageret vt dominus; non vt seruus: excusabat domini nomen, vt auerteret à se inuidiam, verum factis heri vsurpabat sibi potentiam: Prodest Hier. in Cat. *Sapè dicimus hypocritam aliud esse, & aliud ostendere.* Hic reapse se gerebat vt dominum, exterius se profitebatur ministrum: vsurpabat dominantis potestatem, & serui exterius proferebat appellationem: erat hypocrita, quia serui specie dominus, & quidem sæuus. Ecce Absalom sub Iudicis appellatione regiam exercere exambiebat potestatem: Nomen à re discrepabat, & ambitio potestatem extendebat.

Mar. 24.
v. 49.

TEXTVS.

VERS. 5. Sed & cum accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.

§. XXXVII.

Prudens, modestusque Princeps non permittit exterius eis caremonijs se coli, quibus Numen constas adorari.

Svb modesto Principe nihil licet vanitati Sodiocæ; nihil præsumptioni, quandoquidem

L eius

eius modestia decentem solum cultum admittit, Numini debitæ ceremonias adorationis animatus respuit. Et quidem à ratione, & conditione humana videtur recedere, qui eiusmodi ceremonijs discipit coli. *Qui honorem* (aiebat Cassiod. 12. Var. 6.) *per nefanda desiderat, amissa potius opinione turbetur.* Cultus honorem de alterius deiectione extorquet superbus, vult genuflexo inferuiri, totius corporis inclinatione suspici, & quadam adorationis specie coli; verum insanam publicat arrogantiam, dum eiusmodi cultus discipit formam. *Alexandro Macedoni* (scribit Sene. 1. de Benefic. cap. 13.) *cum victor Orientis, animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cum risisset Alexander hoc officij, vnus ex legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij, quam tibi, & Herculi. Vbi cum Hercule se audiuit exæquatam, lubens & arrogans acceptauit donum, quia ambiebat Herculis cultum. Adnectit Senec, Homo gloriæ deditus, cuius nec naturam, nec modum nouerat. . . ad socium honoris respexit à dantibus: tanquam cælum, quod mente vanissima complectebatur, teneret, quia Herculi æquebatur. Herculi veluti Numini honor pendebatur, & vesanus adolescens, cui pro virtute erat arrogantia, sibi æqualia impendi adnitebatur honoris, cultusque indicia. Hac in parte Absalom apparuit modestus, sed vt tumeret postea vanissimus: negotia gerentibus in aulae limine occurrebat, & licet genuflecterent, vt Principem, adorarent, è terra eleuabat, nec eam adorationis formam exhiberi sibi permittebat: Cum accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. In Hebræo habetur: *Vt humiliaretur.* Vt salutarent, genuflectebant, & coram Principe profunda se deiectione inclinabant; ille verò, ne diuinos honores videretur ambire, etsi fictâ modestiâ, nitebatur excusare. Prodest Abul. q. 7. *Extendebat manum suam, sciscer ad tenendum eum, non permittendo quòd aliquis coram eo humiliaretur, sed eleuabat omnes de terra.* Dum genua flectere, nulli permittebat, corda omnium sollicitabat, & dum cultui imponebat modum, deprædicabatur modestus: si eiusdem, ac Deus, genuflexionibus adorari permetteret, haberetur tumidus & despiceretur immoderatè superbus. Video Magnates, summatèsque à feruis genuflexo coli, & licet sit adoratio politica, nec religioni vllatenus probetur aduersa; satis tamen est, hanc cultus formam exhiberi Numini, vt nullatenus impenderetur Magnati. Agnum adorant seniores, in facies suas prouentes, & maiestatem deiectione humili venerantes: *Ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.* Apoc. 5. v. 14. Transi ad caput 22. v. 8. vbi Ioannes coram Angelo voluit prouere; videbisque hanc cultus formam exhiberi sibi Angelum detestare: *Cecidi, vt adorarem, ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, & dixit mihi: Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum.* Apoc. 22. v. 8. Cum certum sit, Ioannem hac adorationis forma pro Deo Angelum non suspexisse, sed eximijs, ornatam prærogatiuis creaturam eo cultu deprædicasse, quærunt Interpretes: Cur Angelus prouere non permiserit, sed leuari? Respondentque cultum illum, etsi excellentiæ angelicæ debitum, respuisse, quia seniores, vt agni diuinitatem adorarent, humili se deiectione prostrarent: *Ceciderunt coram Agno.* Ergo noluit Angelus cultus ceremonijs Agno assimilari, nec coram se Ioannem permisit pro-*

sterni. Innuit Anselmus ad hunc locum: *Ex quo nobis innuit, quod sicut ipse Angelum, ita nos debemus habere eum in veneratione, non tamen eum sicut Deum adorare.* Dignus erat Angelus reuerenti cultu, humillima adoratione, noluit tamen simili, ac Agnus, cultu adorari: vt edoceret Summates adorantium esse conseruos, etsi meliori fortunâ resplendeant, vsi, & diuitiarum copiâ ditati.

§. XXXVIII.

Magnates, si cum priuatis nimis familiariter agant, frequenter aliquam fallaciam concinnant.

Rerundatur (aiebat Cassiodor. 12. Var. 6.) *ambitio caca cupientium.* Procerum affectata humanitas est fugienda, quia lucrum de humanitate probatur quærere, & mellitis verbis simplices irretiri. Serpens blando alloquio Euam allexit, mellitis adulationibus prolectauit, sed humanitatem affectauit subdolos, vt dispoliaret felicitate, exueret innocentia splendore. *Moliti sunt* (aiebat Psalt. Psalm. 54. v. 22.) *sermone eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Euthymius verba hæc Hebræorum Magnatibus applicat, qui Christo Domino accedentes, blandè loquebantur, & humanos, atque amicos se ostendere adnitebantur; sed vt ferirent, & fallerent. Euthym. audi: *Antequam eum occiderent, blandos ei, ac leues sermones loquebantur. Rabbi eum appellantes, & dicentes: Scimus, quia verax es, & verbum Dei in veritate doces, & alia huiusmodi: qui tamen reipsa erant veluti acutissima quedam iacula, & illius sanguinem appetebant.* Vt in suam traherent sententiam affabilitatis fucò iniquam colorabant fallaciam, si fortè blandis eum adulationibus delinirent, & quæ desiderabant, suaderent. Quanto alloquia erant dulciora, tantò acutiora iacula: desiderabant ferire, & affectabant humanè, & affabiliter demulcere. Neque alia erat Absalonis humanitas; mellitis verbis litigantes alloquebatur: *Videntur mihi sermones tui boni, & iusti: non patiebatur adorantis deiectionem modestus, osculabatur accedentes humanus: Extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.* Sed dolosa erat ea comitas, & humanitas, cum eò tenderet, vt ad se traheret, & contra parentem insurgere persuaderet. O quanta ab hoc osculo promanarunt detrimenta! Absalonem secuti, sibi maturauerunt stragem, corruerunt debitam fidem. *Factum est prælium in salru Ephraim; & cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David.* Infr. 18. v. 6. Nonne vides humana alloquia populo peperisse durissima tela? *Cæsus est ibi populus Israël.* Populus humanitate illectus, comitate attractus, Absalonis insana sequitur vota, & inopina festinat ad præcipitia. Opportunè Abul. q. 5. *Ista fallacia non erat nimis latens.* Facile quisque potuit agnoscere, Principem sibi in lumine occurrere, extensis brachijs amplecti, oscula imprimere, non oriri à vera beneuolentia, sed à dolosa, & tectâ humanitate fallaciâ: cum de more Magnates non dignentur cum priuatis verba miscere, nec suam priuatos in præsentiam deuenire. Ergo ipsa styli inuersio, quam tegebat, satis fallaciam manifestabat. *Osculabatur eum* (inquit Hugo Card.) *osculo adulationis.* Iuda, vt traderet, Absalom osculabatur, vt facilius coniurationem disponderet, vt signa eius sequerentur, humanitate alliciebat, & adulationibus dementabat. Sacerdotum

Apoc. 5.
v. 14.

Apoc. 22.
v. 8.

dotum Boum, Princeps priuatum Dei hominem quærit, humanitatem simulat, & mensâ honorat: *Veni mecum, vt comedas panem.* 3. Reg. 13. v. 15. Quid humanius? quid generosius? Verum, vt auferret, obtulit; vt sibi prospiceret, inuitauit. Prodest Glossa apud N. Sanct. hic. *Iste Pseudopropheta Princeps erat Sacerdotum, & valdè à Rege colebatur tanquam diuinus.* A Ieroboano colebatur tanquam diuinus, antequam vir Dei altare scinderet, & implendis minis Principem deterreret; ergo vt sibi consuleret, Senex Dei virum inuitauit ad mensam, & pietatis obtentu perniciosam texit fallaciam: ni suum negotium ageret, ignotum, ac priuatum hominem non requireret, sibi consulebat, dum ad mensam inuitabat, & facilè Dei dignoscere potuit fallaciam, vbi Principem, vt eum inuitaret, arrupuisse celeriter nouit viam.

T E X T V S.

VERS. 6. Faciebátque hoc omni Israël venienti ad iudicium, vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israël.

§. XXXIX.

Vt plurimum risè munus obit, qui accepit inuitus, non qui sollicitat ambitiosus.

Magna probata conscientia habentur testimonia, si summa dignitatum ambitiosa siti non exambiantur fastigia: & qui sollicita ambitione pulsatur, muneri aptus à prudentibus non habetur. Magna de se præsumit, qui exambit fastigium; sed ipsa præsumptio euacuare agnoscitur meritum. *Meministis, qua moderatione Prætoriano culmine* (aiebat Theoder. de Cassiodor. 1. Var. 4.) *locatus infederit, & euectus in excelsum, inde magis despexit vitia spectorum.* Qui nulla, vt plerisque moris est, sollicitudine prætoriana possidere culmina ambiuit: qui inuitus, & locatus infedit, sub æquitatis omnia moderatione tractauit, & cuncta moderatus composuit. *Fuit itaque* (verba sunt Regis) *vt scitis, militibus verendus, Prouincialibus mitis, dandi avidus, accipiendi fastidiosus, detestator criminis, amator æquitatis. Quidnam fuit illi difficile custodire, qui se à rebus alienis decreuerat abstineri. Est enim digni animi signum, fame diligere commodum, & lucra potius odisse causarum.* Indefesso studio sollicitare sibi dignitatis fastigium indigni animi non dubium est argumentum. Et quidem quò quis plus meritis exornatur intra honeste humilitatis limites se continere modestus adnititur. Absalom dum sollicitat corda, vt dignitatis regie occuparet fastigia, ambitiosissima prodit vota: *Sollicitabat corda virorum Israël.* Ad quid corda sollicitabat? Vt throno fulgeret, & immatura ambitione summa occuparet: ergo conclamatus, & votum impijssimum assecutus, nec se regere, nec sua nouit signa sequentibus imperare: ignauus aufugit, & milites suos hostili mucrone referendos deseruit. Nec mirum! quando sollicitum adeo dignitatis votum dignitate testabatur & indignum, & incertum: infelix erat ambitio auspiciū, infortunatum præfagium sequacibus, Absalonis vehemens imperandi cæteris desiderium. *Fauorem* (inquit Ioseph. apud Gloss.) *sibi omnium conciliabat: adiciens, quia si haberet hanc potestatem, ipse cuncta sub legum æquitate disponderet.* Audis promissa? attende *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

facta. Eâ pollebat iustitiâ, vt patris tentaret auferre vitam, vt fœminarum propudiosissimè castitatem violaret, & vel innatam brutis, verecundiam omnem exuerit. Hic est integerrimus Iudex, omnia æquitatis lance componens, & sollicitè dignitatem exambiens. Samuel vnum de Isai filijs in Regem inauguraturus aduentat; re cognita, Eliab præstò adest, dignitatem de sollicitudine sibi promittens. Verum Deus sollicitum abiecit, & repudiavit. *Abieci eum.* 1. Reg. 16. v. 7. David rei prorsus incius, & ab omni ambitu alienus adducitur, & præcepto patris aduentare compellitur: *Miser ergo, & adduxit eum.* Si inquit: Cur Deus Eliab abiecerit, & Dauidem inungi iusserit? Respondebit Basil. Seleuc. Ora. 14. eligendum fuisse in Principem, qui hostium vires frangeret, qui afflictò populo subueniret, qui omnia sub æquitate componeret: Ergo ipsa Eliab sollicitudo clarum erat animi inepti argumentum, & ipsa Dauidis ambitus ignorantia erat efficax dignitatis, aptitudinisque testimonium. *Filiorum Iesse chorus circumstabat, ac post sacrificium ad unctionem comparabatur.* Quisque fratrum exoptabat inungi, & Prophetæ adstans eius gratiam obsequiosus, officiosusque satagebat promereri. David patri obtemperans, & ambitus expers, ouium curam campis agebat: ergo quem non ambitus intrusit, sed Dei prouidentia elegit, mirè munus absoluit, gigantem deiiciens, & à contribulium ceruicibus iugum, antequam subirent, repellens: *Directus est spiritus Domini à die illa in David, & deinceps.* Deus dirigendi à se electum, promotumque curam suscepit, & quantò David à dignitatis ambitu remotior, muneri tantò, & Reipublicæ probabatur utilior.

§. XL.

Iurgia implacabilia seminât, si Parens erga filios naturæ ordinem non custodiat.

Magnâ inter cæteros fratres prærogatiuâ decoratur, qui ortus antelationem sortitur: Prudenter decreuit antiquitas, vt sequentium Princeps haberetur, qui primogeniti, aut maioris potiri beneficio probatur. Quod si parens naturæ ordinem tentet inuertere, periculosissima nequeunt diffidia non oriri. *Inuidiosa est* (aiebat aliorum Cassiodor. 4. Var. 44.) *contra eum querela, cui sunt reuerentiæ iura seruanda.* Parentem, qui naturæ iura debuit seruare, amara querela, si violarit leges, nequit non petere. Absalom nihil non tentat, vt subiectorum corda sibi humanitatis incantamento deuincat: *Sollicitabat corda virorum.* Quid eum impulerit, vt, superstitite etiam patre, in Regem proclamari sollicitarit, quærunt interpretes? Rabbi Khim existimat odoratum fuisse, decreuisse patrem Salomonem natu minorem præponere, & naturæ ordini contraire: ergo vbi ius suum læsum existimauit, bellicos contra patrem instructus disposuit, nec solum debitam sibi coronam immaturè est conatus adire, sed detestabili odio conatus est parentis vitam auferre. Audi Rabbin. apud Abul. q. 10. *Absalom insurrexit contra David, quia audierat, quòd volebat constituere Salomonem Regem, & in hoc præiudicabat ei, quia erat maior natu.* Si David naturæ ordinem non inuenteret, nullatenus Absalom in campum contra parentem prodiret; Verum vbi odoratus est, minorem antefendum, grauem, suo videri, iniuriam vindicare est aggressus, & militares contra parentem in campum pro-

duxit instructus : videbat pro se stare naturæ iura, ignorabat Oracula : ergo ægrè tulit præiudicium, & periculosum satis instruxit bellum. Sæpè parentes aut quia teneriori erga minores affectu ducti, aut alijs, etsi honestis causis moti, alios maioribus anteponunt, & prælatione lites implacabiles ferunt. Nulla erat Salomoni querelarum occasio, si Absalonem, quem natura prætulerat, ad regnum pater efferret ; Absaloni verò iusta erat ad speciem querela, dum inuerterebantur sancta in sui præiudicium naturæ iura. Ergo mouit bellum, & contra parentem processit in campum. Iosephi fratres, quam hædi sanguine defædarant polymitam vestem, ad patrem remiserunt: *Vide, utrùm tunica filij tui sit, an non.* Gen. 37. v. 32. Cur tunica oculis oblatâ patris dolorem voluerint incendere, & miseranda ad lamenta cogere, quærunt Interpretes? Respondentque amoris pœnas à parente exegisse, & singularitatem erga Iosephum sibi, vt putabant, iniuriam castigasse. Dùm pater erga Iosephum maiorem ostendit affectum, & cultiori vestitu, alios exasperat, & lites seminat. Fratrum querela excreuit in odium; & quos natura fecerat fratres, singularitas reddidit hostes. *Patris charitas* (inquit Seleuc. Basil. Ora. 8.) *aduersus filium filios exciuit, & charissima pignora inuidencia ebria contra semet incendit seditione.* Patris honestissimus erat amor; verùm, dum primogenitus inuerti dolet naturæ iura, dum cæteri ægrè ferunt, præferri minorem, demestica seditione furunt, fratremque diuendunt. Itaque singularis parentis affectio, tunicae elegantia, inter fratres exciuit odia: vt hinc nouerint parentes, filios æquabili æstimatione tractare, & naturæ ordinem exterius saltem custodire. Absalom vbi se Salomoni naturæ lege prælatum, sensit postpositum, nihil non tentauit, vt ius suum seruaret illæsum, & depelleret, quod verebatur, periculum.

§. XLI.

Si diuersi gradus inæquali æqualitate tractentur, ledi ipsa æqualitate probantur.

Bonæ aduersatur politicæ, dissimiles gradus, & dispares ciuium ordines eadem æqualitate confundere, & confusione odiosam satis inuidiam sibi conflare. Egregiè facit, qui ea humanitate cum omnibus agit, vt alterius indulgentiam non sit alterius iniuria. Plerique tamen, dum omnium exambiunt benevolentiam, sibi conciliarunt inuidiam. Eleganter Plin. 9. Epist. 5. *Temperare mihi non possum, quo minus laudem similis momenti: quòd eum modum tenes, vt discrimina ordinum, dignitatùmque custodias: quæ si confusa, turbata, permixta sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.* A ratione dissonat, ab æquitate degenerat, si superior inæquales nolit æstimatione distinguere, sed discriminis iura confusione vituperabili inuertere; in Iudicem constitui exambit, sed iustitiæ Absalom contrarium quo exambit modò se ostendit: *Quis me constituat Iudicem super terram.* Facta discordabant à votis; nam cum æquitas suadeat inter inæquales differentiam, eodem modo cum omnibus se gerebat: *Cum accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum.* Siue rusticus accederet, siue nobilis aduentaret, æquali honore excipiebantur, & eisdem amoris argumentis honorabantur: *Faciebátque hoc omni Israël venienti ad iudicium* Expende

illud *Omni Israël*: ac si dicat: Discrimina ordinum, dignitatùmque non attendebat, & ipsa æqualitate peccabat. Ipsa vrbalitas, qua in superiorem, Iudicemque discupiebat inaugurari, à munere suadebat repelli; Princeps namque, & superior in impertiendis honoribus, in fauoribus conferendis laudabili inæqualitate se debet gerere, non ordines diuersorum confundere. Opportunè Abul. q. 7. *Neminem dedignabatur, siue magnus esset, siue paruus.* Obscurus nimio honore intumescere superbus; nobilis exacerbatur eadem æqualitate tractus. Et quamuis humanitate demulcerentur plurimorum corda, æqualitatem approbare nequibant prudentum iudicia. Non erat regimini aptus, qui dignitates, gradusque confundens, à prudentiâ, & politicâ errabat deuius. Salomon in throni constructione vsus vtili inæqualitate imitandum omnibus exhibuit exemplum, & firmavit contra fortunæ casus fastigium. *Summitas throni rotunda erat in parte posterioris, & dua manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas; & duodecim leunculi stantes super sex gradus.* 3. Reg. 10. v. 20. Leunculi nondum maturo, robore præditi, leones fortitudine iam validi: ergo leunculi inferiori gradu stabant, & leones superiorem tenebant, & dum diuersis throni gradibus statuuntur, ipsa diuersitate suffulcire thronum probantur. Si leunculus supremo emerit gradu, & leo inferiorem teneret locum, alter superbiret inflatus, & rugiret alter despectus; ast, dum promeritis, conditioneque designantur gradus, firmissimus lucet thronus. *Stabant* (inquit Hugo) *duo leones ad iuuantes sustentare sedile. Duodecim leunculi, quia sex erant ascensionis gradus, aliter insecus positi erant pro sustentaculo ascendenti gradus.* Itaque leunculi competenti gradu positi thronum suffulciebant, vt leones etiam firmabant. *Salomon* (addit Hugo) *interpretatur Pacificus.* Ipsa inter leones, leunculòsque inæqualitas erat perturbationis exilium, pacis fomentum.

§. XLII.

Indigni dignitatum ambitores affectionis sollicitant sibi suffragia, benemeriti æqua non recusauere iudicia.

Pro merito sæpè est electoris affectio; nam quos commendat affectus, nescit denigrare reatus. *Non est maius meritum* (aiebat Cassiodor. 1. Var. 43.) *quam gratiam inuenisse regnantium.* Nam cum de cunctis optimos quærere Principes teneantur, videntur meritos elegisse; cum sæpè votum elegerit, non iudicium. *Ignari esse nesciunt* (aiebat Cassiodor. in Gnomol.) *quos iudicia pepererunt. Hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis habent.* Meritis exornati cupiunt eligi iudicio; indigni designari ad fastigium cupiunt affectu. Absalom meritis nudus, dignitatùsque audus, ad dolosam vrbalitem confugit, vt sibi alliceret corda, quia verebatur imperturbata iudicia: *Solicitabat corda virorum Israël: indignâ deiectione occurrentium emebat gratiam, quia iudiciorum rectam verebatur censuram.* Hoc enim proprium est ignauorum, varijs sibi artibus animos deuincire, quia noscunt iudicia non promereri. Qualis electio fuerit, declarauit euentus, & miser eligentium casus: nec mirum, cum non fuerit vigilantissimo iudicio expensa, sed affectione cæcissimâ parta. Prodest Lira: *Per tales fictiones falsas*

fas iniuste attraherat ad se corda hominum, ut sic ei iningerentur contra patrem suum: quia propter talia eis impensa iudicabant, & dicebant eum esse regno dignum. Erat Absaloni pro merito popularis, quam varijs artibus emerat, gratia; pro Dauide stabant iudicia; ergo dum corruptis affectibus in Regem inauguratur indignus, fuit omnibus perniciosus. *Bona mens* (aiebat aliorum Senec. epist. 27.) *nec commodatur, nec emitur.* Voluntas meretriculæ ad instar sequitur pretium, veritatem amat iudicium: ergo sæpè quem eligere respuit iudicium, subornatum præfert suffragium; & dum non eligunt iudicia, sed corda Respublica ingemiscit casibus obturbata, & æquitas exulat prorsus expuncta. Abimelech in rhamno adumbratus, in Regem deligitur; oliua, vitis, ficusque reprobatur. Iam si quæras, quomodo aculeatis sentibus plena, & fructibus prorsus nuda, viti fructifera præponatur? Respondebit Textus, electionem factam non iudicio, sed affectu: *Inclinauerunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.* Iudic. 9. v. 3. Quod respuebat prorsus iudicium, decreuit affectio; & dum non iudicium eligit, sed affectus subornatus dignitates disponit, oliuâ postponitur, & rubus præfertur: electa est rhamnus, quia conciliauerat sibi corda, etsi aduerfarentur iudicia. O quod rhamni, ficui, oliuæ, viti que præponuntur, quia electio ex corde nascitur, non ex mente!

Iudic. 9.
v. 3.

§. XLIII.

Si sua elector attenderit, electionem facillime adulterabit.

Laudabilis electio, si de candidati venerit meritum, non si de electoris oriatur commodis. Qui, ut eligat, sibi attendit, æquitatem sæpè postponet: vtilitas obscurare probatur iudicium, dum elector præstat suffragium. Palanti, qui Principis utebatur gratiâ, eum honorem decreuit Senatus, ut antiquitus magnis, & clarissimis viris delatum fuerit longissimè supergressus. Audi Plin. 8. epist. 6. *Conferant se, misceantque, non dico illi veteres Africani, Achaici, Numantini. Sed hi proximi Marij Sylla, Pompeij (nolo progredi longius) infra Palantis laudes iacebunt. Urbanos, qui illa censuerunt, putem, an miseros? Dicerem urbanos, si Senatum deceret urbanitas. Miseros ergo? Sed nemo tam miser est, ut ad illa cogatur. Ambitio ergo & procedendi libido? Qui libertum, seruumque ad immodicos honores extulerunt, adulari Principi satagebant, quia adulationem negotiationem esse putabant. Itaque dum electores ambitus libidine ducebantur, depretabantur merita, quærebantur indignè comoda. Nec alia esse potuit electio ab electorum vtilitate decreta, & augendis commodis procurata. Absalom lites gerentibus vtilissimum promittebat patrocinium, & pro cuiusvis causa testabatur ius esse indubium. *Videntur mihi sermones tui boni, & iusti.* Causam, inaudita altera parte, approbat, & in approbatione fallabat. Adnectit Textus: *Faciebaturque hoc omni Israël venienti ad iudicium.* Et cur propitium ad iudicium aduentantibus se exhibebat? Ut dum quisque fallaci spe ducitur, eum in Principem eligeret, indiscussis meritis, ambitis commodis. Prodest Abul. q. 8. *Isti potius curarent, quod efficeretur Absalom Rex propter eorum causas, & negotia.* Ea in electione propriam quisque exambiebat vtili-*

tatem: ergo populi elegerunt perniciem. *Curarent ut efficeretur Rex propter eorum causas, & negotia.* Christus Dominus, etsi virtutum censu emicuerit, & miraculorum copiâ radiarit, in Regem à populis non est electus, aut exambitus, quousque turbas in deserto pavit, mensamque explicuit; tunc verò in Principem deligere decernebant, & nisi prouida fuga populi eluderet desideria, ad dignitatis extulissent fastigia: *Cum cognouisset, quia venturi essent, & raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ioan. 6. v. 15. Ioan. 8. v. 15. Fugæ varias afferunt causas Interpretes: Christus stomachus censet celerem arripuisse fugam, ne subiret electus notam; nam cum ea in electione non tam electi merita viderentur attendere, quam electores suæ vtilitati consulere, vtilitas suspectam electionem redderet, & electi meritum obscuraret. Dum passi, dum muneribus suasi eligunt, electio potius videretur ab vtilitate orta, quam à meritis nata, ut electus putaretur dignitatem potius emisisse, quam meritis impetrasse. Audi Chrysost. in Cat. *Vide, quanta est gula virtus: non ultra eis sabbathi transgressionis cura, non ultra zelant pro Deo, sed omnia remota sunt, ventre repleto, & Prophetiam erat apud eos; & Regem eum inthronizare volebant: Christus autem fugit erudiens nos.* In manibus habebant prætia; ergo suspecta redderentur suffragia, & Christus quodammodò sibi inureret notam, ni arriperet celerem fugam; nam qui, oblato electoribus pretio, ad dignitatem eligitur, non ritè electus putatur.

§. XLIV.

Princeps exordio curet famam adaugere ihesitarum, ut possederit ceteris dignitatis fastigium.

Si bona de alio inhæreat probitatis opinio, facile non deletur, quia altis radicibus suffulcitur. Egregiè Enod. lib. 1. epist. 4. *Penè vitium credidi rem esse virtutis.* Etsi à generali famâ approbato quid fuerit admissum, quod æquitati appareat contrarium, facilius quisque iudicium suum arguit, quam erratum ab eo perpetrari posse crediderit. *Sub opinione munifici* (aiebat Cassiod. 3. Var. 39.) *parcum non decet inueniri.* Scribere potuisset: *Nequit parcus inueniri.* Qui munifici apud omnes est opinionem adeptus, nullus eum tenacitatis nota est denigrare conatus; quia timet maledici subire inuidiam, dum quid molitur contra vniuersalem famam. Absalom astutè politicus apud omnes & humani, & iusti Principis famam lucrari studuit, ut licet contra patrem insurgeret, impij famam non haberet, nec ab æquitatis videretur legibus deniare. *Quis me constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem.* Callidus iusti famam conabatur extendere, ut quantumvis ambitiosus, & impius, posset infamiam euadere: *Faciebaturque hoc omni Israël venienti ad iudicium, ut audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum.* Hac arte vsus, & apud omnes sic opinione yiguit, & floruit, ut nullus impium crediderit, imò populus regio throno dignissimum proclamaret. Notauit Abul. q. 8. *Per hoc non solum trahebat ipsos (ad iudicia scilicet venientes) sed etiam omnes alios, qui erant in urbibus istorum: nam cum isti redirent de iudicio in vrbes suas, & referrent concubiis suis, quid egisset cum eis Absalom, omnes afficiebantur ad Absalonem, & sic plurimi, qui nunquam viderant Absalonem, toto*

corde diligenter enim. Itaque studuit apud omnes iusti, moderatque Principis sic famam stabilire, vt vel in patrem rebellans, putaretur æquitate moueri: Adnectit Abul. *Hoc modo factum est, vt cum Absalom conspiraret in Hebron contra Dauid, & iussisset per omnes ciuitates eadem horâ buccinâ clangi: Vinat Rex Absalom: omnes pariter consenserunt.* Fama efficacissima erat persuasio, vt parricidam existimarent æquitatis studio motum, & ab impietate prorsus alienum. Subiungit Abulens. *Efficacissima persuasio erat, ita vt libenter omnes Israëlita pro eo morentur, potissimè, quia dabat eis spem futurorum bonorum, scilicet quòd iuste iudicaret.* Sic habebatur iustus, vt facilius crederent impietatem esse iustitiam, quàm in patrem rebellare esse impietatem. Moyse pia indignatione inuectus est contra fratrem, eique obiecit induxisse populum ad execrandum peccatum. *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Exod. 32. v. 21. Certè si historiam attendas, potius Aaron apparebit coactus, quàm populus ab eo inductus: & tamen tota criminis causam Aaroni applicat, & artificem criminis indubiè affirmat, nec mirum; nam Aaron effinxit vitulum, induxit festum. *Cras solemnitas Domini est: cum prius virga in serpentem conuersa dracones Magicos deuorarit, Magos depulerit, & per vorticum inuia populum licoo vestigio traiecerit, ea apud omnes sanctitatis vigeat fama, vt delusi, cæcique facilius sibi persuaferint vitulum esse Deum, quàm ab Aarone perpetratum erratum:* Ergo populum induxit, cum vitulum fabricauit. Huc voco Caietan. *Hinc apparet, quòd Moyse nouerat Aaron fuisse causam talis idololatriæ.* Aaronis fama sanctitatis fuit quodammodò occasio erroris; nam quem nouerat Magicorum draconum attriuisse mendacia, non putabant adoranda effingere posse idola. Ergo dum vitulo aras construit, populus delusus adorationis cultum impendit. Tantum valet eximia de superiore opinio ad animos alliciendos, & affectus elucrandos.

Exod. 32.
v. 21.

TEXTVS.

VERS. 7. Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem Dauid: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.*

§. XLV.

Contra se Superior sepe excitabit naufragia, si impunita abire sinat delicta.

Semper auget Rempubicam obseruata iustitia; nec firmum politices ædificium potest consistere, si aduultibus delictorum contingat labefactari: sed tunc præcipuè ad occasum Respublica vergit, cum seueritatis gladius otiaur, & æquitatis rigor non timetur, nam impunitate gliscit audacia, furit insolentia, ardet cupiditatis insania. *Boni viri* (aiebat Euripid. in Ecuba) *officium est iustitiæ inferuire, & malos ubique semper afficere malis.* Cuiusuis boni viri est inferuire iustitiæ, sed præcipuè Iudicis, parentis, præfulis. Nam si superior, si Respublicæ gubernator hac, aut illa causa virtutem irremuneratam, aut culpam permittat inultam, communis, & propriæ tranquillitatis est inimicus, & saluti generali contrarius.

Absalom religionem simulat, vt ad patris cædem accurrat: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron:* Loci sanctitate videbatur adduci, sed abutebatur pietate, vt militares contra patrem instructus facilius posset adlegere. Dauid pedes aufugit, quia audacia coniurantis vrgebat, & inopinus casus prudentiam imparatam turbabat: *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis.* Quærun Patres: vnde Absaloni tam exoculata audacia, & tam proca insolentia? respondētque criminis perpetrati impunitatem animos ad deteriora tentanda indidisse, & iuuenem ambitionis febribus delirantem, præcipitasse. Nam cum doloso ferro fratrem sustulerit, & iucunda conuiuiorum pocula humano sanguine temperauerit, leui à parente castigatione punitus est: aliquo tempore ab eius conspectu exulauit, sed citò Dauid osculo dedit veniam, & amplexu recipit ad gratiam: *Osculatus est Rex Absalom.* supra v. 33. Ergo dum post fratris dolosam cædem osculis est receptus, ad coniurationem contra patrem tentandam ipsa est impunitate excitatus. Iudicis, patrisque lenitas dum timorem abegit, sibi, & criminoso calamitatem ascinit. Ita apud N. Sanct. Chryostom. *Offendit Dauid filium, quia fratris in illum noluit ulcisci parricidium. Semper enim scelera, dum non rescantur, incrementum, & in augmentum facinorum perhibetur, quoties secuta impunitate peccatur. Dum enim in Absalom fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris reciduum facinus iteratur.* Patris lenitas, à Iudice permittitur impunitas, Absalomem dementauit, & Iudicem, ac parentem magnis calamitatibus affecit. Si Dauid improbos filij mores pia seueritate castigasset, ipsa vexatio intellectum dedisset: timeret repetere culpam, amarissimam expertus pœnam; ast dum post fratricidium citò ad benevolentiam admittitur, vitam, & coronam aditernam parenti conatur. Ipsa impunitas Absalom fuit perniciofa, patri nociua, politicæ bonæ contraria. Saül à Domino præceptum accepit de puniendis Amalecitis, qui properantem ad terram Promissionis populum retardarunt, & restiterunt. *Recensui, quæ fecit Amalec Israël: quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Egypto. Nunc ergo, vade, & percutite Amalec.* 1. Reg. 15. v. 2. Saül auri spebus subornatus, aut cupidine euanidæ gloria illectus, detestanda misericordia vsus est: *Perpercit Agag &c.* Amalecites quidam impunè euasit, quia casu postea ad Gelboë perueniens, Saüli & vitam abstulit, & coronam: *Amalecites ego sum. . . stansque super eum occidi illum: sciebam enim, quòd viuere non poterat post ruinam, & tuli diadema, quod erat in capite eius.* 2. Reg. 1. v. 8. Ecce Amalecita non est reueritus Saülis sanguinem fundere, & coronam etiam auferre. Quod si inquiras; Cur facer Textus expresserit Saülem ab Amalecita ad mortem impulsam, & dispoliatum? Respondeo, nos edocere voluisse impunitate vitia audaciùs gliscere, & permittentè inulta impetere. Ecce ruit coronam impunitam manu criminosi impetita, quæ digna culpæ castigatione Saülis temporibus perseveraret firmata. Notauit Theodor. apud Gloss. *Qui significauerat, nulla affectus iniuria morti insultabat, & irridebat. Accedit quod erat Amalecita, in quem Deus iam olim tulerat sententiam mortis.* Si Saül Amalecitarum culpam merito mortis supplicio, vt Deus præceperat, puniisset, modò Amalecita eius mortem non maturaret, ast quem impunem dissimulauit, adurgentem

1. Reg. 15.
v. 2.

2. Reg. 1.
v. 8.

adurgentem

gentem ad mortem tulit: Amalecites in Saül armavit dexteram, & insolentem fouit audaciam. Dum Saül noluit digna punire castigatione peccatum, ab impunito tulit supplicium; vt notū omnibus esset, & Historiæ coloribus nobis sacra exprimeret Scriptura, criminum impunitatem afferre Reipublicæ, & Superiori perniciem.

§. XLVI.

Timeat de infauſto, qui religione abutitur, vt infans cupiditatibus aduletur.

Hypocrisis (aiebat Chrysol. ser. 7.) *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sceleris.* Vicia, quæ aperto Marte in virtutem depræliantur, digna punitione inueniuntur, quæ verò adsumpta sanctitatis larua fallunt, & religione abutuntur, geminatæ pœnæ subiecta sunt. Sæpè qui aliter nequiret dolosas concinnare versutias, zeli, & virtutis specie faciliùs fallit, & simplicibus illudit. Cùm Absalom in Ierusalem nequiret exercitum cogere, & contra patrem insurgere, hac arte vsus est: finxit iustitiæ, æquitatisque zelum, vt perficeret dolum: affectauit pietatem, vt lucraretur turpissimam ambitionem. *Dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam & reddam vota mea, que voui Domino in Hebron.* Si Ierusalem militum aduolaret manus, Absalonis proderetur forsitan dolus, aut dùm religionis, pietatisque obtentu ad Hebronem contendit, ibi securius contra parentem exercitum parat, & coniurationis suspicionem propulsat. E voto res accidit, sed, dum pietatem simulat, vt ad eadem accurrat, telis transuerberatur, & comâ suspenditur. *Tulit Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Infra. 18. v. 14: *Audi Chrysoſt. apud Gloss. In cor excordis tres sagittas infixit.* Achab impius, scelestissimûsque vnicâ sagittâ perijt transixus: *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël inter pulmonem, & stomachum.* 3. Reg. 22. v. 34. Absalom tribus pœnas dedit transuerberatus; vnde datur quæstioni locus, scilicet: Cur alter vnicâ sagittâ faucius, & alter tribus perierit percussus? Certè Achab morum fuerat corruptor, alienorum raptor, & idololatriæ assertor; aut Absalom licet sororis iniuriam Amnonis sanguine absterferit, vindicarique, idololatra non deliquit, nec impietatem apertè coluit. Cur ergo Absalom non soluit pœnas vnicâ sagittâ transuerberatus, aut tribus Achab confossus? O expende, Achab aperto Marte contra virtutem depugnasse, Absalonem verò pietatem, & religionem finxisse: ergo dignus erat, qui infelici morte disperiret, & sagittarum ictus sustineret. Prodest Abul. q. 10. *Hic ponitur simulatio deceptoris erga Deum: nam supra concitauerat Absalom populum pro se, & contra Dauid, nunc verò per religionis simulationem, scilicet fingendo quòd iret ad sacrificandum, compleuit coniurationem.* Vt infans cupiditatibus aduletur, religione est abusus, & conspirationem molitus: ergo dum religionis fuco impietatem colorat, infauſtam sibi eadem maturat: dignus fuit, qui multis periret vulneratus sagittis, qui contra religionem religiosus ad speciem deliquit dolis. Absalom deliquit non solum crimine, sed sanctitatis fictione, ergo non simplici puniendus erat supplicio, sed multiplici telo. Audit Herodes Christum recens natum, & dolo-

re percussus tegit dolum, pietatis fingit affectum. *Renuntiate mihi, vt ego veniens adorem eum.* Matth. 2. v. 8. Adorationem promittit; & macheram, vt occidat; abscondit; verum qui religione abutebatur, celeti infelici morte sublatus est. *Defuncti sunt qui quærebant animam pueri.* Herodem fuisse hypocritarum ideam tradit Chrysologus ser. 152. *De fide perfidiæ sumit arma.* Vt de fide contra fidem arma desumat, promittit adorationem; sed, vt fictè deuotus incautos fallat, & faciliùs puerum occidat. De ipsa virtute contra virtutem arma producebat, & ad innocentia eadem hostis dolosissimus properabat. Quæ videntur, quæ præfentiuntur, monent cautelam, armant vigilantiam; aut hypocrisis adspicientes fallit, venenum tegit, & virtutes virtutis mucrone occidit, ieiunium ieiunio euacuat, orationem oratione oppugnat, misericordiam elemosynâ violat; ac tandem, dum studiosius existimas virtutem colere, re intimè inspecta, inuenies perniciosissimam exercere prauitatem. Absalom sibi blandiebatur de concinnata fraude, sed citò infelici fictionis pœnas exsoluit morte: vt etiam Herodes coronam, vitamque perdidit; dum adorationem fingit, & fallit.

§. XLVII.

Aliqui, cum ad exercendam virtutem sanctuaria proxima queant facile adire, distantiora affectans petere.

Intuendum est, an qui exercet pietatem, aliquomodo ipso in exercitio sibi blandiatur, aut deuotionis feruori plus deseruire conetur. Qui, vt obsequatur virtuti, distantiora deligit sanctuaria, & laboriosa, vt magis pietati inferuiat, adire non recusat itinera, honestum laborem suscipit, & præmium cumulatus acquirit. Sunt tamen, qui sic curiositatem, virtutemque admisceant, vt cum eodem modo proximo in loco virtuti quierint inferuire, ad distantiora delegerint inuolare. Ad animi valetudinem applico, quod aiebat Senec. epist. 104. de Corporea valetud. *Vt primum grauitatem urbis excessi, & illum odorem culinarum fumâ, & tunc mota quidquid pestiferi vaporis obruerant, cum puluere effundunt, protinus mutatam valetudinem senti.* *Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas attingi? In pascuum emissus, cibum meum inuasi. Reperiui ergo iam me: non permanſit marcior ille corporis dubij, & malè cogitantis: incipio toto animo studere.* Profectò inter turbam, & hominum confluentiam nescias, qualis excitetur puluis, quo deuotio fordescit, & mentis attentio languet. Qui turbam animitus fugit, & secretiora, distantioraque loca, vt animum componat, petit; laudandus est; qui verò alijs ducitur studijs, parum proficiet; quia secum seipsū feret. Redeat Philosophus datus: *Quid potest mare traicere & vrbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris, effugere, non alibi sis, oportet alius. Puta venisse te Athenas, puta Rodon: elige arbitrio tuo ciuitatem: quid ad rem pertinet, quos ille mores habeat? tuos adferes.* Suos secum mores deferunt, qui peregrinationem sæpè suscipiunt, & indè lucrum, aut oblectamentum perquirunt, vnde ad speciem sanctitatis augmentum ambiunt, non curant proficere, sed fuco sanctitatis imponere. Apud Dauidem Hierosolimitis erat Arca, & nihilominus Absalom ad Hebron vota soluturus tendit, non elegit distantius sanctuarium, vt plus inferuiret virtuti, sed vt commo-

dius blandiretur ambitioni. *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino, in Hebron.* Et quare non reddat in Ierusalem? Quare non in Gabaon, ubi eo tempore Domini tabernaculum? Quia non erat (inquit Abul. q. 14.) animus à turba secedere, vt tranquillius, & deuotius posset litare, sed deuotionis fūco liberius explere iniquissimum votum, & inferre parenti bellum. *Solum querebat occasionem* (ait Abul.) *ad parandam iniquitatem.* Cū ille locus à parentis conspectu esset remotior, erat Absalonis studijs aptior; ergo finxit deuotionē, vt falleret; & sefellit, vt periret: cū sæpè honestis sanctitatis procerum actionibus faceret Textus adumbrare soleat morum corruptelam, & dolosam fallaciam; postquam retulit habitare Isaac iuxta puteum illum, ubi Agar fugienti apparuerat Angelus: *Habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis.* Gen. 25. v. 11. adiecit Rebeccam, Deum consulturam, iter arripuisse, & familiaræ strepitum deuitasse: *Perrexit, vt consuleret Dominum.* Quod in vtero gestabat bellum, quod inter sobolem experiebatur dissidium, suavit remedium perquirere, & sollicitam anxietatem sedare. Sed quærunt Patres: Cur ab eo loco recesserit, cum ibi Angelus Agar quid faciendum edocuerit, & sua locum præsentia nobilitarit? Theodoret. q. 75. in Genes. asserit, cū de more Patriarchas construxerint Numini aras eis in locis, quæ incolabant, Rebeccam non aliò iuisse, sed apud altare domi iuxta constructum Numini altare, quid dissidium illud protenderet, falsis precibus indagasse. *Quia Patriarcharum mos fuit Aras Deo construere his in locis, ubi habitabant; consentaneum est, Rebeccam apud altare Deum precibus consuluisse.* Aug. in q. sup. Gen. ait tetendisse ad illum locum, in quo Abraham, vt litaret filium, construxerat Aram. *Queritur, quò ierit? Forsitan ad locum, ubi Aram constituit Abraham.* Itaque etsi vicinus esset locus, angelica præsentia celebris, & domi erectum Numini altare, nihilominus Rebecca distantiore ad aram tetendit, ibique consuluit: eximia deuotione eò tetendisse Rebeccam, compertum est, vt plures etiam non simili deuotione imitari, est indubium: habent templa satis vicina; & pergunt nihilominus ad remota, vt specie deuotionis, ne aliud dicam, negotium exerceant curiositatis.

§. XLVIII.

Promissa sæculo citò soluuntur, Numini promissa tardantur.

Sæpè asperi casus animum excitant, vt, emissis votis, cœlestes sibi suppetias sollicitarit, quibus fortunæ aduersitatem depellat, & insurgentes aduersitatum fluctus euadat. Verùm promissio, si voti compos, aut obliuioni traditur, aut in tempora vltiora differtur. De quodam Frontoso aiebat Cassiodor. 5. var. 34. *Immemor promissionis sue ad constituta semper apparatus occurrit. Fugere quidem nescius, sed sue sponsionis ignarus: obliuiosus, cū relinquitur; trepidus, cū tenetur. Mutat verba, variat constituta.* Et quidem Absalom Frontoso assimilis promisit Numini soluturum se vota, si temperaretur parentis ira: sed desiderium adeptus, factus est promissorum obliuiosus. In Gessur Syriæ exul votum emisit: *Vouens enim vouit seruus tuus, cū esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino:* sed rebus iam com-

positis, curiæ redditur, & paternis conspectibus præsentatur, non tamen statim votum soluit, sed in tempus futurum distulit, & quatuor iam transactis annis de soluendo voto cogitauit: *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.* De annorum summa, qui Litteram tractant, disputant; ego verò, cū solum moralia perquirant, ab his abstineo, sequorque plures, qui legunt: *Post quatuor annos:* inquirorque: cur Absalom exsoluere distulerit vota, cū Ierusalem redditus statim potuerit offerre Numini sacrificia? sed ipsa quæstio solutio est: promisit Deo, cūque de more vota in Dei honorem emissa tardentur, aut obliuioni tradantur, Absalom & tardauit, & tardè impleuit. Innuit Abul. q. 14. *Absalom vouerat per sex annos ante hoc: ergo tenebatur implere votum, & non impleuit.* Inter exilij angustias, inter ærumnas aduersitatis fixè promisit libare Domino sacrificia, ubi gratiæ Principis restitutus, & curiæ redditus; quod optarat, obtinuit, sed promissa obliuioni tradidit, & longa post tempora voti meminit. Quàm aliter cum sæculo agitur. Si quid vanitati, aut cupiditati promittitur, promissio, nullà interposità morâ, adimpletur. Testis est Iudas, qui cū fœminæ hædum promississet, statim ac ad gregem peruenit, promissum hædum per manum pastoris misit: *Misit Iudas hædum per pastorem suum.* Gen. 38. v. 20. Maluit Iudas oues pastore carere, quàm datam mulieri fidem statim non liberare. Notauit Glossa: *Mittitur promissus hædus tanquam meretrici.* Meretrici non differuntur promissa, & facta differuntur Numini vota. Absalom post longa tempora offert sacrificia, Iudas statim meretrici mittit donaria. Philisthæi Dalilæ, vt decipiat Sansonem, certam pecuniæ summam promiserunt: amorem quæstuaris simulans, & blanditias affectans, prætexit Sansoni dolos, monuit Philisthæos, qui statim inuolarunt, & pecuniam attulerunt: *Ascenderunt, assumptâ pecuniâ, quam promiserant.* Iudic. 16. v. 18. Non rogati, non compulsi attulerunt pecuniam, imò antequam assequerentur votum, soluerunt, vt apparet, argentum. Transi ad Pharaonem, qui plagis diuexatus, & necessitate compulsus, semel, & iterùm promisit populi libertatem. *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Exod. 8. v. 8. Oratio Mosis plagam ranarum expulit, & tranquillitatem attulit. Quid tunc: Pharao ingratus, obliuiosusque fidem violat: & pertinax perseuerat. *Videns autem Pharao, quod data esset requies, ingrauuauit cor suum, & non audiuit eos.* Rogabis: Cur Philisthini, nondum absoluto negotio, pecuniam obtulerint, & Pharao assecutus sanitatem, fidem violarit? Sed solutio facilis est: Philisthini fidem mulieri dederant meretrici; Pharao libertatem populi promiserat Numini: ergo Numini promissa sæpissimè differuntur, cū statim meretrici promissa adimpleantur. Eo namque homines errore tenentur, vt honoris arbitrentur iniuriam, si sæculo promissa distulerint, cū Deo promissa reddere differant, & soluere parumpendant. Notauit Lira: *Sic faciunt multi, qui cū in afflictione positi sunt, multa Deo promittunt, sed extra periculum positi retrahant.* Pharao Deo promissa non reddidit, Philisthæus datam Dalilæ fidem citissimè liberauit.

§. XLIX.

Prudenter emittenda sunt vota, quia ritè non soluta degenerant in scandala.

VT fides integra, inuiolataque affert elogium, sic violata affert virtutibus detrimentum; nam vnde sperabatur auxilium, promanat conscientiae obstaculum. Promissa Numini si religiosè soluantur, magnis præmijs remuneranda inueniuntur; floret voto emisso pietas religiosa, & soluto fidelitas laude digna. *Immutabilis fidei est omne, quod bene viuuntur* (aiebat Cassiod. 5. Var. 40.) Econtrà: si nostris actibus firmitas non insit mentis, conscientia præpeditur obstaculis: & quod supernæ maiestati reuerentiam piæ fidelitatis videbatur impendere, dilatum, aut violatum votum irreuerentiæ iniuriam indubium est irrogare. Satius est non vouere, quàm diu promissionis ligaminibus implicari. Absalom à curia exul, paterno conspectu iusta indignatione interdictus, & magnis redeundi difficultatibus implicatus, votum Deo emittit, si, rebus compositis, patris redderetur præsentia. Emisso voto, paternis est conspectibus redditus, & difficultatibus plurimis expeditus; verùm, cum fas esset statim promissa implere, & fidem oppignoratam liberare, negligens, distulit, & ipsa dilatione, vt Abulensi placet, peccauit. *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.* Nonnulli legunt: *Post quatuor annos.* Promissionis obliuiosus distulit, & in conscientia scandalum obsequium religiosum conuertit. *Sicut peccatum erat* (scribit Abul. q. 14.) *nullo modo votum reddere; ita peccatum erat tardè reddere. Sic patet Deuter. 23. scilicet: Cum voueris votum Domino, non tardabis reddere, quia requirit illud Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Iam tamen fluxerant sex anni, ex quo redierat Absalom de Gessur.* Iam in Ierusalem diu habitarat, patris conspectui redditus, & desiderata assecutus, cum de soluendis votis cogitauit; cumque debuisset statim reddere, pietatis fomentum conuersum est in peccatum. Satius erat Absaloni, quàm tardare, votum non emisisse; nam conuertebatur in conscientia præiudicium, quod pietatis esset suffragium. Ob id magna consideratione opus est ad vota emittenda, præcipuè si difficilia, aut consuetudini repugnantia; nam sæpè consuetudo præuallet, aut difficultas impedit: & quod quærebatur ad virtutis auxilium, virtutis inuenitur obstaculum. *Vouete* (aiebat Psalt.) *& reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera, terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terra.* Psalm. 75. v. 12. Achi dicat Psalmista: *Qui vouet, & non soluit, apertè illudit, & quo promerenda erat benigna misericordia, inflammatur indignationis excaecantia. Est enim Deus honoris sui vindex, & seuerè punit obliuiosos, & tardos.* Euthymius ad hunc locum putat Psalmistam reducere in memoriam Pharaonis stragem: promisit sæpè populum emittere, sed assecutus salutem, retractabat sententiam, & maiestati Numinis inferebat iniuriam: ergo dum fidem violat, contra se omnipotentiam obarmat. *Orate Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo: & dimittam populum, ut sacrificet Domino.* Exod. 8. v. 8. Quam in necessitate positus libertatem promiserat, abacto periculo, distulit, fidemque violauit. Ergo dum non reddit promissa, ruentium vorticum rapidissima subit

mergendus in profundum naufragia: in memoriam ergo reducit Psaltes ob violatam fidem supplicium: vt quisquis vouit, reddere non distulerit votum. Euthymium audi: *Vouete & reddite Domino, tanquam necessarium aliquod debitum illi reddite, terribili apud Reges terra, apud Pharaonem mirum.* Dum Pharaon calamitate vexatus promittit, & calamitate depulsa, fallit, promissionemque differt, Numinis maiestatem contemnit: ergo promissio, quæ impleta negotiaretur subsidium, attulit violata naufragium. Nullus vota inconsultè emittat, sed prius vires, & difficultates prudenter expendat; nam etsi liberum sit vouere, iam, emisso voto, non est fas tardare, aut non soluere.

§. L.

Sunt, qui dum oculis hauriunt odiosa rapacitatis supplicium, gestiant perpetrare rapacitatis peccatum.

SCelerum supplicia, opportuna sunt ad mores componendos remedia; nam, dum quis scelus intuetur meritis supplicij punitum, timore pœnæ præcipitem frænatausum. Verùm ea est exoculata aliquorum audacia, vt latronis intuentes suspendium, à crumenis eruere tentarint aurum: placet eis furari, etiam dum seueritate corripitur, & pœnis acerbissimis castigatur. *Belluarum ritus est* (aiebat Cassiodor. 5. Var. 39.) *sub casu viuere, quæ dum rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbunt.* Belluarum more se plures gerunt, & sic rapiendi feruntur ambitu, vt nullo frænentur metu, & dum rapinæ scelus acerbis pœnis refecatur, ab eiusmodi belluis rapina fugienda exercetur; & conuertitur in occasionem furandi, quod terrorem ingerit delinquendi. In Hebron disponit Absalom immatura ambitione à paterno vertice coronam rapere, cum ipse locus rapinæ acerbam pœnam oculis constet obijcere. *Dixit Absalom ad Regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron.* In Hebron legebatur rapinæ supplicium, sed vbi admonebat locus manus continere, ibi Absalom cæca temeritate coronam tentauit rapere. Adam à vetita arbore rapuit pomum, & ob pomi rapinam subiuit mortis supplicium, cumque in Hebron iaceret sepultus, eloquenti cinere continere edocebat manus; nihilominus vbi perpetrata conspiciebatur rapinæ pœnâ, tentabatur rapinæ culpâ. Innuit Abul. q. 14. *In Hebron sunt sepulti quatuor Patriarche cum uxoribus suis: scilicet Adam cum Eua. . . de Adam patet Ios. 14. cum dicitur: Adam maximus inter Enazim situs est, & ibi agitur de Hebron.* Quæ pœna raptû ob pomum fuerit Adam punitus; omnibus patefaciebat morte damnatus; & nihilominus vbi pœna conspicitur, culpa similis perpetratur. Serpens ligno affixus, & Christi Domini gessit umbram, & etiam, vt placet plurimis, serpentis tortuosi, qui homini inuidit, repræsentauit oculis pœnam. *Fac serpentem aheum, & pone eum pro signo.* Num. 21. v. Num. 21. 8. Innuit Oleaster hîc ad mor. *Vt serpens, qui antea mordens occiderat, conspectus viuificaret: qua in re nos docere voluit, quid valeat post perpetratam culpam eius consideratio ad detestandum.* Itaque serpens ille, qui contra Deum linguam exaerit, qui hominis felicitatem euertit, ligno suspensus est, & tamen vbi pœna edocebat linguam frænare, serpentes plurimi adnitebantur tetrâ linguâ aliorum salutem exurere. *Misit Dominus in populum ignitos serpentes.*

serpentes. Ignitus serpens serpentem ignitum intuebatur suspensum, quia tetra lingua Dei honorem arroserat, & hominis felicitatem turbabat; & nihilominus armabant contra hominem linguas, & infligebant lethales plagas. *Subtiles, & agiles super arbores saliebant* (scribit Hugo Card.) & quasi *scintille ei aculabantur se, & homines interficiebant.* Veterinosus ille serpens arboris folijs contactus in hominem insiluit, & in Deum etiam linguam armavit: ergo modò in imagine suspenditur, crucique affigitur. Sed licet conspecta pœna serpentem frænaret linguam, eo ipso tempore serpentes plurimi in arbores insilientes altas infligebant hominibus plagas. Sapiens vitat scandalum, vbi alter offendit; verùm serpens magis, quàm prudentiâ, pollens astutiâ, non dissimile perpetrabat delictum, quantumuis serpentis durum spectasset tormentum.

§. LI.

Superstitiosi vni, pro altero loco, aut tempore, alligatam arbitrantur aut fortunam, aut miseriam.

Superstitio est mentis fatuitas, oculorum cæcitas cordis impietas: ibi trepidat, vbi nulla timoris causa; ibi confidit, vbi nulla confidendi materia. *Hec profectò culpa* (aiebat Plutar. de Supersti.) *omni adhæret perturbationi: quod impulsibus cogens acerbis, consiliū urget, & intendit. Vnus metus, qui non minus audacia, quàm consilio destituitur, ignauiam astuantem, & perplexam habet recordiam.* Superstitutionis recordia exerrat, arbitrata, quidquid tali tempore, locove tentarit, feliciter processurū, si aliter, omni fortunâ priuandum. Hinc videbis Martis diem recusari, Iouis eligi, quasi illa dies sit prorsus infausa, & hæc votis assequendis fortunatissima. Idem loco, ac tempore adscribitur, quasi specialem habeant aut miseriam, aut fortunam. Non videtur alienus à superstitione Absalom, qui eum conspitationem excogitasset, in Hebron decreuit dolum ordiri, quasi locus esset specialiter fortunatus, & ad regni stabilitatem satis opportunus: *Vadam, & reddam vota mea, que voui Domino in Hebron.* Variæ afferuntur causæ, cur Hebron elegerit: inter eas vna est, putasse eum locum, in quo Dauid regnum inceperat, conciliare inauguraratis fortunam, & eorum promouere feliciter semper causam. Felix putabat Absalom auspicium, si in Hebron regni sui sortiretur exordium. Innuat Abul. q. 15. *Dici potest, quòd Absalom voluit incipere titulum regni, sicut pater suus: cepit autem regnare Dauid in Hebron.* Adnectit: *Ita ipse fortè putans, quòd non esset ordo rectus regnandi, nec titulus sufficiens, nisi Rex coronaretur in Hebron, voluit ibi vngi in Regem.* Ibi voluit inungi, quasi locus ille cæteris esset fortunatior, & stabiliendo regno felicior. Hæc amentiâ, vt dicebam, plures videmus teneri, aut, vt melius dixerim, insanire. Nihil hac, aut illa die tentare audent, nihil hoc, aut illo loco successfulum præsumunt, quasi ipsum tempus, aut locus infelicitatem portendant, & aduersam fortunam afferant. In Hebron regnare cepit Dauid, & Absalom cepit etiam regnare: sed hic arbore perijt suspensus; ille thronum fixit, & si confusis perturbationum voluminibus impetitus: vt notum omnibus fuerit, successus fas non esse loco, aut tempore adsignare, cum Dei prouidentia debeant adscribi. Cum Balaan magnis sumptibus adductus esset, vt populi Israëliti vires præstrigijs, & in-

cantationibus eneruaret, econtrariò benedixit; & iam Balac putans à loco sibi emanare infortunium, ad alterum ducit: *Veni mecum in alterum locum.* Num. 23. v. 13. Loci mutationem sibi credit opportunam, quasi ab altero calamitas, & ab altero votis oriretur prosperitas. Innuat Lira: *Veni mecum in alterum locum, quia magi, & augures in talibus obseruant loca, & tempora.* Ea superstitione obcecabatur Balac, vt locum sibi putaret aut aduersum, aut propitium, quasi ipsis temporibus, locisque vis inesset occulta ad vota feliciter promouenda, aut infeliciter eneruanda. Nec aliter Absalom Hebron delegisse videtur, quasi ibi conclamatio fausto inciperet auspicio, fortunatoque exordio.

TEXTVS.

VERS. 8. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino.

§. LII.

Vota risè, religiosèque emissa, sæpè aduersis casibus attulere remedia.

TRahit ad commiserationem, qui emissis religiosè votis ad depellenda pericula Numinis sollicitauit sibi tutelam. Gaudet Deus fiducia coli, & honestis eiusmodi votis quodammodò subornari. Sæpè cæcis, difficillimisque in casibus inopina lux oboritur, & quæ impediēbat caligo, discutitur. *Ad nos* (aiebat Theoder. 4. Var. 47.) *quidem iurè recurrit infantia destituta, quibus vniuersorum hominum proficiunt incrementa.* Cum Deo omnium parenti hominum incrementa proficiant, iurè ad eum recurrunt anxia in difficultatibus vota. Hinc aiebat Psaltes: *Vouete, & reddite Domino.* Psalm. 75. v. 12. Videbat homines multis sæpè difficultatibus implicari, & aduersitatis voluminibus impeti, & admonuit ad religiosa vota recurrere, quibus sæpè calamitas est depulsa, & prosperitas parta. Cum Absalom post fratris homicidium componendis rebus facillè non inueniret remedium, religiosum emisit votum, Dei opem implorans, vt que eis difficultatibus felicem exhiberet exitum deprecans: *Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syria dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino.* Votum tranquillitas secuta est, nam ira patris defervuit, & ad veniam maturauit: facillè obtinuit, emissio voto, quod difficultatibus videbatur implexum, & temporibus multis tardandum. Prodest Abul. q. 13. *Timebat, quod nunquam illuc rediret; idèd recommendauit se Deo, vouens hæc: Timebat Absalom patris iracundiam fratricidio exasperatam tardè leniendam, timebat seueritatem iudicis fraterni clamore sanguinis interpellatam. Sed dum se pijs votis obstrinxit, quæ videbantur ardua, facillimè sunt composita. Nec Ionæ aliter videtur accidisse: naufragus redditur, piscis visceribus sepelitur, gurgitibus prægrauatur, ad litoris stationem appellere non solum arduum, sed omni humana spe videbatur prorsus destitutum; nihilominus, emissio religioso voto, ad Numinis clementiam accurrit. In voce laudis immolabo tibi: quacumque voui, reddam pro salute Domino.* Ionæ. 2. v. 10. Religioso voto sic Numinis

Numinis iustam temperavit indignationem, ut iam piscis, quo tendebat, ad litus duxerit, & blandè in arenam incolumem exposuerit: *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Quis crederet posse Ionam à tot tantisque cæcis difficultatibus expediri? Quis tot fluctus euadere? Ea tamen fuit religiosi voti efficacia, ut omnia facillè fuerint expedita. Prodest Lira. *Homines in magna necessitate existentes solent emittere vota Domino; & sic fecit Ionas in ventre piscis existens: & dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.* Hic consequenter ponitur ipsius Ionæ exitus. Voti erat appendix felix exitus, fornatúsque vomitus. Quod humana nequibat industria, religiosi voti fortita fuit efficacia, & cæca rupta sunt vincula. Anna, quæ à natura non poterat obtinere, didicit votis religiosissimis impetrare: *Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & vorum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famula tua, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla tua, dederisque serua tua sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vite eius.* 1. Reg. 1. v. 10. Lachrymæ dignis promissionibus suffultæ naturæ sterilitatem depulerunt, & Prophetam sanctissimum impetrarunt. Samuel nascitur, & partum demirata mater, lætatur. *Concepit Anna, & peperit filium.* Sterili in matrice filius concipitur, & natura, efficiaciã emissi voti integratur. Huc voco Hug. Cardin. *Deus non voce tantum inuenitur, sed corde: unde desiderium cordis eius tribuisti ei, vel petitionis eius.* Promissio fixa, religiosaque diuinam promeruit misericordiam, & votum reformauit naturam, ut notum omnibus esset, quantis viribus pia promissio constaret ad arduas difficultates enodandas, & superpetias celeriter obtinendas. Vbi Absalom votum emisit, quæ videbantur ardua, & vicit, & quam beneuolentiam patris desiderat, obtinuit.

1. Reg. 1.
v. 10.

bori, ut carnifici tradendus, & repetitis telorum cuspidibus verberandus: lætatur impetrasse licentiam, nec videbat ea fraude miserandam sibi maturare fortunam. *Petiuit licentiam ad eundem* (inquit Abul. q. 15.) *& expressit causam supra in litter.* Si tamen voluisset ire Absalom ad alium locum, non habuisset colorem petendi licentiam à Dauid, quia illud malum presumeret: ideo visum est sibi conuenientius ire in Hebron. Sine superioris licentia nequibat è curia egredi, & ni fucos virtutis itineris tegeret causam, difficillè impetraret licentiam: ergo affectauit virtutem, ut tegeret fraudem; verum, dum lætus egreditur, infelicitatem asciscere sibi probatur. Non imposuit superiori, sed sibi; nam superior, quæ sui erant muneris, gessit inculpatus, sed Absalom periit è paterna domo egressus. Dauid coloratis causis à superiore, sacerdotèque & gladium obtinuit, & panem: *Si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inuenieris.* 1. Reg. 21. v. 3. Achimelech Dauidis rationibus persuasus, quod postulabatur, largitus est. Verum Interpretes, dum Dauid, ut desiderata impetrarit, colorat causam, aduersam sibi putant asciscisse fortunam. Audi Hugonem. *Quidam volunt quod ideo Dauid eiectus est à regno, quia sefellit Achimelech propositionis petendo, & comedendo panes.* Non probo horum sententiam; ex ea tamen vtilem possumus eruere doctrinam; nam si Dauid, iuxta horum placitum, sibi nocuit, quia clarè veritatem non aperuit: qui coloratis ad speciem titulis superiorem fallit, sibi ipsi imponit. A regno pulsus Dauid soluit penas; quia, ut his Auctoribus placet, colorauit fallacias. O quot sibi plaudunt, si coloratis titulis, speciosis fallacijs à superiore obtineant desiderata, non præuidentes obtinendo sibi nocere, infortuniæque maturare. Dauid obtinuit, sed exulauit à regno: impetrauit Absalom, sed suspensus est duro ligno.

1. Reg. 21.
v. 3.

TEXTVS.

VERS. 9. Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron.

§. LIII.

Qui Superiorem coloratis adnititur causis fallere, sibi probatur nocere.

Superior parentis sortitur officium, inuigilat subiectorum utilitatibus, & in componendis laborat moribus. *Consilia* (aiebat Cassiodor. 6. Var. 7. de Prin. loquens) *inuigilare non desunt pro salute cunctorum.* Hæc sollicita superiorum vigilantia subiectis aliquando displicet, & quia nequeunt sopire, varijs fatagunt artibus, & fucatis virtutum coloribus eneruare. Domo egrediuntur exercendæ pietatis obtentu, & cum animo anhelant ad prauitatem, exterius affectauere virtutem; verum, dum speciosam texuisse lætantur fallaciam, probantur infaustam sibi impetrasse licentiam. Absalom, ut ambitioni aduletur, & dolosas contra patrem technas commodius disponat, ad soluenda religiosa vota tendere affectat. Superior religionis fucos delusus annuit: *Vade in pace.* Sed dum concinnat fraudem, sibi maturauit perniciem, infelicem asciscit mortem: malis artibus impetrata licentia calamitatis fuit causa. Vota tendebat ad speciem soluturus, & tendebat ar-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

TEXTVS.

VERS. 10. Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron.

§. LIV.

Quæ difficillima videbantur, ad criminis supplicium facillima reperiuntur.

Semper auget Principes obseruata iustitia, & honorabilis continentia, & dum legibus subiiciuntur, subiectis tranquilla pace dominantur. *Quantum probabili institutione viuatur, tantum* (aiebat Cassiodor. 4. Var. 12.) *summis adhuc prouentibus aggregatur.* Floret fortuna, si nulla criminis impetatur offensa: verum, si contra auctorem obarmetur peccatum, facillè quæ ab ingenio discrepant, solent concordare ad supplicium. Nihil est inconcussum, nihil imperturbatum, si homo internis sceleribus sordidatur, & cœlesti indignatione punitur. Satis arduum videbatur filium in patrem rebellare, & vniuersum populum tot à Dauid beneficijs obstrictum proditori filio assentiri: & tamen vbi militaris resonauit buccina, contra Dauidem populus eucurrit ad arma. Misit Absalom exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: *Statim ut audieritis clangorẽ buccinæ, dicite: Regna-*

M 2 uis

uit Absalom in Hebron. Populus vocabatur, & toto corde Absaloni obtemperabatur: *Toto corde uniuersus Israël sequitur Absalom*: non vi impulsus, non minis deterritus Absalonis vexilla sunt secuti, sed conclamauerunt Principem spontanei. Hinc oritur quaestio: Quomodo scilicet nullus in Dauidem odoratus coniurationem indicauit, nec, quae non cautè tractabantur, admonuit? Ad hæc: cum adè arduum fuerit tot populos conuocare, & unanimes contra optimum parentem in arma ruerè, quomodo celeriter adè arma prænsarunt, & adè strenuum Principem deseruerunt? Abul. q. 10. existimat hanc iniquam populorum concordiam commissi à Dauide adulterij, & perpetrati homicidij extitisse pœnam: ergo ubi culpa contra auctorem pugnabat, quae videbantur difficultatibus plena, probata sunt expedita. Abul. audi: *Videbatur difficillimum, quòd, cum Dauid Rex esset tam excellens, & qui à populo nimis diligebatur, potuisset Absalom taliter concitare populum, ut auferret regnum Dauid, & traderet ei. Istud tamen fecit Absalom facilliter, ita ut non intellexeret Dauid, quamquam semper esset ei praesens, quousque omnia consummata sunt.* Adnectit satis moralis: *Idèò dicendum, quòd Deus nimis cooperaretur Absalom in his, ut puniretur Dauid.* Dauidis culpa Absalonis animos fouit, coniurationis notitiam impediuit, & citissimè bella adornauit. Nec potuit melius criminis contra auctorem valentia dignosci, quam si ex se difficillima citissimè probarentur nullis difficultatibus retardata. Cum liquor, ignisque naturali desidio sibi aduersentur, & contrarijs constare ingenijs noscantur, amico adè scedere contra Aegyptios pugnarunt, ut pariter mista acuerentur. *Grando, & ignis mista pariter ferebantur.* Exod. 9. v. 24. Flamma ipsa grandine adipabatur, & grando ardore flammarum indurabatur: & quae videbatur difficillima inter contrarias adè naturas concordia, in Pharaonis pœnam est mirabiliter confirmata. Et quae huius confœderationis causa? Certè Pharaonis duritia. Notauit Basil. Seleuc. Ora. 9. *Ibi grando cum igne conferta ruebat: & quae ab ingenio discordant, ita praeter naturam concordabant, ut naturalem discordiam contra Aegyptios verterent.* In admirationem veniebat concors dissidium, & confœderatum adè dissidens contrariorum ingenium. Verùm in criminis officina contra Pharaonem ptocebantur hæc arma, & flamma contra grandinem subsidium grandinis erat fomentum: ut vnda etiam in flammarum conuertebatur auxilium. Creaturae ingenitam denudebant naturam, ut scelestibus meriti infligerent pœnam: Non videbatur facile ad buccinae clangorem tot populos commoueri, & in campum contra Dauidem prodire: non erat facile inter tantos omninò coniurationem laterem non erat facile filium contra parentem insurgere, & tamen ea facilitate omnia peracta sunt, ut nullis viderentur obstaculis impedita, aut impedimentis tardata.

§. LV.

Facile dolus disponitur, si auris musicae oblectamento capiatur.

Nihil blandis concentibus est præstantius ad Naures capiendas, & fraudes sonora dulcedine concinnandas. *Mutat animos* (aiebat Cassiod. 2. Var. 40.) *artifex auditus, & perosa delectatio.* Ho-

nesta harmonia tristitiam noxiam depellit, iracundiae furorem sopit, & humores contra se dissidentes ad concordiam cantu reducit: ut econtra: si auris noxia harmoniae dulcedine titilletur, animi etiam emollitus vigor corrumpitur, & suauis melodiae concentu prudentiae vis veluti fascino deprauatur. Absalom, quos in Dauidem populos concitabat, buccinae clangore voluit accendi, non ignorans clangoris efficaciam ad pugnam: *Statim ut audieritis clangorem buccinae, dicite: Regnavit Absalom in Hebron.* Buccina furorem animis indebat, & infano ardore inflammati ad impia certamina conuolabant. *Iuxta praedonem suum* (repetat datus Cassiod.) *præda gaudebat.* *In unum conuentum contraria vota collecta sunt.* Ad Absalonem populi confluebant, buccina tracti, & periculis suis gauisi. Ita Hugo: *Similis. Dan. 3. vobis dicitur populis, & tribubus, & linguis in hora, qua audieritis sonitum tubae, & buccinae, & fistulae, & citharae, sambuca, & psalterij, & symphoniae, & uniuersi generis musicorum, cadentes adorare statuam auream.* Idem significatur per Absalom, & auream statuam, scilicet diabolus. Diabolus fractis modulis, harmonijs dulcibus adnititur aurem subuerrere, ut possit animum subiugare. Qui statuam adorant, cadunt: & qui Absalonem sequuntur, pereunt; qui, dum musicae dulcedine inescantur, veluti indagine obsidentur, & iam ad mores degeneres pertrahuntur. Syrenas finxit antiquitas, quae nauigantes sic cantu prolectabant, ut mallet vndis iactari, quam tantam dulcedinem praeterire. *Ithacus* (verba sunt dati Cassiodori) *euasit, qui nauis sollicitatorem protinus obstruxit auditum contra noxiam dulcedinem.* Cogitauit vir prudentissimus difficile posse se periculum declinare, ni auditum sollicitatorem conateretur obstruere, & dum obstruxit, euasit. En Absalom diaboli figuram gerens, peruertit populum, dum captat auditum; & Nabuchodonosor, ut ad adorandam impellat statuam, instrumentorum produxit dulcem harmoniam. Indoluit dolosus ille Laban prudentem Iacob fugam non praesensisse, ut qui disposuerat suauissimis concentibus retardasse. *Cur, ignorante me, fugere voluisti? nec indicare mihi? ut prosequer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis.* Gen. 31. v. 27. si fugiendi praenoscet consilium dispositurum testatur chorum, sed ob id ipsum Iacob sollicitatorem timuit auditum, & Labani auersatus est cantum, ne, dum dulcedine auris obsidetur, manere, aut gressum saltem retardare cogatur. *Potest per Laban* (inquit Greg. apud Gloss.) *mundus exprimi... quia electos, qui sunt membra Christi opprimere conatur.* En Labani dolor suauitatem cantus, harmoniaeque concentum Iacob gressibus non opposuisse, & grato dolo non retardasse: ut qui bene nouerat cantibus, & illecebrosis concentibus virtutem veluti fascino marcere, & sæpè honesta studia eneruari. En Absalom diaboli vices gerens, cantu accendit Martem, & populum armat contra parentem.

§. LVI.

Gula, dum densis vaporibus obscurat mentem, trahit facile ad prauitatem.

Salubris temperantia & reluminat mentem, & shabilem reddit animum ad virtutem. Homo tandiù diuinum exitit simulachrum, quandiù religiosum obseruauit ieiunium: in bestiarum censum redactus est, cum noxiam appetitui explicuit mensam, & oblitus est temperantiam, restante Psalmita

Psal. 48. Ita Psal. 48. v. 13. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ingluuios terris vaporibus rationis lumen quodammodo extinguit, & ad brutales appetentias impellit. Audi Euthym. ad hunc locum: *Ipse, abiectis proprii regni insignibus, se se inter pecora constituit.* Adamus, dum ventri inseruit, quam gerebat, Dei conspurcavit imaginem, ad instar brutorum cibo obscuravit rationem. Absalom diaboli personam gerens, ut à ratione populum auertat, in Hebron opiparam mensam parat, ibique regnat: *Regnavit Absalom in Hebron.* Quibus artibus se colit fecit? Opiparis sanè conuiujs, quia ubi gulæ blanditur, & palato saporatis dapibus adulatur, ibi contra fas, æquitatè que ad thronum euehitur. *Cum immolaret victimas, facta est coniuratio valida.* Victimæ in sacra Scriptura pro conuiuio accipiuntur. Vnde Ioseph cum fratribus differtam mensam disponderet, præparari victimas imperauit: *Occide victimas, & instrue conuiuium.* Gen. 43. v. 16. Victimæ Absalom immolauit, quia conuiuia instruxit: ergo post epulas coniuratio contra Dauidem defæuit validior, & insania exarsit fortior. Ratio, Dauidem tot de populo officijs meritum, tot virtutibus decoratum, tot hostilibus trophæis redimitum suasit intemperantia postponi, & reijci. Absalom fratricida, iuuenis militiæ, inexpertus proclamatur, in Principem suffragijs eduliorum præfertur. Enormi deliciarum fascino populum à ratione disciuisse docet Cardin. Hugo, & quidem iurè, nam opiparis mensis rationis lux quodammodo extinguitur, & appetitus acrius inflammatur. *Absalom per conuiuium, & simulatiuè se Regem constituit, & populum auertit à Dauid.* Sic diabolus hodie in festis, & conuiujs multos à Christo auertit, & subijcit sibi, quasi Regi. Sæpè dum religiosa celebrantur sanctorum facta, lauta disponuntur etiam conuiuia, & diabolus benè pransos, & bene potos ad luxuriam accendit, & ad rixas commouet. Populus necessariæ Moysis absentia impatiens, deos sibi producere quærit: vrgetur Aaron: grandi diuitiarum impendio vitulus conflatur, & pro Deo habetur: *Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terrâ Egypti.* Exod. 32. v. 4. Quid amentius, quid excogitari potuit insanius, quam tardigradum, & insipidum bouem deum proclamare, & pro dūce sibi eligere? Iam si quæras, vnde cæcus ad eò error, & delirus promanauerit furor, respondit Textus, epulis veluti ebrios à ratione defecisse, & errores turpissimos adorasse. Vitulus & libidinosus, & escatilis est: Ergo quibus Deus venter erat, vitulum adorauere deliri, & libidini se tradiderunt infani: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Gula legem rupit, prudentiam abegit, & brutalitatem attulit, eis namque epularum vaporibus mens est obtenebrata, ut ab omni prorsus ratione deerraret aliena. Audi Chrysol. ferm. 12. *Comessatio, & ebrietas Israëliticum populum simulachrorum tenebrauit erroribus.* Vbi gula, ibi & erroris insania; nec enim poterat ratio constare, cum tot escarum adfultibus probaretur euerri. Veterinosus serpens, callidissima aspis Christum Dominum gulâ aggreditur subruere, & ieiunium cupit auferre: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Mat. 4. v. 3. Potiora arma defumit à gula, & ut præcipitaret, à mente sapientiam, conatur eduliorum offerre copiam: contemneret comedentem, quem exhorruit ieiunantem. Audi datum Chrysol. *Diabolus namque, qui manducantem contempserat Christum, bibentem velut ho-*

minem computarat, ubi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei filium confitetur. Callidæ dæmonis insidiæ ad obscurandam sapientiam, ad euertendam rationem patefecerunt gulæ efficaciam; quando sperat à gula vel infinitam innubilare sapientiam, & virtutum euertere politiam. Christus Dominus erat temperantiæ norma, sobrietatis idea, se tamen de gula permisit tentari, ut, quam sit efficax hæc diaboli tentatio, posset homines edocere.

TEXTVS.

VER S. I I. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.

§. LVII.

Iuuenibus præcipuè Magnatibus candido etiam animo adherentes, improvisis periculis adurguntur, & cæcis difficultatibus implicantur.

RES est inquieta adolescentia, præcipuè si fortunæ fauore inflata, de mentis arce prudentiam præcipitat, caret cerebro, & caret modo: iam voluptatis causa iurgia excitat, iam ad ostentationem potentiæ indecoram infert iniuriam, iam coniugati pudoris procurat offensam. Hinc est, quod adhærere horum lateri sit periculosum, & difficultatibus plenum. *Nemo non* (aiebat Sene. epist. 7.) *aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Verum dixit: sed præcipuè eiusmodi calamitas Magnates comitantibus, & apud sæculum Claros sequentibus imminet; nam, dum Procere corruptis moribus inficiuntur, & blandis fortunæ flatibus incitantur, nihil non audent, & dum corruunt, alios secum nescientes trahunt. Absalom immodico ambitionis ardore exastuans, rebellare in patrem disposuit, & magnâ prodicionem cautelâ texit: Hebron petiturus, secum ducit plures coniurationis prorsus inscios, & fraudis ignaros. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. Comitabantur iuuenem Principem, in Hebron ducebantur, & ignorantes magnis difficultatibus inuoluebantur. Nam cum Absalom bellum publicasset, iam nec illis erat licitum Absalonis sequi signa, nec facile ad Dauidis redire castra. Notauit Abul. q. 16. *Isti viri non poterant nocere in aliquo, redeuntes ad Dauid ad nuntiandum ea, quæ fiebant, quia tenebantur viâ ex omni parte, ita quod nullus posset transire de Hebron in Ierusalem ad nuntiandum aliquid Dauid.* En Absalomum comitati, etsi prodicionis prorsus inscij magnis difficultatibus inuoluuntur, & fluctibus contrarijs iactantur: non possunt oclclis vijs ad Dauidem remeare; non decet cum proditore subsistere. Absalonis sequaces hostili gladio interimuntur, saltu vorantur. Ergo quantumuis candido animo, & prorsus improbi conatus ignari eius lateri adhæserint, discriminibus sunt obiecti, & cæcis difficultatibus implicati: *Tenebantur viâ ex omni parte, ita quod nullus posset transire de Hebron in Ierusalem, &c.* Elisæus Regis Syriæ ministros blandè allicit, &, quod desiderabant, promittit: *Sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quaritis.* 4. Reg. 6. v. 19. Syrij nihil periculi suspicati, & v. 19.

votorum cupidi blandè allicientem sequuntur, nec oculos aperiunt, quousque se cinctos periculis demirati stupescunt, & illuc nescientes deuenisse, tardè ingemiscunt. *Viderūt se esse in medio Samaria:* dum existimant in Elisæo habere ad consequenda vota suffragium, deuenerunt imprudentes vrgentissimum ad periculum. Profectò Elisæus eos ad Samariam traxit, vt Dei potentiam ostenderet, visum abstulit, vt meliores oculos inderet; verum eiusmodi factis delineauit, quod sæpè videmus accidere. Adherent plures altis, Magnatibusque votorum suorum causa ducti, & spebus vanis illecti, obtenturos se existimant, quod exoptant, sed votis frustrati in pericula incidunt, difficultatibus obruti, & labyrinthæis tenebris inuoluti. Glossa Mor. ait, Samariam interpretari custodiam: *Samaria custodia Domini interpretatur.* Quærebant palmam, & inuenerunt custodiam. O quot, dum Magnatem adolescentem comitantur, ignari, cæcique ad carcerem, & custodiam ducuntur! Non præuiderunt pericula, & imprudentes postea dura oculos aperuit catena: votis fraudantur, & vinculis opprimuntur.

§. LVIII.

Vt contra nos militares instruat acies, prius dæmon admittitur debilitare virorum vires.

Vitia lentè subrepunt, & dum latenter, sensimque virtutes eneruant, miserandum excidium parant. Non est facile solida saxa guttulam excuare; verum quod vno impetu non assequitur, multa, continuæque frequentia obtinuisse probatur. Disertè Tertul. de Pœni. cap. 7. *Observat, oppugnat, obsidet: siquâ possit aut oculos concupiscentiâ carnali ferire, aut animum illecebris singularibus irretire, aut fidem terrena potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Astuta politica, versutia cauta paulatim virtutum vires extenuat, & cum iam robur animaduertit euigoratum, manifestum adornat bellum. Hinc est, quod Absalom, vt patri intulerit bellum, imminuit prius armatorum eius subsidium: *Cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati.* Abul. q. 16. inquit: Cur hos duxerit milites; quorum fidem non expertus, nec fidelitate filius. *Quare Absalom vocauit istos ducentos viros, quibus non audebat reuelare secretum suum?* Totus fuit Absalom in cælanda adedò sagaciter causa, vt vocatis nulla coniurationis reluceret notitia. Ergo cum illis non fideret, nec committere secretum auderet, potius quàm auxilia, videbantur futuri onera: cur ergo abduxit, & à Dauidis signis euocauit? Quia his substractis (respondet Abul.) Dauidis militares vires minuebantur, ergo politicus prius vires debilitare est adnixus, & postea aggressus. Abulensem audi: *Volebat Absalom pugnare contra Dauid, & quanto pauciores essent cum Dauid, tanto facilius Absalom poterat superare eos.* Si Dauidem impeteret integro exercitu munitum, assequeretur numquam, aut tardè votum; ast dum paulatim Absalom dæmonis figuram gerens, imminuit vires, plus de victoria sperat, & audacius bellum adornat. N. Sanct. addit, eos viros vocasse, de quorum fide erga Dauidem dubitarat nullus, vt dum Absalonis partes tueri censentur, non iuuenilem audaciam, sed iustitiam sequi videantur. Verba N. Sanctij sunt: *Vt cum primum irrumperet*

in urbem, pater minus haberet virum, quod subitè irruptioni imparatus opponeret. Adnectit Sanctius: *Fortasè aliud expectauit callidus adolescens, nempe vt ascitis secum viris, de quorum fide dubitabat nemo, omnem ipse coniurationis, & doli suspicionem adimeret.* Vt meliùs prodicionem disponderet, fidelissimos Dauidis socios asciiuit, vt eorum firma, incorruptaque fides eius dolum præter opinionem tegeret, & tegendo aditum votis iniquissimis aperiret. Balac Balaan adducit, vt incantamentorum efficacia Israëlitiçi populi vires eneruet: Propheta ambitiosa spe inflammatus, pretioque corruptus, semel, & iterum rem detestandam maledictionem aggressus est. Verum nec auguria succedunt, nec incantamenta proficiunt. Quid tunc? Balac sententiam demutat, & iam per partes populo nocere pertentat. *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.* Num. 23. v. 13. Aliqualem discipit partem fascinis eneruare, vt ad eneruandum totum populum quiuerit deuenire. *Ideo scribit Oleaster ad litter. Nititur eum ducere ad locum, vbi solum extrema videat.* Seipsum reprehendebat, quia tantam vno impetu molem tentarit euertere; ergo mutato consilio per partes modo adnititur votis detestandis blandiri. Nec aliter Pharaon vires populi extimescens, se gessit, recens natos, & innocuos pueros vorticibus tradit, & accidere vires contendit. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite.* Exod. 1. v. 22. non gerit aperte bellum cum fortibus, ad exigua conuertit insidias, sed exiguis de toto populo promittit sibi victorias. Eleganter Basil. Seleuc. Ora. 9. *Naturam velut obsidione concludebat.* Erat animus populum prorsus vastare, & per exigua incæpit destruere. Nam diabolus debilitat, vt securiùs debilitatum cuertat.

§. LIX.

Plures, vt suspicionibus occurrant, culpamque regant, probos sibi associare non sine studio adlaborant.

Plures affectant proborum consuetudinem, vt ita erga se venatricem excluderint suspicionem: nolunt virtutem imitari, & alienam famam cupiunt defendi. Quis enim inhiare præsumat rapinis amicis dicitur generosa liberalitate largientis, & de suo miseris opitulantis? Similia putantur ingenia, si intercesserint amica confortia. *Multorum (aciebat senec. epist. 42.) quia imbecilla sunt, latent vitia.* Adijcere potuisset, multorum tegi vitia, non quia imbecilla, sed quia sociorum fama obumbrata. Ob id affectant plures sibi adiungere viros, de quorum probitate queat nullus ambigere, vt eis velut clypeo contra suspicionis ictus tegantur, & dum creduntur similes, fiant peiores. Absalom animo conspirationem gerens, ducentos viros sibi adlegit, non solum iniquæ conspirationis prorsus ignaros, sed fidelitate conspicuos. *Cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.* Quærent Patres: Cur absalom ducentos hosce viros secum adduxerit, quos nec coniurationis habuit participes, nec sceleris complices, cum futuri viderentur potiùs oneri, quàm leuamini? Respondentque fuisse hos viros armorum peritiâ egregios, virtutibus exornatos, & fide erga Principem integerrimos. Ergo callidus adolescens secum duxit,

xit, vt omnem coniurationis, dolique à se auerterit suspicionem, dum inibat cum adeo fidelibus societatem. Ita N. Sanct. *Fortasse aliud expectauit callidus adolescens, vt ascitis secum viris, de quorum fide dubitabat nemo, omnem ipse coniurationis, & doli suspicionem adimeret.* Sociorum fide Absalonis infidelitas tegebatur, & coniuratio disponebatur: dum fidelium amicus dolosus creditur, facilius, & coniuratio disponitur. Itaque nouit, sapere vrsipellis astutia reuera dissimilium ambire, & affectare confortia, vt dum similis habetur, omnis suspicio adimatur. Scriba Christi Domini, discipulorumque virtutes demiratus, eorum se societati inferere dolose est admissus. *Accedens vnus Scriba ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.* Matt. 8. v. 19. Christus Dominus vulpinam astutiam detegit, & fucam virtutis colore versutiam arguit. *Vulpes foueas habent, & volucres caeli nidus; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinat:* ac si dicat: Vulpes cum sis, vulpium foueas adi, nec Apostolorum censui coneris adscribi. Et quæ erat Scribæ vulpina intentio? Se (inquit Basil. Seleu. Ora. 28.) Euangelico pauperum gregi inferere, vt pauperis opinione securius posset censum incrementare: associari volebat patrantibus mira, vt de consortio suspicionem adimat, & deprauato interno affectu detestandum commercium tutius exerceat. Basilium audi: *Quid miraculorum fingis desiderium, cum pecuniarum te vincat amor? quid ob questum diuitiarum paupertatis adisti legislatorem?* Scriba paupertatis frequentare affectabat scholam, sed vt adangeret pecuniam: Apostolorum se ingerere desiderabat consortio, vt paupertatis specie auri esset raptor, & haberetur neglector. Pudicas solet amicas colere, quæ violat pudicitiam, & ne existimetur impudica, haberi vult castitatem colentium socia. Absalom viros asciscit, de quorum fide nullus dubitarat, vt eorum fidelitas omnem suspicionem adimat, & opportuniorem doli occasionem exhibeat.

Matt. 8.
v. 19.

Reges, & hinc meliores existimantur, si proprio ingenio, & soli omnia componere non conentur. Quod si maturi Reges senilem adhibere sibi conantur prudentiam, florida dominantium iuuentus singulari studio tenetur asciscere, quos constat de prudentia apud antiquos Princeps celebrari. *Quod si longæui domini (adnectit Athalar.) subietorum ingenijs adiuuantur, consulte relaxamus avaris nostræ breues ferias, vt suis incrementis denotæ, prosperius, robustior ad imperij pondera sustinenda consurgat.* Florida Principis ætas suis incrementis studet prospera, & ad pondera negotiorum sustinenda consurgit robusta, si optimi consiliarij innitatur prudentiâ. Ob id Absalom inter regni exordia sollicitè procurauit Achitophel parentis tractatibus laudabiliter adhaerentem ad se euocare, & eius prudentiâ vti. *Accersit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David de ciuitate sua Gilo.* Armis adiunxit consilia, consilij arma, vt prudenter decreta citò constaret executioni mandata. Notauit Abul. q. 17. *Res, quas moliebatur Absalom, erant valde magna, scilicet expellere de regno patrem suum; idè opus erat magno consilio ad tractandum eas: non reperiebatur autem aliquis vir in toto Israël tanti consilij, sicut Achitophel.* Regnum incipiebat exoriri, & consilij optimis plurimum expediebat firmari. Ergo cura in primis fuit Achitophel asciscere, & sapientiâ celebrem euocare. Vbi Deus Samuelem ad prophetiæ culmen euexit, eius primordia consilij senum fulciri voluit: dormientem excitauit, & ad Heli senem, prudentemque occurrere fecit: *Cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego.* 1. Reg. 3. v. 5. 1. Reg. 3.
v. 5. Ætas non impediēbat, vbi se se cœlestis sapientia infuderat, voluit tamen Deus florentissimam iuuentutem viri maturi consilij regi, & eius prudentibus monitis gubernari. Notauit Cassian. in Allegorijis Thilm. *In tantum Deo placita hac sententiâ comprobatur, vt etiam Scripturis sanctis hanc institutionem inueniamus insertam: ita vt puerum Samuelem suo præelectum iudicio nollet per semetipsum diuini colloquij disciplinam erudire, sed recurrere semel, & iterum pateretur ad senem.* Ad populi regimen, ad diuini colloquij Deus Samuelem vocabat honorem, senioris tamen consilij voluit institui, vt præberetur bonæ politicæ forma, & regnantibus humilitatis ante oculos ponerentur exempla. Bonus consiliarius affert obscuris difficultatibus lucem, implexa enodare solet negotia, futura præuidet, & anteuertit pericula, & præsentanea cœcis rebus adhibere solet remedia.

TEXTVS.

VERS. 12. Accersit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David de ciuitate sua Gilo. Cùmque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populûsque currens augebatur cum Absalom.

§. LX.

Principibus præcipuè in regni exordio expedie optimos consiliarios asciscere, & auscultare.

Magna est, infinitaque prudentia, quam nemo adeo perfectè complectitur, vt per alios quærere supernacaneum videatur. Hinc est, quod Principibus congruit Remp. armis tueri, & sapientum consilij ardua negotia dirigere. Optime Athalar. 8. Var. 9. *Licet ad regendos populos idoneos, efficiant, quos ad augustum culmen diuina prouexerint, tamen ad releuandam florentissime nostræ ætatis solitudinem, visum est, te virum prudentissimum conuenienter adhibere, quem constat etiam domini aui nostri tractatibus ingiter, & laudabiliter adhasisse.* Solatium curarum sibi adhibent maturi

§. LXI.

Qui lesi honoris auctorem nequit armis subruere, rectâ solet astutiâ euertere.

Tua scelera esse possunt (aiebat Sen. epist. 97.) *Secura non possunt.* Fortuna à pœnis reueta solet eximere, imò magnis muneribus exornare; verum qui potentiâ suâ filius, alteri iniuriam intulit, inimicum sibi effecit: & licet nequeat armis honoris maculam vindicare, occultis artibus adnititur solatium perquirere. Achitophel curiam deseruit, & ad Gilo natiuitatis locum recessit, non vt sectaretur otium, sed vt contra Dauidem iniquis armaret consilij filium. Vbi Absalom ad Hebron peruenit, Achitophel accersitis accurrit: *Accersit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David de ciuitate sua Gilo: vt quam iam*

conferat

consuluerat coniurationem, & presentiam foueret, & auctoritate iuaret, aduētasse tradit Abul. q. 18. *Dicendum, quod Achitophel fuit princeps istius totius coniurationis, & ipse dedit audaciam Absaloni aggrahendi ista magna, confusus de magnitudine consilij sui. Causa autem fuit, quia Achitophel habebat Dauid exosum.* Bethabee, vt constat ex Textu, erat Achitophel neptis: huius pudorem Dauid violarat, maritumque occiderat. Ergo cum auus neptis iniuriam armis nequiret vindicare, tectis dolis decreuit ultionem sumere, & Absalonem, cuius ingenium audax, & ambitiosum persenserat, in patrem armavit, & rapere coronam consuluit. Itadatus Abul. *Origo huius fuit, quia Dauid cognouit Bethabee uxorem Vria, & filiam Eliam. Supra 11. qui erat filius huius Achitophel: sic patet infra. 23.* Itaque quam armis non poterat honoris iniuriam vlscisci, improbis consilij vindicauit, & ingentem contra Dauid tempestatem asciuit. Simeon, & Leui cum illatam à Principe forori violentiam armis nequirent vlscisci, ad callida se conuertebant consilia, & iniuriam auctorem dolosa interfecerunt violentiam. *Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non venit anima mea. Gen. 49. v. 5.* Nota est historia ex c. 34. Ergo ait Iacob tectis dolis, dolosis consiliis expectauisse vindictam, & stupri castigasse violentiam. Innuit Oleast. ad Gen. 34. *Quos magis ledit opprobrium, audaciores sunt ad iniuriam vindicandam.* Simeon, & Leui; quod corde odium fouebant, cautè dissimularunt; sed dolosis consilij occasionem nacti, honoris maculam expunxerunt: & quod nequibat armis assequi conditionis differentia, dolis consequi studuit astutia.

§. LXII.

In suam partem adnititur demon trahere, quos agnouit miris dotibus pralucere.

Copiosum virtutibus, expolito moribus, ceximij natura dotibus decoratum studiosa diabolus ad se trahere sollicitudine adnititur, quia scit huius exempla ad alios euertendos esse validissima arma. *Quid aliud est (aiebat Sene. de Breu. vit. cap. 16.) vitia incendere, quam auctores illis inscribere deos, & dare morbo, exemplo diuinitatis, excusatam licentiam?* Creditus est Iupiter voluptate concubitus delinitus noctem duplicasse: ergo alij virtutem existimabant voluptatibus indulgere, & libidinibus inferuire. Conscientia trepida, & varijs terroribus agitata pedem referret, aut saltem sententiam aliquandò demutaret: ast dum magnorum exemplis defenditur, imò veluti adactis calcaribus incitatur, sine rubore delinquit, imò imitari deos tales exambit. Hinc est quòd diabolus eiusmodi apud sæculum celsos vigilantissimo studio sibi adnititur conciliare, quia scit eorum facta ad alliciendos alios validissima esse irritamenta. Vbi Absalom Diaboli personam gerens, populos sibi subijcere ambitiosus decreuit, Achitophel in suam trahere sententiam totis nisibus procurauit: *Accersuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid de ciuitate sua Gilo.* Achitophel dignitate splendebat, sapientiam radiabat. Ergo in primis curæ fuit proditori ad se, vocare, & prodicionis consortem reddere. Ità Lira: *Accersuit Achitophel, vt alij facilius iningerentur sibi, videntes principalem Regis consiliarium adhaerentem sibi.* Securam arbi-

trabantur viam, quam Achitophel videbant ingredi, & tutam existimabant sententiam, quam non dubitabant tueri. Nec otiosè aduertit Textus, aduentante Achitophel, alios inuolasse, & coniuratorum numerum excreuisse. *Facta est coniuratio valida, populusque currens agebatur cum Absalom.* Achitophel aduentus erat popularibus ausus, nec trepidabant Absalonem consalutare, cum magnum consiliarium viderent in eandem sententiam ire. Diabolus pisciculos hamo capiebat, sagena grandi est vsus; & iam copiosè impinguatus: *Immolabit sagena sua, & sacrificabit reti suo. Quia in ipsis incrassata est pars eius.* Habac. 1. v. 16. Per sagenam Magnates, & Principes adumbrari, tradit Interlin. Priuatus degener vnum, aut alterum exitiali corrumpet exemplo, & eo demonis pars nec pinguescit incrassata, nec incrassatur repleta; ast si eruditione clari, potestate celsi ei adhererint, pro reti, & sagena sunt. Ita Interlin. *Prauit se habere diuitias, quando Principes, & Reges suo subingunt imperio.* Consonat Gregor. hinc apud Gloss. *Conterere mundam vitam spiritualium querit.* Moribus claros, sapientia eruditos, potestate nobilitatos ad sua castra transire exambit: quos si assequantur, ad alios expiscandos amplam sagenam fortitur.

§. LXIII.

Non semel virtute eximius, si à statu cadat, præ alijs sordescit vitis infectus.

Quibuscumque olim studium fuit leges exquirere, virtutes excolere, sapientiam sequi, si à virtute exciderint, alios sæpè nequitia probantur supergredi, prauitateque vincere. *Ad nos (aiebat Theoder. 4. Var. 18.) multorum suggestione peruenit, Laurentium presbyterum, effossis cineribus, funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum: concussionemque mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quietem predicare. Non abstinnisse perhibetur tam crudeli contagio pijs dicata consecrationibus manus; aurum execrabili quæsisse ferrur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam.* Sacerdos diuitias pauperibus erogaturus, vbi à statu degenerauit, tali infectus est avaritiâ, vt concusserit cadauerum ossa; & qui sacerdotalis fulgore dignitatis resplendebat, lucerna iam, vt aurum rapiat inuenitur lucifuga. Achitophel olim Dauidis erat præcipuus consiliarius; & in consilij habebatur quasi diuinus, à sanctitate desciiuit, & iam coniurationis auctor, & audaciæ inuenilis promotor consilium dedit non solum impium, dum suadet rebellare in patrem, sed execrandum, dum publico, & detestabili ausu monet, patris concubinarum temerare pudorem. *Accersuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid de ciuitate sua Gilo.* Expende illud *Consiliarium Dauid*, id est, qui Dauidis adhærebat lateri, qui luce ad consilia perfundebatur cœlesti. Nam si degenerarit, & ab antiquo statu deciderit, inter Dauidis hostes erit præcipuus, & præ cæteris peruersus. Cum ad Absalomi Achitophel transiit castra, vicit cæteros impudentia, & audacia. *In alijs (inquit N. Sanct.) prudens fuerit; hic tamen illi videtur desuisse prudentiam, sanumque consilium, cum res tentauit, quas nec recta ratio, nec fides, imò quas nec utilitas, aut pudor admitteret.* Vbi à Dauidis latere seiunctus, vbi à virtutis itinere deuius, ambitionis, auaritiæque

§. LXIV.

Princeps si praeipuos Ministros exasperarit, sibi calamitatem asciscet.

Ministri sapientiâ exculti, & consiliorum dexteritate exornati, laboriosas Principis molestias leniunt, sollicitas curas imminuunt, solatia afferunt; & cum rei perfectio constet voluntate, & actione, iubentis studium, per ministri solliciti operam nanciscitur complementum. Cum Pharaeo (inquit Cassiodor. 5. Var. .) *Rex Aegyptius de periculo futurae famis inauditis somnijs urgeretur, nec visionem tantam humanum posset releuare consilium, Ioseph vir beatissimus inuentus est.* In grande Reipublicae commodum à Pharaone Ioseph asciscitur, qui futuram famem praeuideret, & sollicitè subueniret. Eiusmodi ergo ministros conuenit fauoribus obligare, non iniurijs referere; aliter contra ingratum nocentissima excogitabunt machinamenta, & vnde promanare debuit subsidium, augebitur magnis successibus detrimentum, *Furentes* (aiebat Cassiodor. 4. Var. 10.) *iusta non sentiunt, quia dum commoti animo in vindictam seruiunt, rerum temperantiam non requirunt.* Si iniuria exulceret, animus passionibus obturbatus in vindictam facit, & æquitatis leges dediscit. Achitophel praeipuos Davidis consiliarius Absalonis partes sequitur, & prudentiâ contra Dauidem abutitur. *Accersit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David.* Quærent interpretes: Cur Absalom praeipuum Davidis consiliarium asciscerit, & cur Achitophel proditoris sequi partes non recusarit? Respondentque Dauidem Bethsabee, quæ Achitophelis erat neptis, pudorem violasse; & Achitophel iniuriâ offensum astutis suggestionibus Absalonis ambitionem inflammasse, & audacem impulsisse: vt erat vtilissimus, cum illæsus; sic nocentissimus fuit, offensus exasperatus, & dolore iniuriæ percussus. *Hæc res* (scribit N. Sanct.) *non solum fecit, vt huius conspirationis conscius esset, & socius, sed etiam (vt aliqui putant) auctor, & princeps.* Achitophel cum satis esset astutus, latenter excitauit coniurationis procellam, vt acceptam vlcisceretur iniuriam. Achitophelis vestigia secutus videtur Abner, qui cum pro sollicito labore, & laboriosa sollicitudine asperis verbis feriretur, excanduit, & ad contraria signa se contulit. *Misit Abner nuntios ad David.* 2. Reg. 3. v. 12. Dum Isboseth minus prudens Abnerum exasperat, calamitatem contra se vocat; nam si indefesso studio pro tuendo regno laborarat, iam, vt ad Dauidem transferatur, seruos delegat: & iam quod erat regnantis præsidium, est conuersum in detrimentum, & Isboseth impugnavit auxilium suum, dum asperitate tractatur, & supercilio feritur. *Ne videretur proditor,* (inquit Caietan.) *vindictam de Isboseth exercet sub specie exequendi diuinam reuelationem.* Dum gratiâ Principis fruebatur, nihil omittebat, vt eius suffulciret imperium, dum asperis verbis exasperatus, religionis colere agit Davidis causam, & transferri ad illum Israël disponsit coronam; Hinc nouerint Principes à suorum iniurijs abstinere, & verba, nisi prudentiæ examinata trutinâ, non iactare. Sæpè inurbano silentio, aspero sæpè alloquio, irato vultu calamitas imprudenter asciscitur, quia seruus exasperatus, aut rectè suæ indignationi blanditur, aut specioso colore muneribus renuntiare conatur. Achitophel curiæ negotijs se substraxit, & in patriam recepit; & erat Reipublicæ

tiæque fuit magister, morum corruptor, & coniurationis auctor. *Dicendum* (verba sunt Abul. q. 18.) *quod Achitophel fuit princeps istius totius coniurationis, & ipse dedit audaciam Absaloni.* Qui Davidis amicitiam colens, cæteros excellebat prudentiâ. *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Infr. 16. v. 21. à Dauide deficiens vicit nequitia: morum corruptor omnem abijcere verecundiam suavit, ambitionem immaturam edocuit: *Ingrederere ad concubinas patris tui.* Non potuit longius à ratione abire, quæ sapientia retrò cœlesti indubium erat cæteros antecedere. Christus Dominus aceti expertus amaritudinem, respuit non patiendi fastidio, sed doctrinali mysterio: *Currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Matth. 27. v. 48. Remig. in Caten. mysterium enodans, ait, Hebræos Patriarcharum doctrinâ eruditos, Prophetarum monitis instructos, cœlestibus Oraculis nobilitatos generosum extitisse præ alijs vinum; postea verò degeneres amara aded fuisse conuersos in fella, vt vincerent amaritudine absynthium, & Christo grauissimum afferrent tormentum. Itaque quò generosius extiterant vinum, vbi degenerarunt, amarius præ cæteris conuersi sunt in acetum; & quò maius fuerat vini suauitas, fuit acrior fellis acerbitas. Remigium audi: *Indai acetum erant degenerantes à vino Patriarcharum, & Prophetarum, habebant fraudulentam corda quasi spongiam cauernosis, atque tortuosis laribus.* Prophetarum, Patriarcharumque schola innutriti, virtutum odore fragrant; at vbi degenerarunt, deteriores cæteris extiterunt. Video draconem de cœlo abactum, video stellas vanitatis vento in terram proiectas. *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seduxit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.* Apoc. 12. v. 9. Licet Lucifer alijs associatus sideribus è cœlo fuerit proiectus, nihilominus angeli *Væ telluri dicunt, quia deciderit diabolus: Væ terra, & mari, quia descendit diabolus ad vos!* Et cur cæteros silentio tegant, & de Lucifero specialem mentionem agant? Cur serpens prauitate cæteros antecedit, seductionis dolo emineat? Quia Lucifer (inquit Ezechiel cap. 28. v. 12.) olim stellas alias splendore euincebat, & excellentioribus dotibus emicabat. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore. . . perfectus in vijs tuis à die conditionis tue, donec inuenta est iniquitas in te.* Vbi ad iniquitatem deflexit, qui perfectior cæteris luxit, longè etiam deterior extitit: ipse seductionis fuit artifex, fraudis inuentor, morum corruptor, luxuriæ incentor, audaciæ promotor. Nam frequenter qui à perfectionis statu cecidit, magnis se sceleribus inquinavit. Prodest Hugo Card. ad Ezechie. 28. *Dicit sapientiam eum amisisse, id est saporem cœlestium, quem habuit.* Paulatim cœlestium saporem amisit, cœlestia meditari desinit: ergo degeneravit in pessimum, & de cœlo detrusus alios superauit nequitia, si antea morum superauerat elegantia. Nec enim semel à virtutis statu decedentes quantò antea virtutibus resplenderunt exculti, tantò sceleribus sordescere solent infecti.

Matth. 27.
v. 48.

Apoc. 12.
v. 9.

Ezech. 28.
v. 12.

2. Reg. 3.
v. 12.

blicæ congeminata calamitas, optimis consilijs carere, & astutissimis consilijs obturbari.

§. LXV.

Fucata aliquando deuotioni tempus tantum impenditur, quantum opus est, ut iniquitatis opportunitas disponatur.

Plures cum ad concinnandas fraudes, disponendasque insanis appetitibus occasiones, temporis indigeant spatio, & pulchro ad speciem titulo, templum petunt, mentita deuotione prolixas horas infumunt: credas agere virtutis causam, & inuenies, deuotioni moram non inferuire, sed concinnandis criminibus militare; in templo temporis producunt spatia, quousque aduentarit libidinum proxeneta. Huic thesi adapto, quod aiebat Cassiodor. 4. Var. 29. *In contrarium fædo ambitu de mora queritis commoda. Fæda commoda de mora aliquando quærentur, & fucata virtutes inferuire cupiditatibus comprobantur.* Absalom victimas perseuerat immolare, quousque perstrepsens buccinæ clangor adesse coniurationis opportunitatem denuntiat, & proditiōis participes vocat: *Cum immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populisq; concurrens augebatur cum Absalom.* Id est, cum aliquot dies essent opus, ut populus aduentaret, Absalom immolationis producebat spatia, non deuotioni inferuiens, sed coniurationis aduentandi tempus dilargiens: sacerdotibus assistebat, sed coniurationem parabat: videbatur deuotus, sed ipsa deuotione peccabat, aduentum militum præstolatus. Opportunè N. Sanct. *Videtur Absalom multos consumpsisse dies in victimarum immolatione, ut honesta prætexeretur species improbo consilio... deinde ut interim per emissarios suos multitudinem sibi conciliaret.* Plures in sacrificijs dies insumpsit, sed dilatio improbo honesta specie deferuebat consilio, & militabat religionis umbra iniquissimo desiderio. Immolationis tempus dolus extendebat, & fucata deuotio videntes ludificabat. Balac de Balaan consilio aram struxit, & victimam sacrificandam imposuit. Opus erat aliquo tempore, ut Balaan loca contenderet ad secreta, & sollicitaret auguria: ergo Balac sacrificijs insistit, dum Balaan rediret, & Balac desiderium expleret. *Sto paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam.* Num. 23. v. 3. Balac stabat iuxta holocaustum, sed Balaan expectabat aduentum: *Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum.* Putares Principem deuotioni insistere, pietati tempus impendere, præstolabatur tamen, ut Balaan aduentaret, & iniquum desiderium perficeret. Innuit Lira: *Intendebat habere reuelationem à demone, quomodo procederet in populi Israël maledictione, quærebat enim tunc augurium.* Monuit Balaan, ut iuxta aram Balac eius præstolaretur aduentum, donec afferret illi à demone augurium: Balac assensit, & tempus iuxta aram longum insumpsit, sed afferendum responsum demonum expectauit.

TEXTVS.

VERS. 13. Venit igitur nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.

§. LXVI.

Lentius consulitur Principis saluti, celerius mos geritur voluptati.

Omnes maiores nostri questi sunt (aiebat Sene. lib. 1. de Benef. cap. 10.) *hoc nos querimus, hoc posteri nostri querentur, euersos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas, & in omne nefas labi.* Incrementa lentè exeunt, properatur in damnum. Non deest comes, & irritator ad vitium, raro ad salubria sectanda inuenitur consortium. Nescias, qua prurigine alacrius, celeriusque alterius suffragemur ctimini, lentius sospirati. Omnes inuolant, ut alium ad vitia præcipitent; lento incedunt gressu, ut ad virtutem promouerint. Absalom immatura ambitione exæstians, in patrem coniurat, & iam omnes gressum, ut adulentur, accelerant: *Populus concurrens augebatur cum Absalom.* Et tamen ad Dauidem vnicus nuntius, ut effugeret, venit; ad Absalonem ferè populus totus, ut opitularetur, cucurrit. *Venit igitur nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.* Si inquiras: Cur nuntius ad Dauid non inuolarit, sed venerit? *Venit igitur nuntius: & cur ad Absalonem tanta hominum copia accurrens confluerit? Populus concurrens augebatur cum Absalom:* respondeo aduentasse, nuntium, ut consuleret Dauidis saluti, accurrissèque quàm plures, ut Absalonis opem ferrent exoculata ambitioni. Ergo etsi accelerandum foret alterius remedium, & alterius retardandum delirium; ea tamen homines propensione vitij inferuiunt, ut ad Absalonis fouendum desiderium plures inuolarent, & ad periculo eripiendum lentius, & vnicus nuntius venerit: *Concurrens populus augebatur cum Absalom. Venit igitur nuntius ad Dauid.* O quanta hinc suffragia ferentium copia! O quanta ibi periculum admonentium penuria! Quisque alacriter Absalonem adiuuit, ut absolueret impium desiderium; rarus, & lentè Dauidem admonuit, ut imminens frustraretur periculum. Notauit Abul. q. 18. *Istud dixit nuntius: quia vidit multitudinem magnam de omnibus tribubus subito confluisse, & videbantur omnes venire alacri animo ad adiuvandum Absalom.* Alacri animo, celeri gressu confluebant ad iniqua vota fouenda: vnus & non adèd celeriter Dauidem admonuit, ut effugeret pericula. Quis caruit socio ad vindictam, ad intemperantiam, ad luxuriam? Veluti ingenito pruritu inclinantur plures ad ferendum vitij suffragium, non sic ad salubre ferendum periclitanti consilium. Balaan muneribus subornatus, Balac iniqua promouere vota festinat: à Domino compulsus benedictione populum ornat, eo tamen discrimine, ut ad ferendam virtuti opem celeriter non accurreret, & ad ferendas Balac suppetias velociter inuolarit. Ecquis hoc ait? Ipse profectò Textus: *Sto paulisper (aiebat) iuxta holocaustum tuum, donec vadam... cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus.* Num. 23. v. 3. Occurrens Dominus prohibuit auguria, utque populo benedixit, dedit mandata. *Dominus autem posuit verbum in ore eius.* Quid tunc? *Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum.* Inquires: Cur reuersus non dicatur velociter, qui velociter tetendisse dicitur? *Cum abiisset velociter:* Sed responsio facilis est: Alibi improbis desiderijs ferre conabatur suffragia: *Cumque abiisset celeriter:* alibi compellebatur

Num. 23.
v. 3.

Num. 23
v. 3.

tur impertiri populo benedictionis auxilia, ergo non cucurrit, sed gressibus lentis incescit. *Intendebat* (inquit Lira) *habere reuelationem à damone, quomodo procederet in populi Israël maledictione; quarebat enim tunc augurium.* Ad augurium querendum lento non incescit vestigio; ad benedictionem impertiendam celeri non redijt gressu; quia homines ad aliorum virtutes promouendas lentius procedunt, ad fouenda vitia celerius accurrunt: ad Dauid nuntius venit, sed non ita citò, ac populus ad filium cucurrit. *Venit igitur* (inquit Lira) *non tamen ita citò, eo quòd Absalom faciebat custodire vias.* Quid veriùs? Quid vltimatus?

§. LXVII.

Solicite studet inimicus periculi impedire notitiam, ne periclitans salubrem confugerit ad cautelam.

Scorpio non solùm adnititur mortifera eiactuari venena, sed omnes facit sensus retorpecere, ne quiuerint confugere ad salubria medicamina. Audi Tertul. aduersus Gnost. cap. 2. *Si plagam satiauerit, intimat virus, & properat in viscera: statim omnes pristini sensus retorpecunt, sanguis animi gelaescit.* Satis non est scorpionis inferre plagam, ni stupefactis torpore sensibus profuturam etiam impediuerit medicinam: nec aliter quàm bestiolæ; dæmonis ingenium: nocentissima voluptatum fundit venena, concinnat pericula, & totus est in impedienda notitia discriminis, vt peccator viam nequeat arripere sospitatis. Absalom qui dæmonis figuram gessit, ingentissimum Dauidi conspirationis periculum procreauit, & ne quis ei renuntiare posset, studuit. Iam ingens populi concurrens augebatur cum Absalom copia: Dauidis iam nutabant sceptræ, & tamen ad Dauidem tardè peruenit notitia. *Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toro corde vniversus Israël sequitur Absalom.* O tardus nuntius! si exordio militares ad Absalom manus vidisti confluere, cur distulisti vrgens aded Dauidi periculum denuntiare? Quia Absalom (respondet pro nuntio Lira) *solicite vias præmunivit, & ne quis transiret, vigilantia cautela cavit.* Verba Liræ sunt: *Venit igitur nuntius, non tamen ita citò, eò quòd Absalom faciebat custodiri vias, ne hoc factum nuntiaretur Dauid: donec haberent tantam multitudinem, quod Dauid non posset resistere.* Si Dauid periculi esset exordientis conscius, obuiaret proditori sollicitus, tarda notitia obturbabat animum, non afferebat remedium: ergo tota Absalomis cura fuit vias impedire, ne quis posset Dauidem de imminentibus periculis Admonere. Miris historiæ coloribus expressit Textus quod peccatoribus sæpè contingit: vitæ, animæque periculū vrget; & ne quis citissimè obituro renuntiet, varia apponit dæmon obstacula, & machinatur impedimenta: vnde fit, vt infirmus antequàm de remedio cogitarit, sensū amiserit. Valentibus culpæ veneno infectis longa vitæ spatia promittit, à salubri concione retrahit, à sanis consilijs auertit, & conatur efficaciter, vt tunc peccator suæ plaudat securitati; cum proximior inuenitur discrimini. Gaal inter bella, periculæque constitutus, lucem anteuertit, vt hostiles impediret insidias, & ciuitatis muniret portas; vidit copiosum de monte exercitum propinquare. *Ecce de montibus multitudo descendit.* Iud. 9. v. 36. Quid tunc? Zebul amicus simulatus, & hostis verus à montibus, ex oriente lu-

ce, proiectas umbras testatur, & eludere oculis dololus adnititur. *Umbras montium vides, quasi capita hominum, & hoc errore deciperis.* Visus admonebat periculum, Zebul vafricies decipere adnitebatur aspectum: proximauit exercitus; & iam cum Gaal periculo cinctus trepidaret: *Ecce populus de umbilico terre descendit, & vnus cuneus venit per viam, que respicit quercum.* Zebul, qui omnem periculi ademerat metum, iam illusum irridet, & metum, vt duriùs distorqueat, auget: *Vbi est nunc ostium, quo loquebaris? nonne hic populus est, quem despiciebas?* En hostis artes! quas Gaal videbat armatas copias, esse persuasit inanes umbras, ne periculi notitia depelleret periculi detrimenta, modò verò quas fuerat mentitus inanes umbras, armatas aduersariorum ostendit copias: vt iam desperatione nequeat effugere retardatus, si antea falsæ securitati confidebat illusum. *Errore deciperis, mentitus proditur* (inquit Hugo) *Mentitus adulabatur securitati, vt occasionem concinnaret discrimini: Gaal antequàm posset præcauere, ingemuit aduersarium propinquare: & Zebul dæmonis personam gerens, vt proximius adurgeret periculum, umbrarum est architectatus commentum.*

§. LXVIII.

Quisque tendit, quòd lucrum, aut studium ducit, non quòd tendere ratio suadet.

AD mercedem pij sumus, ad mercedem impij; nam præmium, lucrumve, quo vult nostrum impellit affectum. Merita traduntur obliuioni, si ambitiosa spes quid promittat cæcæ cupidini. *Ista, quam tu describis* (aiebat Sene. Epist. 9.) *negotatio est, non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.* Si dignus, indignusque concurrant, non sententiam profert sæpissimè rationalis iustitia, sed pro affectu, aut lucro stat cupiditatis sententia. Dauid multis titulis de populo erat benemeritus, gigantem deiecerat, iugum, antequàm populus experiretur, depulerat, regni limites prolatarat: Absalom nullis actionibus clarus, nullis factis corona dignus, & tamen totus populus sequitur Absalomem, obliuiscitur Dauidem: *Toro corde vniversus Israël sequitur Absalom.* Si inquiras: Cur tanta Dauidis merita populus paruipendat, & cur Absalomis adhærere lateri festinus studeat? respondet Textus, affectum populi blandis adulationibus delinitum, & saporatis fuisse mensis illectum: *Cum immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom.* Victimarum nomine conuiuia exprimi tradit Hugo Card. *Absalom per conuiuium simulatiuè se Regem constituit, & populum auertit à Dauid.* Alij, vt eum eligerent, ciborum dapibus suadebantur, alij fauorabilis, quam promiserat, sententiæ spebus ducebantur: ergo dùm solùm attendunt lucra, Absalomem præferunt, Dauidem quantumuis dignum reiiciunt. Dei Arcam Philistæi in Dagonis templum inferunt, & iuxta Dagonem statuunt: *In-tulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.* 1. Reg. 5. v. 2. Ita iuxta Dagon statuerunt, vt Dagon præmineret, & altiore locum occuparet; nec mirum, si impia cæcitas Dagon, antequàm eius experiantur ignauiam, & Arcæ valentiam præferant; postquam verò experti sunt Dagon deiectionem, Arcæque virtutem, mirandum fuit, in priori sententiâ stitisse. Quod si inquiras: Cur instent, & eodem loco iterum deiectum collocent? *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Ar-*

1. Reg. 5.
v. 2.

cam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum: Respondeo, sacerdotes Dagon victimas in suam vtilitatem conuertere, & de eius altari viuere: Ergo lucrum postposuit meritum. Tulerunt Dagon (inquit Lira) & restituerunt in locum suum, scilicet sacerdotes. Lucri spes incitabat affectum, & subornatus affectus præferebat Numini idolum, altiori loco collocabatur, & Arca Domini postponebatur. Verum, experientia que comprobatur! Ambient duo dignitatis fastigium; electores non ignorant alterum eximijis meritis præluere, sed erga alteram gerunt affectum, aut sperant lucrum. Hunc ergo electores præferent, illumque postponent, quia apud sæculum electio frequenter non venit de merito, sed de lucro. Dum Absalom promittit litem gerenti fauorabilem sententiam, dum offert victimam, Dauid tot titulis dignus reijcitur, & Absalom fratricida concordia acclamatione præfertur.

T E X T V S.

VERS. 14 Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: nec enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.

§. LXIX.

Gravissimus dolor est, si, à quo sperabas solatium, tibi promanare infestissimum odium.

DEcet quidem cunctos beneficijs respondere, & summis honoribus obligatos à se umbram etiam ingrati tudinis propulsare. Ratio rerum est (aiebat Theodor. 4. Var. 30.) *vt cum necesse sit, plus debere, qui visus est maiora suscipere.* Plus debet, qui accepit maiora: sæpè tamen contra hominem auxilium suum vertitur, & inde promanat triste lamentum, vnde opportunum ad tristitiam delinendam sperabatur solatium. Dauid Absalonem exilem reuocat, honoribus nobilitat, & copiosis officijs obligat: & cum filius, tum tenerè dilectus, tum honoribus ampliatus teneretur vices rependere, inuentus est contra parentem validam coniurationem moliri; & quidem nisi maturam Dauid arripuisset fugam, vitam amitteret, & coronam: *Surgite, fugiamus: nec enim erit nobis effugium à facie Absalom.* Absalom esse debuit tutum genitoris profugium, & conuersus est in procellosum naufragium. Notauit Chrysostr. apud Gloss. *Quando senectutis suæ solatium scelestum illum habere debuerat, tunc infestissimum sentiebat.* Auxilium conuertebatur in prælium, & inde acrior oriebatur angustia, vnde angustiarum oriri debuit medela. *Fratres tui* (aiebat Ierem. cap. 22. v. 6.) *& domus patris tui etiam ipsi pugnaverunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce.* A consanguineis, fratribusque petendum videbatur auxilium, & ab ipsis vitæ grauius imminebat dispendium: allaturi commodum, sæuam armauerunt rugitum, & leonis adinstar adnitebantur discerpere, quem rationabili debuerant obsequio colere. Prodest Hugo. *Quasi non solum manu pugnabunt contra te, sed &*

Ierem. 22.
v. 6.

lingua calamitati tue insultabunt aperte. Fratres naturalis vinculi obliti non solum opportunum non offerebant auxilium, sed grauissimum attulere lamentum. Ingratitudinis methamorphosi cognatus, filiusque in leonem conuersus gestiebat discerpere, non seruare: & grauior exulcerabat anxietas, cum inde promanaret exitium, vnde oriri debuit remedium. En Dauid ambitiosa Absalonis effugatur audacia, cum fas esset coli obseruantissima reuerentiã.

§. LXX.

Qui dignitate fulget, non solum ambitionem vereatur extraneam, sed timeat etiam domesticam.

VT naufragium maria traicientibus imminet, si valida ventorum acrius adspirantium vrgat procella; sic pax, tranquillitasque Reipublicæ concutitur, si tempestas ambitionis oriatur. Nec minus timendum est à domesticis, quam extraneis; imò dum proximior dignitatis splendor domesticorum inuidientium referit oculos, viuidius etiam irritat animos. *Per paucis* (aiebat Æschyl. apud Stobæ. cap. 38.) *hominum hoc ingenium est, vt amicum fortunatum sine inuidia colant.* Consonat ibi Menand. *Corruptionis causa veniunt inuirtutes, vt ferrugo, si consideres ferrum; si vestes, tinea: teredo, si lignum spectes.* Vt pretiosa vestis occulta tinea sordidatur, vt lignum interno verme abroditur, & consumitur; sic sæpè qui dignitatum occupare fastigia, domestica amulatione impetuntur, & dilatantur. Vbi Dauid repetitis plausibus celebratus, & trophæis hostilibus luxit redimitus, Saül furit, & victorem arripere fugam compellit. *Fugit Dauid de Naioth.* 1. Reg. 2. v. 1. Saül dum liuida ambitione adurit, captiosum disponit dolum; cogitur Dauid lares relinquere, quia ipsis in laribus, vbi futurum existimat auxilium, tulit contortum fraudulentissimum telum. Absalom etiam immatura ambitione febriens in patrem insurgit, & ad fugam è throno deturbatum compellit. *Fugiamus, nec enim erit nobis effugium à facie Absalom:* non timebat antea filium, etsi Saül em sustinuerit aduersarium; sed amarã experientiã est doctus inter lumina dignitatum versantem oportere oculos ad omnem partem conuertere, sibi que non solum ab extraneis, sed à propinquis, & domesticis etiam cauere. Notauit Chrysostr. apud Gloss. *Absalom tyrannidem gestiens, insurgit in patrem, illumque rursus ad fugam, errorisque perperuos, quos perpeffus erat sub Saül, renocat.* Saül inuidus fugat, Absalom ambitiosus etiam molestat: Saül coronam satagit impedire, Absalom audissimè studet rapere; nec minus fuit Dauidi cauendum à filio, quam ab extraneo. Cum è Moyse facie solares radij promicarent, & intuentium oculos referent, splendorem velamine texit, & prudenter radios contraxit. *Posuit velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo aufererat, donec exiret.* Exod. 34. v. 33. Laudo Moyse cautelam, dum luminis tegit pompam; verum etsi velamine fuerit opus, dum lucet inter extraneos, otiosum videbatur, dum resplendet inter domesticos: si velamen auferat, tabernaculum ingressus, auferat etiam, dum domestico tentorio otatur detentus, & cum fratre, & sorore beneuolè, & familiaritè conuersatus. Quid interest, videat soror aspectus lucem: Quid nocet, si Aarõn vultus adspexerit

1. Reg. 2.
v. 1.

Exod. 34.
v. 33.

adspexerit splendorem? O vtilem nobis eruditionem! Non minùs vtitur velamine ad domesticos, quam extraneos: vt qui bene nouerat, fratrum etiam oculos splendore feriri, si contigerit inuidentiã pulsari: & quidem non minùs fratres audaci percusserunt lingua, quàm extranei cœcã insurrexerunt audaciã. Prodest Hugo Card. *Radij miri splendoris ferebantur de facie eius, qui reuerberabant oculos intuentium.* Siue fratres, siue extranei intuerentur radios, repercussos splendore sentiebant oculos: ergo ad omnes velamine est vsus: vt qui bene nouerat, luminibus refulgenti opus esse, vereri non minùs domesticos, quàm extraneos.

§. LXXI.

Cum omnis ætas periculis inueniatur obnoxia, prouida est opus cautela.

Cum nulla ætas naturã denudetur humanã, quæuis probatur sollicita indigere cautela. E saxo, cui sicca durities, liquidi profluxere liquorcs. *Peruicacissimus hostis ille* (aiebat Tert. de Pœni. c. 7.) *numquam malitia sua otium facit.* Iuuentutem adurit, sed & canitiem ardere facit. *Post iuuentutem* (aiebat Senec. de Const. Sapien. cap. 12.) *canosque puerilitatis.* Plures profecerunt ætate, sed cum ætate pueritiã conseruauerunt ineptiam, & acrem iuuentutis fouerunt flammam. Scit sapiens, plures togatos, purpuratosque intus malè esse sanos, imò miserè ægros. Dauid pulcher, iuuenis que hostili telo impetitur, sed ictus sagaci fuga frustratur: iam senex, iam ætate maturus, hostilibus etiam vrgetur aduultibus, & prudens arripit fugam, nec inanem refouet confidentiam: *Surgite, fugiamus:* sensit in senectute periculum, qui in iuuentute euaserat telum; nec minùs opus fuit seni, quàm iuueni hostis insidias eludere, & ad tutiora inuolare. Notauit Chrysostr. apud Gloss. *Multò illi molestior ea fuga, quàm prior fuit. Nam prius quidem dux cum esset, ista perpeffus est: nunc autem cum annis plurimis regnasset, hostesque ferè omnes superasset, migrare, ac profugus fieri cogitur.* Senex sentit periculum, iuuenis expertus est telum; & ni vtraque ætas salubrem arripuisset fugam, experiretur calamitatis miseriam. Iacob de Gad loquens aiebat: *Gad accinctus praliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* Gen. 49. v. 19. Gad accinctus cum aduersarijs bellũ prædicatur initurus, & prostratis etiam hostibus, iterum accingendus, quasi nullum sit tempus, quo opus militari non fuerit cingulo. *Gad* (exponit Hugo) *accinctus praliabitur ante eum in transitu Iordanis, & ipse accingetur retrorsum in reditu ad suos.* Cum hostibus pugnaturo opus erat militaris baltheus; ast ad domesticos redeunti, triumphisque celebri, otiosum videbatur cingulum; cur ergo Iacob admonet, vt eodem modo in armis persistet veteranus, & tyro? O vtilem nobis eruditionem! Vbi que Iacob agnouit imminere periculum, siue Iordanem traiciat, siue ad suos redeat; ergo monet sollicitas vigilias agere, & armis semper muniri, ne ipsa confidentia inopina pariat pericula: accingatur ergo in præliorum exordio nouellus, & accingatur etiam iam veteranus, triumphisque redimitus, quia cum omni tempore externus, aut internus hostis debeat timeri, opus est semper accingi. Dauid fugam arripuit antea, & modò etiam repetit fugam, quia non solum periculum vrgebat iuuenem, sed discrimen etiam senem.

§. LXXII.

Deus vti misericors pater, cum statim valeat punire culpam, mauult protelare patientiam.

Honorabilis apud Deum iustus habetur, & virtutibus cœlestis arridere probatur beneuolentia; vt e contra: indignis actionibus exasperatur iustitia. Quidquid ab æquitate discrepat, Numinis indignationem inflammat. Verum sapè, etsi statim perpetrata scelera digna possit seueritate punire, mauult tamen paterna tolerantia tempus peccatoribus indulgere. *Absit* (aiebat Tertul. de Pœni. cap. 7.) *vt aliquis ita interprete rret, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad penitendum: & redundantia clementia cœlestis libidinem faciat humana temeritatis. Nemo Idcirco deterior sit, quia Deus melior est.* Redundantia diuinæ benignitatis ad occasionem deflectitur criminis, & tamen Deus mauult patientiæ spatia tribuere, quàm scelera rigidã statim falce refecare. Absalom pium in parentem coniurat, & quia de perpetrato fratricidio obtinuerat veniam, modò deteriore iterat culpam: copias adlegit, exercitum instruit, vitam, & coronam auferre parenti exambit. Quid tunc Dauid? Discedit, & suã quodammodò fortitudini detrahens, fugit: *Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus.* Cum Regia firmissimis muris fuerit instructa, & militum strenuorũ copia obarmata, quærunt Interpretes: Cur inauerit ignominiosam ad speciem fugam inire, quàm potentiam contra insolentem ostendere? *Quare Dauid* (rogat Abul. q. 20.) *fugit de Ierusalem, nam ipse habebat secum viros bellatores multos, & fortissimos, & erat in loco valde munito, ubi neminem poterat timere?* Si ab Ierusalem militares copias educeret, & contra insolentem iuuenis audaciam opponeret, facile debellaret, & filius telis confossus periret; ast penitentissimus pater maluit tempus ad resipiscendum concedere, etsi quid ad speciem arripiendo fugam, sibi videretur detrahere: *Fugiamus.* O patris clementiam! sua sibi quodammodò detraxit patientia, vt filio resipiscendi præberet spatia: cueterè statim potuisset, sed paterna charitate insanientem sustinuit. *Dauid* (addit Abul.) *non exiit de urbe, timens quòd Absalom praualeret contra eum.* Consonat N. Sanct. *Fugit Rex pius, & prudens.* Bene nouerat posse vindictam expetere, maluit tamen recedere, & penitentiam spatia Absaloni largiri: se Regem, & potentissimum quodammodo est oblitus, quia esse genitorem est recordatus. O quoties Deus, cum statim possit punire culpam, elegit producere tolerantiam, & mauult sibi sustinendo ad speciem detrahere, quàm filium perdere! Vineam rusticis ingratis paterfamilias commodauit; & ad accipiendos debitos fructus semel & iterum fidelissimos seruos misit; verum agricola pro fructibus reddiderunt iniurias, & contumelias: adhuc non dilassatur patientia, sed filium mittit: sed quò indulgentior clementia, eò insolentior, & durior fuit peruicacia. Quid tunc? Durissimam vindictam experit, tarditatem seueritate rigida comperauit: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Mat. 21. v. 40. Hinc oritur questio: si ab exordio quiniit agricolas perdere, cur distulit? Nihil mirum, differret aduentum, si infligere nequiret supplicium; ast, si præualet potentia, cur peregrè profectus, & redire tardatus? Vt agricolæ (res-

Gen. 49.
v. 19.

Mat. 12.
v. 40.

pondet Chrysof. in Cat.) tempus haberent refiscendi, & errores emendandi, punire quibat, sed maluit paterna pietate expectare, non perdere. *Peregrè* (verba sunt Chrysof.) *profectus est, cum longanimitatem habuit, non semper eorum peccatis penas inducens.* Suam quodammodo substraxit presentiam, ne compulsum presentem defauiret in culpam, utque se patrem ostenderet, si dicere fas est, iudicem ignorauit. Ergo Dauid mauult fugere, quam filium perdere. Sed expende Absalomem miseranda morte perijsse: agricolas supplicia durissima contra se armasse; nam vixit pena actior, vbi patientia contemnitur indulgentior.

§. LXXIII.

Felix, quem ad se Deus flagellis traxit; infelix, quem discedens impunitum dereliquit.

Non est felicitas, aut aduersitas de externis taxanda, sed de internis dimetienda. Miser est, quem fulgere vides in auro, si referretur supplicio: non est infelix, qui flagellis ingemiscit percussus, si patris postea dulcissimos potiatur amplexus. Malo Ionæ naufragium pati, dum ad litus perueniam, quam inauratum Pharaonis currum incendere, & miserum naufragium subire. *O seruum illum beatum* (aiebat Tertul. de Patien. c. 11.) *cuius emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* Cum hominis vera felicitas sit animæ salus, non fortunæ successus, attendenda est conscientia integritas, non volatica eludentis oculos splendoris felicitas. Absalom à paternis oculis semotus, & seueritate castigatus ad paternum peruenit osculum, & amplexum. *Osculatus est Rex Dauid Absalom.* Sup. 14. v. 33. Non multò post insanus adulescens regio apparatu splendet, splendore turget, & in Regem proclamari à populo exambit. Quid tunc? Dauid fugit, & audentem deserit: *Surgite, fugiamus.* Si inquiras, an Absalom fortunatior fuerit in Regem à populo conclamatus, an paternam illam indignatione percussus, exiliùmque passus? Respondeo, si exteriora solum spectes, felicior throno, quam exilio; si verò finem attendas, exilio fortunatior, quam throno: dum laboribus eruditur, ad suauissima patris oscula peruenit; dum verò impunitus deseritur, arbori, vt carnifici puniendus traditur. Dum recusat Dauid in campum prodire, & insanientis temeritatem frænare, dum ab eo longè discedit, seuerius punit; nam & Absalom sibi ipsi traditus, & à parente desertus, voluptati, ambitioni, libidini indulget intemperatus, & transfoditur è quercu suspensus. *Dauid* (inquit Abul. q. 20.) *non exiuit de urbe timens.* Non recessit ignaua timiditas, sed rigida satis seueritas; nam dum nullis admonitionum, aut laborum frænâ detinetur, Absalom faciliùs præcipitatur. Dum Daniel adest, Nabuchodonosor deterretur, proceræ arboris intuetur folia excuti, ramos præscindi, fructus spargi. *Ecce vigil, & sanctus de caelo descendit. Clamauit fortiter, & sic ait: succidite arborem.* Dan. 4. v. 11. Balthasari Daniel non adest, nec eius consuetudine Princeps vitur, imò non solum proditur remotus ab aula, sed à Principis etiam notitia. *Est vir in regno tuo* (aiebat Regina) *qui spiritum deorum sanctorum habet in se...* Nunc igitur Daniel vocetur. Dan. 5. v. 11. Felicior cui videatur Balthasar, Daniele absente, quandoquidem nec in faultis de-

terretur somnijs, nec duris constringitur vinculis, nec austeris marcet ieiunijs; imò capacioribus scyphis vitur, & meretricum conspectibus delectatur. Proh infelicem! cum quo meliùs actum esset, si percussus gerneret, & deterius somnum exuteret; ast dum Daniel abest, nec deterretur somnio, nec duro illigatur ferro, & sibi derelictus, effrænâ sectatur vitia, & irreuocabili, ac dura condemnatur sententia: *Apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum.* Dan. 5. v. 5. Nabuchodonosor dum patitur falcem, tantam vitiorum non peruenit ad messem; Balthasar peruenit ad messem, quia non est expertus falcem. Benignus fuit Daniel, dum se non substraxit à Nabuchodonosoris presentia; rigidum se exhibuit erga Balthasarem, dum denegauit salubrem satis notitiam. *Rex Babylonius* (inquit Tertul. de Pat. cap. 13.) *offenso Domino cum squalore, & pedore septenij ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini est, satis Deo fecit.* Labores, afflictationes, arumnæ quodammodo ad penitentiam impulerunt, veniamque impetrarunt; ast dum Balthasar nec deterretur somnio, nec sapienti admonetur consilio, manum spectat scribentem, & sententiam reuocandam nunquam exarantem. *Propheta memoriam* (inquit Theodor. q. 5.) *etiam ab animo abiecerat.* Adnectit: *Dici congruenter potest, quod de Israël dicebat Propheta: Cum occideret eos, tunc querebant eum.* Pium homicidij genus erat, iugulare appetitus terroris gladio, & castigationis ferro, vt seuerissimum supplicij genus, Danielem à Balthasare peccatore recedere, & suis venditum cupiditatibus derelinquere. Absalom laboribus eruditus peruenit ad veniam; à populo conclamatus, & à parente delictus, carnificem cucurrit ad plantam.

§. LXXIV.

In curia periculum facilius solet urgere, & difficilius vitium eludi.

Intus malum nostrum est: intra viscera insidet concarnatum, quod ad vitia præcipitet, & rationis lucem obtenebret. Nec solum interno laboramus morbo, sed exterius etiam impellimur frequenti ad peruersa exemplo. Cumque Regum curia, Magnatum palatia sint deliciarum emporia, ibi frequentiùs delinquit lingua, irritatur intemperantia, æstuat luxuria. Prudenter Sen. epist. 52. *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere.* Achi diceret: Magnis in curijs ab aliorum moribus discrepans nequit viuere, quia continget cæteris omnibus displicere. Utque sine aëris reciprocatione nequit vita conseruari; ita in curijs sine ambitione, & vitiorum pestibus difficulter quis potest degere. Absalom ambitionis, ingratitude, intemperantiæque idea Dauidi percontat bellum; verum Dauid celeri gressu fugam arripit, & periculum anteuertit: *Surgite, fugiamus: nec enim erit nobis effugium à facie Absalom.* *Festinate gredi, ne forè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam.* O quam videtur Dauid inopino casu obturbatus, & timore nimio leges prudentiæ transgressus! si militari auxilio in Ierusalem munitur, si altissimis muris defenditur, si olim ciuitas à cæcis, claudisque contra hostiles adfultus posse putabat defendi, modò studiositas ad repugnandum instructa, & in meliorem formam redacta,

Dan. 4.
v. 11.

Dan. 5.
v. 11.

Et, erit securissimum præsidium, & contra absaloni vires munitissimum castrum: Ergo David non desperet victoriam, nec desertis in locis quærat contra discrimen tutelam. Nonne si Absalom arce, murisque destitutum inuenerit, facilius impetret, & triumphabit? Ergo David longè à prudentia aberrat, dum vastum inuolans ad desertum, munitissimum deserit propugnaculum. O profundam nobis eruditionem! descripta est in æterna pugna hominis à vitijs impetiti, discriminibusque circumacti interior colluctantia. Ergo David, qui interiùs impetitorum gerebat vmbra, pericula etiam eludentium exhibuit nobis ideam: ad desertum inuolans, deserens curiam, & inhabitantium consortia, edocuit, curiam vitijs ferre opem, & dulcem habitatori perniciem. Opportunè N. Sanct. *Mirum est, quòd Rex bellator, nec omnino ab auxilio militari desertus, & in ciuitate adeò munita, ut putaretur à cæcis, & claudis posse defendi. . . desperauerit in illa arce resistere se posse filij conatibus, atque ideò statuerit quamprimum esse abeundum ex vrbe, & in desertis locis querendum esse perfugium.* Cùm hoc in bello internum fuerit bellum adumbratum, David prudentissimè statuit desertis in locis quærendum esse perfugium, & curialium deserendum esse consortium. Ferunt sæpè tentationum adsultibus, qui in curijs degunt, opportunum suffragium, dum aliud ad voluptates occasionem concinnat, aliud se vitijs inseruire ostentat, aliud modestis insultat. Ergo quantum potuerit, à curia recedat, qui vinci timet, & vitiorum adsultus repellere exambit; nam dictum non est facile, quàm refertæ sint vitijs, & ad vitia irritamentis celebriores ciuitates. Niniuem contendere iussus Propheta, nauim inscendit, Tarsum petiturus, & quamuis tempestatum turbinibus circumactus, iussis resistit, & prædicationem carituram effectu credidit: *Vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me.*

Ion. I. v. 2.

Ion. I. v. 2. Dum malitia non exprimitur, vniuersa malitiæ lue ciuitas insci denotatur. Basiliius Sel. existimat, Deum ostentasse infinitam misericordiã, dum febrientem magnis impietatis ardoribus persanat curiam. Ipsum audi Ora. 12. *Niniue ciuitas erat inter Assyrios hominibus refertissima; peccatis natura terminos supergressa; non tamen diuina clementia metas exuperabat.* Ac si dicat Basiliius: Hoc in congressu Dei apparuit misericordia infinita, alioquin Niniue ad sanitatem non rediret, ut quæ delinquendo fuerat naturæ terminos supergressa: curiæ morbus nequiret sanari, nisi infinita clementiã, & immetatã misericordiã. Propheta curiam adire recusat, quasi de salute desperans, & fore laborem irritum, fuga demonstrat. Ea fuit Ionathas animositate præditus, ut non timuerit Philistinorum reptando castra impetere, & triumphum de hostibus munitis ambire: *Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat, sequens eum.* I. Reg. 14. v. 13.

I. Reg. 14. v. 13.

Quem audacter vides hostilia ad castra contendere, videbis cap. 20. v. 33. celerem fugam arripere; nam cùm innocentis ageret causam, sic Saulis commouit iram, ut contra innocentis defensorem prænsarit lanceam. *Arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum.* Ionathas, ut periculum eluderet, à mensa surrexit, & fugit: *Surrexit Ionathas à mensa.* Sed dubij facilis est solutio: In palatio, in opipara mensa grauissimè adurgebat periculum; nec Ionathas, ni cœlestis adfuisset gratia, eludere qui-

I. Reg. 20. v. 33.

ret telum. Prodest Iosephus apud Glos. *Arripit lancea super eum, ut respondentem interficeret, insuluit, & hoc quidem non impleuit, prohibitus ab amicis.* Ni impedita fuisset dextera, contorta forsitan vulneraret Ionatham lancea; prudenter ergo in curia declinauit fuga periculum, qui de inimicorum confertissimis curcis assèqui in mentibus præsumpsit trophæum.

§. LXXV.

Pij superioris est, ut à suis imminens auertat periculum, aliquale subire auctoritatis dispendium.

Uititiam æquabilem, clementiãque, quæ populos custodiunt, Principis maiestas tenetur custodire, & laudabili dignatione seruare. Aliquando dignitatis auctoritas videtur imminui, si superior velit subdito prouidere; sed gloriosum est, aliquale pati detrimentum, ne videatur subiectus graue sustinere periculum. Quibus cordi est, populos tranquillos pascere, non recusant fidem sacramentis firmare, mallentes subiectos securos reddere, etsi videantur aliquid de auctoritate minuire. *Ecce (aiebat Athalar. 8. Var. 3.) Traiani vestri clarum sæculis reparamus exemplum, iurat vobis, per quem iuratis: nec potest ab illo quisquam falli, quo inuocato, non licet impunè mentiri.* Ad conditionem sacramenti inclinare Athalaricus non refugit principatum, ut omnem à subiectorum præcordijs depulerit metum. Athalarici grauiori in materia David est amplexus politicam; nam cùm Absalom armatas copias in campum contra ipsum produxisset, tot triumphis celebris, tot spolijs illustris maluit citò fugere, quàm munitissima Sion arce perstare: *Surgite, fugiamus.* Quid ais, Imperator optime? Cùm procero illo gigante alacris descendisti in prælium, & modò quæris fugæ subsidium? Nonne quam acquisueras egregiè depræliando, obscurabis gloriam ignaue ad speciem fugiendo? Ita est (inquit David) sed si persistam, imminebit toti ciuitati periculum; si fugiam, aliquod patiar fortitudinis, & auctoritatis dispendium; malo tamen timiditatis subire notam, quàm periclitari Rempublicam. Prodest N. Sanct. *Timebat optimus Princeps, & ciuitatem amans, ne quid ab hoste infesto, siue obsidente, siue iam sui consilij, ac desiderij compote, ciuitas pateretur; atque ideò maluit ipse fugam subire, quàm ciuitatem exponere periculo.* Fuga ignauiæ videbatur nota, & afferebat vrbi periculum persistentia: ergo Reipublicæ amator Princeps maluit quid de suo splendore amittere, quàm ciuitatem discriminis metu percelli. Ut discant à Dauide superiores, & Principes generalitatis detrimento auctoritati nimis non consulere, sed ut subiectis prouiderint, quid de auctoritate deponere. Moyses ad populi salutem legatus, & Deus Pharaonis electus, de eminentis montis fastigio iubetur descendere, ut periclitanti possit populo subuenire. *Vade, descende: peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Egypti.* Exod. 32. v. 7. Non est insolitum, peccante Principe, populum pœnas exsoluere; sed Principem, ne populus calamitatibus vrgeatur, de fastigio dignitatis aliquid deperdere, rarum: & tamen iubetur Moyses tantisper altitudinem inclinare, & non recusat splendori velum obtendere. *Posuit velamen super faciem suam.* Exod. 34. v. 33. Ecqua huius ratio est? Ut superioribus constitua-

tis,

tis, & splendoris dispendio, imminenti eximere generalitatem periculo. Prodest Hugo: *Descende per compassionem, & humilitatem. Quod si facerent nostri prelati, destruerent quidem vitulum.* Cultus insipienter vitulus afferret populo cladem, ni Moyses altitudinem deferendo subueniat. Ergo vt materiali illo descēsu denotaretur auctoritatis aliqualis imminutio, Moyses superiorum forma maluit descendere, ne contingeret populum disperire. Reperere posset Moyses, quod aiebat Athalaricus apud Cassiod. iam datum: *Sicut à charitate potestatem regiam inchoauimus, ita tranquillitatem Deo placitam sequentibus temporibus exequamur.* Qui dignitatem à charitate inchoauit, non dedignatur aliqualem auctoritatis diminutionem subire, vt possit populus prouidere; ast qui tumida præsumptione dignitatem adiuit, minus populi saluti, & plus dignitatis consulat splendori.

§. LXXVI.

Hostilia hebetantur arma, si placita Deo humilitate cœlestis sopiatur ira.

NOuerit quisque diuinâ sæpè prouidentia fuisse dispositum, vt hostilibus armis premantur populi in sceleris admissi supplicium, neque potest feralis aduersariorum ira sopiri, ni placita Deo pœnitentia delictum adnitatur delere. *Semper auget Principem* (aiebat Cassiod. 4. Var. 12.) *obseruata iustitia: & quantum probabili institutione uiuitur, tantum summis adhuc prouectibus aggregatur.* Econtrà: si æquitas ingemiscat fœdis criminibus deturpara, atrocia insurgere solent bella, nec hostilis languescit animus, dum exasperatam culpâ non placat cœlestem indignationem honestus gemitus. Vniuersus Israël in regē Absalomem proclamatur, & Absalom iuuenis, & ambitione delirus, nō solum coronam rapere, sed etiam adnitatur genitori vitâ auferre. Dauid amaro nuntio percussus, fugam arripit, nec inuictō robori notam inurere refugit: *Surgite, fugiamus: nec enim erit nobis effugium à facie Absalom.* Profectō prudentia de mentis arce videtur præcipata, dum arripitur fuga; quandoquidem latius erat ad hostiles repellendos adsultus remanere in ciuitate muris cincta, militari præsidio armata, quàm campis exerrare, & mucronibus aduersis exponi: cur ergo Dauid militaris artis fati peritus, & nulla vnquam fuga infamatus, virtuti suæ conquirat inuidiam, & exauit proditoris audaciam. Quia cum Dauid (respondent Abul. & N. Sanct.) domesticum illud bellum ob admissam culpam non dubitaret exortum, spontanea, confusibilique fuga egit pœnitentiam, vt cœlestem sopiret iram; quod si assequatur, & hostilia arma eneruabit, & conatus facillè eludet: parùm inuaret locus à natura munitus, & bellico etiam præsidio armatus, si aduersarijs vires refunderet adulterij offensa, & cœlestis faueret iras, vt econtrà: noceret parùm copiosus aduersariorum instructus, si digna humilitate, & grata Deo pœnitentia criminis cessarit reatus. Ergo prius curauit nudis pedibus incedens, & copiosas lacrymas fundens, Deum sibi propitium reddere, quàm hosti militares copias opponere. Et quidem consilium probauit euentus; nam cœlesti ira sopita, Absalomis languerunt arma. Eleganter. N. Sanct. *Diuina voluntati non putabat esse repugnandum, sed illa arma esse capienda, quæ magis diuinam potentiam, quàm humanam obrunderent. Quare pœni-*

tentis hominis, potius quàm strenui ducis speciem assumit. Princeps pius, & prudens confusibilem illam fugam elegit, vt placita Deo humilitate, & vera animi pœnitentia cœlestem indignationem sopiret, vt qui benè nouerat, maiores vires ad nocendum inesse culpæ, quàm munitæ, & armatæ audaciæ. *Describitur* (inquit Lira) *ipsius Dauid humiliatio meritoria, quia per eam Deus fuit placatus erga Dauid, & contra Absalom prouocatus. Apparuit ista humiliatio spiritualiter in duobus, scilicet in humiliter de ciuitate recedendo, secundo Arcam Domini remittendo.* Dum pœnitentis assumpsit habitum, nudis pedibus incedens, & ignominiosæ fugæ notam exambiens, Deum placauit, & inimicum deuicit, vt discant placita Deo humilitate, & dolorosa pœnitentia peccatorum maculas eluere, qui cupiunt de hostilibus aciebus triumphare. Cōsonat Abul. q. 10. *Cum sufficienter punitus est Dauid pro culpa sua, scilicet quod fugit confusus, & lugens à facie Absalomis, cœpit Deus fauere Dauid, & iam nihil permisit Absalom: unde inito bello, cum totus Israël conuenisset cum Absalone, pauci viri Dauid expugnauerunt omnem Israël.* Vbi cœlestis placata est pœnitenti humilitate, & humili pœnitentia ira, eneruata sunt hostium arma. O salubrem humilitatem! O gloriosam confusionem, qua & aduersariorum robor euigoratur, & gloria pœnitentis augetur! Samaria obsidione durissima premitur, & lurida fame necatur: Rex non desperat, nec solum sollicita vigilantia reparat murorum infirma, sed profunda humilitate validæ pœnitentia recurrit etiam ad arma: *Vidit omnis populus cilicium, quo vestitus Rex erat ad carnem intrinsecus.* 4. Reg. 6. v. 30. Eo tempore horrifonum curruum, equorum, & exercitus magni sonus sic aduersarios perterruit, sic eorum vires succidit, vt celerem arripuerint fugam, & ingentissimam spoliolorum reliquerint copiam. *Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris.* Infr. cap. 7. v. 7. Inquires: vnde tantus tremor armatis? & vnde victoria tanta per timidis? Certè ex cilicio illo, ex pœnitentiæ habitu, ex humilitatis profugio. Liram audi: *Ipsium acceperat Rex, affligendo carnem suam, vt facilius impetraret Dei misericordiam.* Cœlesti sopitâ irâ, & obtenta humili pœnitentia misericordia, euauit aduersariorum exercitus, & audax est elusus prorsus conatus. Quàm sibi imponunt, qui initari prælium detrectant expiare conscientiam, quasi animositati roborique expiatione intulerint notam, cum ad assequendam de aduersarijs victoriam validissimum sit pœnitentia veræ lamentum, & laudabilis humiliationis studium. Ecce Dauid humili pœnitentia armatus triumphat, & Samariæ Rex cilicio indutus contra aduersarios cœlestem terrorem armat.

§. LXXVII.

Periculum lentè fugere, sæpè est tarditate laborem perdere.

SVnt, qui se expedire, & vincula discupiant soluere, sed noxia dulcedine, aut cæco timore implicati, dum differunt, aut detinentur, irritis conatibus laborem perdunt, & periculum non euadunt. *Ista, quæ dici solent* (aiebat Senec. epist. 22.) *falsa sunt. Non potui aliter. Quid si nollem? Necessè erat. Nulli necesse est felicitatem sequi.* Nobis imponimus, & cupiditati blandimur, necessitatis esse volumus, quod nostræ voluntatis est. Audi Epicurum

4. Reg. 6.
v. 30.

curum Idumæum sic apud datum Senec. admonentem : *Quantum potest fugiat, & properet, antequam aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi.* Cunctatio periculo fauet. Sunt, qui non bono pudore detenti periculum non euadunt, quia lentè aufugiunt : cum prudentia suadeat accelerare gressum, ne occuparit periculum, sic lenti incedunt, vt nec excusent laborem nec assequantur salutem. Dauid optimus imperator, & à nemine vnquam deuictus, vbi sensit ab Absalone grauissimum sibi periculum imminere, pudori pepercit, & fugiendo euasit: *Surgite, fugiamus: nec solum fugit, sed fugiendi modum edocuit: Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam.* Acti diceret : si lentè fugiamus, fugæ fructum non assequemur : occupabit nos sollicitus aduersarius, & noster labor erit prorsus irritus : ergo oportet celeri gressu periculum declinare, & ad aduersarij sollicitudinem impigro volatu anteuertere. Prodest Abul. q. 20. *Volebat Dauid quod omnes serui sui pararent se citò ad exeundum de vrbe. Ne forte veniens occupet nos, id est, ne veniat ad urbem, antequam egrediamur.* Si tardo passu incedant, nec carebunt labore, nec potentur fructu ; nam dum moratur gressum ignauia, occupabit eos miseranda ruina. Videas aliquos, vrgente mortis periculo, lentè res suas disponere, morosè testamenta conficere : quæ, dum tardant, mors aduentat, qua interueniente, impeditum votum, & imperfectum manet inceptum. Sedecias, grauissimum vt euadat periculum, fugam arripuit. *Fugit itaque Sedecias per viam, qua ducit ad campestria solitudinis.* 4. Reg. 25. v. 4. Fugientem Chaldæus persequitur, & Rex miserandus capitur. *Persecutus est exercitus Chaldaeorum Regem, comprehenditque eum in planitie Ierico.* Rabbinus varias confingunt nugas, sed ex eis quit erui doctrina componendis moribus satis apta. Aiunt ergo per cæcum, occultumque meatum fugisse, viæque impedimentis tardatum in aduersariorum manus irritò conatu incidisse. Nec ab hac opinione videtur distare Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. *Fugam arripuit per fauces quasdam angustas in desertum.* Angustæ viarum fauces expeditum non permittebant incesum : vnde factum est vt è latebris lentè erumpens inciderit in aduersarios fugæ iam conscios, & impedire sollicitos. Ecce Sedecias capitur fugiens, quia fuga viarum angustijs tardata, & lentis gressibus impedita.

4. Reg. 25.
v. 4.

TEXTVS.

VERS. 15. Dixeruntque serui Regis ad eum : Omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui.

§. LXXVIII.

Obedientia de alacritate accipit pretium, & commendat debitæ subiectionis officium.

Repugnante natura, quælibet cedit industria, nec potest debitæ subiectionis diu tributum impendere, qui hilari animo non didicit obedire, alacris, promptæque voluntas & domino probatur accepta, & maiori pretio æstimanda. *Optabilis Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V,*

nobis est (aiebat Cassiodor. 3. Var. 49.) & gratia deuotio, quæ bonam præcesserit iussione : & merito acceptum redditur, si quod possumus imperare, poscatur. Felicitas superioris est, subiectos amare, quod expedit, quando labor coactionis aufertur, cum subditus deuota parere alacritate conatur. *Obsequij disciplina* (aiebat Tertul. de Patien. cap. 4.) *morigera subiectio est.* Subiectio, quæ laudabili assentione morem præcipienti gerit, obsequij pretium adauget. Dauid à fratricida filio impetitus suis præcipit, omnia quàm citò deserere, & ad perfugium solitudinis inuolare. *Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos.* Satis asperum videbatur præceptum, & tamen morigera subiectione, & promptissima alacritate obtemperauere iubenti, & secuti sunt expediti. *Dixerunt serui Regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui.* O quàm se fideles, & magni habendos seruos exhibuerunt, dum animo alacri obtemperarunt ! Iussit Princeps, quæ subiectorum poterat expetere desiderium, & serui debitæ præstitere subiectionis officium. Prodest Abul. q. 21. *Quia viderunt Regem hoc velle ex afflictione spiritus, dixerunt se libenter obedituros.* Deuotio cum difficultatibus pugnavit, & alacris obsequij disciplina deuicit. Gedeon, accepto de hostibus triumpho, à militibus ex præda in aures poposcit : *Date mihi in aures ex præda vestra.* Iudic. 8. v. 24. *Quid tunc ? Responderunt : Libentissimè dabimus.* Parendi celeritas alacritatem ostendit, & alacritas obedientiam commendauit. Opus non fuit semel & iterum, quid vellet, exprimere, quia exprompta parendi voluntas nec surditatem affectauit, nec gerere morem distulit : in aures de materia acceperunt pretia, sed de morigera subiectione gratiosiora placuerunt officia. Prodest Hugo Card. *In auris obedientia, quam Gedeon, id est, Christus sibi postulat dari. . . & hoc est, quod hic responderunt: Libentissimè dabimus. Libenter dat, qui patienter sustinet mandatum ; libentius, qui festinanter implet mandatum ; libentissimè, qui gaudenter.* Gaudebant subditi in aures postulari, quia ipsi desiderabant offerre : ergo dum gaudentes exequuntur præceptum, gratissimum Principi exhibuerunt officium : vt discant, qui obedientiæ scholam frequentant, parum esse animo reluctanti obedire, cum obedientiæ disciplina sit festinanter obsequi, & gaudenter, quod præcipitur, adimplere.

Iudic. 8,
v. 24.

§. LXXIX.

Perfecta obedientia laudabili cæcitate obsequitur, nec discutere mandatum adnititur.

In Superiore matura relucere debet prudentia, in subiecto honesta cæcitas, parendique alacritas. Qui parer, non refugiat dirigi ; qui imperat, ad prudentiæ trutinam omnia adnitatur expendere. Ista duo vtilissima se complexatione confociant : si scilicet qui obtemperat, superioris innitatur iudicio ; & qui præcipit, expendat iussa perspicacissimo studio. *Estis moribus instituti, vt leges libenter audiatis, & Iudices, hoc est* (aiebat Athalar. 8. Var. 26.) *quod nostrum comit imperium, quod opinionem nostram inter gentes amplificat, si talia geratis, quæ & nobis accepta, & diuinitati possent esse gratissima.* Gratissima est Numini honesta in parendo cæcitas, in præcipiente laudabilis perspicacitas. Dauid, vt à suis anteuerrat ruinam, imperat

o

perat ciuitatem relinquere, & fugiendo curiam deserere; & licet ad speciem ad desertam contendere, & inuitam ciuitatem deserere, esset plurimis difficultatibus impeditum, subditi adimplere festinauerunt mandatum. *Dixerunt serui Regis ad eum: Omnia, quacumque praeceperit dominus Rex, libenter exequemur serui tui.* Laudabili foedere duo ista in praesenti casu associantur: Princeps iussit quae opportuna cognouit, subiectus, quid praeceperit, audaci examine non discussit. Et quidem strenuis ducibus, & multis victorijs clarissimis indecorum videbatur, arripere fugam, & obscuram virtuti militari inurere notam; verum propriam laudabiliter denudauerunt prudentiam, utque parerent, expromptam arripuerunt fugam. Notauit Abul. q. 21. *Quamquam viderent viri Dauid, qui erant animosi, & bellatores magni, quod est quasi opprobrium fugere de urbe, quia tamen viderunt Regem hoc velle ex afflictione spiritus, dixerunt se libenter obedituros.* Prudentia contra prudentiam sunt vsi, dum malunt, quam sua, praecipientis prudentiam inniti. Amarum erat sua omnia relinquere, & virtutem bellicani ad speciem obscurare; ast, ut perfectius obedirent, non discussit praeceptum; sed exequi libenter festinauerunt mandatum. Sunt, qui obedire non detrectant, dum nihil sibi amarum praecipitur, dum nihil ad speciem opinioni contrarium iubetur: Verum, si quid iniungatur laboriosum, acri discussione examinant, & examinatum recusant. Ionas ad Ninium delegatus, ruinamque denuntiaturus, quidiuberetur, discussit: ipsis in minis latere Dei misericordiam deprehendit, & cassa praedictione Prophetae opinionem innubilandam sibi suavit. Ergo nauim Tharsis petituram incendit. *Descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.* Ion. 1. v. 3. Valentiorum suo consilio contra se machinam fugax inuenit, & naufragio traditus, superstes se ingemuit sepultum. Basilii Seleuc. putat Ora. 12. calamitatem procellosam incurrisse, quia obedientiam nimis prudens examinavit. Eius verba sunt: *Propheta Ionas clementiam licet contectam sentiens, & misericordiam in peccantes, ad minister esse recusat, & imperantis quidem metuens, imperata verò facere minus audax, edictionem molitur extrahere.* Ni imperata, suo videri prudens, discussisset, ingentem calamitatem vitasset; at, dum nimis perspicax rem examinat, dum obedientiae executionem notam sibi allaturam praedudicat, edictionem extrahere molitur, & miserandum naufragium patitur, si laudabili caecitate fuisset obsecutus, nec sustinisset procellam, nec honoris pateretur iacturam. Ut discant, qui obedientiam profitentur, Dauidis seruos imitari, & prudentiam Ionae non sequi.

§. LXXX.

Satius est aliqualem honoris, aut salutis subire iacturam, quam extremam pati miseriam.

PLures cum erubescencia sua pereunt, rubori locum faciunt, cum vtili eius detrimento dubium non sit, acquiruturos maiora, & assecuturos salubria. Mala erubescencia ad vltimam miseriam perueniunt, & ne quid plausibilis opinionis, aut inanis gloriae amittant, animae salutem depretiant. *Etsi aliqua amisistis vitae gaudia* (aiebat Tertul. Martyr. cap. 2.) *negotiaro est aliquid amittere, ut maiora lucreris.* Ipsam interim saeculi gloriam, & aeterni carceris comparemus miseriam. Quisquis

euano splendori blanditus aliqualem subire refugit notam, stultus est, si, excusata nota, grauior timetur promanatura miseria. Cum Absalom plurimas adlegerit copias, & contra patrem parricida surrexerit, Dauid suis consuluit, imò praecepit terga vertere, & ad desertam inuolare. *Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.* Serui, inter quos erant strenui duces, & fortissimi milites, non detrectarunt parere, imò exprompto animo promiserunt obedire. *Dixerunt serui Regis ad eum: Omnia, quacumque praeceperit dominus noster Rex, libenter exequemur serui tui.* Miraberis Dauidem fugam militibus praecipisse, & milites edictionem non detrectasse, cum de more sit militibus sanguine emere coronam, aut aduersae fortunae offerre libenter vitam. Nonne satius esset in statione perire, quam in desertis perfugium quaerere? Quomodo ergo militari gloria celebres, & salutis honesta audacia depretiatores & terga vertunt, & fugiunt? Quia ni fugerent, violarent Regis praeceptum, & eius subirent indignationis periculum; ergo ne Principis amitterent gratiam, aliqualem non detrectarunt subire notam, & optimus Imperator praecepit fugam, ut indubiam, & extremam euadere possent ruinam. Prodest Abul. q. 21. *Quamquam viderent viri Dauid, qui erant animosi, & bellatores magni, quod est quasi opprobrium fugere de urbe, quia tamen viderunt regem hoc velle ex afflictione spiritus, dixerunt se libenter obedituros.* Expendebant imminere ruinam, ni arriperent fugam, verum militaris gloriae studiosi, ni Rex praeciperet, mallent honeste statione cadere, quam militari virtuti notam inferre; ast cum serio considerarent, ex vna parte Regis obligare praeceptum, & ex alia retardare aliquale timiditatis indicium, elegerunt deuorare notam, ne incurrerent Regis iram. Hoc expendere debuissent exemplum, qui vltionis libidine temerant diuina mandata; qui ne obscurarint fugacis gloriae splendorem, aeternum despiciunt ignem. Susanna pudoris splendor, castitatis honor, coniugij decus improviso senilis libidinis ausu impetitur, & varijs artibus, ut castitatem temeret, prolectatur; imperturbata prudentia considerauit; si assenserit, infamiam publicam euadendam; si fidem violarit, supremi Iudicis iram subeundam: fatetur se vndique angustijs premi, vrgeri periculis, maluit tamen famae notam pudorem seruare illa sum, quam integram famam adulterij perpetrare peccatum: *Angustia sunt mihi vndique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Dan. 13. v. 22. Ac si dicat: Si coniugali thoro intulero iniuriam, tuebor exterius famam, verum incidam in caelestis indignationis sententiam; si verò, ut fas est, pudori consulam, etsi immeritam subibo mortis sententiam; verum satius est famam nigrescere, quam peccare. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Peccati stipendium est inextinguibilis flamma; pudoris apud vos erit praemium honoris iactura, sed melius est iacturam temporalem subire, quam aeternam flammam pati. Eleganter Zeno Veron. serm. 9. *Non respexit castitas, quid falsi dicerent testes, aut qualiter Iudices circumuenti damnarent: non denique qualiter diabolus infamaret.* Honor falsa opinione obscuratus afferebat ruborem, sed temporalem; violata castitas, temeratum praeceptum, admissum facinus ad ignem deuouebant aeternum: ergo prudentissime censuit

Ion. 1. v. 3.

Dan. 13.
v. 22.

cenfuit Sufantia temporali detrimento redimendum immortale, & honoris iactura effugienda extinguiibilis numquam flamma. Benè nouerant Dauidis ferui fuga inurere fibi notam; maluerunt tamen Dauidi potiùs obtemperare, quàm notam temporalem effugere.

T E X T V S.

VERS. 16. Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis, & dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.

§. LXXXI.

Superioris exemplum difficultates emollit, & laborem mellit.

Regis ad exemplum totus componitur orbis; quia pudet subiectos, viam inire contrariam, & factis damnare superioris sententiam. *Rex minor* (aiebat Cassiodor. 10. Var. 15.) *ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam substat, que peccatis præstat exemplum.* Cuiusuis exemplum suadet, sed Principis, aut Superioris quodammodo impellit. Sub iusto Principe infici pudet errore, & admissio delinquere scelere. En vt Dauid pedester arripuit fugam, vniuersa domus sequitur. *Egressus est Rex, & vniuersa domus eius.* Cùm regia in familia vxores essent delicatæ, & filij viam pedibus conficere non assueti, quærunt Interpretes: Quomodo non defecerunt vxores labore attrita, nec filij celeri fuga defatigati? respondētque Regem intuitos, similes labores subeuntem, resumpsiſſe animum, & emolliuisse laboris tædium. Audi N. Sanct. *Nihil fuit difficile aut seruis, aut domesticis, quantumuis forent educati, atque instituti mollior, cùm Regem haberent præcedentem.* Dauid cùm ferè esset septuagenarius, viam arduam, imò & iniuiam pedes conficiebat: ergo quisque ex eius familia supra ætatem quodammodo, & conditionem, animos resumebat, & vestigia antecedentis premere procurabat. Tantùm valet superioris exemplum, si vnã, aut alteram partem sequatur. Milites Abimelech per ardua incidunt, certatim arborum ramos præcidunt, & ceruices pondere terunt: *Certatim ramos de arboribus præcidentes.* Iudic. 9. v. 49. Si quæras: Cur adedò alacriter securim arripiant, & lignorum pondere ceruices terant? respondebit Textus: *Sequebantur ducem.* Abimelech in Principem conclamatus, in arboribus præcidendis, & humero ferendis primus erat: ergo quisque subiectus studiosè subijciebat humerum, Principis secutus exemplum: *Arrepta securi præcidit arboris ramum, imposuimque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, citò facite.* Dum socios humanè appellat, dum primus in secandis, ferendisque arboribus adlaborat, sic subiecti inardescunt, vt certatim quisque contenderit laborare, & imperanti blandiri. Prodest Abul. q. 48. *Non solum imperauit hoc Abimelech, sed fecit, & tunc iussit, quia magis mouent in moralibus opera, quàm verba: & cùm omnes vidissent Regem hæc facere, erubescerent non facere, etiamsi essent magni viri, & promptè illud facerent.* Laboriosum, & humile videbatur ministerium, & tamen id fecerunt promptissimè dignitate, & claritate decori, quia Principis exem-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

plum intuiti. Vrbanum, humanumque imperium exemplo roboratum eas subiectis indidit vires, vt certatim secuerint arbores. Erubescant, qui Christum Dominum crucem baiulantem imitari detrectant, & ne ceruicem premant, cœlestem ducem, & Regem æmulari recusant.

§. LXXXII.

Nihil de sæculi oneribus secum ducat, qui effugere periculum, & consequi salutem anhelat.

Nemo, vt natet, impeditur sarcina, & quisquis eludere imminentem cupit procellam, non tardat, quidquid ferebat, vndis tradere, vt saluti possit consulere. *Ita inuade* (aiebat Tertul. de Pœni. locutus cap. 4.) *ita amplexare, vt naufragus alicuius tabula fidem.* Vt naufragus occasionem salutis arripit, & tabulæ fidem quærit, parui cætera æstimans; ita qui salutem desiderat assequi, & vrgentiam periculi eludere, arrepta opportuna occasione, fugiat, nec remorantem secum sarcinam ferat. Dauid, vt coniurationis delirium, & ambitionis ferale sensit incendium, pedes au fugit, & ad deserta contendit. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis.* Pedes describitur, & celeri gressu exiuisse denotatur: vt noueris secum nihil tulisse, sed perfugium solum curasse. Opportunè Abul. q. 22. *Nihil Dauid duxit secum de thesauris suis, vel de his, que possidebat, sed omnia reliquit in vrbe.* Si auro, aut argento grauaretur, lentiùs incederet, & Absalom fortè viam impediret: ergo sapienti consilio aufugit nudus, & salutem est consecutus oneribus non grauatus. Nonnulli ad speciem discipiunt periculis se eximere, sed nolunt delicijs, diuitijsque, quibus fruuntur, despectu nobili renuntiare, non considerantes omnia sæculi oblectamenta esse aduersariorum auxilia. Iacob anxius precibus cœlestem precatur opem, quia timet fratrem. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Gen. 32. v. 10. Profectò nimius timor videtur obscurare prudentiam. Si antea fratrem exasperatum, & fraterni sanguinis anhelum fugiens, nullo refertur timore percussus, cur post tot temporis spatia, & post furorem sedatum ingemiscit, periculo perturbatus? Satellitij copia, famulorum caterua vires indebant animos, ne trepidaret ad aduersariorum incursus: cur ergo modò graui anxietate percellitur, & periculi terrore percutitur? Quia antea (inquit) de sæculi rebus nihil mecum tuleram. *In baculo meo transiui Iordanem:* modò redeo familia copiosus, gregibus ditatus, & auro onustus. Ergo licet semper necessarium sit, opem cœlestem implorare, modò præcipuè cœleste auxilium opus est quærere. Gregorius apud Hugonem in baculo, seu virga designari, ait, legem. *Per baculum* (inquit) *intelligitur austeritas legis.* Ergo Iacob legis præceptis informatus, & austerâ pœnitentiâ munitus quiescit, & scalam requiescens videt; at, dum copiosa circumseptus familia, dum gregum ditatus copia, dum filiorum prægrauatas infantia, non potuit non timere; quia certum erat, facillè non posse ab his sarcinis expediri. Dauid contra coniurationis istus omnium renuntiationem opposuit: & quia de sæculo nihil tulit, machinas hostiles euertit.

○ 2 §. LXXXIII.

§. LXX XIII.

Qui in Dei domo negotia curat libidinis, durissima reus inuenitur stragis.

Cum David Christi Domini gerat imaginem, eius palatium dicatum Numini adumbrat templum, in quo & florere debet modestia, & frangi exoculata cupiditatis audacia. Grauissimum habetur dedecus in domo propria offensam sustinere, & notam irreuerentiæ subire. Tertullianus idola, eorumque templa à vera diuinitate distare non inefficaci argumento probat in Apolog. cap. 42. *Ceremonias tuas non frequento, arriamen & illa die homo sum.* Ac si dicat: si idola diuinitate pollerent, debitis officijs non colentem, imò deprestantem seuera pœna iniuriam vindicarent, & has ceremonias contemnentem punirent: ergo cum vita fruuntur, qui ea afficiunt iniuria, qui irrident irreuerentia, manifestè constat esse numina fictitia. Ergo cum Christus verus Deus sit, eius in templo delinquentem, & maiestati iniuriam irrogantem severo supplicio plecter, & exoculatam audaciã puniet. David decem concubinas sibi dicatas in domo reliquit, quasi illi in mentem non venerit, posse aliquem eã procaciã furere, vt earum pudorem tentauerit maculare. *Dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Non dubitabat Absalonem coronam ambire, & conari vitam parenti optimo auferre, & nihilominus arbitratus non est, posse eò procaciam se extendere, vt dicatas Regi fœminas ipso in palatio ad inhonesta conaretur allicere. Deliquit Absalom Dauidi dicatas temerando, sed dignas exsoluit pœnas è quercu pendendo. Innuit Abul. q. 24. *Credidit, quod Absalom non esset ille, qui cogniturus esset uxores suas, sed solum qui suscitaret gladium contra eum.* Videbat David in eius vitam armari gladium, sed non suspicabatur in domo sua contra sibi dicatas, præcipuè à filio, perpetrari posse execrandum fœdæ cupiditatis delirium. Ecce hac in imagine exprimitur, quanta sit dementia, Deo sacratas peruertere, & quantis pœnis soluendum eius in templo delinquere. Moabitæ ornatu florentes, & splendido cultu micantes Israëlitas ad deorum adoranda simulachra blandis adulationibus compulerunt: *Vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt deos eorum.* Num. 25. v. 2. Bene pransi, & fœminarum pulchritudine illecti inter ipsa sacrificia carnis tractauere negotia. Fornicatus est populus cum filiabus Moab. Quid tunc? Plures suspenduntur, & patibulis discruciantur: *Irauit Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Hanc meruisse pœnam, quia à vera religione deficientes, ad idolorum transferunt cultum, indubium est. Sed cum audax etiam fuerit delictum inter existimata Dei sacrificia libidinis perpetrassè peccata, dignissimè persoluerunt supplicia, quia etsi diuinitate caruit idolum, qui iam pro Deo colebat, fœdo libidinis egressu temerare non debuit sacrificium. *Israël (inquit Hugo) consecratus est Beehelphegor.* Duo commisit scelera: alterum, verum Deum relinquendo, alterum coram Beehelphegor, quem iam colebant numen propudiosè peccando; vnde multis titulis meruit suspendi, & patibulis affigi. Samaritanus, quem multis plagis confossum reperit, ad stabulum duxit securitatis asylum: *Duxit in stabulum.* Luc. 10. v. 34. Baccharius de

Recip. lapsis sic ait: *Magister noster à latronibus vulneratum non solum cura dignum indicat, verum etiam ad stabulum suum restituit.* Ad templum, vt mederetur, duxit; quasi in templo nec latrones quid iam præsumant auferre, nec audeant criminibus temerare. In latronibus dæmones adumbratos, tradit Ambrosius in Cat. *Qui sunt autem isti latrones, nisi angeli noctis, atque tenebrarum?* Vel ipsi dæmones ad speciem verentur hominem in stabulo impetere, cum nouerint templum esse salutis habitaculum, erroris exilium. Ergo miser Absalom, dum regio in palatio adulatur libidini, & miserandæ deuocetur stragi.

§. LXX XIV.

Miserum est Dei domum inhabitare, & fœdis cupiditatibus inservire.

M Alorum meorum pietas erit? (Scribit Tertul. in Apolog. cap. 35.) *Occasio luxuria religio reputabitur?* Sæculo renuntiantes, & Dei templa frequentantes, solemnina celebrant purâ conscientia, non gestus, aut ornatus lasciuia. Casti, sobrij, & puri Numini adstant loco præsentis, & mente, si eiusmodi non sint, longissimè distant. Idololatriam sapit floridior cultus, ambitiosior ornatus; nam ad idolorum castra videntur transisse, qui ibi lasciuia blandiuntur, vbi pietati dicantur. *Que idololatria solemnitas* verba sunt Septimij de Idolol. cap. 1. *sine ambitione cultus, & ornatus? In illa lasciuia, & ebrietatis, cum plurimum victus, & ventris, & libidinis causa frequentatur.* Scribere etiam potisset; *Quæ ambitio cultus, & ornatus, quæ lasciuia, & libidinis cupiditas sine aliquo sapore idololatriæ? Fraudis conditio est, si quis alteri debitum, exhibeat alteri: ergo qui Deo honores suos denegat, vt alteri conferat, Deo contumeliam facit, & cum eiusmodi idolis adulterium committit.* Decem concubinas reliquit David ad domus custodiam, & ad regij honoris obseruantiam: *Dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Concubinae domum inhabitabant, vt domum custodirent, & honestis curis vacarent; verum Achitophel Absalonem vrsit, vt concubinas violaret, & ad intemperantiam alliceret: *Ingrederet ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum.* Infr. 16. v. 21. *Proh detestandum consilium! execrandum ausum! Achitophel & concubinis calamitatem, & Absaloni vno consilio maturauit perniciem.* Quid enim infelicius, quàm Dauidi dicari, & eius in domo libidinem exercere? quid execrabilius, quàm Dauidis sponsas defœdare, & tantam contumeliam Principi inferre? Caietanus putat hoc dedisse consilium, vt omnem reconciliationis spem excluderet: *Ad excludendum tam spem, quàm timorem reconciliationis inter patrem, & filium ab animis tam spectantium, quàm timentium illam, consilium dedit tam turpis ignominia.* Vt exinceps nulla reconciliationis inter patrem, & filium spes maneret, Absaloni Principis fœdare sponsas suasit, arbitratus Dauidem sponsas iam non admissurum ad gratiam, nec constupratorem ad veniam. Ad eò detestandum est crimen in sponsis adulterium, in Absalone delirium. A læna non sine vrgentissimo dolore video alas auulsas: *Aspiciebam, donec auulsa sunt ale eius, & sublata est de terra.* Dan. 7. v. 4. In læna Nabuchodonosorem signari, existima Cardinalis Hugo; sicut etiam in aquila illa gran-

Dan. 7. v. 4

di,

Num. 25.
v. 2.Luc. 10.
v. 34.

di, quæ aduentavit ad Libanum, vt frondium summitates auelleret, & medullam cedri diriperet. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Ezech. 17. v. 3. In aquila, leonæque eundem Nabuchodonosorem depingi (vt dicebam) Interpretum sententia est. Iuuat ergo inquirere : Cur alæ auellantur, & cætera membra diuisione vexentur ? Sed ne varijs implicemur difficultatibus, Textus respondet, dum quid in Libano egerit, apertè refert : *Venit ad Libanum* : id est, ad Dei domum, & templum, nimia varietate exornata, plumisque instructa. Et ad quid venit ? Ad oculos prolectandos, & alliciendos; venit ad frondium viriditatem vitiandam, ad medullam cedri auferendam : ergo dum in templo probatur delinquere, meretur pennis nudari. Quid grauissimis pœnis dignius, quàm ibi violare candorem, vbi fas erat, efflorere sanctitatem ? *Per aquilam* (inquit Lira) *quæ est Rex animi, intelligitur Nabuchodonosor Rex Babylonis. Venit ad Libanum, id est, ad templum, quod erat in Ierusalem.* Consonat Hieronym. apud Gloss. *Crebrò templum, quod erat inclutum, & sublime, in Scripturis sanctis Libanus dicitur.* Volatu volatum perdidit, & dum templo infert audax iniuriam, adaggerat sibi pœnam : plumis denudatur, quia in templo nimia plumarum varietate exornata oculis adspicientium obijcitur. Telo, infamiæque Abalom mansit addictus, dum ipso in Regis palatio deliquit, libidine fordidatus.

§. LXXXV.

Qui regia in aula sine Deo degit, criminibus polluitur, & crebris lapsibus defædatur.

SI adsit Deus, vbique est locus virtuti; ni adsit, est vbique prauitati. In palatio florent virtutum luminibus pueri, in templo fædis polluuntur excessibus Heli filij; negari tamen non potest alia loca commodiora esse virtutibus expoliendis, alia moribus deprauandis. Inimica est multorum conuersatio, præcipuè vbi corporis commoda magni habentur, & euanida coluntur. Cùmque in Regum palatijs, in aulis Principum plures anhelo desiderio sitiant euanida, depretient solida, facilius est eorum exemplis prolabi, & à virtute recedere. *Hærebit tibi auaritia* (aiebat Senec. epist. 104.) *quandiu auaro, sordidoque conuixeris: hærebit tumor, quandiu cum superbo conuersaueris: nunquam sanitiã in tortoris contubernio pones: incendant libidines suas adulterorum sodalitia. Si velis vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est.* In curia, aulaque frequentius occurrent ambitionis, lasciuia, euanidæque pompæ exempla, in quæ facillè quis prolabitur, nisi fida anchora virtutis fundetur. Decem Dauidis concubinæ palatium incolunt, & licèt pudicæ antea, modestæque vixerint, iam sordescunt: *Ingressus est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Infr. 16. v. 22. Si quæras: Cur Abalomis votis paruerint, libidinibusque vacauerint, omni rubore expuncto, & omni scandalo spreto? Respondet Textus, Dauid Dei vmbram gerentem, quàm longè distitisse à palatio: *Egressus Rex, & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à domo.* Ab aula aberat, & quæ antea honestis moribus expolitæ, Dauid absente, lapsibus defædabantur obnoxia. Est enim periculosum, si à Deo distes, aula degere, curia viuere: *Stetit procul à domo.* Caieta-

nus legit: *In loco longinquo.* Longè erat eo tempore à palatio Princeps: ergo si olim integro pudore resplenduerunt concubinæ, Deo, superiorèque absente, iam sordescunt constupratæ. Petrus Christum etsi à longè secutus est: *Sequebatur eum à longè vsque in atrium Principis sacerdotum.* Matth. 26. v. 58. A longè secutus, vbi Principis ingressus est domum, à veritate defecit, & saluti solum consuluit. Ecquis hoc ait? Textus ipse: *Sequebatur eum à longè* (inquit) *vsque in atrium Principis*: id est, extra palatium: etsi à longè sequebatur, in Principis aula palam iam veritati refragabatur: *Non noui hominem.* Iam non solum Deum, vt olim, non confitetur, sed hominem ignorare testatur, quasi omnis auolarit veritatis notitia in aula. Prodest Drogo Hostiens de sacra. Domin. Passion. *In domo Caipha colaphizatur Petrus.* Olim petra, in domo Caipha est labilis vnda, qui olim à Patre cœlesti instructus, variâque aliorum opiniones supergressus, Christum deprædicauerat Dei filium, in Principis aula denegat vel humanum. Profectò in curia, in aula, in palatio inuenti sunt eximia virtute præditi, & egregijs moribus expoliti; vitia namque sunt hominum, non temporum, aut locorum: nullus tamen negabit in curijs, palatijsque delicias plus florere, & mores minùs studiosè coli.

§. LXXXVI.

Felicio est, qui per labores, arumnasque Christi Domini lateri adhæret, quàm qui distans commodis, & otijs indulget.

Vlue (monebat Senec. epist. 104.) cum Chryssippo, cum Posidonio. *Hi tibi tradent diuinorum, humanorumque notitiam.* Qui cum auaro, cum delizioso degit, facillè labitur: stat firmus aduersus fluctuantis, & turbidæ vitæ vndas, qui fallacia oblectamenta conténit, qui fortunæ munera captiosa fugit, Celsus, & virilis spiritus, & quantum mortalibus licet, Deum sequedi audis, non eliget, vbi viuat commodius, sed vbi ab errore, vitiisque tutius. Dauidem Christi vmbrâ per desertorum aspera sequuntur domestici, familiareque, in palatio remanserunt concubinæ. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis, & dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Fortunatiores censebis concubinas, quàm sponfas; feliciores, quàm domesticos, extraneos; nã qui Dauidem comitantur, nudis pedibus per aspera desertorum gradiuntur: quæ in palatio remanserunt concubinæ, nullis comodis priuantur, difficultatibus nullis anguntur. Et quidem æquitas ad speciem exigebat laboriosa concubinis iniungere, sponfas palatio contineri. Cur ergo Dauid secum ducit sponfas, & relinquit concubinas? Quia cùm præcipua felicitas consistat in Dei imitatione, eiusque proximitate (inquit Abul. q. 22.) eas secum duxit, quas plùs amabat; eas reliquit, de quibus minùs dolebat. *Verisimile est* (Abulens. audis) *quòd Dauid dimitteret cõcubinas, & non uxores; quia illas dimitteret, de quibus minùs doleret, minùs tamen doleret de cõcubinis, quàm de vxoribus.* Dauid diligebat spõsas, nõ adedò impensè concubinas; ergo cõcubinas reliquit, vt palatij fruerentur commodis; eius lateri voluit sponfas adhære, etsi opus fuerit laboribus fatigari. Vt nouerimus, veram felicitatem non consistere in delicijs, aut otijs, sed in adhærendo etiam per aspera, & confragosa Dauidis lateri. Sponsa in deserto carebant commodis, vtgebantur

tur amaris, sed fruebantur Davidis aspectu, & consortio; concubinæ habitabant palatia delicijs plena, sed à Davidis conspectu distabant, & præfentiâ eius carebant. Luctator ille cœlestis Iacob inter brachia constringit, vulnus infligit, & certamine desudare compellit: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane... tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.* Gen. 32. v. 25. Iam albicante aurora, depulsisque tenebris, luctator petit inducias, & opportunum, ait, tempus adesse, vt Iacob fluuium traiciat ad suos, & diuitijs, ac delicijs luctaminis labores compensaturus perueniat. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Glosfa Interlin. sic ait: *Tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas.* Achi dicat luctator cœlestis: Si luctam interrumpas, potes ad tuos redire, Rachelis frui conspectu, & optabili inter tuos otio: ergo me dimitte, & ad tuos redi. Quid tunc Iacob? In lachrymas effusus, ne discedat, precatur, & retinere studiosissimè adnititur: *Fleuit, & rogauit eum.* Osee 12. v. 4. Potius videbatur gratias acturus, quàm gemitibus perfundendus: si decertans feritur, si doloribus adurgitur, quid plorat? Si, adueniente iam die, potest traicere fluuium, & delectabile ad suorum deuenire consortium, cur non inuolet, sed deploret? O vtilem nobis eruditionem! Expendebat Iacob eo in certamine doloribus adurgeri, sanguine fluere, sed cum Deo strictius vniri: nouerat ad suos deueniendo posse diuitijs, & delicijs frui, sed à cœlesti luctatore distare; ergo vt sapiens maluit Dei adhærere lateri, quàm facultatibus, & voluptatibus frui. *Numquid Iacob* (inquit Angelic. Doctor ad Gen. 32.) *non nouerat ipsum esse Deum, quando dixit ei: Non dimittam te?* Sentiebat, Deo adhærendo, carnis afflictionem, præuidebat, amne traiecto, commodam quietem, maluit tamen Deo adhærere afflictum, quàm distare commodis, & diuitijs copiosum: secum duxit, quas diligebat sponfas, reliquit David, quas non ad eò tenerè diligebat concubinas. Vt noueris felicius esse Deo adhærere, quàm commodis frui.

TEXTVS.

VERS. 17. & 18. Egressusque Rex, & omnis Israël pedibus suis stetit procul à domo, & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatore validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth, pedites præcedebant Regem.

§. LXXXVII.

Publica Principis pœnitentia diuinam temperat iram, & imminentem Reipublicæ auertit periculosam procellam.

Indulgentissimus Dominus viam ostendit, pœnitentiam scilicet, qua homines abradant inquinamenta, & ad cœlestis inuolent misericordiæ perfugia. *Acceptam sibi pœnitentiâ* (scribit Cassiod. de Diuin. lect. cap. 16.) *Index ipse testatur, quando etiam verba, quibus rogetur, clementissimus Redemptor indulget: terret, vt corrigat: iudicium minatur, vt parcat.* Latet sapè sub irarum significatione diuina

misericordia, & terret, vt terrores abigat venerabilis pœnitentia. Tunc verò validius Deum ad commiserationem inclinât, cum publicitùs mœstitudinem, & dolorem affectat. Absalom execrabili coniuratione patri adnititur vitam, & coronam auferre, & Rempublicam procellosis turbibus inquietare: nouit David perpetratis à se offensis, hanc excitasse sibi calamitatem, & publicam confugit ad pœnitentiam: nudis pedibus per aspera desertorum incedit, & aulae commoda derelinquit. *Egressus est Rex, & omnis Israël pedibus suis, & stetit procul à domo.* Habitum lugentis assumpsit, & publico luctu planxit, vt imminetent propulsaret ruinam, & Deum ad optatam inclinaret misericordiam. Poterat contra proditorum arma producere, maluit tamen publicâ pœnitentiâ cœlestem iram sedare, & cum Deo in gratiam redire; neque eum sua sefellit opinio, nam vbi publicam pœnitentiam iniuit, ardentia scelesti filij arma restinxit, & hebetavit. Notauit Abul. q. 22. *Dicendum quod David, & omnes, qui cum eo erant, inierunt pedestres, & confusi, implorando Dei misericordiam, vt auerteret ab eis furorem suum.* David, Rex cum esset, non erubuit pedes denu dare, & lugubrem habitum pœnitentis assumere. Sic factum est, vt, iam placatâ Diuinâ irâ, hostilia præualerent nullatenus arma. Redeat Abul. q. 21. *Humiliatus est coram Domino affligens animam suam. Et tunc quia credidit, quod fortè Deus remisset ei, ausus est pugnare contra Absalomem, tanquam iam nõ pugnaret contra Deum vindicantem peccata, sed contra hominem aggredientem iniqua.* Prius curauit cœlestem indignationem publicâ, humilique pœnitentia auertere, quàm in campum profilire: vt qui benè nouerat, nihil, Numine irato, succedere, & iam placato, vires aduersarij faciliter eneruari. Vbi Niniue Rex ciuitati periculum audit imminere, ad publicæ pœnitentiæ perfugium percurrit: *Surrexit de solio suo, & abiicit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Ion. 3. v. 6. Deus accedentem pœnitentiam honorificè excepit, & sententiam demutauit. *Miserus est Deus.* Notauit Basil. Se-leuc. Ora. 12. *Arma pœnitentiæ ad expugnandum peccatum producit, luctusque increuit edictis... his expugnatur iniquitas; diuina sententia retrocedere non erubescit, & soluit decretum Deus, & abolet periculum.* Vbi Rex ad dignitatem suam non respexit, sed, abiecto regio cultu, publicè sacrum induit: Deus ad misericordiam maturauit, & periculum auertit. Semper Deo pœnitentia est grata; aliquid tamen ad citius promerendum misericordiam addere videtur publica. Rex Israël, cum ipse, & populus arctissima obsidione laborarent, cilicium induit; nihilominus perseuerauit terror, & hostium vigor, quousquè scissis vestibus, omnium oculis cilicium patuit: & iam aduersariorum robur marcescit. *Vidit omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* 4. Reg. 6. v. 30. v. 30. Iam Propheta abundantiam promittit, iam terror hostes inuadit: *Cràs modius simila vno statere erit.* cap. 7. v. 1. Iuuat inquirere: Cur, si Rex cilicio indutus confugerat ad pœnitentis patrociniū, est dilatum abundantia solatium? Et cur vbi Rex omnium oculos subiuit pœnitens, territus hostis au fugit? Quia licet secreta Principis pœnitentia Deum ad misericordiam flecteret (inquit Lira) efficacius mouit publica, quæ non ambiebat plausus, sed cordis amarum testabatur affectum: *Vidit omnis populus* (verba sunt Liræ) *cilicium, ipsum enim acceperat*

Gen. 32.
v. 25.

Osee 12.
v. 4.

Ion. 3. v. 6.

4. Reg. 6.
v. 30.

acceperat Rex affligendo carnem suam, ut facilius impetraret Dei misericordiam. Secreta Regis pœnitentia diuinam misericordiam sollicitabat; verum, vbi oculos non erubuit, citius impetrauit. Dauid lachrymis stratum rigarat sollicitus, & nihilominus indignationem cœlestem experiebatur profugus; ast vbi ad publicam pœnitentiam recurrit, & hostem repulit, & facilius veniam impetrauit.

§. LXXXVIII.

Christum Dominum afflictum, & laborantem pauci sequuntur; oculum ferè vniuersi spectantur.

OVos frui felicitate desideras, mone, vt solida, quantumuis ad speciem aspera, exambian, & sæculi fucata, & mellita fugiant. *Ad meliores* (monebat Sen. epist. 104.) *transi, cum Catonibus vine.* Celsus spiritus euanidas delicias contemnit, mavult, quàm placidè, viuere honestè: & quidè nullus quit iolidè gaudere, ni decernat, honestè viuere. Sanis oculis vsus, & tenebras prærumpens, noscitur multa exterius mellita, sed interius satis amara; horum tamen numerus est exiguus, vt falsò iucunda est sequentiū numerus ferè immetatus. Absalom lauta conuiuia celebrat, & ad eius signa sequenda vocat; & iam totus Israël inferuire festinat: *Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.* Nō expressit numerum Textus; ast Dauidem per abrupta, & torrentem Cedron, sequentium est numerus denotatus. *Gethei pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geti pedites, precedebant Regem.* Inquires. Cur angustus aded numerus comitetur Dauidem, & ferè immetatus securus sit Absalomem? Sed facilis responsio est; nam cum Dauid Christi imaginem gesserit, & Absalom felicitium apud sæculum speciem induerit, nobis Textus, expresso, & non expresso numero, ostendit, Christum nudum, & laboribus pressum, paucos imitari, & euanidam sæculi felicitatem ferè omnes ambire. Qui Absalomem secuti, ad horam hilaris insania lætati sunt: quàm illis cara hilaritas fuerit, citissimè sunt experti: *Casus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid.* In fir. 18. v. 7. Dauidem secuti, afflicti, & nudis pedibus incedentes, tantisper laborarunt, sed detriumphatis hostibus deuicerunt. A Dauidis militibus auolauit citò lamentum, & imperturbandum pro lamento successit gaudium; Ab Absalonis signa sequentibus, aufugit citissimè gaudium, & pro gaudio successit periculum, & lamentum. Opportunè Hugo Cardin. *Torrens in transitu deficit, & passio Christi citò transibit.* Dauidem secuti, pedites torrentem traiecerunt, sed aduersarijs victis triumpharunt: Absalonis socij splendida mensa vsi sunt, sed pro breui gaudio grauissimum iucurrerunt periculum, & passi sunt detrimentum. Adde: sæpè homines, oblata non exigua mercede, recusare Christi societatem, & soluendo ingentem pensionem, exambire sæculi feruitutem. Ad suaue epulum inuitabat generosa libetalitate homo, qui nomen silentio pressit, & differtam conuiujs mensam apposuit: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Luc. 14. v. 16. Ex tot inuitatis, nullus fuit vrbanus, sed omnes coloratis excusationibus venire respuerunt: *Inga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum:* Eccè mauult in tellure vertenda desudare, quàm dapibus frui. Si inquiras: Cur inuitantis ciuilitatem depretiet, & teri laboribus

Luc. 14.
v. 16.

malit? Respondebit in Cat. Chrysostronus, inuitantem esse Christum, maluisseque inuitatum sæculo, soluta laborum pensione, inferuire, quàm oblato præmio Christo adherere. Chrysostronum audi: *Conditor omnium, atque gloria Pater parauit cœnam magnam.* En recusatur cœna, vt laboriosè probentur iuga. Quam mercedem acceperit secutus boues, Sriptura non tacuit: *Perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Mat. 22. v. 7. Labor laborem excepit, & post ruris angustias sustinuit flammam. Profectò miraberis plures negligere commoda, eligere anxia, malleque deseruire sæculo laboribus fatigatos, quàm honestati commodis circumfusos.

§. LXXXIX.

Christo Domino adherentes aliorum student calamitates leuare, & seipsos iugi mortificatione comprimere.

CHristi asseclæ eodem tempore diuersos videntur vultus induere, & naturæ ingenium laudabiliter demutare; nam cum quisque plus sui, quàm alterius amator sit, & magis propriam, quàm alterius calamitatem adnitatur repellere; virtutis discipulus magis alienos, quàm proprios labores discupit releuare: Erga se inuenies rigidè seuerum, erga alios benignum. Perfectionis summates esuriunt, sitiunt, mallentes proprijs incommodis adurgeri, quàm alienis laboribus discrucari. Huc voco Cassiodor. de Diuin. lect. cap. 31. *Vos alloquor fratres egregios, qui humani corporis salutem sedula curiositate tractatis... tristes passionibus alienis, de periclitantibus mœsti, susceptorum dolore confixi.* Qui Christi disciplinam sequuntur, contra se honestam exercent sæuitiam, & indulgentissimam alijs impendunt misericordiam. Legiones Cerethi, & Phelethi dicuntur Dauidem secutæ: *Omnes serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi.* Hugo. Card. ait, hæc nomina actus prodere, & denotare; nam significant: *Viuificantes, & interficientes.* Qui adhærent Christo contra se mortificationis conuertunt arma, vt iniqua occiderint desideria, & alios gestiunt viuificare, id est, in necessitatibus subuenire. Hugonem audi: *Tales ambulant iuxta Dauid, id est, Christum, qui scilicet seipsos mortificant in carne, vt alios viuificent in spiritu. Sic enim fecit Christus, seipsum tradidit morti, vt nos à morte liberaret.* Christus sitiuit, vt sitiens sitientibus è latere crySTALLINOS latices exhiberet: Christus onere humeros attriuit, vt ouis humeros inscendens, placida frueretur requie; Christum ergo imitati, & eius vestigia secuti sunt viuificantes, & interficientes, quia sibi applicant mortificationis austeram, & alijs sollicitauere suauiam: laudabili se se rigiditate discruciant, aliorum ærumnas dulcedine suauiissima reletiant. Elias, vt puero refuderit vitam, crucis desumit habitum, & proprio labore matris sollicitat leuamentum: *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus.* 3. Reg. 17. v. 19. cibum sibi defessus angustat: *Panem paruum.* Viduæ sine mensura generosus farinam præstat: *Hydria farina non deficiet:* puero assimilatur, vt puer, depulsa morte, viuificetur: *Reuixit.* Ad rem N. Sanct. *In Elia ad exiguam pueri mensuram contracto imaginem intuemur Christi.* Elias expanditur crucifixus, vt puernulus vitâ respiret donatus: simul erat mortificans, & viuificans; nam mortificans propriam carnem, depellebat alterius mortem.

3. Reg 17.
v. 19.

tem. Ut nouerint Christi discipuli erga alios misericordiae sinum expandere, & ærumnas sibi desumere. Gethæi nudis pedibus incedunt, & paruulis Dauidis filijs exhibere opem exambiunt.

§. XC.

Qui Religionis exactè sequitur obseruantiam, validam demonibus infert pugnam.

PLura difficilia nobis sunt, quia marcemus inertes, nec laudabiliter tentamus audaces. *Non quia difficilia sunt, non audemus; sed quia non audemus, difficilia sunt:* (aiebat Senec. epist. 104.) Non est adè arduum blanda respicere, euanida fugere, in armis contra noxiam appetentiam stare, labores infracto animo sustinere, aduersarijs constantiâ metum incutere. Gethæi pugnatore validissimi dicuntur, & Absaloni contraire laudantur: *Gethæi pugnatore validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, precedebant Regem.* Hugo Card. in Gethæis, ait religiosos adumbratos, qui claustrum recessu abditi, & quodammodò à sensuum exercitio expuncti durissimum inferunt dæmoni bellum, & reportant floridam laurum. Hugonem audi: *Gethæi ambulabant cum Dauid, id est, religiosi cum Christo. Geth enim interpretatur torcular, & significat claustrum, ubi religiosi sub prelo regularis obseruantia eliquantur in vinum optimum, quod latificat Deum, & hominem.* Religiosi si contineantur claustro, si salubri premi non recusant prelo, adinstar vini optimi fauciatorum vulnera curant, & labores Christi Domini temperant. Addit Hugo ipso numero designari mysterium, scilicet sensuum custodiam, & acrem contra dæmonem pugnam: *Debent enim perfecti esse in custodia sensuum, ut vana non videant, mala non audiant, dulcia non gustent, suauia non olfaciant, mollia non palpent. Pugnatore validi contra dæmones per orationem, contra mundum per paupertatis amorem, contra carnem per abstinentiam, & laborem.* Sensibus nudi, paupertate armati, orationis armis instructi comitantur Dauidem, & incutiunt Absaloni timorem. Timet diabolus religiosum sensibus renuntiantem, & obseruantiam studentem. Hos ergo Dauid secum duxit contra Absalonem in prælium; & his adeptus est triumphum. Stellæ, ut in Sisaram validiora eiaculentur spicula, regulari non discedunt ab obseruantia: *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Iudic. 5. v. 20. Satius videbatur ad inferendum bellum Sisaræ approximare, flammâsque adurere; cur ergo stellæ in ordine suo, cursuque manentes, bella disponunt, & triumphum ambiunt? Quia dum obseruantiam exactè custodiunt (inquit Hugo) validiora spicula mittunt: eius verba sunt: *Fulgura ita de sublimi ferebantur in illos.* Quò stellæ remotiores, erant contra Sisaram validiores, & dum regularem tenorem studiosius colebant, contra Sisaram acrius pugnant. Non multas victorias de hoste accipiet stellæ, quæ ordinem deserit, quæ plausum exambit, quæ munus inutiliter interrumpit. Dum in ordine, & cursu suo manentes stellæ depugnant, facilius aduersariorum vires enervant. Draco Apoca. 12. vbi stellæ à debito cursu deflexit, in terram misit, & quæ cælo radiarent, in sæculo forderunt.

Iudic. 5.
v. 20.

§. XCI.

Qui discipis stragem vitare, à periculo studeat longè recedere.

SI velis (aiebat Senec. epist. 104.) vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Bene dixit: sed non solum ab exemplis, sed à periculosis locis longè etiam est recedendum. Inconstantia mentis periculo vicina, aut corrumpit, aut titubat: distantia magna opus est, ne decipiatur euanidis illecta, & ne pro solidis habeat fucata. Tentabat purpuratus ille Diues Lazarum ad gehennam trahere, & subdolos poposcit ad linguam refrigerandam accedere: *Mitte Lazarum:* Luc. 16. v. 24. Distantia chaos felicissimo satis remota Lazarum separabat: *Inter nos, & vos* (aiebat Abraham.) *chaos magnum firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* O secunda distantia! ô utilis impotentia! Non potest dolosis inuidi fraudibus Lazarus irretiri, quia distantia non permittit accedere: Diues discipit ut approximarit Lazarus gehennæ: & licet nouerit felicitate donatum, præsumit de proximitate periculum, de periculo sibi inuidus promittit piaculum. Adè nocent periculosa loca, adè mores corrumpunt exempla. Dauid si in aula manserit, imminere agnoscit periculum; ergo aulam deserit, ut effugerit detrimentum, nec antea gressum stitit, quàm satis longè distaret: *Egressusque Rex, & omnis Israël pedibus suis stetit procul à domo.* Si mansisset proximus, plus auderet inimicus, & fugæ irritus probaretur fortè conatus, infelix exitus; nam hostis irritatus fuga plus auderet, & vicinitas eius desideria perficeret. Caietanus legit. *In loco longinquo.* A distantia quæ fuit salutis profugium, & fortè, ni longè satis distaret, detrimentum subiret. Sunt qui conscientiam morfu stimulat, aut alijs causis compulsæ periculum fugiant, sed vicini remanent, & dum remanserunt vicini, relapsi sunt occasionibus, & cupiditatibus prolectati. Disce à Dauid, qui, ut imminentem euadat ruinam, ad distantiam fugit tutelam: *In loco longinquo.* Angelus, ut puer recens natus eludat, quas subdolos Herodes prætebat insidias, in Ægyptum monet deferri. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. v. 3. Ad nostram eruditionem refugium fugit, & viam arripuit fortitudo cunctorum. Sed inquiramus: Cur non lateat aliquo oppidulo proximo, sed Ægypto? Cur laboriosa longinquitas iniungatur, nec labor distantia minori temperetur? Quia Christi fuga (inquit Chrysol. ser. 151.) futura erat nobis effugiendi periculum forma, declinandi dolos idea: ergo longè discessit, & ipsa distantia inimicum torfit, & elusit. *Quod fugit Christus, fuit mysterij, non timoris.* Petrus dum periculo mansit vicinus, & negatione luxit fœdatus: si satis longinqua peteret, distans mulieris curiositatem vitasset; ast dum proximus, lapsum incurrit, timore percussus, & varijs interrogationibus diuexatus. O si plures recessissent longius, non adè facilis esset lapsus, & ad relicta regressus! verum dum subsistunt discrimini proximi, probantur iterum eisdem difficultatibus irretiti.

Mat. 2. v. 3.

§. XCII.

§. XCII.

Religiosi Christum secuti, laboribus, sed ferendis, fatigantur, & durioribus eximuntur.

Qui renuntiavit sæculo, & ad religionis inuolauit perfugia, plurima euasit animi, & corporis detrimenta: inter sapientes versatur, inter virtutis studiosos degit, & virtutum celsa conari, ipse conuictus suadet, imò & cogit. *Viue cum Chryssippo* (aiebat Sen. epist. 104.) *cum Posidonio. Hi tibi tradent diuinorum, humanorumque notitiam.* Sensim addiscitur, quod moribus proficit, & latatur exēptus animus ex miserrima seruitute. Vnde sæculo deseruientes ingemiscunt aut ambitu solliciti, aut cupiditate inflammati, aut honoris studiosi. Qui extra sæculum degunt, à fortunæ adfultibus tuti requiescunt, ceruices subdunt virtutis iugo, sed placido, aut saltem molli, nec grandem patientiæ censum exigenti. Peditem Dauidem per deserta, sed tuta, sequuntur Gethæi, id est, qui de Geth ad Dauidis signa inuolarunt, & in armis steterunt: *Qui secuti eum fuerant de Geth pedites, precedebant Regem.* Hugo Card. in Gethæis Dauidem sequentibus adumbrati existimat sub Christi Domini cruce militantes religiosos. Geth interpretatur torcular, quod effugerunt Christum secuti. Hugonem audi: *Gethæi ambulabant cum Dauid, id est, religiosi cum Christo: Geth interpretatur torcular.* Bene: sed symbolum videtur à veritate discordare; nam religiosi Christi imitati potius videntur torcular pati, quàm fugere. Ecce incedunt pedites, paupertate nudi, fame diuexati, & sub prelo obedientiæ afflicti: ergo isti, dum sæculo renuntiant, Geth, id est, torcularis pressuram non euadunt, sed inueniunt. Quomodo ergo Textus ait, Geth, id est, torcular euasisse Christo adhærentes, & sæculo renuntiantes? Quia si fideli trutina expendas (inquit Hugo) claustrum, & sæculi labores, inuenies mitiores esse claustrum, durissimos sæculi. Ergo Geth reliquerunt qui ad Dauidem inuolarunt. Quid amarius? Quid durius, quàm sortiri vxorem aspero ingenio præditam, difficili indole reluctantem, immetata præsumptione superbientem? Audi Senec. Epist. 104. *Si exemplum desideratis, accipite Socratem perpefficium senem per omnia aspera iactantum, inuictum tamen & paupertate, quam grauiorem illi domestica onera faciebant, & laboribus, quos militaris quoque pertulit, & quibus, ille domi exercitus sine vxorem eius spectes, moribus feram, lingua petulantem, siue liberos indociles, & matri, quàm patri similiores. Sic ferè aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis, ac tyrannis fauore.* Compara Socratem gloriæ militaris studiosum, & videbis armis pressum, laboribus dilassatum, periculis cinctum: illum considera tyrannidem passum, & arbitrio tyranni subiectum: illum respice meliori fortuna vsum, cum liberis, cum vxore domi degentem, & inuenies maiori illi inter domesticos animi constantiâ opus esse; nam vxor humana specie bellua, & furens petulantissima lingua: filij sæui carnifices, dum matri adsimiles, & à patris moribus recedentes. Domi utebatur libertate; sed, vt aiebat Seneca, *Bellis, ac tyrannis fauore.* Non tibi videretur Socratem torcularis euasisse pressuram, si conuolare posset ad mitioris iugi tolerantiam? Paupertas durius vrget vxore, filijsque oneratum, & decenter eos alendi obligatione constructum. Domesticum dissidium, asperum filiorum ingenium sunt pro tyrannis, & feris. Felix, qui hoc

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

torcular euasit; felicior, qui non nouit. Studiosè confictum, & imaginis elogio nobilitatum Deus hominem ad paradisi claustra transfert, & ibi nudus, & scientiæ plantâ interdictus, ieiunium in se dedicauit, & suauis labore iners otium depulit.

Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.

Gen. 2. v. 15. Ieiunij Adamo impositam legem, tradit Basil. Seleuc. ora. 3. *Prima Regis edictio alimenta dat, & ieiunij legem ponit.* Itaque in paradiso ab insulsa planta abstinebat, & sine labore laborabat; verum ingratus, & vxori blanditus, legem infregit, ac ieiunium violauit. Quid tunc? Deus pellitum tradit sæculo, addicit ruri colendo: *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram.* Gen. 3. v. 23. Aliquis censeat hominem post peccatum non tam supplicio punitum, quàm præmio remuneratum; in paradiso namque erat nudus, cibo interdictus, & plantis excolendis dicitur: *Posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur.* Extra paradisi claustra, etsi labori addictus, limitibus angustis non inclusus, procreatis filijs copiosus; ergo plus extra, quàm intra paradysum fortunatus. Vbi que (inquit Tertul.) iners otium oportebat labore discutere, in paradiso tamen labor defatigatione carebat, & innoxiam voluptatem incrementabat: extra paradysum labor erat anxietate, & dolore plenus; intra paradysum inclusus non pungebatur spinis, non vrebatur doloribus, non lugebat asperis filiorum casibus. Ergo si compares status, in paradiso labor erat suauissimus, extra paradysum asperrimus. Septimium audi de Pall. cap. 3. *Cum de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur.* Qui eruendis metallis in sceleris pœnam damnantur, maximis laboribus adurguntur. Ergo à labore Adamus ad laborem transiuit; sed in paradiso erat labor deliciosus, extra paradysum durissimus. Ibi nec de vestitu, nec de victu curabat, & ieiunium obseruantia, & virtuti deseruiebat; extra paradysum iam ornatus vrgebat cura, iam spinarum pungebatur copia, iam fratricidæ filij cor exulcerabat audacia: ergo pro delicioso labore successit anxius, pro vnus arboris abstinentia, spinarum copia, pro honesto otio dolor, & angor. Non negauerim in religionis schola edoceri obedientiam, ieiuniorum obseruantiam, paupertatis pressuram; verum sub laborum cortice degit carens serpentina veneno lætitia, sine spinis conscientia. Adamus in sæculo viuit ornatus, sed veluti seruus fodinæ addictus. Gethæi verò Dauidi adhærentes, nudis pedibus incedunt, sed in Geth duriora sustinebant, asperioraque tolerabant: ergo Geth relinquere, & Dauidis signa sequi erat exiguo labore grauem redimere, & anxietatem euadere.

§. XCIII.

Qui in sæculo, sæculo renuntiarunt, libenter Christum sequuntur, & contra demonem strenui bellatores esse probantur.

Speciosis sæculi vinculis exemptus, & veram libertatem assecutus, fortunæ non timet inconstantiam, & aduersus noxias voluptates inuitillissimam pugnam. Qui ab animo omnem cupiditatem expunxit, se fortunæ ludis exemit. *Dominus omnium est* (aiebat Senec. epist. 104.) *supra omnia est.* Itaque nulli se rei submittit, nihil illi videretur graue, nihil asperum, quod virum incuruet. Magnanimos

P mos

mos nos natura produxit, sed cupiditas vsque ad vilia deiecit. Celsus spiritus, & Deo plenus non querit, vbi placide, vbi commodè, sed vbi honestissime viuat. Deum sequitur, & quantum mortalibus licet, amulatur. Dauidem comitantur Gethæi expediti, & ad certandum strenui: *Pugnatores validi sexcenti viri, qui securi eum fuerant de Geth.* Horum fortitudo præ aliorum denotatur, & lubenter Dauidis signa secutos fuisse, refertur. Quod si huius elogij causam inquiras, respondebit N. Sanct. in Geth regali curia tamquam peregrinos vixisse, & voluptatibus renuntiasse. Hi ergo Dauidem potuerunt sequi, quia nullis tricis implicati, & præcisæ sæculi retinaculis ad pugnandum expediti. Interpretem doctum audi: *Dicuntur fuisse in Geth, licet breui tēpore in ea ciuitate tanquā hospites, & peregrini confederint.* In Geth regia ciuitate, & Achis curia peregrinantium adinstar se gesserunt, nec ibi mittere radices curarunt; ergo pugnatores referuntur validi, & Dauidem semper secuti. Non possunt Dauidem Christi vmbra sequi, qui in sæculo veluti ciues commorantur, & ibi figere tentoria adnituntur; nam quomodo sequetur Christum pauperem, qui ad diuitias inhæat? Quomodo sequetur Christum illibati candoris ducem, qui carnis negotia tractat? Quomodo sequetur humilem, qui fastigia dignitatum suspirat? Hæc omnia spiritum euertunt, gressum tardant, & virtutem amarissimam repræsentant. Sexcenti illi viri nec Dauidem lubenter sequerentur, nec prælia contra Absalonem audacter inirent, ni in Geth mote peregrinantium vixissent, & citò demigraturos putassent: *Dicuntur fuisse in Geth tanquā hospites, & peregrini.* Lot de hostium iugo eripitur, Abrahamus trophæis hostilibus coronatur: alter inimicis cessit, alter inuictò robore vicit. Et quæ discriminis causa est? fallat, ni Textus indicet: Abrahamus tabernaculo utebatur vt peregrinus: *Apparauit ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui.* Gen. 18. v. 1. Lot Sodoma cuius ad domum angelos inuitauit: *Declinate in domum pueri vestri, & manete ibi.* Gen. 19. v. 2. Lot Sodoma incola domum habuit; Abrahamus vt peregrinus tabernaculum fixit. Ergo qui in sæculo aduena, & peregrinus, facile obtinuit victoriam; qui radices vt incola emiserat, subiuit captiuitatis miseriam. Huc voco Richard. de S. Vict. in Allegor. Thylm. *Quidam exemplo Abraha de corpore suo quasi tabernaculum faciunt, & ad Domini se accingunt militiam.* Ad Domini accinguntur militiam, qui se reputant peregrinos: hos hostis impetere non audet, quia vinci timet. En contra Abrahamum non adornant bellum aduersarij, contra Lot instruunt: Lot gemit captiuus sub iugo, Abrahamus triumphali redimitus exultat lauro, quia Abraham peregrinus utebatur arbore pro tecto, Lot indigena vsus est domo: *Non capiebat Lot (scribit Orig. apud Glos.) meridiana lucis magnitudinem. Abraham autem capax fuit, plenum fulgorem lucis excipere.* Ad Abraham peregrinum candenti luce Dominus venit, & sub arbore refrigerauit: Lot domum intrauerunt angeli frigido vespere, & caligine appropinquante; ergo Lot aliquando captiuus ingemiscit, & seruit; Abrahamus triumphat, & vincit. Qui in diuitiarum affluentia, in seruorum copia, in ornatus splendore omnia generosè despicit, Abrahami discipulus peregrinatur, & Christum sequitur, qui se his rebus tradidit, Lotum refert. Ergo hic

captiuus facile ducitur, ille integro spiritu hostes deuicisse probatur.

TEXTVS.

VERS. 19. & 20. Dixit autem Rex ad Ethæi Gethæum: Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? Ego autem vadam quo iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem.

§. XCIV.

Plures vbi querunt sitienter placidam requiem, anxium experiri solent laborem.

Habet has vices conditio mortalium (scribit Plin. in Paneg.) *vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat virorumque semina Deus, & plerumque bonorum, malorumque causa sub diuersa specie latent.* Anxius sæpè labor sub placidæ quietis specie latet, & quem homo putabat securum portum, experiri solet procelliosissimum fretum. Aduenerat Ethæi ad Dauidis curiam, sibi promittens commodam requiem & honorem, citissime tamen compulsus est, conuentionis turbine impetitus lares deserere, & Dauidem per abrupta montium comitari. *Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi?* Acti dicat: Venisti ambitor quietis & pacis, sed quàm citò expertus es opus tibi esse sollicità fugâ, & solerti vigilantiâ. Hunc esse horum verborum sensum tradit Abul. q. 26. *Venisti ad terram istam, vt hic quiesceres.* Ethæi quæ fuit in curia requies, sed sauiam inuenit turbinem; sæpè namque nos nostra spes fallit, & vbi nobis promittimus suauissimas voluptates, inuenimus amarissimas afflictiones. Lot, vt cælestes in impios eiaculandas flammæ effugiat, Segor delegit veluti tutissimum perfugium, & placidæ quietis portum: *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* Gen. 19. v. 20. Quam elegerat citò ciuitatem deseruit, & ad montis solitudinem inuolauit. *Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte.* Qui, monentibus angelis, vt celeri ad montem pede contenderet: *In monte saluum te fac:* varijs excusationibus renue- rat, & ciuitatem tutum asylum putarat, iam sententiam demutat, & ad montem properat. Ecqua huius causa est? an quia nostro arbitrio electa sunt nobis dulcia, & iussa videntur aspera; Bene: sed abstrusior nobis causa quærenda est. Elegit segor sibi ad speciem commodiorem, inquit Sacri Interpretes, sed inuenit continuis motibus subsilire, & concussionibus obturbari. Ergo expertus crebris tellurem illam motibus concuti, & subterraneis, validissimisque flatibus ad speciem elocari; demutauit sententiam, ne ibi sustineret imminentem ruinam. Itaque vbi requiem sibi promisit, perturbationem inuenit. Prodest Hierony. in Quæst. Hebraic. *Queritur: Cur primum montis fugæ Segor prætulit, & eam, in qua habitauit, liberari voluerit? Rursus de Segor ad montem transierit? Respondebimus, veram esse Hebræo-*

Gen. 18.
v. 1.
Gen. 19.
v. 1.

Gen. 19.
v. 20.

rum de Segor coniecturam, quod frequenter tremore obruta: Frequente terræ subsultu, motuque agebatur, nec erat à terroribus tempus liberum, aut exemptum: ergo quam elegerat, desertavit, suisque nos factis edocuit, sæpè homines amarissimum experiri angorem, ubi deliciosam promiserant sibi requiem. Ethai aduentarat ad curiam, ut frueretur placido otio, & opus illi fuit terram vertere, & periculum effugere: Venisti ad terram istam, ut hic quiesceres.

§. XCV.

ingens beneficium est, si vel compulsus Christo adhæreas, & sæculi vanitatem effugias.

PLura sæpè caro amittit, sed si virtuti adhæreat, maiora acquirit. Vtilis est procellosa tempestas, si celerius in portum duxerit, & anxios angores, imperturbata stationis securitate, leuarit. *Nihil interest* (aiebat Tertul. ad Martyr. cap. 2.) *ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. Et si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est, aliquid amittere, ut maiora lucreris.* Nihil interest, dum à sæculo expugnaris, hoc, aut illo labore vrgeri, & calamitate quantumvis procellosa vexari. Ethai aduentavit ad curiam, ubi sæpè pluris fiunt, quàm solidæ, res euanidæ. Sed valida exorta coniuratione, opus illi fuit, curiam deserere, & Dauidem Christi Domini umbram per deserta comitari: *Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi?* Non adeò felix esset, ni Dauidem fuisset comitatus, quantumvis in curia delicijs, diuitijsque persisteret circumfusus, fortunatior fuit, dum compulsus egredi, & Dauidem comitari: erat in deserto, sed extra sæculum erat; Ergo saluti spiritus exilium fuit commodum, etsi carni fuerit amarum. *Iste fuit Achis filius Regis Geth* (inquit Hugo) *cum quo Dauid peregrinatus est.* Modò à patria, à suis, à curia exulabat, sed lateri Dauid adhærebat. Quodammodò fuit ei adhærere compulsus, & eius vexilla sequi periculo persuasus, sed negotiatio fuit, sæculi commodis priuari, & à sæculo quodammodo expungi. Plures sunt, quos Deus, si fas est dicere, ad procurandam animæ salutem compellit, & infirmitatis dolore, mortis periculo, diuitiarum amissione adurget: Sed hæc vexatio tranquillitate optabilior est. Ad genialem, & lautam mensam inuitati venire inciuiles respicerunt; quia alius ad emptam villam perrexit, alius carnis delicias ambiuit, alius copiosos telluris fructus expectavit. Nullum ex his venire Dominus compulit, aut coegit: oculis orbos, pedibus mutilos, & viarum attulit iam vicinos: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare.* Luc. 14. v. 23. Quos ex his existimas feliciores, delicijs vsos, aut intrare coactos? Certè qui sæculo noluerunt renuntiare, postea coacti sunt sustinere, iram, & flammam: *Perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Matth. 22. v. 7. Sæculo renuntiare coacti inuenerunt mensam & gratiam: ergo felicior fuit coactio, & fortunatior compulsio. Prodest Gregor. in Cat. ad Luc. 14. *Hos itaque elegit Deus, quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Et tanto celerius vocem Dei aliqui audiunt, quanto in hoc mundo non habent, unde delectentur.* Amisso oculorum visu, melius vidit, qui ad mensam sedit, qui claudus, domum intravit, passibus rectis; ergo ingens beneficium fuit cruris fractio, & oculorum amissio. Nam dum huiusmodi laboribus quodam-

Enchiridion de Naxera in Reg. Tom. IV.

modo compellimur animæ providere, veram felicitatem, compertum est inuenisse: Ethai à curia, à patria, à laribus exulare compellitur, sed Dauidem exul felicissimè comitatur: *Compulsus est nobiscum egredi.* O felix compulsio, quæ Christo adiunxit, & à sæculi periculis liberauit!

§. XCVI.

Non est iniuria iactis contra auctorem conuitijs solanda; imò verba ad modestiæ, prudentiæque irutinam sunt pendenda.

A Paruo magnæ lites solent emergere, in quibus sapiens studiosius linguam continebit, neque irritatorem linguæ veneno castigare tentabit. Dum asperis iniuriæ flatibus iracundiæ excitantur incendia, studiosius frænanda est lingua, & modestiæ, prudentiæque proferenda moderamine responsa. *Silentium* (aiebat Plato de Loquacit.) *cum ubique culpa vacet, tum maxime in aliorum conuitijs nescio quid egregium Socraticum, aut potius Herculeum præferret.* Hercules de Lernæo serpente decantandam sæculis tulit victoriam; nec dissimilem reportat, qui iniurijs, conuitijsque impetitus aut silentio cohibet, aut prudentiæ moderamine regit linguam. Absalom prius parentis denigravit famam, & in constituendis Iudicibus est mentitus inertiam, ut populi fauorem sortitus, & vitam facilius eriperet, & coronam: nudis pedibus, plenis gemitibus oculis parentem exulare coegit, qui, licet tot aduersitatum voluminibus iactatus, Ethai curam gessit, & cum Absalone Rege manere suavit: *Reuertere, & habita cum Rege.* Proditorem, impiumque appellauit Regem: non obscurauit honorem. Si inquiras: Cur tot iniurijs impetitus, tot offensis exasperatus, asperum non protulerit verbum, & quæsiuerit indignationi solatium? Respondebit Theodoretus apud N. Sancti studiosius ad prudentiæ cotem examinasse verba, quia graui exulcerabatur iniuria. Theodoretum audi: *Iurè est admiranda Davidis lenitas, & mansuetudo, quem cum persequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, sed Regem.* Dum inuadebatur, de inuadente honorifice loquebatur: irritatus continuit iram, seruauit exasperatus modestiam; suis nos factis edocens contra irritatorem iniuriamque non esse proferenda conuitia, imo tunc studiosius prudentiæ lance expendenda verba. Mulierculæ remordent, & ad conuitorum recurrunt indigna solatia, si aliqua irritentur iniuria; ast virtutis summates, & verè fortes tunc de iniuriæ auctore, irritatoreque decentius loquuntur, cum plus vrgeri probantur. Non potuit non nobilissimo fœtu exornati Anna, dum pungitiuis verbis exlicerata, urbanitate, & prudentia plena reddidit verba: Heli coniecturis ductus tumultentam vocauit, ebriam præsumpsit: *Utsquequò ebria eris? digerè paulisper vinum, quo mades.* 1. Reg. 1. v. 14. Quid tunc Anna? *Nequaquam* (inquit) *domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne quod inebriare potest, non bibi.* Si alia esset perfectissimum vocaret senem, & iactis conuitijs solaretur indignationem: Verùm ut erat prudentissima, morataque, sacerdotem suspexit, & modestè satis respondit Notauit Chrysof. Hom. de Fide Annæ: *E templo abigentem, & schommatà iacientem, appellat dominum. . . nos contra: si quando conuitijs appetimur, cum oportet excusare, & in gratiam redire, frequenter*

1. Reg. 1. v. 14.

Luc 14. v. 23.

Mat. 22. v. 7.

excitamus incendium, ac more ferarum insilimus in conuitatores. Fera, si irriteretur, & malis tractationibus vrgeatur, conatur dentibus irritatorem discernere, & iram moribus consopire: ergo plures feras imitati ad linguam, dentiumque recurrunt arma, ut indignationis sopiant incendia. Anna miram exercuit philosophiam, vanis suspitionibus denigrata, & conuitijs probrosissimis impetita, se continuit, & ciuili, urbanoque responso Heli repressit, & benedictionem obtinuit. Disce à Dauid, Annamque sollicitius linguam continere, & studiosius verba pensare, dum vrgeris, & irritaris; est enim celsi, & virilis animi mordentem non remoderere, sed dehonestantem lenitate confundere.

§. XCVII.

Vir strenuus ad patientiam indurat honestè animum; erga alios humanam commiserationis prodit affectum.

Vir strenuus pectus fortunæ obijcit, & asperis casibus videtur exemptus, dum inuicta fortitudine stat firmus, & supra fortunam elatus. Verum etiam erga se compassionis nesciat studium, humanissimum alijs impendit commiserationis affectum: proprijs in laboribus honestè lapidescit constantia, alienis vritur, & vrgetur misericordia. *Eius pericula formidant* (scribit Cassiodor. §. Var. 10.) *qui saluti propria timere nesciunt.* Tulus vit moratus, & egregius cum salutis propriae obturbaretur nullatenus detrimento, alieno formidabat periculo. Nec aliter Dauidi contigisse videtur: coniurationis vndis iactatus per montium tendebat aspera, quin corporis defatigatione inuicta animi defatigaretur patientia; at ubi vidit Ethai laboris consortem, ut resideret, admonuit, & tot laboribus eximi persuasit: *Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum Rege... Ego autem vadam, quò iturus sum: reuertere.* Acti dicat: Plus me, quam propria vexatio, tua cruciat afflictio. Ego, quò iturus sum, ibo animo certè virili, & contra fortunæ tela constanti; tua verò incommoda non possum indolenter videre, nec horum commiseratione non obturbari. Hunc esse verborum sensum testatur Theodoret. apud N. Sanct. *Cum tanto egeret auxilio, curam gessit salutis profelyti. Reuertere, inquit, & auerte fratres tuos tecum.* Profelyti salus, & Dauidis vita periclitabantur, & cum sibi imminens patienter sustineret periculum, alienæ salutis distorquebat detrimentum. Est enim charitas, ut patiens, benigna, alterius dolore vratur, & proprio minus torquetur. Pastor ille optimus postquam montes inscenderat, syluas obiecit, serutarique prærupta non recusarat, anxietatis præmium sollicitudinis ouis inuentio fuit: inuenit morbidam, erroribus penè attritam, & subijciens humeros, gestat: *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. v. 5. Certè non videbatur gaudij materies humerum prægrauare, & ouis onere premere: quomodo ergo imponit gaudens, & gaudet humeros terens? Quia si ipse ferat (inquit Basil. Seleuc. Ora. 26.) laborè subibit, si non ferat, morbidam, & laborantè videbit; mavult ergo ipse laborem subire, quam ouis defatigatione torqueri: quasi plus eum cruciet compassionis anxietas, quam oneris grauitas. Verba Basilij sunt. *Subijciens humeros, proprio labore ouiculam curat laborantem.* Expendebat charitatis trutina ouis lassitudinem, & oneris grauitatem: ergo ad pondus

humerus indurabatur, & inspecta ouis defatigatione animus adurgebatur: ergo subiecit humerum, ut vitaret cruciamentum, quia plus ouis molestia, & minus angebat sarcina: laboris putabat leuamentum ouiculæ commodum. Et cum ad proprios labores fortiter ferendos induraretur constantia, alienos laudabili nequibat spectare impatentia. Dauid non refugit coniurationis periculum sollicitis gressibus deuitare, & agrè fert Ethai ad profectionem vrgeri: *Reuertere, & habita cum Rege.*

§. XCVIII.

Sapè virtutis nouiciolos Deus laboribus experitur, & demon impetere tentationibus studiosius conatur.

Fili, accedens ad seruitutem Dei (monebat Eccl. cap. 2. v. 1.) *Sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ut aurum purissimo caliculo excoquitur, & lydio lapide examinatur; ita qui de sæculi vanitate ad virtutis casta se felix transfuga contulit, opus est tentaminibus examinari, ut eius constantia nitidius quierit relucere. Montium viscera perquiruntur, intrantur beneficio artis profundiora telluris, ut aurum pretiosum eruatur, & iam erutum discernentibus aquis, à genitrice terra diuiditur, & fictilibus reconditus eliquatur, ut, omni relicta fece, de flamma & accrescat nitor, & constet valor. Ergo virtutis aurum tentatio examinat, & examine aut degener inuenitur, aut legitimum aestimatur. Ethai Regis (ut dicunt) filius, Gethæorum superstitione relicta ad Israëlitarum religionis castra transfuit, & citissimè tentationem, qua eius fides probaretur, inuenit; nam, dum Absalom ambitiosus coniurat, sequentium patrem subruere constantiam, tentat; & ipse Dauid, licentia redeundi facta, amicitiam etiam examinat: *Reuertere, & habita cum Rege; quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo.* Vbi de loco suo egressus impietatem deierat, & veram religionem elegit, inceptit incommodis adurgeri, & læuis aduersitatis flatibus concuti. Dauid, facta redeundi licentiâ, constantiam, fidemque explorat; Absalom auellere à Dauidis latere tentat. Virtutis nouicium decuit examinari, ut eius plus eluceret constantia, & eniteret patientia. Tentatio Ethai abstrusum declarauit affectum, & constantem prodidit animum. Audi, quid Ethai respondeat. *In quocumque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Dauid à se ad speciem amouet; Absalom de Dauidis latere auellere, excitata tempestate coniurationis, studet; quia ad virtutem accedens non poterat non pati tentamina, & prælia. Ethai verò, ut cæteris esset idea, firmitus Dauidi adnititur adhærere, & Absalonis adsultibus obuiare. *Factus fuerat* (inquit Theodoret. apud Gloss.) *cum suis subiectus profelytus, ei Rex persuadere conatus est, ut reuertetetur.* Consonat Lyra: *Dicunt aliqui, quòd iste fuit filius Achis Regis Geth, qui adhaesit Dauid propter suam bonitatem, & probitatem, & conuersus erat ad Iudaismum.* Nuper conuersus expertus est ingentes difficultates, non tamen medijs in conatibus substitit, imò prosequi virtutem decreuit, constantiamque animi declarauit. Vbi Adamus de originis loco transfertur in paradysum, lata ieiunij Deus lege examinat: & serpens inuidia iectus à paradiso depellere varijs adulationibus

Gen. 2.
v.17.

tionibus tentat : *De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas.* Gen. 2. v. 17. Ieiunio manus arcetur, vt, quo in pretio sit legislator, noscatur. Audi Basil. Seleuc. Ora. 3. *Prospetum tuum habeam animum, vt amoris tui vim in pretio habeam.* En Deus ad nostram eraditionem nouicioli explorat animum: transi modò ad serpentem, videbísque tentationum machinam admouentem. *Ad inuidiam* (verba sunt Basilij iam dati) *excitus est diabolus... itaque serpentis facie personatus, insidiosè meditata aggreditur.* Adami recens paradisi incolæ ieiunio animus exploratur, & blanditiis insidiosis impetitur: miserè corruit, quia se ad tentamina non accinxit, eius tamen casus nos edocet, ad seruitutem Dei accedentem varijs tentaminibus explorari, & se studiosè ad luctam debere accingi.

TEXTVS.

VERS. 21. Et respondit Ethai Regi dicens: Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex: quoniam in quocumque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.

§. XCIX.

Perfecta amicitia fortunam non sequitur, sed personam.

VERUS amicus amico adhærebit aduersa fortuna iactato, vt ridenti prospero. Epicurus falsam amicitiam edocuit, cum asseruit: Amicum tibi habendum, vt ægroto assideat, vt succurrat in vincula coniecto, & fortuna aduersa iactato: meliùs diceret: Amicum habendum; vt ægroto assideas, vt circumuentum hostili custodia eximas, vt manum asperis oppresso casibus porrigas. Audi amicitia leges à Senec. epist. 9. *Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet.* Qui causa vtilitatis obæratam coluit amicitiam, tandiù durabit, tandiù vtilitas allexerit: necesse est initia inter se, & exitus congruant. Hinc est, vt, quam putamus amicitiam, negotiatio sit ad commodum accedens, & incommodum fugiens. Ethai veram cum Dauide amicitiam professus est; verum quousque vnde probabatur, non fugit, ad plenum non innotuit: ast cum amicum varijs laboribus diuexatum non deseruit, plùs claruit: *In quocumque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Ac si dicat: Ego personam diligo, fortunam non attendo, non fugiam ob asperam, nec ob prosperam sequar. En Ethai idem permanet in prosperis, & aduersis, quia amicus verus: deseruisset Dauidem, vbi sonuit coniurationis buccina; si amicus esset personatus. O quam ostendit amicitiam suam esse veram, & fidem integram! *Ostendisti gratiam, & fidem.* Prodest Abul. q. 28. *Erat Ethai bonus vir, & gloriosus, magis virtutem diligens, quam quietem, ideo prælegit cum amico suo Dauid in mortem ire, vel in quancumque sauientem fortunam, quam amico relicto delicijs assuere.* Si ab amicitia degeneraret, commodis ad speciem poterat frui, si coleret, opus erat sollicitis laboribus adurgeri, prælegit tamen verus, ac fidelis amicus Dauidi adesse, non commodis, & delicijs potiri. Quos Deus sibi sacerdotes adlegit, & vti speciales amicos sibi associavit, ea lege constringit, vt die,

ac nocte in tabernaculo persisterent, nec desererent: *Die, ac nocte manebitis in tabernaculo obseruantes custodias Domini.* Leuit. 8. v. 35 Radulphus in Alleg. Thylm. per diem designari prospera, per noctem significari testatur aduersa. Ergo veræ amicitia Deus legem tradidit, dum eodem vultu die, ac nocte tabernaculo adstandum præcepit. Radulphum audi: *Die, ac nocte manendum in tabernaculo lex præcipit: vt scilicet nec prosperitas nos corumpat, nec aduersitas frangat.* Adulteratam ostendit amicitiam, quem amici aduersitas effugauit, quem prosperitas adiunxit; hic namque tandiù perseuerabit, tandiù arriserit vtilitas, & commoditas. Legitima, veraque amicitia vt in die comitatur, ita adesse in nocte animi firmitudine adnititur. Inuenit Petrus comites, cum piscibus exundauit; socios inuenit, cum eorum nauim impleuit. *Annuerunt socijs, qui erant in alia nauim, vt veniret, & adiunarent eos, & venerunt, & implerunt ambas nauiculas.* Luc. 5. v. 7. Satis fuit nutus, vt socij adstarent piscibus exundanti, & adstantium nauim replenti. Transi modò ad Ioan. 21. vbi idem socij Petrum comitabantur, quem vt viderunt strictè præcinctum, & marinis fluctibus penèmersum, solum deseruerunt, nec ferre opem studiosè curarunt: *Tunica succinxit se, & misit se in mare: alij autem discipuli nauigio venerunt.* Ioan. 21. v. 7. Piscaturum spe lucri lunt comitati: *Venimus nos tecum.* A cum vndis deprælianti referuntur remoti: *Cum cepisset mergi, clamauit.* Quid tunc? *Alij autem discipuli nauigio venerunt.* Nec mirum (inquit Chrysol. serm. 78.) nam Petri cingulum erat martyrij exordium, passionis initium: *Tunica se præcinxit, qui præcingendus erat martyrij passione.* Solus inuentus est Petrus vndis impetitus, & cingulo pressus, solus inuentus non est, piscibus diuitatus. Nam apud sæculum frequenter est negotiatio amicitia, & amicus fugit, si deuincti amici sonuit catena. Adnectit supra iam datis de Ethai Abul. *Hoc erat perfecta virtus, & firmissima amicorum lex: indiuisibiles eos ad quascumque fieri.* Ex quo apparet, quod non erat Ethai amicus vtilis, vel delectabilis, sed honestissimus, quia illi, visa aduersitate, discedunt, cum ibi cesset vtile, & delectabile, propter quod ipsi mouentur. Non discessit Ethai verè amicus; discederet, si spebus accessisset illectus.

§. C.

Dei erga nos sollicitior cura ad maiora gratitudinis cogit obsequia.

PLACULUM quoddam est, ingratitude denigrari, quem constat tenerè diligi: eo tamen res deuenit, vt periculosissimum sit, magna beneficia in aliquem conferre: nam nihil debentis solet testimonium perquirere, & cum teneriorem rependere debeat affectum, tepidiùs erga diligentem ostendit studium. Virtutis generosa proles, si sollicitiorem erga se impendi curam agnoscit, ad maiorem se deuotionem accingit, & quidem indignum esset hac in re homines à bruto edoceri, eiusque exemplo confundi. Elephas alicuius sollicitudine erectus, & staturæ suæ restitutus, eximia gratitudinis ostendit argumenta, & debita benefactori impendit officia. Bellua (scribit Cassiodor. 10. Var. 30.) *suis gregibus restituta, nouit memor esse beneficij: in magistrum quippè recipit, quem sibi subuenisse cognoscit, ad ipsius arbitrium gressus mouet.* Curam erga se impensam gratitudinè

soluit, & erigentem rectorem habere non refugit. Ethai Davidem coniuratione obturbatum sequitur: nec enim tempestas potuit auellere, cui honestas suadebat amico in calamitatibus subuenire. David peregrini curam gessit, & reuerti ad curiam suavit: *Reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo.* Quid tunc? Vbi Ethai vidit Davidem eius commoda procurare, & specialem sollicitudinem gerere, sacramento se obstrinxit, & ab eius latere discessurum nunquam statuit: *Respondit Ethai Regi dicens: Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Quarunt Interpretes: Cur modò sacramento se obstrinxerit, & tenacius hære decruevit? respondētque speciali Davidis sollicitudine obligatum se ostendisse plus deuotum, compensasseque inuiolanda fide Principis erga se affectum. Ita Theodor. apud Gloss. *Cum multo egeret auxilio, curam gessit salutis profelyti. Sed quanto maiorem eius curam gerebat, tanto ille in eum maiorem ostendebat beneuolentiam.* David plusquàm proprio, profelyti sollicitabatur periculo, vrgebatur incommodo, & dum speciali cura ei conatus est prouidere, & fluctibus aduersitatis eximere: Ethai nobili Principis attentione obligatus, maiorem beneuolentiam exhibuit, & affectum teneriorem ostendit: *Maiorem ostendebat beneuolentiam.* O quàm ab Ethai exemplo discrepant, qui cum speciali Dei fauore pericula euaserint, & ad fastigium dignitatis peruenierint, non solum officiosa non rependunt obsequia, sed nec debita persoluunt officia! Sanson speciali spiritus pulsu excitus, & oblata maxilla armatus in armatorum cuneos irrupit, & facili negotio triumphum recepit. Fas erat, sollicitam erga eum Dei curam gratitudinis signo fateri, & obsequiosa officiositate acceptum beneficium memoriæ tradere; verum Sanson non solum non struxit aram, sed applicuit sibi arroganter victoriam. *Percussi mille viros.* Iud. 15. v. 16. Certamine resplenduit fortitudine strenuus, victor deliquit immoderatus. Quod frequenter accidit rerum secundarum successu elatis; nam cum fas sit euentum diuino fauori, & præsidio adscribere, sibi applicant, & auctorem confiteri recusant. Notauit Ambros. epist. 70. *Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolauit, sed negligens sacrificij, assumptor gloria ut triumphum suum perpetuo consecraret nomine, vocauit locum Maxilla, interfectionem.* Singularem Dei opem publicabat euentus, verum Sanson intumuit superbus, cum plus esse debebat deuotus. Paucos inuenies Ethai imitatores, plurimos Sansonis sequaces.

Iudic. 15.
v. 16.

TEXTVS.

VERS. 22. Et ait David Ethai: Veni, & transi. Et transiuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo.

§. CI.

Christi Domini amatores, si pro eo pati non permittantur, anxie affliguntur.

Amor aut similes inuenit, aut facit; discipul eadem vestigia sequi, & simili, ac dilectus

colore vestiri, & quia laboribus probatur vera dilectio, laborum tolerantia approbari sitienter adnititur. *Vera amicitia* (scribit Cassiodor. in Prolog. ad lib. de Amicit.) *in se solida est, & in omnibus amico necessitatibus adest: compassionem, & tolerantiam secum quadrans.* Pilades, & Orestes honesti amoris exempla celebrantur, quia pro altero quisque expetere labores dicuntur. Hinc est, quod amor, ni patiat, patitur, ni labores subeat, aduritur: refugit legitimus amor ab amato diuelli, & mavult durissimis latis pœnis adiungi. Ethai Davidis bonitate, strenuitateque illectus, patriæ, & commodis renuntiavit, ut placido eius frueretur aspectu, & vteretur confortio, verum cum valida coniurationis tempestas è regia Davidem depelleret, & tendere ad deserti tutiora cogeret. Ethai non fortunæ, sed personæ amicus fugientem comitatus est. David plusquàm suo, amici sollicitatus periculo; cum Absalone frui pace admonuit: *Reuertere, & habita cum Rege.* Ethai veluti telo ictus doluit, & se sacramento obstrinxit. Quid tunc David? In suum admisit consortium, ut dolenti exhiberet solatium: & ait David ad Ethai: *Veni, & transi; & transiuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo.* Abul. q. 28. existimat facultatem Ethai fecisse, ut dolenti exhiberet solatium, & mœrenti opportunum delinimentum. *Cum vidisset David probitatem, & firmitudinem viri, quod praeligeret pro eo aduersa pati, noluit eum contristare amplius contrarium suadendo, sed suscepit eum inter suos.* Ethai ad consortium admissio copiosa laborum seges offerebatur, non admissio mœroris omnino causa auferebatur. Quomodo ergo, ne contristaret, admisit? Quia cum Ethai (inquit Abul.) verè Davidem amaret, pro ipso non pati, satis esset amarum, & erat pati iucundum: admisit ergo David ad laborum consortium, ut mœrenti exhiberet solatium; nam amor labor pro dilecto latus dulcescit, & ni patiat, verè dolet, & ingemiscit. *Noluit eum contristare amplius contrarium suadendo.* Nazians. Ora. 27. amorem appellauit dulcem tyrannidem: *Amor dulcis tyrannus.* Sub tyranno frequens est gemitus, & amarus, & gemitus etiam sub amore frequens, sed alacris, & iucundus; nam exambit amor laboribus approbari, & sui argumentum præbere. Pendenti è ligno Christo Domino promittebant æmuli regnum, si clauos excuteret, & descenderet: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Mat. 27. v. 42. Chrysoft. in Cat. Scribarum vocem, ait, simillimam diaboli consilio, dum aiebat: *Mitte te deorsum:* eius verba sunt: *Considera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam; diabolus enim dicebat: Mitte te deorsum, si filius Dei es: & Iudei dicunt: Si filius Dei es, descende de cruce.* Profectò Scribarum vox non solum videtur voci diaboli non simillima, sed contraria; nam Scribæ suadent laboribus eximi, diabolus laborem adhortabatur subire; diabolus vrgebat ad præcipitium; promittebat Scriba regnum: Ergo vox à voce discordare probatur, non assimilari dignoscitur. O expende (amabo te) Christum fuisse amoris in cruce victimam, pro dilectis patiebatur, & eorum ærumnis medebatur: ergo si corpus à cruce liberum excuteret, laboraret; nam amanti durum est pro dilecto labores non subire. Diabolus persuadebat laborem; Scriba ad speciem sollicitabat requiem,

Mat. 27.
v. 42.

requiem, sed reuera requies esset acerba, & afflictio erat amanti iucunda; unde et si diaboli, & Scribæ consilia ad speciem videantur discordare, probabantur reuera simillima conuenire. Nihil enim amori dulcius quam pro dilecto pati, nihil amarius, quam nullo labore premi; est enim amor tyrannus dulcis, & dum exercet patientiam, & gaudiorum offert causam. Ergo ni Dauid Ethai concederet subire pro eo laborem, adaugeret amarissimam anxietatem: *Noluit eum amplius contristare, contrarium suadendo, sed suscepit eum inter suos.*

T E X T V S.

VERS. 23. Omnesque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat; Rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

§. CII.

Lachrymæ Dei indignationem sopiunt, & homini felicitatem restitunt.

PER pœnitentiam lux cœlestis irradiat, impetrantur humano generi profutura, criminum depelluntur venena. *Quod supra omnes pietates* (aiebat Cassiodor. de Diuin. lect. cap. 16.) *indulgentissimum est, acceptam sibi pœnitentiam Iudex ipse testatur.* Pœnitentia non solum animæ vulneribus subuenit, sed incommoda corporis etiam depellit. Mentis intuitus sæpè illecebrosis fallacijs, blanditijsque obœatur, sed lachrymarum collirio instaurari cognoscitur. Dum Ioannes utiliter oculos fletu deturpat, occisum agnum intuetur, & ad cœlestia prospectanda mens exacuitur: *Ego flebam multum.* Apoc. 5. v. 4. *Quid tunc? Vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Oculum ante fletum non spectabat thronum, post lachrymas vidit agnum, quasi ad cœlestia intuenda lachrymis viuidius reddatur mentis aspectus, & acutior animi obtutus. Hinc est, quod Dauid è throno pulsus, & vorticibus calamitatum iactatus, recurrit ad lachrymam, vt tot incommodis efficacem nancisceretur medelam, & cœlestem sopiret iram: *Omnes flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: Rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron.* Nouit Dauid excitate sibi criminibus luctuosam calamitatem: ergo vt depellat ærumnam, adnititur depellere fletu causam: dolenter ingemuit, & sibi regnum pœnitendo restituit. Notauit Abul. q. 28. *Totus populus, qui erat cum Dauid, flebat, sicut videbat flere Dauid: ipse tamen Dauid flebat, vt Deus misereretur eius.* Cito Dei misericordiam impetrauit, & coronam fletibus sibi restituit; est enim pœnitentia interni inquinamenti depultrix, felicitatisque conciliatrix. Studiosius curauit Dauid, quam militum copias Absaloni, opponere lachrymas crimini, vt qui bene nouerat fletu Dei indignationem sopiri, & hostem iniquissimum exarmari. Cùm de Numinis præcepto Abraham alia animalia ferro diuisisset, turturem, & columbam non tetigit: *Diuisit ea per medium, & utrasque partes contra se atrinsecus posuit, aues autem non diuisit. Descende-*

utrisque volucres super cadauera. Gen. 15. v. 10. Gen. 15. v. 10. Quærun Interpretes. Cur alia animalia volucrum morsum, & ferientem sustineant cultrum, & columba, turturque exarmata; exiguaque auiculæ nec cultrum sustinuerint, nec morsum? Nonne expeditius volacribus erat exarmatas auiculas dilaniare, quam animalia fortiora impetere? nonne facilius erat turturem ditidere, quam arietatem difficere? Cur ergo columba; turturque cultri aciem euadunt, & volucrum ausum repellunt? Quia hæ auiculæ (inquit Hugo) gemitum habent pro cantu; dum gemunt, volucrum frænant audaciam, & effugerunt etiam cultri violentiam. *Per vaccam, quæ agros habitat, avari; per arietem ducem gregis, superbi; per capram fœtidam, luxuriosi; per turturem, & columbam significantur boni.* Adnectit: *Vtraque gemitum habet pro cantu.* Auarus sæpè animi sordiciem contrahit, & vitam perdit: superbus, dum ambit cæteris antecire, vulneribus solet confodi: luxuriosus voluptati blanditus, salutem perdit; ast turtur, dum gemitibus genas irrorat, dum pœnitentiam designat, nec cultrum sentit, nec flammam. Quos asperos peccatores subeunt casus, euadit pœnitens; & quam alij sustinent, ardentem lachrymis sopit flammam. In animalibus peccatorum symbolis edocemur, culpas maturare mortem, & post mortem alere ignem in columba, & turture pœnitentium ænigmatis nobis datur intelligi; quantum valeat pœnitentia ad depellendam aduersitatem, & placandam diuinam indignationem. Dauid criminibus è throno meruit expelli, sed lachrymis impetrauit: *Dauid flebat, vt Deus misereretur eius.*

§. CIII.

Temporalibus pressi incommodis, amarè lugemus, denigrati culpis, ploratum non fundimus.

QVI omne bonum honesto circumscriptis, intra se felix est: temporalia fluxa, & caduca sunt. Maxima est stultorum turba, quæ amissionem temporalium deplorat, quas animo admisit culpas, non deslet. *Hic* (aiebat Senec. epist. 75.) *amissis liberis mæstus, hic sollicitus agris, hic turpibus, & aliquam passis infamiam tristis.* Angor, & mœror temporalium iacturâ nutriuntur, non quibus conscientia premitur, & fœdatur: vilioribus pretiosa preferimus, & sæpè quia præferimus, vtraque amittimus. Segnis, ac lenta est ad elucendas animæ maculas pœnitentia; viuidissima, si incommodis vrgeamur temporalibus, est angustia. Vt aues inanis etiam fundæ sonus terreat, ita nos vel periculi vmbra discruciat, cùm vnũ bonũ sit conscientia pura, & ab omni inquinamento expurgata. Dum Absalom militares producit manus, & Republicam concutit ambitiosus, opus fuit Dauidis seruos laes relinquet, & ad tutiora inuolat. Ex his plurimi anxios emittebant ploratus, tristes singultus: *Omnes flebant voce magna.* Omnes largiter flebant, sed non omnes effusas benè lachrymas collocabant: non dolebant culpis denigrati, sed à sedibus expelli. Ecquis hoc ait? Certè Abul. q. 28. *Dauid flebat, vt Deus misereretur eius: aliorum autem de multitudine quidam presentia incommoda aspicientes, lugebant.* E tanto plorantium numero Dauid emittebat ploratum, vt Numen sibi propitiaret, & admissam culpam depelleret: alij lugebant amissæ commoda, & in-

Apoc. 5.
v. 4.

mentia

minentia pericula. Videbis plures lachrymis circumfusos, plorantibus defœdatos: quodsi lachrymarum perquiras causam, rarum inuenies ob admissam culpam lugentem, & rarum ob temporalia incommoda non plorantem. E tot afflictis Dauid luget ob Dei offensam; alij temporalium deplorare iacturam. Deus flammescenti rubo Moyfi apparet, & populi repetitis clamoribus se testatur pulsari, quia Ægyptiorum duricie dolebat premi: *Clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui presunt operibus.* Exod. 3. v. 7. Cum non deessent in populo Apis adoratores, & criminibus varijs infecti, non clamabant ob exulceratam conscientiam, sed ob Ægyptiorum intractabilem duritiam: *Clamor eorum venit ad me.* Vnde exortus? Non ab animi piaculis, sed à corporis ærumnis; nam frequenter homines non angunt piacula, cum plurimum contristent aduersa. *Rex* (scribit Philo lib. 1. de Vita Mos.) *in seruitutem vendicabat quasi belli iure captiuos, aut empros de lapide, adigebatque ad opera seruilia.* Seruilibus operibus abdictus ingemiscebat nobilitatis iniuriam, intolerandam in laterum conformatione molestiam: ratus flebat, vt expungeret culpam; & quidem ferè omnes, si quid patiamur, ploratum emittimus, ægrescentis conscientia, non sollicitamus remedium. *Peccatum peccauit Ierusalem* (aiebat Ierem. Thren. 1. v. 8.) *propterea instabilis facta est.* Quid tunc? *Omnis populus eius gemens, & querens panem.* Omnes ingemiscebant non ob admissam culpam, sed ob ciborum inopiam; nam plus curabant, quam Numen placare, corporis vires reficere. Prodest Lira: *Omnis populus eius gemens præ anxietate famis.* Plorabat populus, quia famelicus, non quia sordibus inquinatus. O miserum! Malè lachrymas collocamus, dum caducis impendimus.

§. CIV.

Oportet in infortunis auxilium Dei implorare, & simul gressum, vt tibi prouideris, promouere.

Plures otiosis manibus opem desiderant conlequi, nolunt tamen vigilantibus sibi sollicitudine prouidere: precantur bonam mentem, sed exuere non satagunt impietatem; discipiunt salutem, sed noxiam effugere amittendi detrectauere occasione. Opus est cœlesti auxilio, vt ruinam euadas, sed opus est etiam non otiari, sed curam sollicitam adhibere. *Tanto melior surge* (monebat Sene. epist. 31.) *& respira, & cliuuium istum vno, si potes, spiritu exsupera.* Tuæ industriæ non est fidendum, sed nec implorata ope cœlesti est otianandum. *Studium vestrum* (monebat Theoder. 5. Var. 13.) *Reipublicæ grata mente debetis impendere, quia nos agnouistis benemeritis multa prestare.* Ac si dicat: Non debetis ab honesto studio negligenter otiari, quia me plura videtis largiri, imò vtrumque laudabili est complexione associandum: Ego vobis impendam gratiam, sed vos sollicitam exhibete diligentiam. Sic namque erit, vt egentibus non denegetur auxilium, & honestus, ac industrius labor discutiatur inertissimum otium. Vt nouit Dauid Absalonem plurimo milite instructum contra eius salutem armari, prouidenter fugam arripuit, & profusis lachrymis cœlestem opem sollicitauit. Itaque simul contendit ad tuta, & auxilia est deprecatus cœlestia. *Omnes flebant voce magna, & uniuersus populus transibat: Rex quoque transfrediebat*

tor Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, que respicit ad desertum. Reportauit Dauid victoriam, dum celeri gressu petiuit desertum, & copiosis lachrymis supernum sollicitauit subsidium. Sine gressu careret effectu votum, sine cœlesti ope gressus non sortiretur effectum: at vbi vtrumque concordia confœderatione associatum, periculum euauit, & triumphatrix laurus floruit. *Lugebant* (inquit Abul. q. 28.) *diuinam implorantes propitiationem; omnes transibant Torrentem Cedron.* Transibant torrentem montis, perfugium querentes; flebant largiter, cœlestem opem implorantes: sic que factum est, vt hostis robur eneruatum deficeret, & reddita tranquillitas effloreret. Qui gressum nolunt promouere, nec inuitantem occasionem eludere, frustra videntur auxilium Numinis implorare. Et si contra insolentem Pharaonis audaciam è nube Deus contorqueret spicula, eiacularetur ignita tela: *Eccè respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubi: interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas currum.*

Exod. 14. v. 24. Manum Moyfi iubet extendere, & stupentes vorticis aquarum armare. *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios.* Oriosa profectò videbatur manus extensio, vbi cœlestis pugnabat spiculatorum eiaculario. Nonne satis erit cœlestis pugnator ad assequendum triumphum, quin Moyles extendat manum? Et si vitreos vndarum muros contra Ægyptios præcipitat manus, ad quid è nube prospectus? Quia cum hæc omnia nostræ eruditioni deseruiant (inquit Basil. Seleuc.) opus esse dignoscitur manu, & prospectu. Prius Deus è nube respexit, quia sine Numinis fauore extenderetur otiosè manus: & manus extensa est, quia sine extensione manus satis non esset prospectus. Basilium audi Ora. 9. *Nec istius vindictæ cursus ante potuit abrumpi, quam virga percussum mare his iuer, illis sepulchrum fuerit.* Antequam extenderetur manus, non est reportatus de hostibus triumphus, neque manu extensa reportaretur triumphus, nisi prius cœlestis adiuisset Israëlitas prospectus. Ob id Paulus. 1. Corinth. 15. v. 10. vtrumque coniunxit, Dei scilicet gratiam, & laboris etiam industriam: *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ac si dicat: Laborando profeci cœlesti ope adiutus, quia sine gratia labor esset irritus, & sine labore gratiæ non responderet effectus. Vtrumque associandum fuit, gratiæ scilicet fauor, & operationis sudor. Prodest Anselm. ad hunc loc. *Vt se sine gratia nihil esse ostendat, ait: Non ego. Vt vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit: Sed gratia Dei mecum.* Vt homo non est anima sine corpore, nec corpus sine anima; ita triumphus non est sine dignatione cœlesti, & hominis etiam actione. Ergo Dauid lachrymis implorat opem cœlestem, & simul tutum contendit ad montem.

§. CV.

Fratrum pax, & inuiolata concordia validissima sunt contra hostiles aduersus arma.

Animorum vnio, & inuiolata concordia non solum cognoscitur tranquillitati conducere, sed hostiles etiam vires probatur efficaciter eneruare. Vnde qui Reipublicæ statum, & generale cupit stare fastigium, de concordia debet esse sollicitus; quia vix audet in eos inimicus præsumere,

quos vidit verâ concordia obarmari. *Grues* (aiebat Cassiod. 9. Var. 2.) *moralement nouerunt exercere concordiam.* Quia nouerunt se alijs armis destitutas, concordia se exhibuerunt inuolabili armatas, & quæque sibi prouidet, dum ab aliarum communionem pestifero ambitu non recedit. Tertullianus ad Martyr. ait, bellum acere esse demoni fratrum concordiam: ipsum audi cap. 1. *Inueniat vnitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.* Quam primam contra virtutem astutus coluber opponit machinam, discordia est; quia pro detriumphatis habet, quos odium disiungit. Redeat Septimius: *Non dicat: In meo sunt, tentabo illos vilibus odijs, defectioibus, aut inter se dissensionibus. Fugiat conspectum vestrum, & in imma sua delitescat contractus, & torpens tanquam coluber excantatus, aut effumigatus.* Vt coluber, si excantetur, aut effumigetur, spiras contrahit, nec venenâ mortifera fundit; sic diabolus fratrum concordia, quæ illi pro incantamento est, in imma sua delitescit, & vel aspectum concordia fugit. Ob hanc causam Dauid, vt proditoris Absalonis vires effringeret, tantisper moratus est, donec transirent sui vniti, & concordia armati: *Rex transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, qua respicit ad desertum.* Id est, eandem omnes tenebant viam, quin alius ad aliam deflecteret, aut ab illa exorbitaret. Notauit Abul. q. 28. *Dauid expectabat, quousque omnes transirent, vt iret totus populus si nul.* Fugam arripuit, vt proditoris filij audaciam eluderet; sed, traiccto torrente, substitit, & totum populum expectauit: quo vnito, & concordia armato, victoriam præsumpsit, imò Absalonem deuincendum credidit. Vt qui bene nouerat plus roboris contra inimicum esse in paucis militibus concordia armatis, quam in pluribus dissensione diuisis. Et quidem parua illius manus pax, durum Absaloni fuit bellum, imò & exitium. Eandem viam ingressi, & concordia vniti potuerunt premi, non vinci. Quos à mortuis resurgens Christus milites in campum produxit, prius pace obarmavit: *Venit Iesus, ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vocis.* Ioan. 20. v. 26. Audentis discipuli enses iussit recondi, pace obarmavit, quia vnio, & concordia contra inuisibilem hostem, imò & visibilem erant valida arma, & dura tela. Prodest Chrysost. in Cat. *Quia praelium inexpugnabile habebant ad Iudæos, rursus eis pacem annuntiat.* Pace munit, concordia instruit, vt reportarint de bello triumphum, & inimicorum fregerint animum.

§. CVI.

Lachrymofi plurium clamores apud Deum magni habentur, & facile impetrare probantur.

Cum fideles ab Ethnicis vigerentur, & veluti arctissima obsidione circumdati vndique premerentur, ad communem confugiebant ploratum, vt sic quasi facta manu gratam Deo vim inferrent, & facilius impetrarent. Audi Tertul. in Apolog. cap. 39. *Coimus in cætum, & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precatioibus ambiamus orantes. Hec vis Deo grata est.* Adnectit: *Certe fidem sanctis vocibus facimus, spem erigimus, fiduciam figimus.* Clamor testatur fidem, & dum à pluribus postulatur, impetrandi fiducia erigitur: vnus, aut alterius potest Deus vota repellere; quod à pluribus reuerenter

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

petitur, ingenuus refugit denegare. Cum Absalom immaturo ambitu Reipublica tranquillitatem turbasset, & in campum militares copias produxisset: Dauidem secuti, vt cœlestem opem citò impetrarent, ad pia confugerunt lamenta, & veluti manu facta opportuna impetraverunt auxilia: *Ommes flebant voce magna. Quid tunc? Venit Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuita cum eo portantes Arcam fœderis Dei.* Caietanus notauit, adfuisse plorantibus Arcam, validam afflictorum tutelam: *Insinuatur, quod tunc venit Sadoc cum Arca fœderis Heloin.* Nequibat à plorantibus vera pœnitentia Deo abesse, & opem communi, ac flebili clamori negare; suscipit namque Deus accedentem pœnitentiam, nec patitur vacuam repelli fiduciam. Vbi Ionas appetentem grandi, populosaque Niniui prædixit ruinam, se Rex contulit ad securam lachrymarum tutelam nudatus serico, indutus sacco, corporis afflictatione energiam addidit precibus, & iussit cœlum pulsari clamoribus. *Clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala.* Ion. 3. v. 8. Dum præcipit in fortitudine clamare, non tam indicat exerciti clamoris energiam, quam orationis plurium efficaciam. Propheta certam minatur ruinam: *Niniue subuertetur.* Et tamen Rex præsumit retractandam sententiam. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* Et qua fiducia innitur? Communi (inquit) clamore; nam si generalis, luctuosusque clamor ad cœlestia subsellia accedat, illum Deus fastidioso non repellit supercilio, sed benigno excipiet aspectu, & quidem falsus non est, imò effectus probauit generalis clamoris efficaciam, & pœnitentia energiam. Audi Basilium Seleuc. Ora. 12. *Homines lachrymantur, & Deus immutatur; lugent mortales, & decretum soluit immortalis.* Clamor, luctuosusque gratam Deo vim intulit, & victoriam iussit reportare. Ergo Dauid, eiusque socij, vt citò impetrarint auxilia, generalia ad Deum delegauere lamenta: citò adfuit Arca, & citò tranquillitas redijt serena. Tulit Absalom sacrilegæ, impiæque temeritatis meritam pœnam: Dauid clamoribus recuperauit coronam.

§. CVII.

Bonus Princeps plus satagit repellere à subiectis periculum, quam sibi acquirere commodum.

Nihil principi gloriosius, quam sollicita erga suos prouidentia; nihil tutius, quam potentia salutaris. Plurium detrimento sibi prospicere, dignitatem est defœdare. Culmen fundatum, fixumque est, si excubet pro salute cunctorum. Bene Sen. lib. 1. de Clem. cap. 3. *Illius magnitudo stabilis, fundatæque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt; cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur.* Fixa est Principis sublimitas, si veluti Reipublica spiritus membra omnia foueat, & vigilantia omnibus studiofuitate prouideat; qui se sic gerit, & fama proficit, & obligationem muneris implet. Nesciunt subiecti honorabile amoris fidelitatisque denegare tributum, dum paternum in Principe experiuntur affectum. Redeat Seneca cap. 14. *Patrem quidem patria appellabimus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, que est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Bonus Princeps dum parentis implet elogium, omnium elucrat affectum

Ioan. 20.
v. 26.

Ion. 3. v. 8.

Q. etum

ctum. Dauid cū seruis fugam arripuit, & ad desertam contendit: cūque ventum esset ad torrentem Cedron, Rex substitit, & suos traicere expectauit. *Vniuersus populus transibat; Rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron.* Hæc verba indicant, potestatem omnium Regem traiecisse Cedronem: cuius rationem querunt Interpretes; nam cū à tergo immineret periculum, satius videbatur Regem anteire, & in tuto collocari. Cur ergo populus transit, & Rex substitit? Quia patris (inquit Lira) impleuit elogium, dum erga suos prouidum ostendit affectum: si prius Rex Cedronem traiecisset, populus hostili manebat mucroni expositus; si populus transfret, Rex periculo manebat vicinus: ergo maluit suos prius in tuto collocare, & postea sibi consulere. *Stetit* (inquit Lira) *procul à domo extra ciuitatem, ut transire faceret totum populum suum ante se, ut poneret se in maiori periculo, si Absalom eum insequeretur.* Non ignorabat, traiecto flumine, hostilem impetum eludi; maluit tamen vltimus torrentem traicere, & vt sui evadarent, periculis obijci: quod miram in suos testabatur benevolentiam, & curam. Et quidem ita sibi omnium animos obstrinxit, vt Ethai maluerit pro Rege mortem subire, quàm salutem propriam indulgere. *In quocumque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Pro Principe suorum salutis satagente non dubitauit commodis renūtiare, imò nec ceruicem ponere. Vt nouerint Principes subiectis consulere, & vel proprio incommodo eorum vtilitatibus prouidere. Cū Dei angelus Israëlitarum castra promoueret, Principis munere vsus, Pharaon insequitur: iā fugientium tergoribus mucrones minitabantur hostiles, iam Israëlitarum, adurgente discrimine, cœlum pulsabant lachrymosi clamores, cū angelus priora relinquens, post Israëlitas abiit, seque audacibus aduersarijs obiecit. *Tollens se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israël.* Exod. 14. v. 19. Mira res locum demutare, qui vndeque aduersarios poterat referre! mira res, Principem, vt afflictis opportunam posset opem afferre, suo, si fas est dicere, honori detrahere! Et quid est, quod angelus inter media castra consistat, cū priori in loco ad speciem esset tutior, & loco demutato adfultibus inimicorum vicinior? Ob id ipsum (inquit Oleaster hinc ad mores.) Ni dux cœlestis hostilibus se gladijs obijceret, populus periculis cinctus gemeret; inter castra verò consistens, suorum consulebat incolumitati, obiectus ad speciem hostium mucroni. Ergo vt Principes, Superioresque suis erudiret factis, curauit populi commoda, despexit propria discrimina. Oleastrum audi. *Expende, qualiter Deus iustos diligit, quod se primum propter eos hostibus obijcit; quapropter Abraha dicebat: Ego scutum tuum, & merces tua magna nimis.* Superior esse debet ad subiectorum depellenda pericula scutum, ad remunerandas virtutes expromptum præmium. En Israëlitarum dux postremus consistit, & se se aduersariorum mucronibus obijcit: Et Dauid etiam Angeli exemplum secutus, posterior torrentem traicit, mallens excipere aduersariorum impetum, ne populus audentem hostis sustineat gladium.

Exod. 14.
v. 19.

§. CVIII.

Per misericordiam viam ad cœlum tenditur, & adfultus aduersariorum effugitur.

Rarus est, qui sine errore vitæ spatium decurrat, & præstigias voluptatum prudentiâ euadat: alium auaritia captiuat, alium vltionis furor dementat, alium libidinis ardor inflammat. Opus est sapè fugere, & adfultus aduersariorum celeri vestigio frustrare: multæ sunt, quas Deus salutis ostendit vias; inter eas tamen tuta, & plana inuenitur misericordia; nam qui aliorum calamitatibus condolet, diuinam contra se indignationem extinguit. *Deus est* (aiebat Plin. 2. Natur. hist. cap. 7.) *mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Expedita ac æternam gloriam via est afflictio opem impendere, & à miserijs eripere: hac via ierunt virtutis Proceres, & sanctitatis Magnates. Dauid dum euandæ voluptati indulget, calamitatem asciuit: iam Absalom coniurat, & militari manu eius insidiatur saluti: periculis obturbatus, & arripere fugam compulsus viam elegit, quæ tendebat ad Oliuam: *Cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.* Hugo Card. legit: *Cunctus populus incedebat per viam Oliuæ.* Inquirunt Interpretes: Cur Dauid Oliuæ viam elegit, cū desertorum tuta petiuit? *Quæ respicit ad desertum.* Interpretes, qui rem tractant moralem, cū Oliuæ misericordiam sit symbolum, elegisse asserunt misericordiam viam, vt hostis retundere facilius posset audaciam, & placare Numinis iram; nam misericordia via est expedita ad eludendas serpentis technas, euacuandæque aduersariorum insidias. *Oliuæ* (inquit Hugo) *radicem habet amararam, sed tamen ex ea prouenit oleum.* Vnde Hieronymus super Marc. dicit. *Oleum de amaritudine radicis surgit in pabulum luminis, in medicinam vulneris, in refectioem esurientis. . . respicit ad desertum, id est ad cœlum.* Quod in refectioem esurientis impenditur, quod curandis vulneribus funditur, via est ad cœlum expedita, & ad declinandum periculum plana: cœlestis lux misericordiam honesta redditur pro vsura, dum præbet esurientibus alimenta. En Dauid, vt Deum sibi propitium reddat, & celerius ad tutum profugium se conferat; viam oliuæ, hoc est misericordiam delegit, & salutem prouidit. Columba emittitur exploratrix, quæ rediens cœlestem iam declarauit indignationem sopitam, & vorticum violentiam sedatam: *Venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo: intellexit ergo Noë quod cessassent aquæ super terram.* Gen. 8. v. 11. Si inquiras: Cur columba Gen. 8. præ alio, oliuæ ramum attulerit ad securitatis argumentum, & mœroris solatium? Respondebunt Interpretes, oliuæ surculum seruatum, & pro tesfera adductum; nam cū oliuæ misericordiam sit symbolum; aptior erat ille ramusculus ad timorem sedandum, & angorem depellendum; & Noë dum pro se habuit misericordiam, cœlestem intellexit indignationem placatam, & vim vndarum sopitam. Non potuerunt vndæ rapidæ oliuam mergere, quæ ad sauciorum medenda vulnera agnosceatur deseruire, & quidem si ad oliuam aues confugissent, luctuosum naufragium forsan vitassent. Et nota, columbam allato oliuæ ramusculo ad arcam non rediisse, sed in cœlum auolasse, quia per impensam afflictis misericordiam patuit impendenti ad Olympum via. Ita. Hugo Card. *Non est*

est reuersa, quia transitus de fide ad speciem significatur ibi. Quæ afflictis, & arca veluti. incarceratis est impensa misericordia, pro alijs columbæ fuit, vt æclerius inuolaret ad æthera; est namque misericordia tuta via ad euadendos hostis adfultus, & promouendos ad cælum gressus.

§. CIX.

Tuta sunt nobis salutis profugia, vbi Christus passus est, loca.

Gloriosum opus est seruienti (aiebat Cassiod. 7. Var. 17.) vnde Roma ciuitas probatur ornari. Dum Roma pulchra mœnium sylua decoratur, habitantibus tutior habetur, & de loco securior illuc confugientibus accrescit tutela, quia hostis frænatur audacia, Fabulosa antiquitas ob alicuius Numinis præsentiam aliqua loca tuta existimabat profugia: & veritas religiosa vbi Christus Dominus labores est passus, non dubitabat præ alijs loca esse secura hominibus tutamenta. En Dauid, vt parricidæ filij eludat rechnas, & armatas frustretur versutias, ad Torrentem Cedron contendit: *Trangrediebatur Torrentem Cedron.* Hanc viam elegisse arbitrantur Interpretes, quia etsi plures essent, quæ fugam posset arripere, & saluti prouidere, hæc erat tutior, & sedando timori aptior. Nam cum Christus Dominus ibi labores esset laturus, Dauid spiritu prophético præuidens, ad torrentem Cedron confugit, & tutiorem locum existimauit: *Rex transgrediebatur Torrentem Cedron; sic enim incipit passio in Euangelio Ioannis* (inquit Hugo.) *Egressus est Iesus trans torrentem Cedron.* In torrente passio Christi inæcepit: ergo locus Christi transitu consecratus, erat securum saluti profugium, & contra hostes munitissimum castrum: à torrente nescio, quid emanabat ad truculentiam Abfalonis arcendam, & opem perclitantibus conciliandam. Audio in Dauidis gregem desæuientem leonem, audentem vrsuum: *Pascebat seruus tuus parris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis.* 1. Reg. 17. v. 34. & non audio in Moyfis gregem vrsuum irruisse, aut leonem quid pertentasse: *Moyfes pascebat oues Gethro soceris sui.* Exod. 3. v. 1. Discamus, Scripturam, dum tacet audire, & dum loquitur, erudiri. Inquiramusque, cur leo non audeat accedere, vbi Moyfes gregem pascit, & audeat, vbi Dauid gregem nutrit? sed, ni fallor, Textus ipse discrimen innuit: *Cum minasset* (inquit) *gregem ad interiora deserti, venti ad montem Dei Oreb.* Ibi Deus humana effigie apparuit Moyfi sentibus coronatus, & doloribus pressus: Ergo Moyfes pascebat gregem, vbi cruentas Dominus sustinebat spinas: ipse locus erat leoni infaustus, & ouibus tutus: ergo licet alio in loco in gregem auderet, ab hoc loco leo fugiebat, & vrsus rapinam nullatenus sperabat: *E medio* (inquit Philo de vita Moss.) *promicabat forma quadam pulcherrima nulli visibili similis, diuinum simulachrum luce fulgens clarissima, vt superiori posset Dei esse imaginem.* Christi imago sentibus cincta ipsius passionem repræsentabat, & prædicebat. Ergo eo in loco grex tutior, & leonis voracitas præfior. Vt tutum Iacob contra hostes fortiatur profugium, iubet Deus Bethel, vbi scalam conspexerat, adire, ibique habitare: *Ascende Bethel, & habita ibi.* Gen. 35. v. 1. Bethel aduentem non sunt ausi persequi inimici, nescias quo terrore *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

detenti: *Terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitatis.* Et vnde terror exortus? Ab ipso sanè loco; nam cum Dominus scalæ innis crucifixi speciem referret (vt testatur Gloss. Mor.) *Fuit positus in scala crucis.* Ab illo loco veluti excantati, & effumigati hostes diffugiebant, nec accedere tentabant. Vt hinc noueris, quantum contra dæmonem valeant imagines, & loca Christi Domini passionibus consecrata; quando nec Bethel accedere hostes præsumperint, aut tentarint. Non sunt au si persequi recedentes.

T E X T V S.

VERS. 24. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei, & deposuerunt Arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus uerat de ciuitate.

§. CX.

Sanctissima Virgo suos in afflictionibus non deseruit; imò vires addit, & terrorem hostibus incutit.

Inter mundi fluctuantes procellas, qui sanctissima Deiparæ nouit obsequia venerationis impendere, speciali fauore agnoscitur præmuniri; nam sanctissima Virgo numquam deserit obliuiosa, quos benignis aspectibus attendere debet grata. Profectò salutis, & incolumitatis thesaurus reponitur, quidquid in Deiparæ honorem expenditur. *In lucrum* (aiebat Cassiod. 4. Var. 24.) *cedunt que benemeritis conferuntur.* Et de ipso munere magis acquiritur, cum optimis digna præstantur. De obsequio magis acquiritur, cum Deiparæ venerationis cultus impenditur. Dauid ante Arcam Dei saltauit, vt religioso celebraret cultu, & festiuo coleret plausu. *Dauid saltabat totis viribus ante Dominum: porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo.* Et *Dauid, & omnis domus Israël ducebant Arcam Testamenti Domini.* 1. Reg. 6. v. 14. Præstita Arcæ venerationis officia Dauidi profuerunt, vt haberet in Afflictione solatia: lugebat à filio impetitus, & fugam arripiebat à culmine deturbatus, sed affuit Arca, vt Afflicto subueniret, & hostiles vires frangeret: *Venit Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei.* Olim Dauid Regiam deseruerat, vt Arcam honorificè adduceret, & modò Arcam regiam relinquit, & afflicto præfens gratissimas vices rependit. Audi N. Sanct. *Arcam secum adduxere, que amicis animam, & vires; hostibus autem terrorem & desperationem iniiceret.* En Arca Dauidi calamitatibus oppresso adest, vt ipsi animos adijciat, & hostibus vires auferat, & durissimo terrore premat. Nec enim Arca Deiparæ umbra potuit in afflictione deserre, quem ad eius cultum nouit saltare. O lucrosam deuotionis obsequium! Quandoquidem hostis per Arcam terrore frænatur, & Dauid auxilijs opportunis fouetur: sibi consulit, qui Mariam inseruit; nam in afflictione subuenit consolatrix, & discrimina repellit adiutrix. *Benemerenti* (aiebat Basil. Seleuc. Ora. 39.) *vicem rependamus, quæ in nos recipietur.* Aeti dicat Basilius: Deiparæ omnium parenti, benemerenti que laudis sem-

1. Reg. 17.
v. 34.

Exod. 3.
v. 1.

Gen. 35.
v. 1.

1. Reg. 6.
v. 14.

per debetur officium, sed ipsa solutio est nobis salutis accretio; nam ad nostram utilitatem recipiuntur, quæ in eius venerationem deuota humilitate geruntur. Sapientia tellus ex puris, tenuissimisque vaporibus thronum construxit: *Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Eccles. 24. v. 7. En Sapientia folium est nubes, quæ commodis pluuijs terram irrigat, &aporatis fructibus ornat, & tunc regia fulgere maiestate probatur, cum prouidere subiectorum commodis inuenitur. Alludit Textus ad nubem illam lucidam, & tenebrosam, quæ inter castra Israelitarum, & Aegyptiorum consistens suis attulit salutem, & intulit Aegyptijs terrorem; *Stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel; & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Exod. 14. v. 20. Repetamus historiam: cum Israeliticus populus, excusso captiuitatis iugo, ad Promissionis terram properaret, infestis Aegyptiorum mucronibus premebatur, & angustiis terminis arctabatur; verum nubes in magna ad eum afflictione constituta affuit, & barbaros de victoria iam sibi plaudentes repressit: *Fugiamus* (clamabat Pharaon) *Israëlem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Pugnabat nubes, Aegyptios deterrendo, & Israelitis auxiliando. En thronus sapientia lucidis vaporibus compactus contra hostes vices gerit copiosi exercitus: *Erat nubes tenebrosa* (inquit Lira) *ex parte Aegyptiorum, & illuminans noctem ex parte Hebræorum.* Maria thronus Aegyptiorum vires eneruauit, & animos Israelitis intecit; est enim Maria in suorum afflictione tutum profugium; & dæmonibus est naufragium. Ecce tellus dum subtiles vapores impendit, vt sapientia construat thronum, sibi acquirit opportunum auxilium.

§. CXI.

Qui Dei seruis beneficijs obstrinxit, opportunum sibi subsidium ad afflictionis tempus parauit.

IN commodum cedunt, quæ Dei amicis, religiosisque conferuntur; & vrgenti necessitati inueniuntur reposita, quæ religiosi viris probantur largita: eorum namque sæpè beneficio depellitur, quod in salutem non sine graui anxietate militare dignoscitur. *In licentiam reparationis* (aiebat Cassiod. aliorum 4. Var. 24.) *accipiuntur potius premia, quam donantur.* Obsequia, quæ religiosè impenduntur, ad impendentis commodum applicantur. Cum Dauid infestis vrgeretur mucronibus, & Absalonis, premeretur ad sultibus, Sadoc, & Leuite celeriter inuolarunt, & Arcam fœderis attulerunt: *Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei.* Cur sacerdos, Leuitæque afflicto Dauid adstiterint non vocati, nec precibus vllis allecti? quærunt Interpretes, respondētque tulisse in necessitate auxilium, erga ordinem suum amorem, & deuotionem experti, & reuerentia honorabili à Rege culti, conuersumque fuisse, in opportunum subsidium, quidquid amoris, reuerentiæque religiosi viri à Dauide fuerat impensum. Sacerdotes Deum precibus placant, humeros Arcæ terunt, & laboranti succurrunt; & quod à Rege acceperunt, modò grati persolunt. Equis hoc ait? Certè Noster Interpres doctissimus Sanctius, cuius verba sunt: *Noluerunt Sacerdotes, qui benignum sæpè Regem, & sui ordinis amantem & experti fuerant, deesse Regi, quo tempore ipsius periculi-*

tabatur & regnum, & vita; sed cum vniuerso Leuitarum ordine secuti sunt illum; quoque maius illius fortune præsidium accederet, Arcam secum adduxere. Plures, in quos Dauid eximia contulerat beneficia, secuti sunt Absalonis castra; ast viri religiosi, Deoque dicati nefas duxerunt, periclitanti non subuenire, & Arcam ad fortunæ illius solatium, & præsidium secum non afferre. Expertus est Dauid in afflictione postus, quàm vtiliter in Dei seruos benignitatem ostenderit, & amorem collocarit. Angustijs pressa, filijsque orbanda vidua ad Prophetam accurrit; & quanta in Propheticum ordinem contulerit, refert: *Tu nosti, quia seruus tuus fuit timens Dominum.* 4. Reg. 4. v. 1. In memoriam attulit virum suum præsidio Prophetis fuisse, dum fauente Regis ira abscondit, & pauit. Hunc esse legitimum horum verborum sensum tradunt Hebræi apud Lir. *Ista mulier fuit vxor Abdæ, qui ad pescendum Prophetas tempore persecutionis Iezabel, ut habetur 3. lib. 18. contraxit debita.* Consonat Theoder. q. 14. *Centum viros seruauit, & enuriijt.* Debebat Propheta, quod in Prophetas expensum: ergo tempore afflictionis est operatus miraculum: mulier in cognatis, vicinisque non inuenerat afflictionis remedium, in Propheta verò non solum inuenit, quo debitum solueret, sed quo se & filios in posterum aleret; nam qui Dei seruos colit, & alit in necessitate gratos, & auxiliares inueniet.

§. CXII.

Sanctorum imagines abigunt sæpè pericula, & afferunt afflictis solatia.

SAcra Sanctorum imagines salutis humanæ hostibus terrorem incutiunt, & calamitosi solatium afferunt. Si enim olim Principum statua, ad illas confugientibus præstiteret tutelam, Sanctorum, Cœlitumque simulachra melius præstarent afflictione laborantibus umbram. *O magna temperationis inuentum!* (aiebat Cassiod. 6. Var. 20.) *de nomine Consulis promitteris clementissimus, & de Principum imagine metuendus.* Qui Principem dignitate repræsentabat, peccantibus incutiebat timorem, & afflictis felici nominis auspicio promittebat salutem. *O laudabilia instituta maiorum!* (scribit idem Cassiod. 6. Var. 2.) *vt imago Principum subiectos videretur pascere per commercium, quorum consilia inuigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Princeps non solum pro cunctorum salute agitabat consilia, sed etiam sua imagine numismate insculpta vtilia promittebat commercia. Sacerdotes magnis Dauidem angustijs laborantem intuiti, & conferre solatium meditati, Arcam Virginis, vt notum est, imaginem attulerunt, vt eius præsentia temperaretur afflictus angor, & reprimeretur hostilis furor: *Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei.* Maria imaginem contra hostiles impetus opposuerunt præsidium, & aduersâ fortunâ afflicto præsentaneum obtulere solatium. Audi Nostrum Sanct. *Quò maius illius fortune præsidium accederet, Arcam secum adduxere.* Arca Sanctissimæ Virginis imago laboranti erat pro mucro, hosti pro fræno; nam Virginis, sanctorumque simulachris virtus inest ad temperandam afflictorum angustiam, & ad dæmonum reprimentam audaciam. Vbi inter desertorum aspera morabantur Israelitæ, serpentum moribus labora-

Num. 21.
v. 8.

uere cruciati : Moyses suorum calamitate perculsus cœlestem opem implorauit laudabiliter importunus : & Deus construi imperat serpentem æteum, vt serpentes excauaret, & medelam faucijs præberet : *Fac serpentem æteum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, uiuet.* Num. 21, v. 8. Poterat Deus absque illo simulachro faucijs mederi, voluit tamen construi, vt noscerent, quantum valeat crucifixi imago ad serpentes reprimendos, & angores solandos. Erat ille serpens stipiti affixus Christi Domini è cruce pendens imago: ergo ea inspecta salutem voluit refundi, vt discerent in necessitatibus ad Sanctorum confugere simulachra, quæ repræsentatorum virtute possunt sanitatem largiri, & serpentes dæmones effugare. Audi Isidorum apud Gloss. *Quia Christus antiquum serpentem in patibulo triumphauit, & venena eius exclusit, vt qui verè, expressèque imaginem filij Dei, & passionem eius conspexerit, sanetur.* Christi, crucisque imago serpens erigitur, vt firmiter erigatur fiducia, & citius promanarit medela. Hinc nosces, quàm horreant dæmones crucifixi speciem, quàm Virginis auersentur imaginem; quandoquidem Arcæ attulit Dauidi solatium, & serpens vulneratis remedium. Animaduertendum tamen est, aliquos cæcissime errare, & stultâ, quas secum ferunt, imaginum confidentiâ nulla vitare pericula. Sunt, qui nimis audeant sacrarum imaginum præsidio freti; qui cerei, benedictique Agni, aut alterius sacræ imaginis amuleto muniti, in cæca se pericula conijciant, cum imagines gestare fas non sit ad vitiorum fomentum, sed ad virtutis subsidium. Quos insolens audacia, & repetita culpa stragibus tradit, vane confidit. Gebusæi impietate laborantes, & copioso Dauidis exercitu impetiti, sic Sanctorum imaginibus confidebant, vt se contra hostiles aduultus existimarent protectos, & à calamitate prorsus securos: *Non ingredieris huc (insultabant Dauidi) nisi abstuleris cæcos, & claudos.* 2. Reg. 5. v. 6. Imagines Isaac cæcutientis, & Iacob claudicantis appellasse cæcos, & claudos tradit Lira: *Isaac, & Iacob, cuius erant imagines, dicuntur cæci, & claudi in plurali; licet esset tantum vna imago representans cæcum, & alia claudum.* Non abstinebant à culpa, & se existimabant securos imaginum sacrarum tutelâ, eos tamen fefellit opinio; nam quos mucronibus trahebant delicta, non profuerunt simulachra. *Cæpit Dauid arcem Sion.* Ingemuerunt deuicti, quia nimirum protectione imaginum freti. Erigatur religiosa sacris imaginibus confidentia, sed non deliret infania; nam qui se præcipitat in periculum, parum iuuat amuletum.

§. CXIII.

Per Mariam citò obsequuntur, quæ tardius aliorum precibus impetrantur.

Sicut nominis ipsius declarare constat eloquium, Dei Mater præ cæteris Sanctis fortitur auctoritatis imperium: Maria miserorum agit causas, & efficax aduocata gratis precibus depellit miseras: eximia sanctitas, & arduissima coniunctionis proximitas nequit à Filio repelli, cum à cunctis debeat plausiblem veneratione æstimari. *Longè aliud (aiebat Cassiod. 6. Var. 8.) debetur proximitati nature, quàm corporali possumus indulgere licentia.* Indulget sæpè Deus ob Sanctorum preces; sed Matris quodammodo debet annuere votis.

Maria quasi parenti publico contra dæmonis infidias hominum est decreta custodia, & contra cœlestem iram veneranda inest precibus efficacia. *Tibi (aiebat aliorum datus Cassiod.) contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quasi parenti publico decreta custodia est.* Comuni omnium Matri custodia cunctorum commissa est, adeoque munus implet sollicita, vt nefarios appetitus frænarit, & veniam propitia à Filio suis precibus obtinuerit: accedunt sæpè iusti interuentores, vt miserorum alleuarint ægritudinem, sed patiuntur aliquando repulsam; ast vbi Mater petit, citissime Filius annuit. Qui Dauidem comitabantur, vt cœlestem indignationem sopirent, emittebant ploratum. *Omnes stebant voce magna: & licet Numen accedentes lachrymas non repelleret, tamen non videbatur ab infligendo pœnas cessare.* *Lugebant (inquit Abul. q. 28.) diuinam implorantes propitiationem.* Hoc rerum statu Sacerdotes, Liuitæque, vt tempestatibus fluctibus efficax opponant remedium, Arcæ sollicitauere suffragium. *Venit Sadoc sacerdos, & vniuersi. Leuitæ cum eo, portantes Arcam fœderis Dei.* Noster Sanctius ait, attulisse Arcam, quod Dauid maius fortiretur præsidium: *Quò maius illius fortune præsidium accederet, Arcam secum adduxere.* Si quæras: Quid opus fuerit recurrere ad Arcam, cum pro se haberet Dauid tot piorum lachrymas ad propitiationem impetrandam, & coniurationis vim effugiendam, respondebit Basil. Seleuc. Ora. 39. citius nobis bona Mariæ precibus contingere, quàm plurium orationes valeant impetrare: *Cum multa nobis bona, quæ nullius oratio posset assequi Deipare opera nobis contingant, eam benemerenti vicem rependimus.* Expende illud *Nullius oratio posset assequi:* acsi dicat Basilius; etsi honorifice Deus orationem, præcipuè si à multis delegatam, excipiat, & benignis auribus audiat, aliquando tamen differuntur vota, nec cœlestis retractatur sententia; ast vbi accedit Matris reuerentia, temperatur Filij facilius ira: ergo Sacerdotes, vt maius Dauid contra confusos calamitatis vortices fortiretur præsidium, detulerunt Arcam Deiparæ vmbra: & quidem citò illa tempestas sedata est; nec enim ira Numinis quibat non temperari, quando Matris vmbra Dauidem probabatur protegere. Sic perfidus Aman Regis indignationem contra Israëlitas, allegatis factiosis causis, inflammarat, vt durum contra eos decretum ediderit, mortique damnarit: Israëlita ad orationem, & lachrymas confugerunt: *Planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, ululatus, & stertus, sacco, & cinere multis pro stratu utentibus.* Esther. 4. v. 3. lachrymæ fundebantur, & Regis edicta non mutabantur: accessit Esther, & à Rege, quem in domum suam exceperat, & saporatis edulij oblectauerat, sententiam retractari petiuit, & citissime aduersam fortunam depulit. *Dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum, pro quo obsecro.* Esther. 7. v. 3. Nouis statim epistolis Amanis fraus est detecta, & sententia retractata; nec solum Regis contra Israëlitas indignatio sedata est, sed contra Amanum conuersa, & dignissima pœna inflicta. *Vice versa Iudæi superiores esse cœperunt.* Cap. 9. v. 1. Iam si inquiras, quomodo Asluerus tot precibus non exoratus, citò ad eum fuerit ad miserationem conuersus, facilis solutio est: Accessisse scilicet Esther patronam, & suis precibus intercessisse aduocatum, nec fas esse eius preces fastidiosè repellere, & sponsam sibi dilectissimam, & cæteris omni-

2. Reg. 5.
v. 6.Esther. 4.
v. 3.Esther. 7.
v. 3.

bus antelatam pudore confundere. Iam Esther Virginis gessisse umbram tradit Richard. Laur. lib. 2. de Laud. Mar. fol. 109. *Esther figurat Mariam*. Cùm Maria Regem lactauerit, & nutriuerit, accedit quasi debitum exigens, quisque alius quasi libellum supplicem afferens: ergo Christus Dominus, etsi aliorum distulerit vota, exigentis Matris implet citissimè desideria. Assuerus ab Esther passus, eius statim petitionibus annuit, & calamitas fugit. Prudenter ergo Sacerdotes Arcam attulere, vt quæ cæterorum non impetrauere lamenta, citò Mariæ assequeretur vel umbra.

§. CXIV.

Melius Sacerdos Reipublica proficit à confusis turbis semotus, quàm inter sacularum res admixtus.

Sic est (non demuto sententiam) viris Deo sacratis, & ad publicam vtilitatem ad dignitatem euectis turba fugienda est. Eiusmodi homo non est vnus à populo, ad salutem omnium spectat: ergo quò moribus est politior, & à populi inquinamenti remotior, munus cumulatiùs implebit, & cæteris proderit. *In hoc* (aiebat Senec. epist. 8.) *me recondidi, & fores clausi, vt prodesse pluribus possim. Clamo; Vitæ quæcumque vulgo placent, qua casus attribuit, ad omne fortuitum bonum suspiciosi, prouidique subsistite.* Si hanc sanam & salubrem vitæ formam vellent religiosi omnes, & in Reipublicæ vtilitatem consecrati tenere, plùs inuenirentur proficere. Hinc est, quòd cùm Abiathar Dauidi aduersa fortuna iactato discupiat consulere, à populo, vt orarit, secessit, & sublimia adiit: *Ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate.* Hinc oritur quæstio; si Abiathar aduenerat cum Leuitis, auxilium Dauidi laturus, cur adeò citò demutauit sententiam, & reliquit sequentium turbam: imò (inquit Lira) secessit, vt securiùs afferret laborantibus opem; nam recessus iste ad omnium spectabat salutem, & negociabatur aduersus casus asperos, sospitatem? Liram audi. *Ascendit Abiathar, scilicet ad consulendum Dominum se applicuit.* In medio populo varijs casibus obturbaretur distractus, & cessaret ab oratione impeditus, augetur in populum numerum, sed opportunum fortè non afferret solatium: ergo in hoc secessit, vt afflictis prouideret, & Dei indignationem fuis precibus temperaret: *Ad consulendum Dominum se applicuit.* Moyses salutis populi studiosissimus, & propulsandæ, quam patiebatur, calamitatis auidus, ad deserta se contulit: *Fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian.* Exod. 2. v. 15. Cùm Ægypto degens, exactoris truculentam sæuitiam reprimeret, & Israëlitarum amaram sortem temperaret, non debuit auferre, sed manere. Profectò, eo absente, commiseranda crescit miseria, & dura exactorum gliscet sæuitia: ergo suos non derelinquat, sed præsentia soletur, & foueat; imò (inquit Philo lib. 1. de Vit. Mos.) secessit, vt omnibus proficeret, & iuaret; nam qui inter populos degens, vni, aut alteri subueniebat, in recessu à Deo precibus obtinuit, vt omnium misereretur calamitatis: vnde factum est, vt per eum totus populus libertatem assequeretur, & aduersariorum furor refrænaretur. *Secessu in finitimam Arabiam, vbi tutius degere poterat, Deum inuocans, vt alteros eripiat è*

Exod. 2.
v. 15.

grauissimis calamitatibus: alteros nihil non per vim agentes, puniat, atque ita ipse duplex gaudium præbeat: nec fuere vota irrita. E secessu mittitur, vt eripiat populum, quia in secessu cœleste negotiatus fuerat auxilium: & qui inter turbas vni, aut alteri proficiebat, secedens generalitatis causam tractabat. Prodesset præsentia, sed plùs profecerunt in secessu rogantis vota; nam dum cœlestis ira eius precibus delinitur, causa populi prosperatur. Ascendat sublimia Abiathar, vt Dominum exorarit, erit enim vtilior secessu, quàm cæterorum conuictu.

§. CXV.

Qui circa agenda à Deo cupit edoceri, student à populo separari.

Sæpè homo sibi ipsi molestus est: videt vbi sit posita felicitas, & perturbationum serenitas; sed huius vitæ illicebri retinetur, & veluti contrario vorticum impetu volutatur. *Quod interest* (aiebat Senec. epist. 21.) *inter splendorem, & lucem, cùm hoc certam originem habeat, ac suam, ille niteat alieno: hoc inter hanc viam, & illam.* Aliquo fortè splendore inter populos mens illustrabitur, à populo verò remota certiori, & pleniori luce perfunderetur: aures popularibus clamoribus repercussæ tenuem cœlestem vocem non audiunt, aut studiosa surditate non benè percipiunt. Secedendum tibi est, si tua velis disponere, & erga facienda edoceri. Aduentauit Abiathar cum Leuitis, vt præsidium Dauidi afferret: cùmque in tanta rerum perturbatione facilè non esset, quid è re esset, dispicere, & securiora tenere, opus fuit consulere Oraculum, & expectare responsum. Abiathar, ad quem muneris lege consulere pertinebat, ad superiora loca contendit, & in imis populū dereliquit. *Deposuerunt Arcam Dei, & ascendit Abiathar.* Cùm à populo remota, ex illaque loca inscenderit? rogant Interpretes; nam si aduenerat in mœroris solatium, quomodò adeò citò mœrentium dereliquit consortium? Quia cùm oporteret (inquit Lira) ab Oraculo ediscere, quid in ea rerum vrgentia expeditius, à populo secessit, vt Dei voces clariùs exciperet: nam inter confusaneos populi rumores aut auris obsurdescit, aut distracta rectè non audit. Liram accipe: *Ad consulendum Dominum se applicuit: quia erat tunc sacerdos principalis.* A Deo quærenda lux erat: ergo nos suis factis edocuit in secessu clariùs resplendere, & inter turbas aut contrahi, aut obscurari. Abiathar fugit hominum consortium, vt percipere posset Oraculum, vt qui discupiat à Deo circa agenda instrui, fugiat populum, & ad solitudinis tendat profugium. Sponsus Sponsam properanter monet in agrum tendere, si vocem turturis vult audire. *Vox turturis audita est in terra nostra... Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* Cant. 2. v. 12. Cùm huius turturis vox in domibus, & in campestribus audiri soleat; nam etsi sit soliuaga, etiam probatur esse domestica. Inquirunt Interpretes, cur ad audiendum canticum monet secessum? Quia inter sæculi multiplices curas, inter occasionum fallacias, etsi vox aurem pulset, citò euanesceat & fugit, teste ipsa Sponsa Cant. 5. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis.* Non percipiebat turturis vocem, nam etsi cor vigilabat, auris ligata somno surdescebat. Ergo monet ad remotiora contendere,

Cant. 2.
v. 12.

re, si clariùs vocem turturis velit audire. Hùc voco Philonem lib. de Decalogo : *Ad sacras leges recipiendas animus purificatus requiritur, elutis maculis, quæ hærent ex miscellanea turba in ciuitatibus degentibus contagio : id verò non est possibile aliter, quàm in secessu efficere.* Turba strepitus, confusaneus populorum sonus aures non solum diuerberat, sed à veritate audienda retardat : ergo vt audiat turturis, hoc est, Spiritus sancti (vt N. Delrius interpretatur in Tropol.) vocem, opus est secedere, & speciebus falsis animum repurgare. Consonat N. Delrius : *Clarè vox turturis exauditur in terra nostra, quia Spiritus sancti gementis in nobis internas inspirationes audimus.* Gemit turtur in populis, & in campis ; sed in campis clariùs auditur, quia in ciuitate auris alijs clamoribus implicatur. Ascendat Abiathar celsa, petatque secessum, si audire cupit Oraculum : *Ascendit Abiathar ; ad consulendum Dominum se applicauit.*

§. CXVI.

Viri grauis præsentia quodammodo cogit ad promouenda in itinere virtutis vestigia.

PLura sunt quæ nos detinent, ne virtutis viam arripiamus; plura, quæ iam Philosophiæ discipulos aut pedem referre, aut saltem persuadent gressum tardare. *Omniū honestarum rerum semina* (aiebat Sen. epist. 94.) *animi gerunt, quæ admonitione excitantur : non aliter quàm scintilla flatu leui adiuta ignem suum explicat.* Erigitur animus, & gressum suum explicat, si ad virtutem excitetur viri magni adhortatione, aut præsentia : eius pudet contraire consilijs, aut ab honestate, ipso spectante, recedere. Redeat datus Seneca : *Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio.* *Paulatim enim descendit in pectora : & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter.* Ipse Philosophi occursum iuuat, & vel tacens admonet. Quis enim coram Catone audeat peccare? Quis, eo vidente, nõ ambiret proficere? Sapiens de occursum suo vitia confundit, & promouenda in itinere virtutis vestigia etiam sine lingua monet. Fugiebat Dauid parricidam filium, & ardoribus ambitionis furiosum : plures è ciuitate secuti fuerant; verum cum ventum esset ad rapidum Cedron Torrentem, timeri poterat, ne difficultatibus impediti, aliqui retractarent sententiam, nec inclinatum sequi velint Dauidis fortunam. Honestissimum erat legitimo adhærere Principi, & cœptum iter profèqui ; sed cum hominum ingenium spe ducatur, & timore sæpè frænatur, opus fuit, vt Abiathar eminenti loco consistens attenderet, ne quis ex sequacibus Dauidis deficeret: *Ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate : id est, è loco celso attendebat Sacerdos magnus, an omnis populus Cedronem traiceret, an pedem referret.* Quod si inquiras, quid vtilitatis Abiathar afferret attentio, quandoquidem nec difficultatem deliniebat, nec animos inspirabat? Respondebit Abulensis, conduxisse plurimum ; nam cum Abiathar tunc magni sacerdotis officio fungeretur, quisque erubesceret coram tanto viro notam subire: ergo etsi Dauidem secuti, torrentis fluctibus retardati de reditu cogitarent, ipse aspectus cogebat cœptis insistere, & sententiam nullatenus retractare. Audi Abul. q. 30. *Abiathar ascendit in aliquem locum al-*

tum, quando populus incipit transire torrentem Cedron, vt videret, qui transibat, & an aliqui manebant non transeuntes cum Rege : cum autem expletus esset populus, descendit. Qui Dauidi adheferant, nouis poterant difficultatibus retardari, & ab incœptis desistere; verum cum adstaret tantus vir, totus populus transiuit, quia quisque verebatur, eo vidente, deficere, & gradum ad vteriora non promouere. Tantum iuuat magni viri præsentia, ne cesseris, sed difficultates viceris. *Occursus* (verba sunt dati Seneca) *meherculè ipse sapientium iuuat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Vel tacente Abiathar, profecit populus, quia ad promouenda vestigia adurgebat eius aspectus. Iuenculam hædorum curam agentem admonuit Sponsus iuxta pastorum tabernacula commorari, & contra Pharaonem equitatus vires referre. *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te.* Cant. 1. v. 7. Profecit v. 7. circa viles hædos occupata non videbatur posse equitatu assimilari, nec flammeam illam columnam, quæ pro equitatu fuit, munus proficere. Columna firma stetit, quin illam quiuerit inimicus aut euertere, aut inclinare : columna ardentissima in hostes vibrauit tela ; Sponsa petulcos ducit ad pascua. Quæ ergo similitudo inter Sponsam, & columnam ? Iam Textus indicat, dum ait : *Iuxta tabernacula pastorum.* Pastorum præsentia hædis, & regenti proficiebat, nam hædus liberè ad eum non vagabatur, & quæ agebat curam exemplis instruebatur : in pastorum conspectu, & munus exactius exercebat, & animos ad labores resumebat. Per pastores viros moribus expolitos, & senio, ac grauitate decoros intelligi, tradit Lira : *Iuxta tabernacula pastorum, id est, Patriarcharum.* Degat in præsentia Abrahami, vt nouerit de terra exire, & chariora in holocaustum offerre : commoretur in consortio Isaac, & discet exactissimam obedientiam, & religiosissimam obseruantiam: cum Iacob conuerteretur, vt imitetur tolerantiam, & discat adipisci victoriam. In horum conspectu, conuictusque erit columna immobilis, nullis ventis concussa, & vitijs semper aduersa. Tantum iuuat viri grauis præsentia ; nam vel tacens vrget ad promouenda in virtute vestigia. *Iuxta tabernacula pastorum, id est, iuxta præceptum Patriarcharum.*

TEXTVS.

VERS. 25. & 26. Et dixit Rex ad Sadoc: Reporta Arcam Dei in urbem : si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum eius. Si autem dixerit mihi: Non places : præstò sum; faciat, quod bonum est coram se.

§. CXVII.

Vir pius, ac religiosus eliget laboribus premi, ne contingat sacra minus decenter tractari.

Non est (aiebat Eurip. apud Stobæ. cap. 1.) *virtute vlla possessio preuiosior ; non enim submittit se nec pecunijs, nec securitati, nec adulationi vulgi.* Pijs, religiosisque viris summo in pretio est virtus, sed religionis præcipuè, qua cœlestis ma-

iestas colitur, & reuerenti animi ueneratione suspicitur. *Religioni summum imperium cedit* (scribit Valer. lib. 1. cap. 1.) quo tunc se Posthumius Martio certamini commissurus non videbatur, cerimonijs Martis desertis. Vel in frementium hostium conspectu Posthumius prius studuit Martem religiosis cerimonijs colere, quàm certamina cruenta inire, ratus satius, securiusque esse, non deesse cultus cerimonijs, quàm inire bellum cum aduersarijs: tantæ curæ fuit antiquis religio, deorumque cultus. Nec dissimili studio Dauid Arcæ attendisse videtur, etiam dum cingi periculis comprobatur: fugiebat impij insolentem audaciam, & exoculatum ambitum arripiendi coronam. Sacerdotes, qui benignum sæpe Regem, & sui ordinis amantem nouerant, quo tempore ipsius periclitabatur regnum & vita, deesse noluerunt; imò quò maius illius fortunæ accederet & præsidium, & solatium, adduxerunt Arcam, quæ amicis adderet animum, & incuteret hostibus metum; uerùm Dauid, etsi sacerdotum officijs gratus, noluit apud se Arcam detinere, sed illico iussit in ciuitatem, tabernaculumque reduci. *Reporta Arcam Dei in urbem.* Cum è re satis esse uideretur Arcæ secum habere præsidium, quo facilius retunderet hostilem ausum, inquirunt Patres: Cur tanto perfugio uoluerit nudari, & præsidio tanto carere? Respondentque timuisse, ne Arcam, ut olim, in hostiles manus deueniens, quid eius maiestati indecens sustineret, maluisseque omne ab Arcam periculum depellere, quàm solatium tantum fortiri. Prodest N. Sanct. *Eo modo consultum esse uoluerunt regia salui. Quod non admisit Dauid, ne quid tale pateretur Arcam, quale olim à Philisthæis, aut quia non putabat decere maiestatem tantam per solitudinem circumferri.* Etsi non uideretur quid ab Israëlitis indecorum Arcæ metuendum, Arcam per solitudinem ducta non poterat tanta, ac in tabernaculo, reuerentia tractari, & coli. Ergo maluit Dauid omne indecentis tractationis periculum propulsare, quàm suis utilitatibus providere: elegit laboriosis utgeri ærumnis, ne Arcam non coleretur religiosis, ac debitis cerimonijs; & dum religionem suis commodis anteposuit, facilius se à periculis tantis eximit. Cum Philisthini intimis discruciantur doloribus, Arcam retenta, à Diuinis & Sacerdotibus requisierunt consilium; admonuerunt illi, plaustrum nouum compingi, & solemnem cultu deduci. *Facite plaustrum nouum unum.* 1. Reg. 6. v. 7. Profectò à prudentia uidetur satis distare consilium; nam si, retentâ Arcam, grauissimis ærumnis vexantur, quouis plastro uidebatur remittenda, ut uirgens adeò cessaret ærumna. Quomodo ergo egregij consiliarij consulti erga medelam, ad speciem producunt plagam? Nonne infumetur tempus in construendo nouo, & breuiabitur, si ex habitis remittatur aliquo plastro? Ergo satius erit alicui ex fabrefactis imponere, quàm nouum construere? O uilem nobis eruditionem! Si aliquo ex rusticanis plastris ducatur Arcam, debitam non tractabitur reuerentiâ: si recens elaboretur, grauis producet angustia. Verùm uiri illi, qui habebantur religiosi, decreuerunt satius esse laboribus premi, quàm sacra minus decenter tractari: indignum existimarunt Sacerdotes, si Domini Arcam imponeretur plastro rusticanis ministerijs addito. Id in primis statuerunt, Arcam decenti cultu reducendam, etsi urgeret dolor, & consumeret vires angor. *Dicitur nouum* (scribit Abul. q. 14.) *ad reuerentiam Arcam, si portaretur Arcam in aliquo*

plastro antiquo, in quo fuissent portata aliqua alia, non esset tanta reuerentia, quia uidebatur equari Arcam alijs rebus humanis. Conuenienter ergo plaustrum nouum factum est. Si humanis usibus applicitò plastro Arcam duceretur, minus reuerenter haberetur: ergo maluerunt doloribus adurgeri, quàm sacra minus reuerenter tractari. Et quod olim Philisthinorum Sacerdotes dedere, Dauid modò amplectitur salubre consilium, & arcam reduci imperat, plus quàm de propria ærumnâ, de Arcæ sollicitus reuerentiâ: *Reduc eam in ciuitatem.*

§. CXVIII.

Qui Deiparæ curat honorem, à se propellit calamitatem.

UT sol in terram fulgentissimos radios emittens, noctis tenebras fugat, & caliginem depellens, impertitur hominibus securitatem, & incutit feris timorem; sic sanctissima Virgo fidereo lumine truculentas feras in ima agit, & periclitantibus opportunam opem impendit; unde qui religiosis obsequijs eius promeruit dignationem, facile depellet aduersitatem. *Eam* (aiebat Basil. Seleuc. Ora. 39.) *benemerenti vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur.* In nostram utilitatem cum ingenti lucro reciprocatur, qui à nobis studiosa pietate cultus exhibetur. Hanc ueritatem nouit Dauid, qui cum procellosa coniurationis turbine quateretur, Arcam Deiparæ umbram iussit in urbem reduci, & ut fas erat, religiosis obsequijs coli. Attulerant ad castra Arcam Sacerdotes, ut benemerenti Regi in uitæ, coronæque periculo & præsidium præstiterint, & solatium; uerùm pius, & religiosus Princeps plus curauit, ne minus decenter, reuerentèrque tractaretur Martiali in campo Arcam, quàm imminetia propulsare discrimina. Actis sacerdotibus ob beneuolam solitudinem gratijs iussit Arcam referri in urbem: *Reporta Arcam Dei in urbem.* Quarunt Interpretes: Cur in afflictione tanta constitutus, retinere secum Arcam noluerit, cuius præsentia, & spes erigebatur, & calamitas leniebatur? respondentque curæ in primis Dauidi fuisse Arcæ reuerentiam, ne tanta maiestas duceretur per desertorum errores minori ueneratione culta, aut putaretur è throno etiam deturbata: ergo ut eius honori consuleret, reducere ad tabernaculum procurauit. Ecquis hoc ait? Certe eruditus N. Sanct. *Non admisit Dauid, ne quid tale pateretur Arcam, quale olim à Philisthæis; aut quia non putabat decere maiestatem tantam per solitudinem circumferri, sicut antea, cum nondum in terra Promissionis consedisset: nec uideri esse ex dignitate diuini subsellij, si uideretur fugere.* Præcauit pius Rex, ne, dum quis existimat Arcam arripuisse fugam, ei adscriberet aliquam periculi contingentiam: ergo anteuertit suspicionem, curauitque, omni abacta suspitione, regiam coli tabernaculo maiestatem. Quid tunc? Sic religiosum Arcam remunerat obsequium, ut citò Dauid, contritis aduersarijs, reportauerit triumphum: impensus Arcæ honor reciprocatus est in Dauidem, & dum audaci discriminis suspitione Arcam denigrari non patitur, lauris ipse triumphalibus redimitur: idem fuit, reuerentem exhibere Virgini cultum, ac fortiri còtra ferociam inimicorum auxilium. Cum Moyse ad populi libertatem esset delegandus, illi Deus in rubo apparet, qui solares radios uincerent, fulgoribus circumfuso: pedes iubetur Moyse denudare,

dare, & reuerentiam rubo exhibere: *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Exod. 3. v. 5. In illa solo rubo adumbrari Virginem non indiget probatione, placet tamen inquirere: Cur Deus, qui ad profectio- nem adurgebat, in loci venerationis testimo- nium, iusserit pedem denudare, & calceamenta dis- soluere? Profecto satius videbatur ad itineris la- bores pedes calceamento munire, quam offendi- culis nudos exponere: Ad hæc; si rediens prodi- gus calceatur, cur Moyses nudetur? O expendi! Delegari Moysen ad ardua certamina, ad dura cum Magis, Pharaonæque prælia, ob id nitebatur ditio- nem extrahere timore percussus, & legationis dif- ficultate tardatus: ergo iubetur Virginis simula- chro religiosam exhibere reuerentiam, vt facilius assequatur victoriam; nam honor Virgini sanctis- simæ impensus, est calamitatis exilium, triumpho- rum prælagium. Innuat Theodor. q. 7. *Duo arbitror per hoc significari: primum quidem vt religiosiorem hac ratione illum redderet, deinde verò, vt prædocere- tur, qua ratione oporteat Sacerdotes in tabernaculo de- seruire.* Docebatur Moyses, & in illo sacerdotes futuri calceamentorum denudatione maiestatem Dei tabernaculi venerari, & fateri: ergo rubum, quem Deus inhabitabat, speciali cultu veneretur, vt contra hostes ipsa veneratione muniatur; nam qui Deiparæ reuerenter impendit honorem, à se propulsat calamitatem. Moyses, dum erga Deipa- ram religiosior, deget vel inter Ægyptios tutior; nec magici præualebit draconis astutia, si Moy- sem impensa Virgini defenderit reuerentia.

§. CXIX.

Humilitas nunquam tumescit superba, quia sibi videri est cælestibus beneficijs indigna.

Humilitas seuerum Iudicem pijsimum con- uertit in patrem: & cum ferè omnium vir- tutum sit radix & fomes, esse virtutem se nescit, & cæteras inter virtutes egregiè resplendens, suo ipso splendore cæcutit. Eleganter Vuerrius in Al- leg. Thylm. ad Luc. 15. *Ipsa est omnium virtutum maxima, cum tamen virtutem esse se nesciat.* Nescit humilitas tumorem, quia nescit se esse virtutem, donis cælestibus exundans timet, & leuare caput non audet. Arcam deferunt sacerdotes, vt Dauidi de tota Republica benemerenti; & in coronæ ac salutis periculo opem ferant, & animos indant. Verum Dauid sollicitus satagit ad tabernaculum Arcam reduci, nec permittit campis manere: *Dixit Rex ad Sadoc: Reporta Arcam Dei in urbem.* Quæ- runt Interpretes: Cur celeriter ad eam Arcam re- duci sollicitarit, à qua sperare quibat & auxilium, & solatium? respondētque verè humilem exti- muisse, & se indignum existimasse, ob idque vt Pe- trus Christi in scapha præsentiam, sic in deserto Dauid extimuisse manere Arcam. Aiebat Petrus ad Iesus genua deuolutus: *Exi a me, quia homo pec- cator sum, Domine.* Luc. 5. v. 8. quia dum plus eme- rebatur, & donis cælestibus exundabat, de se mi- nus præsumebat, imò verebatur, nè proximus can- denti lucis splendori delinqueret sordidus, & pœ- nas incurreret culpis obscurus. Nec aliter Dauid Arcæ veretur proximitatem, quasi tanti fulgoris luce plus eius proderetur indignitas, & morum confunderetur deformitas. Prodest Lira: *Societate Arca reputauit se indignum, & ideo eam humiliter remisit ad tabernaculum.* Periculi vrgentia præsen- Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

taneam exigebat opem; sed Dauid profunda hu- militas suam verebatur indignitatem; ergo quis tot virtutibus expolitus, tot cælestibus præroga- tiuis ornatus, de se minus præsumpsit, & proximi- tatem Arcæ pauitans metuit: *Reporta Arcam Dei in urbem:* quò plus erat dignus, minus sibi arro- gabat superbus; nam reuera qui excellentioribus meritis radiat expolitus, minus de se præsumit, ve- ra humilitate fundatus. Cum Lot inter pessimos sic virtute floreret, vt in domum suam angelos ex- cipere mereretur, ad montis timuit celsa conscen- dere, non vt laboris excusaret molestiam, sed ne Abrahamo proximus contra se cælestem inflam- mauerit iram. Monebant Angeli: *In monte saluum te fac.* Gen. 19. v. 17. & humiliter precatus est, licet sibi Segor ciuitatem paruum adire, & periculum declinare: *Nec possum in monte saluari, ne forte ap- prehendam me malum, & moriar: est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* Inter- pretes huius petitionis inquirunt causam; nam eum, data ab angelis seueritatis tessera, mons vi- deretur securior, & ad ciuitatem confugiens, in- cendio vicinaretur proximior, nec montis labor videbatur rectifandus, nec in Segor incolatus ex- petendus: cur ergo Lot recusat montem, & ele- git ciuitatem? Quia in monte (inquit Lira) erat Abrahæ satis vicinus, & extimuit, ne dum indi- gnus approximaret, indignationem incurrat. *L. iram accipe: Nec possum in monte saluari, id est prope Abraham, qui tunc manebat in monte.* Adnectit: *Timebat enim Lot, secundum Expositores Hebræorum, ne, si veniret iuxta Abraham, qui erat sanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur.* Non recusauerunt Angeli hospitis probitatem agnoscen- tes, eius in domo refrigerare; Verum Lot, dum me- retur Angelos domo excipere, Abrahamo timeret approximare; nam cum opposita iuxta se posita magis elucescant, veritus est Lot, ne appareret vir- tutibus nudus, dum Abrahamo inuenitur proximus. Profecto quò quis est iustior, humilitate in- uenitur depressior, & cum magna facile de alijs credat, de se tamen laudabile nihil præsumit. Da- uid Arcæ proximitatem extimuit veluti indignus, cum multis radiaret virtutibus decoratus; nam humilitas laudabili magia proprias virtutes abs- condit, & sibi ipsi honestâ fallaciâ illudit.

§. CXX.

Perfecta cum Dei voluntate consensus amara temperat, & cumulum virtutis declarat.

Perique aduersâ impetiti fortunâ fluctuant, stare nesciunt, nec aufugere possunt. Nihil hu- manum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus. Vera philosophia Deum sequi edocet, imò & assentiri, nec res suas proprio arbitrio dirigit, sed cælesti dispositioni sine re- luctantia ordinandas committit. *Philosophia* (aie- bat Senec. epist. 16.) *nos tueri debet. Hac adhortabi- tur, vt Deo libenter pareamus, vt fortuna contumaciter resistamus: hæc docebit, vt Deum sequaris, feras casum.* Vera philosophia edocet tranquillo animo aspe- ros casus ferre, & propriæ Dei voluntatem præ- ponere. Quam visceribus altè infederit hæc do-ctrina, factis Dauid ostendit: iactabatut ingenti calamitatis turbine, & tamen ea fruebatur animus serenitate, vt non Deum suis votis admitteretur ap- tate, sed se prorsus Numinis voluntati subijcere: *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet*

ostendet mihi eam (Arcam) & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: Non places: praesto sum, faciat quod bonum est coram se. De regno amittendo, aut recuperando agebatur; sed Dauid sic Deo, quavis fors accideret, assentiebatur, ut inconcussus persisteret, siue aduersa acriter fortuna reslaret, siue prospera & serena arideret: non deprecabatur, ut Deus insurgentes coniurationis fluctus in tranquillam verteret, sed praesto erat, ut obediret; gratum habens quidquid Deo collubitum, & eius voluntate dispositum. *Praesto sum* (inquit Lira) scilicet subire fugam, exilium, mortem, ut impleatur diuinum beneplacitum. Sic propriam diuinam voluntatem effecerat, ut idem vellet, & idem nollet; regni amissio, exilij labor; mortis horror non erant illi amara, quia à Deo decreta; nam salubris, perfecta & concordia in medijs fluctuū voluminibus portum tenebat, & anxietate exanimis propulsabat. Huius cum Deo assensus Iob exitit futuris idea. Pro diuersa fortuna Deo reddebat gratias, eius voluntati attempetatus, & assentitus, ut posset, si fausta acciderent & succederent: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ira factum est: sit nomen Domini benedictum.* Iob. 1. v. 21. Eodem vultu audiuit filiorum stragis, ac ortus nuntium: nec abacti greges, nec amissa diuitia, nec plagarum illuies vultum demutarunt aut animi serenitatem concusserunt. Non potuit diabolus à virtutis culmine deturbare, nec ab animi serenitate deiecere. Notauit Tertull. de Pati. cap. 14. *Quale in illo viro fererrum de diabolo Deus extruxit? quale vexillum de inimico glorie sue extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias.* A consensu cum Deo nec doloribus est avocatus, nec ab animi serenitate deiectus: dissecabatur inimicus, cum immundi vlcis et unguentem faciem placiditate distringeret, & praecopia se se extrudentes vermes satiandos suis carnibus reuocaret. Ipsa amaritudo in dulcedinem versa est, & vnde iniquus hostis impatientiae sperabat luctum, tulit consensus cum Diuina voluntate tormentum: inimicus dissecatus lugebat, quia miracum Deo consensus à Iobi animo omnem tristitudinem propulsabat. Deo non solum se animitus subiiciens, & concorditer assentiens temporalia duplicauit, sed immortalem saeculis famam transmisit. Et Dauid Deo assentitus: *Praesto sum, faciat, quod bonum est coram se*: imminetia etiam eludit pericula, & aeternauit elogia.

Iob. 1. v. 21.

TEXTVS.

VERS. 27. & 28. Et dixit Rex ad Sadoc sacerdotem: O videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius Abiathar, duo filij vestri sint vobiscum. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.

§. CXXI.

Nihil sagax prudentia omittit, & fiducia constans à Numine solum pendet.

Non debuit casui committere, quod sagax prudentia potest cordate disponere, & industria vigilans prouidere. Res magna aliqua praemittit semper indicia, quae cauta obseruare debet prou-

dentia. Verum etsi in quouis negotio inuet inuestigata notitia, in rebus bellicis inuenitur prorsus necessaria. Qui aduersarij penitus ignoraui studium, incautus patitur detrimentum; qui verò odoratus est quid disponat, anteuertit insidias, & inimici anteuertit prouidus technas: *Chabrias* (scribit Plutarch. in Apothegm.) *summum esse dixit ducis officium, habere explorata hostium consilia.* Strenuus dux, quid aduersarius machinetur, sagaci sollicitudine explorat, & matura notitia vim saepe consiliorum eneruat: sperat à Numine opportunas suppetias, sed nullas decentes duci omittit astutias. Dauid ad quoscumque casus paratus Dei implorabat clementiam, ut hostis eneruaret audaciam, & tamen nihil omisit, ut Absalonis consilia praenosceret, & praenoscendo frustraret: Sacerdotum filios indagatores constituit; nam dum à rebus bellicis habebantur alieni, poterant facilius rumores subodorari, & latenti referre. *Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.* Sollicitus curauit, quam habere arma, nosse aduersarij consilia, quasi minus iuuerint alia subsidia improuidum, & plurimum hostis consiliorum praescientia. Prodest Lira. *Licet Dauid non desperaret de Dei misericordia consequenda, noluit tamen omittere illud, quod poterat fieri via humana, & ideo primo ordinauit de statu Absalom sibi renuntiando.* Iubet per filios Achimaas, & Ionatham quid ab hostibus decernatur, ad se deferri; nam si ipse, quod tandem spectent aduersarij consilia praenouerit, imparatum minime inuenient: addit interim in latebris latitandum, donec quid accipiat certum: ut Principes, ducesque didicerint in Deum spe fixa erigi, & de humana industria nihil omittere. Accepit Iacob à Deo in certaminis praemium contra armati Esau exercitum certum de sospitate promissum. *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praeualebis.* Gen. 32. v. 28. Nihilominus, ut venienti occurreret, familiam suam tute ordinauit, & in statione composuit, ante alios ipse progressus est suorum scutum, & tutamentum. *Ipsa progrediens adorauit pronus in terram.* Gen. 33. v. 4. Profecto Iacob manum ordinat otiosus, aut Oraculo minus fides, si non dubitat de victoria: *Praeualebis, cur iam cauta obarmatur vigilantia, & vigilantia solertia?* Certè infirma in Deum apparebit fiducia si sollicita adeo desudarit cautela. Imò ita indubiè cœlestibus suppetijs fidit, ut sibi de victoria laudat, nec hostiles machinas timeat. *Salua facta est anima mea.* Edocet tamen suis factis ita in Deo fidendum, ac si nulla applicetur solertia; & ita inuigilandum, ac si nulla pectore foueatur fiducia. Hugonem audi: *Diuisit, ut unum cunneum faceret ancillarum cum paruulis suis, & alterum liberarum cum filijs suis.* Nihil in Deo firma aduersum verebatur fiducia, sed omisit nihil solertissima vigilantia.

Gen. 32. v. 28.

Gen. 33. v. 4.

§. CXXII.

Strenui Ducis est sua calare, & consilia aduersariorum praenoscere.

ERIS (aiebat Cassiodor. 7. Var. 7. vigilum praefectum alloquutus.) *securitas soporantium, munimen domorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere insidiantes fas est, & decipere gloria.* Actus tuus venatio nocturna est, quae miro modo, si non cernitur, tunc tenetur. Qui excubias pro salute cunctorum agit, cunctorum est

est salus, dum si quid insidiosus tentet, prænoscit. Qui militem deuicit, beneficium aliquale Republicæ attulit: qui consilia ducis prædoratus est, vires inimicorum succidit, cum sæpè ab opportuna notitia celebranda pendeat victoria, aut cauta se communiat contra adfultus aduersariorum tutela. Nihil Principi vtilius, quàm hostium venari animum, & cælare suum. *Cuidam* (inquit Plutar. in Apotheg. verbo Cæcilius) *ex iunioribus tribuno militum, quid capturus esset, percontanti: de eo mihi, inquit, si tunica esset conscia, de tractam in ignem conijcerem.* Plurimum putauit Cæcilius conducere, si eius tunica ignoraret consilia & ipse aduersariorum præcalleret cogitata. Nec aliter Dauid dux strenuus, & de tot, tantisque triumphis iurè laudandus, initurus cum Absalone bellum, maluit fortissimos, latissimisque iuuenes aduersarij præserutati consilia, quàm sequi castra, arbitratus vtiliores esse tecta indagando, quàm cum hostibus congregiando: & ad hæc: ipse sic latuit, vt hostis prorsus nesciret. *Duo filij vestri sint vobiscum. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi.* Abul. q. 31. existimat, Sadoc, & Abiathar voluisse filios suos strenuos, fortisque iuuenes sub Dauidis signis pugnare, sed Dauid vtilius sibi censuisse, si ad ciuitatem reuersi, sagaci venatione hostis animum deprehenderent, & sibi in deserti latebris latitanti nuntiarent. Abulensem accipe: *Vellent, quod duo filij eorum, qui erant viri fortissimi irent cum Dauid, ideo ipse dixit quod etiam illi duo manerent cum eis, & istud erat ad hoc, quod isti essent cursores Regis, scilicet denuntiando Dauid, quidquid audirent in ciuitate de factis Absalom.* Si iuuenes remanerent cum Dauid, eius causam tuerentur armis, si ad ciuitatem redirent, prodesse subministratis notitiis: ergo noluit incolere castra, sed ab aduersarijs indagare disposita; ratus reportandum de hoste triumphum, si lateret hostem, quid Dauid ageret, & ipse, quid hostis cogitaret, præsciret. Cor Regis Syriæ varijs curarum motibus angebatur, cum ignoraret, quid Rex Israël disponderet, & Regem, quid disponderet ipse, non latere videret: *Conturbatum est cor Regis Syriæ pro hac re.* 4. Reg. 6. v. 11. Non conturbaretur, si, legitimè inito prælio, eius secuti signa caderent, aut hostium robori cederent, cum euentus belli sit varius. Ast dum ipse aduersarij consilia prorsus ignorat, & à se disposita experitur præscita, varijs sollicitudinibus vratur, & angoribus varijs torquetur: nam nil tam militantibus est nociuum, ac hostis ignorare prorsus studia, nec illum latere vel cogitata. Ergo pro hac re angitur Syriæ Rex, quia vidit consilia sua aduersarijs nota, & sibi aduersariorum prorsus occulta. Opportunè Chrysof. Ser. de Elis. &c. *Filij Israël à Syrijs bellum indicitur. Tenduntur in campo ab inimicis insidia, doli ab hostibus preparantur, deceptionum latebræ disponuntur. . . Hoc nudat Eliseus Propheta sanctissimus.* Ardet Syri furor, & tectas disponit insidias, sed dolet laborem irritum, quia nil hostibus tectum: ergo se iam plangit deuictum, & hostem timet spolijs ditissimis coronandum; cum nil aded militantibus noceat, quàm consilia sua prænosci, & aduersariorum penitus ignorari. Ergo Dauid bellicosus & Absalonem latet, & quid Absalom disponat, prænoscit; quo assecutus est triumphum, & ducibus tradidit vtilissimum documentum.

4. Reg. 6.
v. 11.

TEXTVS.

VERS. 29. & 30. Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Ierusalem, & manserunt ibi. Porro Dauid ascendebat cliuum Oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite; & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.

§. CXXIII.

Iusti corde cum Numine sunt coniuncti, etsi externis occupationibus implicati.

Plures honestam ad speciem excusationem inertiae quarunt, dum varijs multiplicibusque occupationibus ingemiscunt se implicari, nec posse, vt vellent, spiritus incrementis artendere. Non inficiabor recessum, & otium commodiora esse cœlestium meditationi; sed nec vllus inficiari quibit vbique esse virtuti locum; nam cum potius, quàm corpore, geratur animo, quisque ad legem potest viuere, et si varijs probetur occupationibus implicari. Sapiens et si non semper simili gressu, recta semper incedit via. *Ipsa inter se vita* (aiebat Sen. epist. 20.) *vnus sine actionum dissensione coloris sit.* Idem vitæ tenor est Philosopho, siue varijs occupationibus distringatur, quia vbique se legi adaptat; & cupiditatibus negat. Virtus non prohibet honestas occupationes, sed noxias cupiditates. Potest corpus varijs negotijs honestè distringi, & animus in cœlestibus conuersari. Sadoc, & Abiathar in ciuitate remanserunt; in curia tamen illorum studium erat, Dauidis causam agere, & obedientiam implere: *Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Ierusalem, & manserunt ibi.* Ibi manserunt à Dauid corpore separati, sed animo strictissimè coniuncti. Notauit Glossa: *Corpore quidem discesserunt, verum dilectione separati non sunt.* Corpus separabatur, & animus vnuebatur: inter fluctus curiæ perstabant firmi, inter occupationes liberi, inter tempestates intacti: pro temporis varietate vario incedebant gressu, sed eadem via, quin gressum deflecterent, aut fluctuantes exorbitarent. Se secum; quocumque tenderent, ferebant, & erga Dauidem dilectionem seruabant. Affectus hominem, quò vult, ducit, & inter occupationum strepitus serenus degit. Iacob post cum Angelo luctam Israël nomen accepit. *Nequaquam* (inquit) *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Gen. 32. v. 28. Eodem tempore monet Angelus ad suorum curam, flumine traiecto, redire & temporalia tractare: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Ac si dicat: *Iam dies adest, & ideo debes gregibus attendere, vxoribus, & filijs prospicere.* Hunc esse horum verborum sensum tradit Interlin: *Tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas.* Profectò consilium statui Iacob satis consonum, sed ab Israël nomine ad speciem prorsus alienum: nam Israël, teste Isidoro apud Glossam, idem est, ac videns Deum: *Nominis impositio benedictio fuit, interpretatur autem Israël videns Deum.* Cum Deum videntes nullis occupationibus distringantur, nullis tempo-

Gen. 32.
v. 28.

ralium curis vexentur, videtur nomen à factis discordare, & à curis temporalibus dissidere: si iubetur temporalia tractare, & promouenda familiae curis intendere, aptius erit, luctatoris nomen seruire, & antiqua Iacob appellatione insigniri. Quomodo ergo Angelus Israël's elogium, & negotiorum iniungit studium? Quomodo imperat in caelis degere, & humana tractare? O salubrem doctrinam! Tenebatur Iacob patris familiae lege filios educare, vxorum commodis studere, greges curare: ergo monuit Angelus ad tractanda eiusmodi amnem trajcere, sed simul admonuit Israël' elogium conseruire: *Israël erit nomen tuum*: edocens posse inter occupationes Caelitum more viuere, & cum Deo arctissimo vinculo copulari. Vt nouerimus hæc duo posse coniungi, scilicet à Deo corde non recedere, & debitis occupationibus applicari.

§. CXXIV.

Dei ministri plus Rempublicam iuuant, munus implentes, quàm Principi adstantes.

SI Dei minister Reipublicæ velit proficere, exactè munus decernat implere: omnibus proficit, dum Deo seruit. Econtra, si curiæ infertus, aut alijs implicetur negotijs distractus, præsulis denigratur fama, & tardantur populi commoda. *Ne clerus vester* (aiebat Athal. 8. Var. 24.) *forensibus libris profanatus, negotijs potius secularibus occupetur.* Valde indignum est, si sacris ministerijs addictus, negotijs secularibus obscuratur dicatus. Sadoc, & Abiathar Arcam secum adduxerunt, vt Dauidi optimo Principi, sui que ordinis amatori exhiberent solatium, & in tanta rerum perturbatione præsentaneum Arcæ ministrarent etiam subsidium. Digna erat venerandis antistitibus cogitatio, quando adstantibus Principi, non fædo ambitu denigrati, sed rationabili causa compulsi. Verùm Dauid reportari in urbem Arcam decreuit, & ibi manere Antistites: *Reporta Arcam Dei in urbem.* Non ignorabat eis in casibus sacerdotibus solatio sibi futuros, & causis honestissimis à munere fuisse distractos; verùm ratus est & Reipublicæ vtilius, & sacerdotibus esse decen-
tius, si Arcam referrent in tabernaculum, & ibi suum absoluerent ritè officium: *Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Ierusalem, & manserunt ibi.* Inter Regis familiares, inter accinctos ad bella milites Magnum adesse Sacerdotem, Dauid censuit dignitati minus decorum, & sibi etiam minus vtile, cum maius posset sperare auxilium ab Antistite sacris ritè intento, quàm ab inter aulicos, aut milites mixto. Innuuit aliquomodo N. Sanct. *Iussit Dauid Sacerdotibus, vt redirent in urbem, & Arcam in suo sibi sacrario, reponerent, à qua ipsi pro suo munere in tanta præsertim rerum turbatione abesse non poterant.* Confusa rerum perturbatio eos à tabernaculo auocarat, & in Martialem campum adduxerat; verum etsi pio, ac religioso studio Dauid adessent, censuit maiorem sibi opem præstituros, si vacarent orationibus, & sacrificijs deuoti, quàm inter aulicos commorati. Videant Antistites, an deceat sedes suas sine causis adeo legitimis deserere, & ad curias inuolare. Cum sordida, importunaque musca Pharaoni requiem capere non permetteret, Moysen asciscit, vt tanto malo impetrarit remedium: *Rogate pro me.* Quid tunc Moyses? *Egressus à te, orabo Do-*

minum: & recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius. Exod. 8. v. 29. Profectò cum in tanta necessitate posito statim posset subuenire, non debuit Moyses differre: oret statim, vt precum efficaciam abigatur citissimè fæda musca; nam dum à Pharaone, curia oraturus discedit; calamitas producet, & medela tardabitur. O Moyses, & Aaronis sapientiam! vt plus proficerent, recesserunt; nam extra curiam, aulamque degentes attentius insistent precibus, & citius obtinebunt remedium deuotissimis preceationibus: pro ipsa Republica erat recessus, & ad secreta volatus. *Rogatus Moyses* (scribit Ambros. lib. 3. Offi. cap. 4.) *vt his quoque finem exitus daret, & impetraret; orauit, & impetrauit.* Dum à Pharaone egressus deuotius orat, facilius impetrat. Consonat Gregorius apud Gloss. *Ab omni se carnalium cogitationum fluctuatione rarrabit.* In curia muscarum illuue exundanti, non adeo celeriter muscam abigeret extra curiam sanctissimus Antistes, dum liberius orat & citius impetrat: vt notum omnibus fuerit, antistites, & dicatos Deo homines Reipublicæ magis proficere, si à curia fugiant, orationi & contemplationi studentes, quàm inter aulicos, & ministros regios adstantes.

§. CXXV.

Generosos spiritus Deus durius examinat, quia plus ab illis sperat.

QVOS Deus amat, exercet, & recognoscit: molles animos, culpisque sordidatos aut venturis malis seruat, aut indignos exploratione diiudicat. Labor, ærumna, calamitas occasionem præbent virtuti. Miseros cense, quos volatica felicitas fallit, quos velut sereno in mari tranquillitas iners detinet: nam ignaui torpescunt, fortes ad patientiam erudiuntur, & patientiam inuicta lauris florentissimis coronantur. *Hanc itaque rationem* (aiebat Senec. de Prouid. cap. 4.) *dij sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.* Sæpè Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut incommodis alijs afficit, quò melius inuicta eius eluceat constantia, & aduersa cum fortuna congressa triumphet patientia. *Dux* (aiebat datus Senec.) *lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidijs, aut explorent iter, aut præsidium loco deiciant. Nemo eorum, qui exennt, dicit: Male de me Imperator meruit, sed bene indicauit.* Itaque lecti, & fortissimi milites gratias Imperatori habent, si ad difficiliora eligantur, & ipsa designatione honorentur. En Dauid throno deturbatus, curia expulsus per montis inuia descendit nudis pedibus, & laboribus plurimis diuexatus: eo ipso tempore Absalom generali colitur plausu, & fruitur luxu. Ecquis eorum tibi Numini videtur acceptior? Humana cæcitas Absalomem censebit fortunatiorem, infelicem Dauidem: verùm dum Dauid laboribus exagitur, ad altiora inscendit, & proficit: *Porro Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Flebat, sed flens oluæ, serenitatis, pacisque symbolo propinquabat: Absalom florenti fortuna vltus arbori accedebat, qua interiret suspensus. *Per fugam Dauid* (inquit Glossa Mor.) *ad campestria deserti nudis pedibus, & operto capite significatur patientia boni Prælati, vel Principis in persecutionibus constituti.*
Accipe

Accipe etiam Salsianum lib. 2. de Proui. & apud N. Sanct. *Quale illud fuit, cum tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos, cum paucissimis suis fugeret.* Maiorem se mundo David ostendit, cum tot aduersitatum voluminibus iactatus, à constantia nullatenus est deiectus, imò per confragosa, & aspera ad altiora contendit, & adorare Dominum properauit. *Cum ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum.* Pietatis inter tot ærumnas non est oblitus, imò semper ascendebat eximie deuotus, & Deum reuerenter adoraturus: qualis David esset, aduersa fortuna ostendit, & Deus optimum discipulum præ alijs exercuit, quia plus ab eo sperauit. Cum discipuli in alendis turbis non parum laborassent, iubet Deus scapham inscendere, & æquoris fluctus trajicere: *Compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam.* Mat. 14. v. 22. Nauim tanto virtutum thesauro plenam sæua tempestas adoritur, & submergere admittitur. Ventus acriter fremens aures diuerberabat, ei acilatus vsque ad cælum fluctus, terrore animos adimplebat: imminabant per momenta naufragia; verum cum ventis Apostolorum depreliabatur constans solertia, & vigilans semper constantia. *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* E tellure Christus aspicebat, gaudens non quia tempestate urgebantur, sed quia cum tempestate viriliter præliabantur. *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.* Quærun Interpres: Cur tanto tempore Apostolos Dominus permiserit confusis vorticibus circumuolui, & acribus ventorum flatibus impeti? Nonne poterat statim adesse, ventos cogere, maris æstus frænare, & tranquillitatem adducere? Quibat certè: cur ergo distulit? Quia noluit placido sibi spectaculo priuari, sed cum ventis valide pugnantem adspicere: *Videns eos laborantes in remigando.* Marc. 6. v. 48. Aspicebat insurgentia ventorum flabra, vorticum æstuantia volutamina, & Apostolos adspicebat etiam indefessa laborantes constantia. *Laborantes in remigando:* ergo quia allequendam ab Apostolis egregiam sperauit victoriam, acrem cum ventis, & vorticibus permisit pugnam. Prodest Chrylost. in Cat. ad Mat. 14. *Tota nocte dimittit eos fluctuari, erigens eorum cor post timorem, in manus sui desiderium immittens eos, & in memoriam continuam, propter hoc non confestim eis adstitit: unde sequitur, quarta autem vigilia noctis venit ad eos.* Dilatum est certaminis spatium, vt plus Christi inardesceret desiderium; dum manus remigio aptabatur, cor viuidiori deuotione precabatur. Ergo cum præceptor optimus copiosum patientiæ, & constantiæ videret fructum, protendi certaminis permisit spatium: nec malè de illis meruit, sed bene iudicauit, dum ad laboriosa misit, & ad Naualem cum ventis pugnam delegit; nam Deus lectissimos viros examinat, quia plus ab illis sperat.

§. CXXVI.

Bonus Superior mauult furenti subdito cedere, quam repugnando irritare.

Laudabilis est semper in Superiore prudentia, præcipue tamen elucet, cum aliquomodo sua sibi patientia aliquid detrahit, vt subiectis proficiat: furit aliquando subiectus aut ambitu cæcus, aut alijs passionibus obturbatus; cui, si tunc Superior aperte repugnet, actius inflammabit,

imò & perdet. *Dolori suo* (aiebat Senec. ad Helu. cap. 1.) *dum recens seuiret, sciebam occurrendum non esse.* Reddit rationem Philosoph. *Nam in morbis quoque nihil est perniciosius, quam immatura medicina.* Sapiens medicus ad applicanda remedia temporis expectat suffragia: scit vulnera aliquando non permittere tractari, imò nec tangit: quousque ardoris flamma temperetur, & vis doloris frangatur, medicam manum non patiuntur accedere, quia vel leui tactu solent exasperari. Ergo cum Superiores, parentisque medicorum munus exercent, opus aliquando illis est auctoritatis potestatem contrahere, ne videantur curationi deficere, & eligunt cedere, ne furentem plus contigerit irritare. David dux strenuus, & bellicosus, qui cum belluis decertare non timuit, & giganteam molem primo ictu deiecit, modò per montium aspera fugit, Absalonique cedit. *David ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens.* Profectò arripere fugam, grandem videtur afferre notam. Modò cedit adolescenti, qui intrepidus obuiauit giganti? Certè quod fugit, virtutis fuit, non timoris: maluit ad resipiscendum Absaloni tempus concedere, quam repugnando irritare audaciam, & inflammare insolentiam. Opportunè Ambros. apud Gloss. *Spectaculum memorabile: Parricida filius regnum patrum violenter inuaserat: cedebat primò pater eius furoris, & locum prælij declinabat, vt vel sic impius à furore resipisceret.* Vt furor ambitionis sedaretur, vt insania vires suas remitteret, David pietissimus expectauit, & ne furentem irritaret, aufugit. Consonat Chrylost. ibi: *Fugiebat David, non vt qui timeret, sed vt qui filium caueret occidere.* Timebat iuuenis perditionem: ergo fugit iuuenem, si possit ad poenitentiam reuocare, & à præcipitio auertere. Auctoritas ad speciem imminuebatur, sed charitas augebatur: maluit David, quam filium perire, cedere, & furenti locum dare. Profectò historiæ penicillo facit nobis Textus delineauit imitandam superioribus ideam, vt discant qualiter se cum subiectis debeant gerere, & opportunam languoribus medicinam præstare. Aliquando correctione exulceratus, aut passionibus cæcus reuerentiæ, modestiæque metam transgreditur, & in præceps agitur, & tunc, si Superior non cedat, sed furenti resistat, ipsa correctio nocet, & qui corrigendus erat, plus furit. Ergo temporis est expectandum suffragium, vt prodesse possit correctionis remedium. Deliquit Adamus, & Deus erroris misertus, paulatim medicinam composuit. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini.* Gen. 3. v. 8. Territ compellans, vt Deum addiscant timere, qui diuinitatem præsumpsit sibi rapere: salubri iam timore percussos Deus humanè alliecit, & plagæ opportunam medicinam apponit. Adam humanitate in spem erectus, confessus est delictum, & confitendo inaurauit efratum. Transi modò ad Caimum. Inuidentiâ, & indignatione furenti Deus occurrit, & ad mentem reducere fatagit. *Iraus est Caim vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipieris? &c.* Gen. 4. v. 5. Quid tunc? *Dixit Caim ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Caim aduersum fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Cum Deum nec leuissima ymbra obscurare possit, quærun Inter-

Mat. 14.
v. 22.

Marc. 6.
v. 48.

Gen. 3. v. 8.

Gen. 4. v. 5.

pretes, quid fuerit in causa, ut Adamo medela profuerit, & Cainum exulcerarit? Respondentque Adami sanitatem Dei gratiæ adscribendam, & Caini culpam eius arbitrio applicandam, dum mavult furere, quam sedari. Sed, ut ex circumstantijs aliquod etiam utile documentum, inspiciendus est curationis modus. Adamus respuit Dei gratia adiutus, sed indulgentiæ cœlestis fuit vsque ad vesperum tempus concedere, & respiscendi occasionem dare. Cainus sua prauitate deliquit, sed dum ardore flagrans corripitur, insanus exasperatur. Itaque dum gliscit indignatio: *Iratu es, respuit medicinam*: dum Adami ambitio spatio temporis deseruescit, admittit medelam. *Dominus sustentato* (aiebat Tertul. aduers. Gnost. cap. 5.) *feruore delicti donec tempore medicina temperaretur, paulatim remedia composuit.* Profuit correptio, sustentato feruore delicti; remedium ad se traxit cœcus Caini ardor, & gliscens furor. Ergo David parentum, Superiorumque idea maluit auctoritati suæ quid fugiendo detrahere, quam cum toto ambitionis ardore congregi.

§. CXXVII.

Miseranda victoria est, qua pietatis reportatur dispendio, & lamentabili cognatorum excidio.

Valdè dignum est eorum salutem seruare, quibus conuenit studio solertissimo prouidere: grauissima pœna est mulctandus, qui mavult quam pietati, exoculato deseruire furori. Infelix est reportanti victoria, si suorum stragibus reportata. *Aues ipsa* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 31.) *gregatim volat, qua innoxia voluntate mitescunt. Canori turdi amant sui generis densitatem. Serpentes furni compares sequuntur indefinenter exercitus. Murmurantes palumbi proprias diligunt cohortes, & quidquid ad simplicem pertinet vitam, adunationis gratiam non refutat.* Cum vel auium, animaliumque simplicitas congenerum exambiat adunationem, à brutorum imitatione constat deficere, qui suis mavult bellum inferre. Miseranda est victoria de effuso filij sanguine accepta, & nec barbaro placet, si pietatis dispendio fuerit reportata. Hinc est, quod David maluit fugere, quam immaturè ad coronam inhiantem occidere: poterat cruentam de filio reportare victoriam, sed sibi cœciliaret inuidiam: ergo ne pietatem læserit, non timidus, sed prouidus fugam arripuit. *Porro David ascendebat cliuam Oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens.* Si in campum, quas habebat copias, produceret contra belli imperitum, & non tam exercitu, quam turba stipatum vinceret, sed, occiso Absalone, pietatem læderet: ergo noluit deesse pietati, ut irritò tanta ingratitude blandiretur furori. Audit Ambros. apud Gloss. *Patria finibus pulsus à filio fugiebat hostem, quem optauerat heredem, metuebat vincere, ne pietatis dispendio vinceretur.* Si hostem occideret, de medio abstulisset heredem: ergo à triumpho abstinuit, quia filium vincere, heredem occidere, victoria erat infelicissima, & carè empta. Celebrata præteritis, & decantanda futuris sæculis Iacob de Deo reportatâ victoriâ, infelicis triumphus fuit umbra. Cum Deo, ex ipso carnem assumpturo, Iacob viriliter decertabat: non fuit illud certamen voluntatum dissidium, sed amoris tenerrimi testimonium; præfigu-

rauit tamen ab Israëlitis cum incarnato Verbo ineundam pugnam, & infelicem reportandam victoriam: ob id Iacob & vicit, & fleuit: *In fortitudine sua directus est cum angelo. Et inualuit ad angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.* Osee. 12. v. 13. Profectò malè secum conueniunt planctus, & triumphus, quandoquidem accepta victoria non luctu celebrari debuit, sed plausu; quomodo ergo Iacob amare luget, dum vincit? Quia licet illa victoria (inquit Isidor. apud Gloss.) debuerit faustis, repetitisque acclamationibus celebrari, cum aliam satis infaustam præsignauerit, profusis singultibus debuit desleri: si luctam ad Iacob referas, erat veri gaudij materia, quia benedictione remunerata; si verò quid adumbrarit, attendas, amarissimi erat mœtoris. Quid enim infelicius, quam detrimento pietatis consequi victoriam, innocentis sanguinis effusione fedatam? Isidorum audi: *In hoc principaliter sacramenti Domini imago figurata est. Vir enim iste Christus significat, cui volenti præualuit Iacob, ut mysterium significaret passionis, in qua visus est in corporis sui sobole præualuisse Deo, & quasi cum infirmo, ita cum carne eius luctamen inire, & inualescere; cum diceret: Crucifige, crucifige. Iacob posteri cæco furor ebrij luctamen cum Christo ipsorum filio erant inuiti, & infelicem victoriam crucifixo Domino affecuturi: ergo Iacob planxit lachrymis superfluis, miserandam victoriam acceptam execrando crimine, & innocentis filij pollutam sanguine. Quid amarius, quam filium occidere? Quid luctuosius quam triumphum huiuscemodi reportare? Ergo Iacob, dum infelicem posteriorum victoriam sua adumbratam, aspexit, amarissimo fletu luxit. Quid enim infortunatius, quam triumphus proprio sanguine pollutus, & criminibus comparatus.*

§. CXXVIII.

Aliquando heres libibus oppugnat ut hostis.

Hæres, cui adire competit patrimonium, durum solet excitare litigium; de hærede fit aduertarius, de cognato, aut filio redditur inimicus. Ambitio nescit se continere, nescit cæca cupiditas opportunitatem temporis expectare. Sæpè hæres impatiens amaras excitat controuersias, sæpè ad plura inhians, litigiosas commouet causas. *Quantum pius pater* (aiebat Chrysol. ser. 1.) *tantum heres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam.* Putabat pater in hærede æternari, & vitæ insidiantem hostem probatus est experiri. David arripere fugam compulsus est, ut Saulem euaderet hostem; & nudis etiam cogitatur modò pedibus per clinosâ tendere, ut evadat hæredem. *David ascendebat cliuam oliuarum scandens, & flens.* Dum Saül eiacular lances, fugit, ingratitude demiratus, non tamen lachrymis circumfusus: *Tenebat Saül lanceam, & misit eam, putans quod configere posset David cum pariete, & declinavit David a facie eius.* 1. Reg. 18. v. 10. Saül tela contorquet, ne David regnum adeat; Absalom, ne, quod adiuerat iam, possideat. Amarius Davidi fuit, hæredem sustinere hostem, quam aduersarium pati Saulem; quid enim acerbius, quam inde graue sustinere periculum, vnde tranquillum sperabatur solatium? *Patria finibus pulsus est à filio* (verba sunt Ambros. apud Gloss.) *fugiebat hostem, quem optauerat heredem.* Hæres durior fuit aduersarius, & acerbior inimicus;

Osee. 12. v. 13.

1. Reg. 18. v. 10.

cus; sæpè namque non solum impatiens, & auarus hæres veneranda violat cognationis iura, sed amara excitat sæpè litigia. Senior filius cohæredem aduentasse intuitus, contra patrem quærelis insurrexit armatus. *Indignatus est autem, & volebat introire.* Luc. 15. v. 28. In seniori filio Hebræorum populum testatur; Chrysológus adumbrari: *Senior filius* (inquit ser. 5.) *uentens ex agro, populus legalis.* Profectò à prototypo discordare videtur imago; nã populus legalis inuidiã adustus, & dominandi rabie vefanus, ne amitteret potestatem durus hostis innocentiſſimum dominum egit in crucem. Filius senior legitime sibi testatur competere hæreditatem: quomodo ergo designat hostem, dum agit hæredem? Imò ob id ipsum, inquit Chrysológus, nam dum totam sibi deberi putat substantiam, de occiso vitulo, & dilargito fratri ornamento sibi factam iniuriam caufatur, & impiam contra Patrem excitat controuersiam: *Ecce tot annis seruior tibi, & nunquam dedisti mihi hædum.* Acti dicat: Non solum primogenituræ lege, sed impensi laboris iure debebatur mihi vitulus, cum datus non sit nec hædus. Ecce iuris præsumptione hæres transit in inimicum, & repræsentat legalem populum; nam si legalis populus transiit in aduersarium, etiam hæres transiit in inimicum: litium armis processit ad pugnam, & confudit domus concordiam: Frater contra fratrem recurrit ad Christum hæreditatis audus, & ob facultatem fratri inimicus. *Magister, dic fratri meo, ut diuidat mecum hæreditatem.* Luc. 12. v. 13. Quos fratres ad concordiam, vnitatemque natura produxerat, hæreditas separabat, & vnus vocabat alterum ad litigium. Audi Chrysol. ser. 162. *Hæreditas mundana ante posteris infert iurgia, quam conferat censum, antequam diuidat facultates, scindit hæredes: antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos defecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna; & hæc nouerca filiorum est, non facultas. Iã vincula rumpere conabantur naturæ, & litigiosã depugnabant controuersia: eos sanguinis associauerat vinculum, sed in partes defecabat diuitiarum impotens desiderium; quisque fratris erat aduersarius, & inimicus. Absalom hæres confurgit in patrem, & Dauid demiratur experiri hostem, quem genuerat hæredem.*

§. CXXIX.

Maiori subsidio opus est contra interna bella, quam contra externa certamina.

Militia (aiebat Iob) *vita hominis super terram.* Militia nescit otium, quia imminere nescit periculum. In Martiali campo nascitur duritia, adolescit imbonitas, crescit asperitas; etiam in tranquillitate opus est bellum adornare, & incommotis adurgeri. Eleganter Tertul. ad Martyr. cap. 3. *Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis: ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* De tentorio miles procedit ad solem; de dura tellure ad certamen: circumquaque opus est oculos circumferre, quia solent vndique pericula oriri. Verum etsi corporalis militia ad peruigiles cogat excubias, quia dolosus aduersarij veretur technas, magis solet, & periculosius vrgere internum bellum, & domesticum dissidium. Miles, si stationem deserat ignauus, temporalem perdit famam; qui à virtute defi-

cit, æternam meretur pœnam. Ergo cum maior sit in spiritali militia periculum, sollicitius in armis est vigilandum. Dauid, cum à Saule impetitur, fugam honestam arripit, lachrymas tamen non fundit. *Nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul.* Satis fuit ad periculum eludendum prouida fuga, & vigilantia solertia; ast cum ab Absalone impetitur, non est contentus fugere, sed nudis pedibus, & profusis lachrymis studuit armari. *Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens.* Hinc exoritur quæstio: Cur scilicet modo recurreret ad lamenta, qui frustra Saulis telum celeri fuga? Si inuasus à Saule non plorat, cur ab Absalone impetitus lachrymas mittat? Et si ab absalone impetitus recurrit ad planctum, cur à Saule inuasus non confugit ad lamentum? Quia ex certaminis diuersitate (inquit Chrysol. apud Gloss.) exorta est armorum diuersitas: Saul hostis erat externus, internus Absalom vt pote ab ipso genitus, & prognatus. Ergo Dauid vt edoccat periculosiora esse interna passionum dissidia, quam externorum hostium certamina, dum ab Absalone à se genito vrgetur, ad lachrymas & asperitatem recurrit; dum à Saule impugnatur, laudabilis fugæ præsidium capit. Chrysol. audi Davidis nomine apud Gloss. *Qui ex me genitus est, contra me est; mea mecum viscera bellum gerunt.* Dum bellum erat inuisceratum, adurgebat grauius periculum, & erat opus validius etiam remedium: alibi Dauidem externa petebant tela, alibi interna impetebant dissidia. Ergo dum interno defudat certamine, fletu armatur, asperitate munitur; nam externa temporalis vitæ insidiantur certamina, sed contra animam insurgunt appetitionum interna bella. Fortitudinem illecebrosa oppugnat libido, exstians vrit præcordia vindictæ ardor, hydropica diuitiarum adurget sitis, & ni sollicitis excubijs inuigelet ratio, & mala corporis tractatione, lachrymarumque illuue internus ardor sopiatur, anima captiua ducetur. Dum sita contra Dauidem viscera sensit armari: *Mea mecum viscera bellum gerunt:* nec lachrymis temperauit, nec asperitati pepercit. Miraberis aliquos contra externum hostem omnium armorum genere communiti, & pauida semper solitudine inuigilare; qui acibus tentationum flatibus impetiti desidia torpent, internum despiciunt bellum, nec lachrymis, & corporis asperitate adnituntur propulsare periculum. Actionis laudabilis penicillo solet sacra Scriptura mores nostros adumbrare, & exprimere. Contra Eliæ animam Iezabel deliciarum emblemata insurgit: *Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, nisi hæc hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnus ex illis.* 3. Reg. 19. v. 2. Sacrilegorum Prophetarum animæ ad infernum descendant saturandis nunquam flammis addicti. Iezabel carnalis appetitus imago hanc infelicem sortem Eliæ minatur, & perficere adnititur. Quid tunc? Elias celerem arripit fugam, sed citò dilassatus indulget somno, & vitæ afflictaur tædio: *Obdormiuit in umbra iuniperi.* Transi ad ipsam, qui cum à quinquagenario militibus cincto quæteretur, elementa concussit, & vt se defenderet, eluctantem ignem de caelo traxit: *Descendat ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* 4. Reg. 1. v. 12. Iam se quæstio oculis offert: si Elias flammæ imbre contra quinquagenarium armatur, quomodo, Iezabel furente, indulgisse somno refertur? An quia Iezabel quærebat animam,

c. 15.
18.Luc. 12.
13.

Iob. 7. v. 1.

3. Reg. 19.
v. 2.4. Reg. 1.
v. 12.

animam, & quinquagenarius temporalem adhibebatur auferre vitam? Profectò Elias rectè se gessit, sed nostras suis actionibus adumbravit: dum æstu cupiditatum premimur, inerti somno blandimur; si verò temporalis vitæ, honoris, aut diditiarum immineat leue periculum, fugit somnus, torquetur animus, & adlaborat omne sibi hancisci subsidium metus. Iam Iezabelem internarum passionum esse imaginem tradit Glossa Mor. *Iezabel interpretatur fluxus sanguinis, ex cuius abundantia excitatur carnalis concupiscentia.* Carnali concupiscentia, interno, blandissimòque aduersario impetitus Elias somno indulget, contra quinquagenarium flammis armatus procedit, vt honestis factis nostros mores exprimat: interno impetiti aduersario, inertes indulgemus somno; externum inimicum sortiti, nec somnum possumus capere, nec quiescere.

§. CXXX.

Quò acriora sunt calamitatum, tentationumque bella, ad validiora recurrendum est arma.

Athleta (aiebat Tertul. ad Martyr. cap. 3.) *Segregantur in strictiorem disciplinam, vt robori edificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.* Vires recolligunt, vt quouis in certamine reportauerint palmam; pro conditione tamen congressus adhibere curant solertiam: si cum imbelli brachia sint conferturi, minùs discruciantur, minùs anguntur; si cum strenuo, & valido, sollicitiùs disponuntur: Dauid ab Absalome impetitus ad lachrymas, ad pœnitentiæ austeritatem, & ad tutum secretum latebrarum recurrit: *Ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operio capite.* Si quæras: Cur modò plus se afflixerit, & ad velociùs fugiendum, pedibus incedere elegerit? Respondebit Textus, validiorem præ alijs coniurationem sensisse, & religionis specie coniuratos adunari non dubitasse: *Cum immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom.* Absalom eodem tempore in parentem coniuratos armabat, & deuotam pietatem fingebat: existimabat populus partes se suscipere religiosi, & dolosas fouebat fraudes iniqui: ergo Dauid lachrymarum, afflictionumque induit arma, quia imminere sibi acerrimè nouit bella, fugit, fleuit, ad tutam recurrit in Domino confidentiam, & ad validam semper fiduciam, suis nos factis erudiens, vt contra aciores demones, cuius vices gerebat Absalom, pugnas copiosis imploremus opem cœlestem lachrymis, & austeris incumbamus ieiunijs. Audi Chrysof. apud Glossam: *Circumseptus sum tentationibus, circumdus torrentibus malorum: venerunt flumina hostium, venti spirarunt, in meam domum irruerunt, volentes animam meam.* A throno deturbare conabantur valida fœderati coniuratione, feriebant aures inimicorum armati cunei: ergo Dauid lachrymis perfundebatur, asperitatibus vgebatur, proluxiori oratione communiebatur; pro tentaminum qualitate parabat sibi subsidia, & ruebat in arma, ne, si minùs legitimè incedat armatus, corruat validis tentationis aduultibus impetitus. Cum leonibus decertauit intrepidus,

yrfos dilacerauit nullis subsidijs armatus; sed vt vincat ambitum domesticum, vt filij à se geniti exoculatum subiugarit studium, ad validiora lachrymarum recurrit arma, & orationum subsidia. Coruus Eliam pascit, dum Achabus fugere ad desertam compellit. *Corui deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem, & carnes vespere.* 3. Reg. 3. Reg. 17. 17. v. 6. Pro coruo sufficitur Angelus, dum Iezabel metuens, desertam repetit: ibi dilassatum, & sub iuniperi umbra proiectum breui reficit potu, & angusto sustentat pane. *Ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aqua.* 3. Reg. 19. v. 6. Iam se difficultas ingerit: Cur eundem Prophetam splendide coruus, & anguste pauerit Angelus? Certè Angelum odiosa non denigrat auaritia, sua tamen parcitate nos instruit, & docet: magna erat tentationis diuersitas; nam alibi tendebantur insidiæ vitæ, alibi animæ. In Prophetæ vitam Achab incanduit irâ, Iezabel contra animam exarsit excandescentiâ: & ad hæc, cum (teste Eccles. cap. 25. v. 73.) ardentiori furat iracundiâ præ viro fœmina: *Non est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam:* opus erat austerioris ieiunij tutela, dum acrior, & validior in Prophetam ardebat ira. Prodest Ambros. epist. 33. *Asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres.* Dum minori Elias tentatione vgebatur, non aded angusto cibo vtebatur; at vbi sensit periculosiora tentaminum imminere sibi bella, duriora est sectatus etiam ieiunia, & validiora recurrit ad arma, non vt plures, qui tentationum telis petiti, differunt armis muniti, fortè quia non displicet subiugari. Iusti si vrgeri se sentiant validis certaminibus, in excubijs perstant solliciti, & asperitatibus obarmati.

§. CXXXI.

Fixa in Domino confidentia, etsi aliquando aduersitatis flatibus affligatur impetitas triumphat tandem spolijs hostibus coronata.

IN Domino constans fiducia inexpugnabile contra irruentes calamitates scutum, & tutum est contra ventorum desæuientium impetus propugnaculum. *Spes* (aiebat Senec. lib. 5. de Calam. declam. 1.) *est vltimum aduersarum rerum solatium.* Bene dixit, sed parum; nam fixa, religiosaque in Deo confidentia non solum in aduersitate est solatium, sed reportat de aduersitate trophæum. Dauid validæ coniurationis armis impetitus, & per scrupulosa montium incedere nudis pedibus coactus, sic Dei confidentiâ munitus est, vt repulerit tempestatem, & impium subiugauerit hostem: ad illam tendebat petram, de qua ipse Psal. 60. v. 2. & 3. protulit: *Dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me, deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Ad spem munitissimam turrim confugit, & de Absalome, & de coniuratis triumphauit. *Ascendebat cliuum oliuarum:* per ardua, & cliuosa tendebat, sed inconcussa fiducia in Domino labores mellicbat, & aduersarij studia frustrabat. Opportunè Chrysof. apud Gloss. ad. 2. Reg. 15. *Fundatus supra petram fidei non cado.* Non cadit Dauid, sed ascendit; dumque in Deo confidit, omnes Absalonis, & coniuratorum technas euadit; nam religiosâ fiducia capit de aduersitate trophæa. Tres illi decantatissimi iuuenes horrissonis flammatarum globis

Psal. 6. v. 2.
& 3.

Dan. 3.
v. 17.

bulis tradendos non dubitant, cum adorationem figmento denegant; verum fiducia armati, Regis minas contemnunt, flammam despiciunt: *Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis.* Dan. 3. v. 17. Contra æstantem fornacis flammam, & furentis Regis iram opposuerunt in Domino religiosissimam confidentiam: & licet inter medios horrendum præstrepentium flammarum globulos sint iactati, fide & confidentia ignium vortices detriumphauere muniti: *Ambulabant in medio flammae laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Adipata armabatur ardoribus flamma, ut luceret sumptuosior puerorum victoria, & triumpharet de hostibus confidentia. Audi Zeno: Veron. serm. 3. de Abrah. *Sola fides deambulat inter gladios tuta, in ignibus frigida.* Fides in Deum sic muniuit pueros, ut placida, roscidaque aura perfunderentur ardentissimos inter globulos: fugit flamma confidentia religiosissima armatos; nec præsumpsit impetere, quos cœlesti fiducia contemplantur munitos; nam fixa, firmaque in Domino confidentia inter audentes gladios viuit secura, inter ignium æstus placida. Ergo Dauid per viam oliuarum ad tutum confugiebat præsidium, & in petra inuenit confidentia tutissimum propugnaculum.

§. CXXXII.

Oratio corporis asperitatibus adipatur, & virtus duritia exstruitur.

IN primo deficit puluere delicatè victus, & vitione nitidus: sæuior disciplina firmat animum, & validum est contra ictus aduersariorum scutum. Difficulus ad perfectionem peruenimus; quia nimis erga corpus studio enerues reddimur. *Nobis* (aiebat Senec. Epist. 51.) *militandum est, & quidem genere militia, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellanda sunt in primis voluptates, quæ sana quoque ad se ingenia rapuerunt.* Illecebrosæ voluptates dum resoluunt vires, voluptuosos reddunt enerues: imbonitas, & duritia corpus indurant, habiliorémque ad laborum tolerantiam reddunt, dum minor corpori cura impenditur, animus plus roboratur. *Virtus* (aiebat Tertul. ad Martyr. cap. 3.) *duritia exstruitur, mollitia verò destruitur.* Hanc Philosophiam bene nouerat Dauid, qui cœlestem opem imploraturus, & contra validæ coniurationis impetus obarmandus, ad orationem recurrit, & corporis asperitatibus adipatur. *Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens.* Deum exorabat lachrymis superfusus, & itineris fragositate vexatus: & quidem oratio, afflicto corpore, erat validior, & contra hostes virtus asperitatis armis valentior. Audi Chrysostr. apud Gloss. *Non cado, sed procumbo, ut dicam: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Adnectit: *Per Absalonem meus contra me armatur exercitus. Oves meæ lupi facti sunt, & leones agni, & canes rabie perciti agnelli, & tauri cornu petentes, arietes.* In truculentas feras contra ipsum conuertebantur, qui Dauidis impensis milites alebantur: contra se nutrebat exercitum, & alebat inimicum; non tamen cecidit, sed ad Deum exorandum procubuit: & dum oratio accedit gemitibus adipata, & duris corporis tractationibus communita, opem impetrauit, & de hostibus triumphum egit. Absalom proditur in exemplum ex arbore suspensus, & telis transuer-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

beratus. Qui in Dauidem arma prehenderat, ruit populus: ad eam valida erat oratio, ut hostes, quos timuit multiplicatos: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* citissime intueretur euerfos. E contra: oratio à voluptuoso prolata inuenitur debilis, & infirma, imò liberè non audeat accedere passionibus sordidata, & conscientia sordibus impedita. Mulier illa, quæ diu fluxum sanguinis patiebatur, erubuit oculos, timuit aspectum, retro accessit, & salutem veluti furata erubuit. *Accessit, & terigit simbria vestimenti eius.* Luc. 8. v. 43. Chrysologus floridè expendebat ser. 35. ausam non fuisse preces fundere, nec sanitatem fateri. *Ipsum audi. Mulier verecundo vulnere qualiter subueniret, inuenit, ut fidei insinuaret silentio, quod insinuare publico clamore non poterat, & secreta spiritus via cœlestem perueniret ad medicum, ad quem peruenire manifesto carnis itinere non valebat: Dabat audaciam multam pietas curantis, sed fiduciam pudendi langoris necessitas auferebat.* Sanguinis fluxus voluptatis redundantiam signabat, & voluptas ipsa vocem promere non sinebat: verecundebat ut orare, quæ deliciarum impedita vinculis maluit tacere. Re-deat iterum Chrysologus serm. 33. *Dicere non est ausa, ne circumstantium confunderet & oneraret auditum: ne fieret populorum fabula, quæ tot annis studium, & scomma fuerat passionum.* Arbitrata est cunctis se futuram fabulam, si delicijs dedita, voluptatibus defœdata, & illecebrosis affectibus vendita vocem exprimeret & se medelam querere promeret. Cunctis congruit ad orationis medicamentum excurrere, ut possint morbis etiam fœdissimis obuiare; negari tamen non potest laudabiliter audaciores orare ieiunijs luridos, & malæ tractationis asperitatibus fatigatos. Cum prodigus ad patrem de reditu cogitaret, & verba, quibus imploratet veniam, disponderet, sic aiebat: *Ibo ad patrem meum, & dicam ei. . . Fac me sicut unum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. v. 18. Vbi ad patris confectum venit, in censum mercenariorum admitti non petit. Si quæras: Cur ad eum cito propositi fuerit oblitus, & cur ab oratione tardatus? Respondet Chrysol. ser. 3. vocem hæsisse interclusam voluptatum confusione: *Nox sepelit externum lumen, peccata sensum, animum membra confundunt.* Sordidata fœdis libidinibus conscientia ocludebat labra, & licet egeret orationis patrocinio, lingua retardata tacuit voluptatum impedimento, quasi confunderetur petere in seruorum censum admitti, qui id porcorum volutabris assueuerat sordidari. Mardocheus voce magna pulsabat cœlum, & contra dolosum hostem deprecabatur subsidium. *In platea media ciuitatis voce magna clamabat.* Esther. 4. v. 1. Clamor animi amaritudinem prodebat, & supplicas cœlestes sollicitabat: & vnde tanta voci valentia, & clamori tanta energia? Certè à ieiunio, à cinere, à sacco. Audi, quid fecerit: *Scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti.* Aspera corporis tractatio voci indebat energiam, & ieiunium præstabat orationi valentiam. Huc voco, quod aiebat Saluan. lib. 2. de Gubern. Dei: *Prouidum penitentem cum patrocinio ambitiosus squaloris assumit.* Dum ieiunijs maceratur, dum fletu effunditur, dum cinere tegitur, vocem auget, & misericordiam quodammodo extorquet.

Luc. 8.
v. 43.Luc. 15.
v. 18.Esther. 4.
v. 1.

§

§. CXXXIII

§. CXXXIII.

Per misericordiam viam aduersariorum conatus eluditur, & ad Dei Clementiam citius acceditur.

Sola misericordia (aiebat Bern. in Alleg. Thylm. ad Matth. 5.) misericordiam consequitur. Tuta via est in proximum benignitas, vt ad Numinis peruenias Clementiam, quando quidem Deus facile tribuit veniam, si impensam erga pauperes aspiciat misericordiam. Non vulnerat indignationis cœlestis gladius, quem protegit thesaurus in debiles, & miseros laudabiliter expensus. Dauid vt cœlestem indignationem sopiat, vt validam aduersariorum coniurationem euincat, decreuit copiosas lachrymas fundere, & viam oliuæ tutam arripere; cùmque posset per varia itinera excurrere, maluit per oliuarum cliuum ascendere: *Ascendebat cliuum oliuarum*: quærebat profugium, & tendere decreuit per oliuetum, & quidem non sine arcano mysterio; nam cùm oliua misericordiam sit symbolum, citius per misericordiam posse creditit Absalonis effugere iram, & Dei impetrare clementiam. Huc voco, quod aiebat Noster Sanct. *Ex his constat non tam cum Absalone filios aut mortali manu, quam cum Deo pugnare voluisse.* Desiderabat Dauid iustam Dei indignationem sopire, ad clementiamque flectere; ergo elegit viam oliuarum, quia misericordia non solum ab humano hoste protegit, sed etiam cùm ipso Deo supplex laudabiliter pugnat, & pugnando palmam reportat. Cùm Nabuchodonosorē vox cœlestis terret, & proceræ illius arboris præcidi ramos iuberet, Daniele consuluit, qui posset frustrare ferrum, & clementiæ negotiari subsidium. Consultus Daniel arripere edocuit misericordiam, & Numinis promisit clementiam: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum forsitan ignoscet delictis tuis.* Dan. 4. v. 24. O prudentissimum, vtilissimūque consilium! Opponere Numini contra peccatorem indignatione percito miseriam subleuatam, nuditatem vestitam, paupertatem depulsam. Supplicia eleemosyna redimebantur, & misericordia pauperi impensa pericula expugnabantur. Compendiosam viam demonstrauit Propheta, vt qui benè nouerat, promereri clementiam, qui in egenos exercet misericordiam. *Hortatur* (inquit Theodor. apud Gloss.) *ad eleemosynam, & pauperum misericordiam, quia nesciebat, an esset Dei comminatio.* Videbat Daniel securim armatam, prolatam non ignorabat sententiam, sed sciebat validissimam esse ad auertendum supplicium misericordiam: ergo tendere hac viâ docet, & suadet. Eliæ pia ira claustra nubibus iniecerat, pluuiamque tardarat: peribat mundus, plantæ fructibus sordescabant nudatæ; homines semimortui fame disperiebant consumpti. Vndique ingentes telluris horrorem incutiebant hiatus: cùmque nullis artibus Eliæ ira temperaretur, hanc contra eius rigorem Deus admouit machinam, ire iubet in Sareptam, vt misericors vidua illum pascat, & itineris molestia defatigato subueniat. *Præcepi ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* 3. Reg. 17. v. 9. Ad Sareptam perueniens, pluuiam iam promittit, & à fame viduam eripit. *Hydria farine non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque ad diem, quâ Dominus daturus est pluuiam*

super faciem terra. Basilius Seleuc. rogat, cur iam ad clementiam maturauerit, qui tandiu nubes præcepto obstrinxerat: respondetque misericordiam validiorem alijs extitisse machinam ad obtinendam clementiam; dum pane, & aqua pauperem vidua pascit, decretum quodammodo soluit. Basilius audi Ora. 11. *Eum loco locum mutare iubet, vrget profectioem in Sarepta, & eum ad mulierem viduam mittit. Qui voce creaturam pluuiam viduarat.* Impensa misericordia emolliuit rigorem, & quod alijs artibus non est impetratum, misericordiam est grata violentia obtentum. Iam Propheta nubes votis accommodat, & copiosam promittit pluuiam: Viduæ humanitate ad humanitatem inflexus est; & qui alijs machinis non cessit, misericordiam laudabiliter succubuit. Vt noueris misericordiam Deum trahere ad clementiam, & frustrare aduersariorum astutiam. Prudenter ergo Dauid, vt Dei promeretur veniam, & coniurationem eluderet validam, oliuarum viam delegit, vtque Dei sopiamus indignationem, viam nobis electione monstrauit.

§. CXXXIV.

Eximie iusti minus illata sibi incommoda, & plus inferentium dolent peccata.

Ambitio mortis artifex, inuidia crudelitatis est opifex: viuos gestit iniquitas feraliter funerare, quia dolor liuori est, alienus fulgor, & acquisitus decantandis factis splendor. *Ambitio* (aiebat Cassiod. 10. Var. 18.) *inimica semper iustitiae.* Contrariâ viâ charitas procedit, non adeo sentit incommodis premi, quàm prementem criminibus sordidari: de aliena ingemiscit culpa, & inuincibili dolores sustinet tolerantiam. Itaque vera charitas aliena ægritudine ægrotatur, alieno crimine vratur: & cùm ad perferenda mala laudabiliter induretur, alienis calamitatibus discruciat. Dauid insano Absalonis ambitu è ciuitate pulsus per cliuosa nudis pedibus incedere cogitur, calamitatum turbine penè obrutus, & copiosis lachrymis superfusus. *Ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite.* Cùm fortis, constantique vir fortunæ nudo pectore tela excipiat, & molestias, non dico non sentiat, sed vincat, demirandus est Dauid in lachrymas effusus, dum fortunæ ictibus vulneratus. *Quosdam ictus* (aiebat Senec. de viro forti lib. de Constant. Sapien. cap. 11.) *recipit; sed receptos euincit, sanat, & comprimit.* Cui à constanti viro videatur Dauid degenerasse, dum cliuum gemendo dicitur inscendisse. Si olim cum leonibus decertabat, si audaciam vrsi euincebat, cur modo emittit ploratum, & confusus abscondit vultum? O eximiam Dauidis perfectionem! Experiebatur transisse filium in impijssimum proditorem, olim sibi subiectos luporum fœuam induisse truculentiam, impaudam leonum audaciam; & licet inuita fortitudine sua tolerarit incommoda, acerrimo dolore ictus plangebat coniuratorum peccata; minus proprio adurgebatur dolore, plus vrebatur suorum crimine. Prodest Chrylost. apud Gloss. Dauidis nomine: *Oues meæ lupi facti sunt, & leones agni, & canes rabie perciti agnelli, & tauri cornu petentes, arietes.* Non propter me ipsum afficior tristitia, sed illorum dolore exitum. Videbat filium, sociosque detestanda perpetrare scelera, præuidebat animarum exita, adeoque

Dan. 4.
v. 24.

3. Reg. 17.
v. 9.

adeoque saeuus erat de alieno delicto dolor, vt propria incommoda non sentiret, & suorum exitia copiosis lachrymis deploraret: regno priuari, compelli ad fugam, experiri egestatis miseriam, rerum inopiam, constantis animi vires non frangebat; ast animarum sordities quodammodo superabat. Contra fortunae ictus perstabat immotus, ad alieni vero criminis conspectum lugebat lachrymis superfusus. Samuel iudiciaria potestate interdicitur, à regno quodammodo pellitur, & tamen inuidiosas populi querelas ficcis oculis audit, & facile fusis ad Deum precibus calamitatem componit: *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* 1. Reg. 8. v. 6. *Sensit ictus, sed vicit. Transi modò ad cap. 16. & videbis Samuelem amarum lachrymis deplorantem, & caelesti solamine egentem: Vsq̄uequò tu luges Saül, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israël?* Infra: 16. v. 1. statim se quaestio offert: si Saül dum iudiciaria potestate interdicitur, stat firmus, & contra fortunam serenus, cur modò ad eum amare dolet illachrymatus? Quia antea (inquit Bern. in Allegor. Thylm. ad 1. Reg. 16.) ipse patiebatur iniurias, sed modò Saülis deplorabat miseriam: Audit à Deo proiectum. *Cum ego proiecerim eum:* & viuidiore dolore vitur Saülis exitium intuitus, quam propriam è throno depulsionem expertus. Bernardum audi: *Lugebat Samuel Saül miserans, non deliberans; lugebat, inquit, Samuel Saül, qui se cogitabat occidere: & ad ignem charitatis incallescere pectore, liquefactus intus pietatis adeps, foras emanabat per oculos.* Prauidebat Samuel miserandum Saülis exitium, nouerat perpetrasse peccatum, & licet ad propriae calamitatis ictus steterit firmus, ob aliena scelera lugebat accerrimo dolore vexatus, nam virtutis, perfectionisque proceres minùs dolent propria incommoda, quam aliorum dolent peccata.

§. CXXXV.

Constantem virum dedecet ob temporalia nimis dolere, & copiosas lachrymas fundere.

Ingenia naturâ infirma, & quadam muliebritate inenuata temporalium iacturâ feriuntur, & genus descendere lachrymis comprobantur. Vir constans corporis molestias minùs sentit, imò facile vincit, a quo animo infelicitatem fert: habet, quo se soletur, pulcherrimam scilicet animi virtutem, & fluctuantis fortunae varietatem. *Quidquid huiusmodi est* (aiebat Senec. de Const. Sapien. c. 11. *transcurrit, vt vanas somniorum species, visusque nocturnos nihil habentes solidi, nec veri.* Scit sapiens omnia adinstar umbræ fugere, & alternis vicibus immutari; ergo constantiae vertice perseverat inconcussus, & fortuna maior imperturbatus. Dauid vt sensit lachrymas ex oculis cadere, dum ciuitate pulsus, & fluctibus coniurationis iactatus operuit caput: *Ascendebat cliuum oliuarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite.* Cur caput operuerit, qui alias solebat liberis oculis caelum intueri, & animum intrepidum ostentare quaerunt Interpretés? Hugo Card. existimat abscondisse lachrymas, vt qui erubesceret ob temporalia plorare, & nimis calamitatem dolere: erat Principi, viroque constanti indecens turbini cedere, & eiulatum emittere; ergo caput operuit quia flere erubuit. Hugonem audi. *Operito capite, ne videretur flere, non enim decet Principem lachrymae.* Amiserat regnum, sed volaticus Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

fulgor & temporalis splendor tantis lachrymis non erat dignus; ergo vbi aduertit ob temporalia emisisse lachrymas, erubuit, & caput laudabiliter confusus operuit. Dum lachrymis lectum rigabat, non erubescibat, modò abscondebatur cordis angustias: vt sua nos erubescencia edoceret pudendum esse ob temporalia nimis angere, & lachrymas muliebriter fundere. Videas plures ob animi miseriam nullatenus flere, ob aduersam fortunam foemineis fletibus eiulare: habent pro veris somnia, pro somnijs vera. Ieremias populum Israëitarum ingemiscibat eum deuenisse, vt moribus potius foeminam referret, quam virum. *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Thren. 1. v. 11. *Et vnde facta est vilis? Audi: Omnis populus eius gemens, & quærens panem.* Edebant gemitum, quia diuitiarum defecerat abundantia; quia eos dura premebat inopia: ergo gemitus in virili sexu animum declarabat foemineum, quem calamitas vinceret, non probaret; nam prudentes, constantisque viri exerto pectore fortunæ obtuant, nec vultum mutant. Ergo dum lachrymas emittit ob temporalium defectum, animum prodidit imbecillum; nec debuit deplorans inter viros recenserit, sed inter foeminas numerari: *Facta sum vilis, gemens, & quærens panem.* Ad rem Glossa: *Praui affliguntur, & cruciantur, quia non ad votum deliciosa vitæ affluentia habetur.* Foemineum erat ob delicias deperditas flere, ob temporalium amissionem plorare. Egregie Seneca iam datus c. 14. *Quis nescit nihil ex his, qua creduntur bona, aut mala, ita videri sapienti, vt omnibus? non respicit, quid homines turpe iudicent, aut miserum: non ita qua, populus, sed vt sidera contrarium mundo iter intendunt, ita hic aduersus opinionem omnium vadit.* Existimant plures bene impendi lachrymas in amissione charorum, in immatura filiorum morte, in diuitiarum paupertate; contrariam tamen opinionem sequitur vir constans, & fortis. Nam vt sidera eundem vultum & tenorem seruant, siue horrida tempestates aures diuerberarint, siue placida tranquillitates allexerint; ita vir constans siderum ingenium induit, & in quacumque fortuna eundem vultum seruat. Caput ergo Dauid operiat, cum temporalia amissa deplorat: *Lugens, & aperto capite,* quia à viro forti ad speciem degenerat.

§. CXXXVI.

Qua Princeps inceserit, eadem via populus ibit.

Innatum est subiectis Principis benevolentiam imitare, & actiones, vt gratiam inuenerint, imitari. Vt in semine videntur fructus, ita agnoscitur in Principe populus: qua incedit via, populus ibit, quo amicitur, & populus, colore vestietur; nam deuotus cupit honesta imitari, & discipit adulator blandiri. *Salve* (aiebat Ennod. in Paneg. Theoder. alloquens) *status Reipublicæ.* Bene dixit quia Princeps est Reipublicæ status, dum quisque eius sequitur vestigia, & imitatur exempla. Dauid per cliuum oliuarum ascendit capite operito, & populus etiam aperto capite ascendisse dicitur. *Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite.* Quid tunc? *Sed & omnis populus, qui erat cum eo aperto capite ascendebat plorans.* Et cur, qua via inscenderit populus, non exprimit Textus? Quia iam retulerat Dauidem ascendisse cliuisa: *Dauid ascendebat cliuum: ergo otiosum esset referre, populus*

pulum in scendisse per ardua. Qua David incedebat, eadem via & populus ambulabat, imitabatur luctum, capitis affectabat operimentum. In Principe videbatur populi ornatus, conspiciebatur luctus, praeuidebatur & gressus. Ad rem Abul. q. 33. *Cum Rex tristaretur, erubescerent omnes gaudere.* Quis ad conspectum Principis dolentis habitum indueret lætantis? Indignum quisque putabat eadem vestigia non premere, & simili cultu non vestiri. Cum Ezechias mortis sententiam lachrymis derogari impetrasset, & dari sibi salutis pignus petiisset, sol ad eius nutum in eius horologio regressus est: *Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* 4. Reg. 20 v. 11. Eadem linea, qua ascenderat sol, descendit, nam sæpè eisdem medijs, quibus quis in scenderat, ruit. Sed inquiramus: Cur Textus non explicauerit omnibus in horologijs umbram descendisse, & solum in Achaz horologio retroractam declarasse? Profectò si sol reciduo tramite in vno redijt, in omnibus etiam cursum retroraxit; cur ergo Textus alia horologia silètio præterit, & retroractam umbram in Regis horologio euulgarit? Quia illud horologium erat regale, & ad dignoscendas horas sublimis; satis ergo fuit promere in horologio regio umbram retroractam, vt in cæteris crederent omnes reductam. Audi Abul. q. 22. *Vocatur horologium Achaz, quia ipse illud fieri iusserat, & posuit in domo Regis.* Cum horologium illud esset regium, satis fuit asserere, ibi umbram retroractam, vt in alijs etiam agnoscerent omnes regressam, quandoquidem ad Magnatum, regumque exempla totus orbis componitur, & quidquid illi fecerint, adulatione imitatur.

§. CXXXVII.

Et si nos mundus deserat, rarus est, qui à corde mundum abiiciat.

ELanter aiebat Bion apud Senec. de Tranq. anim. cap. 8. *Non minus molestum esse caluis, quam commatis pillos vellere.* Quem caluam natura effecit, comam exambit, non abiicit ab animo capillamenti desiderium, etsi tulerit infortunium. Rarus vir est ingentis ad eò animi, & supra fortunæ casus excelsum, vt nihil ei eripi possit. Carent plures diuitijs, non tamen diuitiarum nudati sunt desiderijs. Cum Diogenem seruus nomine Manes deseruisset, ille non quæsiuit, sed posse sine seruo viuere asseruit. Audi datum Senec. *Diogeni seruus vnicus fugit, nec eum reducere, cum monstraretur, tanti putauit. Turpe est, inquit, Manem sine Diogene posse viuere; Diogenem sine Mane non posse.* Cumulatè fortunatus erat, dum nihil vlli debebat, nisi cui facile quibat negare, sibi scilicet. Sed Diogenes paucos inuenies, contraria sectantes plures, quos mundus deserit, nec viuere possunt sine mundo: ætas vetat pueriles mores, sed, reclamante senectute, sequuntur iuuentutis voluptates. *Discamus (verba sunt Senecæ cap. 9.) id agere, vt diuitias à nobis potius, quam à fortuna petamus.* A nobis nullis obnoxiam casibus petere quimus fortunam, si à corde penitus abiicerimus cupiditatem insanam. Cum David infortunij catena plurimos copularat, expulsi è ciuitate desertorum quærebant profugia, & amara è pectoribus omittebant lamenta; inter eos tamen solus David refertur nudis pedibus cliuum calcasse, & per scrupulosa

in scendisse. Porro David ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite: sed & omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans. Cum scriptura etiam tacens nos erudiat, & loquens doceat, notatu est dignum, solum Davidem pedes denudasse, & nudatis pedibus ascendisse: Ecquod nobis arcanum hæc pedum nuditas indicat? Profectò in scriptura calceamenta nudare idem est, ac curas, sollicitudinesque ab animo prorsus abiicere. Hoc testatur Moyses calceamentis nudatus, & ad populi salutem missus: *Solue calceamentum de pedibus tuis.*

Exod. 3. v. 5. vt disceret omne terrenum à corde desiderium expungere, iussus est pedes denudare. Ita Theodor. q. 7. *Quare iussus est Moyses calceamentum soluere? Dicunt nonnulli, vt sollicitudines secularis abiiceret, huic mortali vite adherentes.* Itaque abiicere calceamenta denotabat omnia secularia desideria penitus ab animo expuncta. Ergo sacra Scriptura, vt nos edoceret inter plures à fortuna desertos paucissimos esse fortunæ non ambitiosos, ex tot à sæculo destitutis solum retulit Davidem calceamentis nudatum, quia rarus est à fortuna desertus, qui fugientem prehendere non desideret ambitiosus. Inuenies homines senio confectos, & prorsus viribus destitutos, qui corde impura desideria & nutriant, & foueant: reperies auaros à vita iam expulsos & adaugendi census studiosos, videbis à dignitatis culmine deturbatos, & throni cupidos: ergo vt hanc nobis eruditionem Scriptura tradiderit, inter tot calamitatum vorticibus iactatos vnus Davidis pedes retulit nudos, quia rarissimi sunt, qui à mundo exclusi fugienti, aut deserenti adhærere nõ fatagant studio. *David (inquit Abul. q. 32.) habebat opertum caput, & pedes sine calceamentis.* Opertum caput, deturbatum, & à throno expulsus denotabat, sed nudatus pes animum supra fortunam stantem prodebat, omni sollicitudine depulsa, animus degebat tranquillus, licet à suis, & popularibus etiam desertus. Itaque corpus afflictabatur fortunæ iniurijs, sed cor quiescebat, abiectis penitus desiderijs. Prodigus diuitijs nudus à mundo tunc despectus, in villamque relegatus, adhuc viuebat mundo, & mundi adurebatur desiderio. *Misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo dabat illi.* Luc. 15. v. 15. O quam erat miserum carere siliquis, & premi ardentissimis desiderijs! Si ab animo excluderet noxia desideria, non diuexaretur siliquarum inopia: at duplici tormento vrgebatur; vno, quia impetrare nequit siliquas; altero, quia earum corde fouet concupiscentias. Audi floridum Chrysologi stylum serm. 1. *Miser qui porcorum deficit, & esurit in saginam. Miser, qui squalentis cibi cupit, neque impetrat qualitatem.* Si mundus ei siliquas non negaret, famem extingueret; at, dum nequit impetrare, quod cupit, & cupit, quod adipisci nequit, bis infortunatus proditur, & torquetur. Est enim miserum à mundo proijci, & mundo animitus adhærere.

§. CXXXVIII.

Qui præ alijs sorduit culpâ, antecedat ceteros penitentiâ.

Honestum, & necessarium videtur esse remedium, sordes noxijs delicijs collectas salubri penitentiâ detergere, & animi vulnera corporis asperitatibus

asperitatibus medicari. *Eam* (aiebat de Pœni. Tertul. cap. 2.) *Deus scuit, id est hominis saluti.* Pœnitentia medicina est, qua salus integratur, & culpæ venenum pellitur, medicum tamen imitetur pœnitens, pro qualitate ægritudinis applicet remedia, nec graue morbum leuissima alleuet medicina. De medico aiebat Tertul. aduersus Gnost. c. 5. *Fermè pares adhibebat qualitates medelarum aduersus qualitates querelarum.* Pari medela decertat cum ægrimonia, nec contètus est, si æger indigeat cauterio, medicamine vt lenitiuo. Sunt plures, qui cum astutè affectent alios supergredi culpa, exequare saltem nolunt pœnitentia. Dauid plures valida coniuratione coacti sunt comitari, & desertum petere. Eos Scriptura, operto capite, ait deplorasse, Dauidem verò pedum nuditatem præ cæteris addidisse. *Porro Dauid ascendebat cliuū oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. Sed & omnis populus, qui erat cum eo, denudat vestigia, cur Dauid austeriori vtitur pœnitentia? Quia Dauid (inquit Abul. q. 33.) non ignorabat se perpetrasse adulterium, commississe homicidium, ergo prudenter censuit opus sibi esse austeriori pœnitentia, non æqua cum cæteris medicina. Abulensem audi: *Augebat ipse afflictionem, in quantum velabat caput suum, & incedebat nudis pedibus.* Tendebant cæteri caput operti, non tamen calceamentis nudati; verum Dauid, qui grauius deliquerat, afflictionem præ cæteris adaugebat, ne esset par cum cæteris medela, quandò defœdauerat grauior culpa. Plures etsi præ alijs deliquerint, mitius discipiunt tractari, non acerbiorē pœnitentiam subire. Prodigus cum ad patrem de reditu cogitaret, in seruorum censum redigi contentus est: *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. v. 15. Si naturæ vinculo copulabatur cum fratre, cur non filij gaudet prærogatiua, sed seruorum inuri discipiat nota. Cur non ait: *Fac me sicut fratrem meum, sed sicut vernulam, & mercenarium?* Quia cum nosset (inquit Chrysol.) pœnitentiam pro qualitate criminum desumendam, noluit fratrem fauoribus exæquare, quia fratrem nouerat criminibus euicisse. *Iste* (inquit Chrysol. serm. 3.) *qui venit, venit ad pœnitentiam.* Si simili in honore, ac frater, vellet haberi, si æquali mensa cibari, si simili ornatu vestiri, non vera se pœnitentia ductum, sed superbia testaretur inflatum: haberi voluit, vt seruus, non tractari, vt filius, quia dolebat à natura degenerasse, & præ fratre criminum inquinamenti sorduisse. Inferni erat vernula, qui ardentissimam linguæ flammam discipiebat aquæ guttula sopiri, & altum aded vulnus leuissima medicina curari. Primi parentes cum se culpis inquinassent, de eisdem folijs peryzomata texerunt: *Consue-*
runt folia ficus, & fecerunt sibi peryzomata. Gen. 3. v. 7. verum Deus, qui iam saluti hominis serebat pœnitentiam, mulieris multiplicauit ærumnas: *Multiplicabo ærumnas tuas:* Adamo non aded graues intulit pœnas: nec quia conditione inferior, in iudicio causa mulieris deterior fuit; nam licet apud humanos iudices plus quam causa, attendatur persona, & sæpè pauper soleat durius castigari, & diues leuius puniri, Deus æquitatis, iustitiæque idea ad depromendam sententiam non attendit delinquentis statum, sed æquitatis trutinâ pensat delictum. Culpa à fœmina inceptit. Diuinitatem ambiuit. Ergo cum iudices ad depromendam sententiam, & peccatores ad pœnitentiam ineun-*

dam instruendi essent; fas non erat, vt, cum dissimilis esset culpa, esset similis pœnitentia. Eva, & Adamus pœnitentiæ habitum assumpserant peryzomata, eos Dominus pellibus durioribus induit, ne putarent grauem culpam leui expungendam fore pœnitentiâ, & insuper edocuit pro qualitate criminis pœnitentiam assumendam, nec fas esse dissimiles culpas æquali pœna mulctari, aut castigatione puniri. *Adæ* (inquit Hugo) *extrinseca imponitur pœna, cum dicitur: Maledicta terra in opere tuo; mulieri verò intrinseca, cum dicitur: Multiplicabo ærumnas tuas: quia seducta seduxit virum.* Mulier fuit culpæ ianua, calamitatum porta, diaboli sagitta: ergo asperiores subeat in iudicio sententiam, & duriori pœnitentia delere conetur culpam.

§. CXXXIX.

Verè pœnitentis argumentum est non solum sibi pœnam impositam ferre, sed de suo addere.

ET si medicina sit quasi scuitia de ferro, de cauterio, de sinapis incendio, tamen, qui vehementi salutis desiderio tenetur, nihil quod adipiscendæ sanitati proffit, recusabit, imò inter manus medici gemere, & pati exambit. Non displicet ægrimonia, si aspera recusetur medela: qui acri dolore vrgetur, quicquid profuturum, applicari sibi adhortatur. Nec aliter contingit spiritali morbo laboranti, si vera pœnitentia ducitur, & salubri dolore cruciatur: non recusat austerior, quia profutura, imò aliquid ipse comminiscitur, vt dolori aduletur: pugnat cum doloris causa, & quò se plus rationabili odio discruciat, tantò plus de salute sperat. *Vt robori edificando vacent* (aiebat de Athletis Tertul. ad Martyr. c. 3.) *continentur à luxuria, à cibis leuioribus, à potu incundiore. Coguntur, cruciantur, saignantur, quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria sperant.* Victoriæ desiderium suadet Athletis, blandis renuntiare, laboriosa appetere, durissima ambire, seipos exercent, & laboribus angigaudent. Quale sit palmæ desiderium, sollicitudo ostendit, & prodit. Deliquit Dauid, oculis hausit venenum, sed ad mentem reductus ingemuit, & quam illi Propheta imposuit pœnam, patienter acceptauit: *Suscitabo super te malum de domo tua.* Suprà 12. v. 11. Filium contra parentem adornaturum bellum prædixit, & effectus vaticinium confirmavit; nam valida coniuratione depulsus, adire montium latebras est coactus: hac in fuga ad lachrymatum patrocinium confugit, & inflictæ sibi pœnæ de suo addidit, pedes denudans, & itineris asperitate cruentans: *Ascendebat cliuū oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Cum satis amara adurgeretur fortuna, querūt Interpretès, cur pedes nudatit, & afflictioni afflictionem addiderit: respondētque, eo iam odio admissum delictum prosequi, eo salutis desiderio teneri, vt ipse de suo excogitauerit cruciamenta, & discalceatus non sine dolore inscenderit montium ardua. *Si solum* (inquit Abul. q. 33.) *plorauisset Dauid pro malo, quod sustinebat, solum tolerasset dolorem suum, & non addidisset angustiam dolori suo, & tamen super dolorem suum augebat ipse afflictionem, in quantum velabat caput suum, & incedebat nudis pedibus.* In admissi sceleris pœnam imposita est ei luctuosa calamitas, & calamitosa aduersitas: acceptauit lubenter, patienter tulit,

lit, sed contentus non est vehementi culpæ dolore ictus imposita sustinere supplicia, sed in seipsum prudenter læuus auxit voluntaria tormenta: operuit caput, nudauit pedes satisfaciendi ambitiosus, & de seipso expetendi ultionem audissimus. Pœnitentes, qui blandas medici quærunt manus, qui curari desiderant lenibus, cum dolore suo paciscuntur, & se dolore non vrgeri testantur; nam qui interiori aduruntur angustia, non exhorrent aspera medicamenta. Christus Dominus pro culpis Adami exsoluens, & pœnitentes suis factis instruens, amaritudines exambiuit, & tormentis aliquid addidit. *Sitio* (aiebat apud Ioan. 19. v. 28.) Aduersarij alijs infligendis cruciatibus occupati obliuicesbantur fellis, sed minor erat discrucianti furor, quam satisfaciendi ardor: ergo quasi parum esset tantam tormentorum illuuiem pati, amaritudinis cupidus ardentissima se explicuit ardere siti: *Sitio*. Notauit August. in Cat. *Dixit Sitio, tanquam diceret: hoc minus fecistis*. Si lento satisfaciendi teneretur ardore, de inimicorum obliuione gauderet, & fellis tormentum excusare gestiret; verum vrgenti ad eò patiendi ardore flagrabat, vt ipse nouas sollicitauerit pœnas, & addiderit sibi angustias. Qui acri ob admissas culpas dolore anguntur, non recusant, quæ illis à Confessore iniunguntur, sed austeriora iniungi sibi præcantur. Dauid ob perpetratum crimen quo dolore vrgeretur, declarauit, dum impositas pœnas pedum nuditate adauxit, & de se honestam sumere vindictam ambiuit.

Ioan. 19.
v. 28.

T E X T V S.

VERS. 31. Nuntiatum est autem Dauid, quod & Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque Dauid: Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.

§. CXL.

Minus Reipublica nocet malus Princeps, si Probo, prudentique consiliario utatur, quam probus, si iniquo, & improbo gubernetur.

VT electum semen, si horridis suffocetur spinis, & venenosis nocet herbis, non asurgit in cumulum, quia retardatur & impeditur; sic Principis optima indoles non proficiet, si mellitis corruptatur adulationibus, & sagacis consiliarij irretiatu dolo fraudibus. *Si quid profert* (aiebat Plutar. de Virtut. & Vit.) *spontè natura recti, hoc cum multo alieno, sicut cum spinis, & vepribus fructus feris, & impuris confusis obliteratur.* Quidquid spontè bona indoles profert, iniqui consilij vepribus deturpatur, corrumpiturque. *Liguriensis pueri* (scribit vbi supra Plutar.) *Diogenes pugnum inflixit pedagogo. Rectè ille, qui culpam non discipulo, sed doctori adscripsit.* Et si puer ex se esset vorax, seuera debuit pedagogi disciplina temperantiam discere, & colere; ast sub pedagogo guloso, et si puer ex se abstinent, intemperantiæ studeret, & ciborum copiam liguriret. Agricola industria, amputatis stolonibus, plantam meliorat, & fructiferam reddit. Accipe Philonem lib. de Agricultur. *Dat operam, vt syluestres arbores traducat ad mitius ingenium, mitium verò incrementum industria sua promoueat, & si quis pra-*

alimento nimio luxuriant, putatione coerceat. Principis consiliarius veluti agricola est: si probus, erumpentes, luxuriantesque appetitus sagaci prudentia coërcet, & consiliorum insitis ad virtutem promouet, & mitiorem, asperam, & intractabilem indolem reddit. Ab consiliario, priuatòque pender virtutis sterilitas, aut vbertas. Planta parum frugifera fecundo insito redditur præstantior, & frugifera noxiò surculo deterior. Hinc est, quod Dauid vbi audiuit Achitophel Absalonis esse consiliarium, non tam extimuit adolescentis audaciam, quam noxiam consiliatoris astutiam. *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.* Nouerat adolescentis prauum ingenium, sed plus extimuit Achitophelis consilium. *Infatua* (inquit Hugo) *vt non credatur.* De se iam, & de Republica actum putabat, si Absalom Achitophel consiliario vteretur: quid enim Principi perniciosius, quam malus consiliarius, vt econtra: quid prudente, & probo salubrius? Saül deemoniacis motibus agitabatur, ambitione præcipitabatur, auaritia adurebatur: iam Dauidis eadem decreuerat, cum Ionathas prudenti consilio aggredditur, furem sedare, & vt sententiam reuocet, persuadere. *Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?* 1. Reg. 19. v. 5. Prudentibus Ionathæ consilijs, mellitis, sed efficacibus verbis Saül respuit, & sententiam demutauit. *Placatus voce Ionathæ iurauit: Vivit Dominus, quia non occidetur.* Saül asperis tunc moribus erat imbutus, sed consiliarius erat optimis adornatus: ergo Dauid minus nocuit malus Princeps bono vsus consiliario, quam noceret bonus, si pessimo inflammaretur consilio. *Hic ponitur* (inquit Lira) *reconciliatio ipsius Dauid cum Saül per Ionatham.* Ionathas prudenti vsus consilio mali Principis restrinxit iram, & illasam Dauidis custodiuit à periculis innocentiam. Tantum Reipublicæ interest, licet Princeps sit improbus, probus, & prudens consiliarius. Pharao Moysis indole delectatus veluti nepotem nutrebat, & tenerè amabat, sed citò in furorem exarsit, & occidere decreuit. *Audiuit Pharao sermonem hunc, & querebat occidere Moysen.* Exod. 2. v. 15. Si inquiras, quomodo amor in odium citò ad eò fuerit conuersus? respondebit Philo de Vita Moysis, pessimos fuisse Pharaonis consiliarios, eorumque consilij in Moysen commotum, & in naturæ inimicum fuisse conuersum. Audi Philonem: *Patulas aui aures impleuerunt plurimis calumnijs, hinc inde insurrentes, vt de amittendo principatu reddiderint sollicitum.* Amans Moysis erat Pharao, sed improbis vsus consiliarijs exarsit in iram. Pessimus erat Saül, sed Ionathæ consilij iniquam demutauit sententiam. Vt noueris non ad eò nocere malum Principem bono consiliario vsus, ac bonum consiliarijs pessimis gubernatum. Ergo timeat minus Dauid conclamari Principis audaciam, quam versutam Achitophel astutiam. *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.*

1. Reg. 19.
v. 5.

Exod. 2.
v. 15.

§. CXLI.

Iusti in sibi aduersantes muliebria maledicta non congerunt, sed ad Numinis opem recurrunt.

MVliebris ingenij est æmulum linguâ ferire, & diçteria, ac maledicta congerere, Magnanimus

Magnanimus vir non recurrit ad linguam, quia indignum putat linguacitate infligere plagam. Opportunè Senec. lib. 1. de Clem. cap. 5. *Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, & iniurias, atque offensiones supernè despiciere. Muliebre est furere in ira: Fœminæ pro armis habent dicteria, & linguacitatis iacula; ast vir strenuus linguam continet, & ad cœlestem opem recurrit.* Achitophel ad Absalonem transiuit, vt eius partes sagacibus consilijs iuaret: res ad Dauidem delata est, qui continuit iracundiæ scandescentiam, & silentio preffit linguam: à Domino auxilia exorauit, non est contra aduersitatem ei acutus dicteria. *Nuntiatum est autem Dauid, quod & Achitophel esset in coniratione cum Absalom, dixitque Dauid; Infatua, queso, Domine, consilium Achitophel.* Non precatus est ruere ardentia fulmina, non petiuit armari trinitua, nō infamauit transfugam, non ei impegit defectionis notam, sed cœlestem implo- rauit opem, vt effectum careret sagax astutia, & astutia mentis perspicacia. Notauit Theodor. apud Gloss. *Fugiens cognouit proditorem Achitophelis. Sed confestim ad suum confugit Dominum, non iubens, vt feriretur fulmine, sed vt inane, & vanum redderetur eius consilium.* Si alius esset Dauid dehonesta- ret transfugam, fulmina contorqueri clamaret in proditorem; virili verò, ac forti animo præditus linguam continuit, & suppetias à Domino postu- lauit. *Ante ignem (aiebat Eccles.) camini vapor, & fumus ignis inalatur: sic & ante sanguinem maledicta & contumelia, & mina. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum?* Eccl. 22. v. 30. Non solum manum à sanguine impollutam continuit, sed maledictis, dicteriisque labia non deturpauit, quia animum non virilem, sed mulie- brem proderet maledicta cognouit. Vir linguax, & procax in fœminam degenerat, & se infamat. In- huius Lira: *Super labia mea signaculum, vt non aperiantur, nisi debito modo, ad loquendum.* Qui minas ira percitus iactat, qui effudit maledicta, qui eiacu- latur dicteria, non solum contra se armat ferrum, sed quodammodo negat virum. Ergo Dauid cœ- lestem opem deprecatur, & maledictionibus non polluitur.

§. CXLII.

Ea solum amico sunt committenda, quæ, si in aduersarium transeat, commisisse te non peniteat.

AMicus fidelis in afflictione est solatium, in periculo auxilium, in aduersitate remedium. Nihil æquè animum oblectat, & alleuat, vt reci- proca cordium amicitia, & fidelis, ac dulcis bene- uolentia. *Quantum bonum est (aiebat Senec. de Tranquillit. anim. cap. 7.) ubi sunt preparata pectora, in qua tuto secretum omne descendat, quorum conf- cientiam minus, quam tuam timeas, quorum sermo sb- licitudinem leniat, sententia consilium expediat, hila- ritas tristitiam dissipet, conspectus ipse deleat.* Vt Pandoram omnium deorum dotibus adornatam construebant antiqui, sic omnibus virtutum præ- rogatiuis debere amicitiam constare tradiderunt Philosophi; verum ubi eiusmodi amicum quæ- remus? ubi poterimus inuenire, cum nullus in amicitiam receptus exuat naturam, & rarus mo- rum denudauerit corruptelam? Qui hodie amicus, & multis titulis obligatus, cras leui suspitione, & nihil solidi habenti degenerat, causaque manu-

facta, & occasione quæsitâ, in contrariam partem transit, amicitiaque iura lædit. Ob id prudentes ita cum familiaribus agunt, eaque eis secreta com- mittunt, quæ licet in publicum proferantur, nec ruborem committenti afferant, nec prudentiæ no- tam inurant. Athenedor. apud Senec. epist. 10. aie- bat: *Nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam.* Addere potuisset: *Nihil conscientia amici com- mittas, nisi quod in vulgus effusum non erubescas.* Audi Senec. iam datum: *Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* Achitophelam Dauid in amicum delegit, & eo utebatur præcipuo consiliario: ve- rum vt nihil est fixum, ad Absalonis partes tran- siuit, aut offensus, aut spebus maioribus inescatus. *Accersuit Absalom Achitophel Gilonitem consilia- rium Dauid.* sup. v. 12. Res ad Dauidem delata do- lore non modico exuleeravit, quia eius consilium extimuit: *Infatua queso, Domine, consilium Achitophel.* Cum tanta Achitophel negotia, secretaque commiserit, cur non rogat secretorum memoriam deleri, nec lingua effundat, sed tantum de ener- uando consilio est sollicitus, ne astutus noceat? O vtilem Dauidis politiam! Plura Achitophel com- misit negotia, plura tradidit seruanda secreta, ea tamen erant, vt licet palam effunderet ab amicitia deficiens, Dauid commisisse non erubesceret, nec imprudentis notam incurreret. Itaque consilium timuit, secretum prodi non timuit. Prodest Theo- dor. apud Gloss. *Infatua, vt inane, & vanum redde- retur eius consilium.* Non opus fuit orare, cohiberi linguam, ne commissum euulgaret secretum, sed tantum vt frustraretur consilium; nam etsi Dauid, dum Achitophel vteretur amico, non magis eius timeret conscientiam, quam suam, tamen vt pru- dentissimus ea solum secreta commisit, quæ si iam inimicus proderet, commisisse non pœniteret. San- son acceptam de leone victoriam parentes cala- uit, vxori, quam fidelissimam existimauit, aperuit. Illa timore territa, aut precibus emollita secretum effudit, & concubibus aperuit: Sanson paternam domum repetiuit iratus, & verecundia confusus: *Iratus nimis ascendit in domum patris sui.* Iudic. 14. v. 19. Cum Textus non exprimat, in quos exarse- rit ira, libera nobis facultas relinquatur existi- mandi, non solum contra vxorem iratum, sed etiam contra seipsum. Damnabat fortasse citò ar- cana fœminæ communicasse, nec posse effundere, præcauisse: iratus contra se ascendit, quia calan- dum fœminæ secretum commisisset, nec ingenium eius explorasset. *Illas nuptias (inquit Ioseph. apud Gloss.) refutauit: & puella, que eum prouocauit ad iracundiam, duxit eius amicum.* Quæ putabatur in- dissolubili vinculo associata, inuenta est alterius adulationibus delinita: ergo erubuit Sanson non præcauisse muliebre ingenium, & seruandum tra- didisse transfugæ arcanum. Plures contra seipsum debuisse irasci, quia amicorum commiserunt notitiæ, quæ erat fas, & prudentia tegere. Dauid timuit Achitophelis consilium, non tamen à se commissum euulgari secretum, quia præuidit Achitophel posse de amico in aduersarium tran- sire, & quæ secreto accepisset, vulgare.

§. CXLIII.

Superbi acri dolore cruciantur, si eorum reijciatur sententia, & aliorum praeferatur doctrina.

Grauis fastus (aiebat Eurypid. apud Stob. cap. 22.) ex improbi hominis opinione nascitur. Superbus magnificè de se sentit, tumore inflatus, inflationeque cæcus. *Quò tibi maxime places* (aiebat Menand. in Empim.) *id ipsum te pessumdabit.* Ut nauis, si carbasa nimius ventus inflauerit, ad scopulos solet illidi, & naufragium pati, ita animus nimia sui impletus opinione vritur, si alteri postponatur: nihil superbo iucundius, quàm repetitis plausibus coli; nihil acerbius, quàm alium sibi præferri. Ut de Achitophel, qui ad proditoris signa transferat, honestam Dauid vindictam expeteret, Deum rogauit, vt fatuum eius videretur consilium: *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel*: Orasse, vt Achitophelis despiceretur consilium, tradit Hugo Card. *Infatua, vt non credatur.* Cùm orare posset eluctantes à cælo flammæ ruere, & Eliæ adinstar aduersarium vstulare, quærunt Patres, cur solùm petiuerit sententiam reijci, & Chusai sententiæ postponi? Theodor. apud Gloss. ardentem non adduxisse flammam, sed reijci exoptasse sententiam, ait: nam cùm transfuga ingenti sui æstimatione turgeret, & longè cæteros antecedere consilijs existimaret, nihil illi esse quibat amarius, quàm stultam sententiam reputari, & postponi. Theodor. audi: *Fugiens cognouit proditionem Achitophelis. Sed confestim ad suum confugit Dominum, non iubens, vt feriretur fulmine, sed vt inane, & vanum redderetur eius consilium, & vt ostendat eum stultum, & insipientem.* Non aded graue esset Achitophel fulmine feriri, quàm consilium reprobari: ergo Dauid, vt dignam expeteret multam, fulmine non petiuit feriri, sed consilium reprobari. Utque noveris, quàm fuerit intolerandum Achitophel postponi Chusai: elegisse vide suspendium, ne eiusmodi ferret probrum. Cùm pro meritis pœna decernenda sit, vided alibi draconis caput confractum: *Ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3. v. 15. alibi è cælo detrusum: *Proiectus est draco ille magnus.* Apoc. 12. v. 9. Dum curatorem simulans, ad hominis eadem accurrerit, capite plectitur: *Conteret caput tuum*: cùm ipsum Deum deuorare gestit, proijcitur: *Proiectus est draco ille magnus.* Profectò grauiori videbatur pœna multandus, cùm Deum deuorare tentat: *Vt cùm peperisset, deuoraret filium eius,* quàm cùm hominis felicitatem obscurarat: cur ergo capite soluit tetendisse homini insidias, & solùm proijcitur, cùm in Deum ipsum disponit technas? Quia cùm se cæteris præferri ambiret, & sapientiã anteire præsumeret, vt testatur Isaias: *Qui dicebas in corde tuo: In celum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isai. 14. v. 13. Durius puniebatur despectus, quàm caput attritus; cùm ventosis, superbisque præ quolibet dolore acerbius sit contemptui haberi, & ab opinione cadere. Innuit Primatus apud Gloss. *Bi-partito corpore diabolus in suis traditur, victus autem ab eis dicitur expelli.* Ingenter punitus est, dum sua opinione magnus, ad terram deuoluebatur deiectus: abisectio durior capitis contritione fuit;

nam licet doluerit attritus, plus indoluit, & ingemuit despectus: *Victus dicitur expelli.* Petat ergo Dauid Achitophelis sententiam postponi, non flammis aduri: *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel*: quia Achitophel erit acerbius contemni, quàm vri.

§. CXLIV.

Valdè timenda est astutia, si potentia armata; & potentia, si sagacitate munita.

AD perfectionem votorum non solet deuenire potentia, si desit sagax industria; nec sagax satis esse probatur industria, ni vincat difficultates potentia: at, si amico foedere concordarint valida potentia, & sagax astutia, quidquid tentauerint, assequuntur. *Nos dicimus* (aiebat Tertul. de Testim. anim. cap. 3.) *malitiæ angelum totius erroris artificem, totius sæculi interpellatorem, per quem homo à primordio circumuentus, vt præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus: exindè totum genus de suo sermone infectum.* Consummata calamitas fuit Reipublicæ Angelus astutiã armatus, potentia præditus. Cùm Dauid plures hostes pateretur, Achitophel extimuit, & consilium eius infatuari obnoxio precibus supplicauit: *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.* Quærunt Interpretes: Cur potius Achitophel extimuerit, coniuratorum illuuiem passus, & armorum copia impetitus? respondētque Achitophelē consuluisse copiosam electorum militum manum sibi tradi: *Eligam mihi duodecim millia virorum,* quibus armatus in Dauidem irrueret, & perderet: ergo Dauid extimuit coniungi cum militari robore prudentem astutiam, & cum astutia potentiam: si astutia careret viribus, aut si vires sagacitate carerent, minus erat timendum; ast vbi simul contra Dauid armabantur, pericula adaugebantur. Prodest Chrysof. apud Gloss. *Achitophel apud tyrannum hunc omnia poterat, rei quidem militaris valdè peritus, & qui in bello Imperatoris partes poterat sustinere, & ideo eum Dauid plus timebat, quàm tyrannum.* Vbi Dauid sensit magna potentia vti, & sagacissimã astutiã pollere Achitophelē, expauit; quia nihil aded timendum est, ac astutiã potestate armata, & potestas astutiã suffulta. Calamitates futuras ad puniendam scelerum redundantiam prædicens Daniel aiebat: *Consurget Rex impudens facie, & intelliens propositiones, & roborabitur fortitudo eius.* Quàm erat populis infaustum illud fortitudinis, & dolositatis foedus! Propositiones intelligens, pollebat noxiã sapientiã, facie impudens audacia nil non tentabat viribus obarmata: ergo nihil erat tutum, nihil sanum. Prodest Hugo: *Intelligens propositiones, id est perastutus, & aduertens obscure dicta.* Astutia fortitudine munita, & fortitudo calliditate armabatur: ergo calamitas complebatur. Minus noceret potentia veterno sis consilijs non fota, minus astutia læderet potentia viribus destituta; ast, vbi hæc duo consociata sunt, concordia creuerunt, & omnia miserabiliter deuastarunt. Timeat Dauid Achitophelē plusquam tyrannum, quia in eo astutia, & potentia probantur vnita.

Gen. 3.
v. 15.
Apoc. 12.
v. 9.

Isai. 14.
v. 13.

Dan. 2.
v. 23.

TEXTVS.

VER S. 32. Cúmque ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.

§. CXLV.

Consuetudo pro natura inolefcit, & obstacula quæque vincit.

Consuetudo quodammodo in naturam transit (aiebat Plutarc. de Præcept. salubri.) *ne dum non contra naturam est.* Paulatim in naturam transit consuetudo: vtque non est facile naturam denuddare, sic facile non est consuetudini resistere. *Consuetudo* (scribit Philo lib. de Ioseph.) *abit in nature similitudinem.* Aliquando occurrunt impedimenta, negotia, obstacula, & tamen consuetudo præualet, & quidquid retardabat, euincit. Tende-
bat Dauid per oliuarum cliuum difficili fortuna pressus, valida coniuratione impetitus, effugiendi-
que hostem satis audis, & tamen in summitate montis stetit, vt Dominum adoraret. *Cum ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.* Cum periculum vrgeret, nec vllam moram permetteret, quærun-
t Interpretes, cur Dauid gradum stiterit, & illo in montis cacumine Deum adorauerit? Abul. q. 35. ait assueuisse Dauidem, siue à ciuitate excederet, siue ad illam rediret, in illius montis vertice Deo preces fundere, eamque consuetudinis vim fuisse, vt, quantumuis periculis cinctus, & sollicitudinibus diuexatus, ibi constiterit, precèsque fuderit. Abulensis verba sunt: *Sine veniret Dauid in Ierusalem, siue ab ea recederet, quandocumque transiret per verticem montis illius, adorabat.* Assuetus erat in eo montis vertice Deum adorare, & licet modò plura obstarent, ne ad preces fundendas ibi detineretur, consuetudo inualuit, & tantas difficultates euicit. Hinc disces; quàm oporteat colendis virtutibus assuescere, & quàm noceat voluptatibus diu inserrere. Vrgebit mors, animæ periculum imminet; & cum pœnitentiam, conscientiaque expiationem censeris ab ægroto atripiendam, si voluptatibus assuetus, eo etiam articulo ad voluptates inhæbit; si auarus, etiam citissimè relinquendas diuitias ambibit: quia consuetudo pro natura inoleuit, & ad se animum trahit. Vt econtrà: virtutis studiosus, & corporis, animique seruare candorem solitus, ipsa inter luxuriæ incitamenta nitescet, & irritamenta vincet. Ioseph ab incunabilis castitatis reuixit idea, prudentiæ forma: inopinè postea tumidis inuidentiæ vndis iactatus, in Ægyptum deuenit, & certamen durum sustinuit; nam fratrum odia excepit mulier adolescentis amore faucia: nihil non tentauit, vt in sui amorem Iosephum alliceret, sed licet luctator adolescentulus, licet ætas temperantiæ insidiatrix, licet mulieris adulationes importunæ, & quæ alterius constantiam soluerent, cœlesti gratia adiutus, & pudorem, candoremque colere assuetus, omnia impedimenta vicit, & illæsam castitatem seruauit. *Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Gen. 39. v. 12. Per omnes sentiendi vias aliquid

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

ibat illecebrosus: opportunitas, secretum, domina dulcis importunitas, ætatis flamma veluti manufacta in Iosephi castitatem depugnabant; verum Dei memoria, & seruandæ castitatis consuetudo diu adulta vicit; & omnia tentamina detriumphauit. Notauit Basil. Seleu. Or. 8. *Quot cum periculis iuuenis pro virtute retinenda colluctatus est? quot fluctuum excussit insultus? quot præcipitia absque ruina transiit? Lubricis in præcipitijs stetit firmus, quia longo vsu virtutibus assuefactus.* Ioseph occlusit adulationibus aures, & Dauid difficultatum voluminibus impetitus, fudit, quo sol-
bat in loco, preces.

§. CXLVI.

Qui discipit pericula euadere, studeat dirigere ad Deiparam votum, & eius deprecetur auxilium.

Ovi viam sine via ingrediuntur, & profunda traijcere maria disponunt, pro tellera rutilantium astrorum motiones habent, & gubernator gubernaculo astans tollit in cœlum oculos, vt aurigarit nauigium, & tandem securum ducit in portum. Cúmque vitæ pelagus non minus procellosum sit, opus est ad stellam Iacob dirigere aspectum, & inde sollicitare subsidium. Nocturnus per annum integrum vndis iactatus columbæ ope & serenum cœlum præsensit, & carcerem illum euasit. Iacob, illucescente iam aurora, tulit palmam, absoluit luctam; & Balaan infestis augurijs non valuit Israëlitis nocere; quia fidereis radijs agnouit protegi. Andreas Cretens. Sermo. de Assump. vocauit Deiparam *Sustentaculum vitæ*, quasi sine Maria nec calamitas depelli, nec vita valeat fulciri. Hinc est quòd Dauid, cum filij ambitio, & populi coniuratio throno depulissent, & vndique periculis premeretur obsessus, vt laqueos tantos euaderet, & nodos difficiles aded exfoltaret; ad Mariam direxit aspectum, & ab ea fuis precibus est deprecatus subsidium: *Cum ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites.* Cur tursum stiterit fugiens, & in montis præcipiti culmine, vt tot pericula eluderet, adorarit? quærun-
t Interpretes, respondētque ex montis summitate Arcam fuisse intuitum, indeque ad eam oculos direxisse, vt procellosam tempestatem sedaret, & tranquillitatem adduceret. Audi Abul. q. 35. *Causa erat, quia ex loco illo videbatur locus, vbi erat Arca posita in Ierusalem.* Vt, calcatis acriter reflantis fortunæ fluctibus, tranquillum deueniret ad portum; ad Arcam direxit aspectum; vt qui nosset, Mariam esse vitæ sustentaculum, & inter æstuantis aduersitatum vndas securum portum. Et quis Mariam inuocauit, qui eius expertus non sit auxilium? *Virgo sanè Nostrâ* (verba sunt Adami in Allegot. Thylm. ad Eccles. 24.) *est olina speciosa in campis, quia gratia eius, & misericordia omnibus est communis.* Nescit non miseri, si contigerit inuocari. Vbi Pharaonis pincerna narrauit somnium, Ioseph felicissimum asseruit auspiciam: *Recordabitur Pharaon ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum.* Gen. 40. v. 13. Cúm vtriusque serui similis fuerit ad speciem culpa, similis fore videbatur fortuna; & tamen pistor meritum tulit supplicium, pincerna euasit imminens iræ naufragium. Ecqua discriminis causa est? Quia pincerna ad vitem direxit oculos: *Videbam coram me vitem*: pistor non di-

rexit aspectus : ergo pistor meritam exsoluit pœnam, & pinceria suauissimam inuenit misericordiam. Damascen. Ora. i. de Natiu. Mariam vocat florem, & vitem : *Flos vite immaculatus, vitis semper vicens.* Qui vidit vitem Virginis umbram, est consecutus misericordiam ; qui ad eam non respexit, exsoluit mulctam. Ergo Dauid oculos in Arcam dirigit, & quia in ea spes firmissimas collocauit, coniurationem deuicit.

§. CXLVII.

Luctus debet cum causa concordare, non disidere.

Prudens est cum causa luctum metiri, non discordare. Pueri, si pomum, aut nuces amiserint, largiter flent, cum de rebus æquam non ferant sententiam, ob leuia deplorant, ob pretiosa lachrymis oculos non deturpant. Plures adulta in ætate puerilitatem retinent : quæ exigui, aut nullius pretij sunt, amississe lamentantur, iacturam grauem siccis oculis intuentur. Disertè Sen. epist. 90. *Afflicto, & magnum vulnus male ferenti paulisper cedendum est : exsariet se, aut certe primum impetum effundat. Hi, qui sibi luere sumpserunt, protinus castigentur, & discant quasdam etiam lachrymarum ineptias esse.* Qui accepit graue à fortuna vulnus, lugeat ; non ei conuitia adhibenda sunt, sed solatia, qui verò ad leuem puntiunculam largè ingemiscit, non solatio, sed dignissimus probatur conuitio. Itaque pro qualitate causæ est dolor augendus, aut temperandus. *In tuis malis* (scribit Sen. de Tranq. anim. c. 15.) *id agere te oportet, ut dolori tantum des, quantum poscit.* Minus dant plures, plus exhibent non pauci. Chusai graui amici infortunio ictus, occurrit, veste decissa, & coma puluere defœdata. *Ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.* Mos erat asperis in casibus vestem scindere ; sed cum modò calamitas esset acrior, non solum vestem scidit, sed etiam caput puluere sordidauit. Ioab serui, exustis inessibus, vestem sciderunt, caput verò non sordidarunt. *Venientes serui Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt : Succenderunt serui Absalom partem agri igni.* 2. Reg. 14. v. 30. Chusai verò vestem dilaceret, & caput deturpet ; quia pro causæ conditione, inquit Abul. q. 36. luctus aut pressior, aut laxior. Segetum exustio non erat magna iacturæ, erat tamen acerbissima fortuna à filio proditore throno depelli, & corona dispoliari. Ergo amarior debebatur luctus graui adèò infortunio, quàm exiguo illi detrimento. Ergo Arachites vestem scidit, & caput puluere defœdauit. Verba Abulensis sunt : *In doloribus magnis, non tamen maximis rumpebantur vestes, & nihil ultra fiebat. In maximis verò aspergebatur puluis, vel cinis super caput.* Grauiissima erat, quæ presserat Dauidem, iactura : ergo grandi erat deploranda tristitia ; nam luctus cum causa debet conuenire, non discrepare. Iosue, & Caleb vbi inani metu Israëlitas viderunt concuti, & in Ægyptum velle reuerti : *Reuertamur in Ægyptum* Num. 14. v. 4. Vestes sciderunt : *Sciderunt vestimenta sua.* Mardocheus non est contentus vestem scindere, sed capiti cinere sparsio, ingentisque clamore amaritudinem animi ostendere : *Scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.* Esther. 4. v. 1. En Mardocheus,

qua vrgeretur, animi amaritudinem copiosis lachrymis prodidit, cum Iosue et si dolore exulceratus nec copiosas adèò lachrymas fundat, nec capiti cinerem spargat. Ecqua discriminis causa est ? Quia Iosue dolebat terræ ingressum tardari, Mardocheus vniuersos Israëlitas morti fraudulentis technis addici. Ergo cum grauius esset infortunium, Israëlitas omnes perire, quàm falsis opinionibus detineri, Iosue prudenter moderatus est luctum, & Mardocheus emisit tristissimum eiulatum. Prodest Lira : *Cum audisset condemnationem Indorum prædictam per edicti publicationem, scidit vestimenta sua, &c. in signum doloris.* Si immani adèò strage caput Mardocheus non defœdaret, delinqueret ; si Iosue cinerem spargeret, à prudentia aberraret ; at vterque nobis exhibuit prudentis luctus formam, dum æqua lance expenderunt lugendi causam. Videas, amissa vxore, subblatis liberis, amissis facultatibus, copiosissimis fletibus superfusus, & Dei gratia amissa, nullis lachrymis deturpatos.

§. CXLVIII.

Virilis constantia minus in proprijs ærumnis dolet, vera compassio plus luget.

Vir fortis, constantisque, non dico, aduersos casus non sentit, sed fortunam magnanimitate subijcere exambit. Audi Epicetū apud Stob. cap. 4. de Agripp. *Talis vir erat, ut eius, quod illi accidisset mali, encomium scriberet : si quidem febreret, febris, si notaretur infamia, infamia, si exularet, exilij.* Idem erat in exilio, & vrbe ; idem in ægritudine, & sanitate ; idem in despectu, & plausu. O animum celsum, & quodammodo ab infortunio securum ! Chrysippus apud datum Stobæum hæc ait : *Dolere quidem sapientem, sed non torqueri, seu cruciari.* Stupidus, & veluti humanæ naturæ expertus est, qui acerbis in casibus nullo sensu doloris tangitur ; à virili fortitudine recessit, qui nimis angitur, & torquetur. Verum et si constantia aduersam fortunam fortiter ferat, alienam infelicitatem amarè flere congruit humanitati ; congruit fortitudini. Plus aliquandò charitatem discruciat compassio miseri, quàm ipsum miserum dolor sui. Incidit Dauid in aduersam fortunam, quia ambitiosa filij insolentia, & ingrata populi inconstantia à throno depulit, & profugia quærere impulit. Indoluit, & dolorem in lachrymas fusus ostendit : *Ascendebat oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite.* Fleuisse lego, scidisse vestes, & defœdasse caput non lego. Transi ad Chusai fidelem Dauid amicum, & inuenies vestes scidisse, & caput puluere sordidasse : *Ecce occurrit Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.* Cum ob eandem causam vterque indoleret, rationi videbatur consonum, vt Dauid comam sordidaret, & Chusai caput non sordidus fleret, & tamen Chusai ingemiscit puluere sordidatus, Dauid solum ingemit caput opertus. Ecqua discriminis causa est ? Quia fortitudo in proprio dolore honestè induratur ad patientiam, at vera charitas, & amica commiseratio nescit in dolore mensuram. Dum Dauid vestes non scidit, ostendit inuictam contra infortunia constantiam ; dum Chusai vestes scidit, prodit laudabilem commiserationis violentiam. Innuit Abul. q. 36. *Quando occurrit Dauid, sciderat vestem suam, rumpendo*

2. Reg. 14.
v. 30.

Num. 14.
v. 4.

Esther. 4. v. 1.

Gen. 22.
v. 3.

pendo eam, & aspererat puluerem super caput suum: istud autem fiebat in signum extremi doloris. Chusai in asperis amici calibus dolore vrgebatur extremo, Dauid in suis temperato, quia virilis constantia fert dolorem suum fortiter; ast vera compassio ingemit dolenter. Quem in senectute susceperat, filium Abraham præcipitur in monte immolare, vt longo, prolixoque itineris spatio sæuus incretceret dolor, & asperi montis accessu defatigaret etiam parentem timor. Difficultatum addebantur auctaria, quasi lenia fuissent immolationis præcepta. Audit Abraham intrepidus præceptum, & implere gestit sacrificium festinus: *De nocte consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* Gen. 22. v. 3. In tantis filij casibus nec dolorem ingemiscens prodidit, nec aliquod à lachrymis solatium quæsiuit: omni sacrificio, sacramentoque disposito, Angelus ingeminat vocem, vt manum comprimat, & quo ipse prematur dolore, ostendat: *Abraham, Abraham... non extendas manum tuam super puerum, nec facias illi quidquam.* Zæno Veron. Ser. 1. de Abrahamo, expendebat, angelum veluti dolote ictum vocem ingeminasse, & Abraham nec lachrymulam effudisse. Et cur non deplorat Abrahamus aduersam aded fortunam, & cur repetitis clamoribus Angelus doloris deprompserit vehementiam? Vt constaret (inquit Veron.) sæculis & labores subeuntis constantia, & dolorosa compatiens angustia. Zænonem audi: *In illo sacrificio solus Deus doluit.* In illo sacrificio solus Angelus doluit compassione percussus, Abraham à lachrymis abstinuit virili constantia armatus; nam virum fortem decet asperis in casibus inconcussa constantia; commiserationi dolorosa congruit angustia.

§. CXLIX.

Non vrgetur vero dolore oculus, si in secessu serenus, etsi spectante aliquo fuerit lachrymis superfusus.

Heraclitus quoties in publicum prodibat, flebat, quærebat pompam, & mentitam ostentabat angustiam; in secreto, quia deerat inspector non flebat, vbi spectator aderat, deplorabat. *Plerique* (aiebat Sen. de Tranq. anim. c. 15.) *lachrymas fundunt vt ostendant: & toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit.* Turpe iudicant, si testes accedant, non desistere, & dolorem, re simplicissimam ad dissimulationem deflectunt, interius tamen exiguum, aut nullum subeunt. Verus dolor, etsi spectator non adsit, vrget, simulatus irritamento spectantium eget. Mulierculæ præcipue, cum audiuntur, ingemiscunt, in secreto tacitæ sunt, & cum ab oculis semotæ facilius potuerint capiti suo manus iniicere, abstinent; has tragædias tunc excitant, cum nouerint spectari. Vt sacer Textus verum Chusai dolorem testatetur, expressit, antequam ad Dauidis conspectum deuenisset, vestem scidisse, & caput puluere deturpasse. *Eccè occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.* Non misit, Dauid spectante, puluerem, non discidit vestem; vbi audiuit infortunium, dolor efferbuit, nec se continuit. Notauit Abul. q. 36. *Quando occurrit Dauid, sciderat vestem suam, rûpendo eam, & aspererat puluerem super caput suum, istud autem fiebat in signum extremi doloris.* Virgentissimi erat doloris testimonium absque arbitris, à conspectuque semotum caput deturpasse, vestemque scidisse; nam qui ex-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

pectat oculos, plus dolorem fingit, quam sentit. Magdalena acri probatur dolore percussa, dum ab oculis semota dolorem lachrymis exfatiati abeuntibus discipulis, iuxta monumentum remanet tristitia oppressa, & amoris vinculis illigata. *Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foras plorans.* Ioan. 20. v. 10. Nondum Angeli apparuerant, Apostoli non adstabant, remanserat Magdalena sola, & tamen flebat dolore icta, & sibi doloris conscia fundebat lachrymas non industria expressas, sed doloris, & amoris igne inhalatas. *Viris redeuntibus* (inquit August. in Cat.) *infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus, vnde sequitur: Maria autem stabat ad monumentum foras plorans.* Non quærebat adspici, sed dolere: lachrymæ fluebant spontaneæ, non iussæ. Non desiderabat Maria spectatores, vt plus lugeret, imò, vt lugeret plus, abesse desiderabat spectatores; nam qui solum luget in publico, sibi blanditur mendacio.

Ioan. 20.
v. 10.

TEXTVS.

VERS. 33. Et dixit ei Dauid: Si veneris mecum, eris mihi oneri.

§. CL.

Aliquando consolatores sunt oneri, non leuamini.

MOS est ad infortunis oppressum, aut calamitatis vndis iactatum aduentare amicos, vt dolorem leniant, & aliquale solatium afferant; tales vero solent concurrere circumstantiæ, vt potius afflictum gratiarint, quam leuent. *Lugere sol* (aiebat Tertul. in Apolog. cap. 15.) *filium iactatum de caelo, letantibus vobis.* Acsi dicat: Ad leniendum mærorem patris eo habitu, eo gestu concurritis, vt potius videamini dolentem contemnere, quam solati. At ris quis aduentat indutus, sed ipso in luctu risum non continet, sermonem à causa prorsus alienum texit, vnde potius addit solando tormentum, quam attulerit solatium. Chusai Dauidi occurrit veste lugubri, capite deturpato, & nihilominus compulsum est Dauid fateri sibi potius esse oneri, quam leuamini: *Et dixit ei Dauid: si veneris mecum, eris mihi oneri.* Non ignoto Litteram, sed adapto ad concinnandos mores sententiam. Sunt consolatores molesti, aut quia dolorem exacerbant, aut quia imprudentia tedium exasperant. Chusai Dauid cupiebat adesse, Dauid tamen renuit, & sibi oneri futurum extimuit. Notauit Abul. quæst. 36. *Ipse ire volebat cum Dauid, & ad hoc dixit, quod esset sibi oneri, scilicet quia non prestaret aliquam utilitatem, sed impedimentum.* Sensit Dauid Chusai aduentum non solum sibi inutilem esse, sed grauem, ergo ne sustinuerit impedimentum, respuit solatium: *Noles* (aiebat Senec. aliorum de consol. ad Polyb. cap. 19.) *longum esse, quod irritum est.* Longum, prolixumque sermonem aliquando necit consolator, & solandus desiderat eam molestiam breuiari, & consolatorem abire. Cum amici Iob calamitatis voluminibus pressum aduentassent solari, & ingrata sæpe repeterent, auribus attulerunt tedium, non calamitatis subsidium: ergo in hæc verba dilassatus prorupit. *Audiri frequenter talia. Consolatores onerosi omnes*

T. 1.

208

Iob. 16.
v. 2.

vos estis: nunquid habebunt finem verba ventosa?
Iob. 16. v. 2. Luctus tempore increpatoria verba proferebant, & quam patiebatur calamitatem, applicabant culpæ, adscribebant superbiam. Aduentabant consolatores, sed persecutores apparebant, & moerentis animum excruciabant. Audi Greg. Lib. 13. Moral. cap. 2. *Non immerito bonorum mentibus onerosa sit eorum consolatio, quia inter verba dulcedinis virus propinare cupiunt erroris.* Alia manus dolentem demulcebat, sed alia tectis aculeis dolorem exulcerabat, & vnde sperandum delinimentum, calamitatis proueniebat auctariū. Non semel importuna consolatores proferunt, fatilibus tempus terunt, & cum aduentarint solari gemitum, addunt cruciatum. Amici Iob lenibus ad speciem verbis dolorem temperabant, sed reuera rigidi dolores augebant, vnde compulsus est fateri consolationis molestiam, cum in tot aduersus inuictam ostenderit tolerantiam.

§. CLI.

Miles ignauus, & inexpertus exercitui aliquando attulit infaustram fortunam, & peperit aduersarijs victoriam.

Bellum (aiebat Thucyd. lib. 1.) *minimè certum; aut prescriptum aliquid habet, sed ipsum per se multum machinatur pro re nata.* Cum pro occasione opportunum sit arripiendum consilium; Mars strenuos sibi adlegit, qui militari polleant scientia, & virili contra fortunam obarmentur audacia. Ignauus, bellique inexpertus sine causa arripit fugam, & dum hostem præualuisse, trepidus clamat, & cæteros territat. Sæpè quod pecoribus, contigit militibus: passim vagantur, non ducent secuti, sed fremitum, & pauorem in diuersa vocantis. Dum ignauus stationem deserit metu inani agitur, pecorum more plures sequuntur fugientes; quæ ille iuit, non quæ eundum esset. *Nulla res nos maioribus malis implicat* (aiebat Sen. de Vita Beata) *quam quod ad rumorem componimur.* Si vnicus miles rumorem spargat infaustrum, fuga arripitur, statio deseritur: vnde & clades premit, & hostis vincit. Secum ferebat Dauid validissimos pugnatōres: *Pugnatōres validi sexcenti viri.* Suprà. v. 18. His se Chusai adiungi desiderabat, sed eius signa sequi Dauid non permisit, fore non subsidio, sed oneri contestatus: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Quærun Interpretes repulsæ causam, quandoquidem è re videbatur, milites non repellere, sed ascissere. Dauid amicum, & quidem fidelem signa prohibuit sequi, quia conducibilis erat in ciuitatem redire, & Achitophelis consilijs obuiare, & insuper cum armorum esset inexpertus (teste Lira) *Non erat vir bellicosus: cavit, Dauid, ne timidus, aut inexercitus suo exemplo alijs noceret, & hostem præter opinionem iuuaret.* *Eris mihi oneri: quia nesciebat* (inquit Hugo) *pugnare.* Et Lira: *Quid non erat vir bellator.* Inter strenuos milites armorum indoctus, inter egregios bellatores ignauus nocere poterat, iuuare non poterat, ergo erat oneri, non iuuamini. Nescio quis, iugulato Holoferne, clamarit Assyrios debellari, sed scio, satis fuisse rumorem, vt fugæ præsidium arripiant metu agitati, & inani pauore percussi. *Fugit mens, & consilium ab eis: & solo tremore, & metu agitati fugæ præsidium sumunt.* Iudith. 15. v. 1. Non persequebatur inimicus, sed panicus vrgebat metus. Et quis metum suasisit,

& fugere impulit? Textus innuit: *Euadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant.* Hebræi armati Assyrios tunc non vrgebant; verum cum aliquis Assyrius miles metu agitur hunc rumorem sparsisset, deserta statione, arripuerunt cæteri fugam, & hostibus concessere victoriam. *Postquam descripta est* (inquit Lira) *fugiendi ratio, hic consequenter ponitur fugientium deuastatio.* Fugiendi occasio fuit clamor, Hebræos supra Assyrios iam venire denuntians: Ergo vbi clamor confusaneus animos terrore impleuit, quisque, deserta statione, imprudenti sibi fuga prouidit, & aduersarius triumphauit: sæpè quia vnus miles iamiam præualere hostes inclamauit, plures alij, re indiscussa aufugiunt, & castra deserunt. Noluit ergo Dauid armorum inexpertum, & bellandi inscium secum ducere; vt qui benè nosceret eiusmodi milites cæteris esse detrimento, nulli subsidio: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.*

TEXTVS.

VERS. 34. Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: seruus tuus sum, Rex, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel.

§. CLII.

Simulatus amicus est senior hostis, grassantior pestis.

VT nihil est humanæ vitæ dulcius vt fidelis, & verè amicus, cui tuò possis arcana committere, & ardua cum ipso communicare; ita nil perniciosius est, quàm amicus simulatus, & fraudulentus: nam, dum animo tegit dolum, dum suauem mentitur affectum, sollicitam exarmat cautelam, & liberius infligit plagam. Dauid pro ludo fuit cum leone pugnare: *Cum leonibus lusit quasi cum agnis.* Eccles. 47. v. 3. Cum gigante in arenam descendere: *In tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Golia:* Eccles. 47. v. 5. strenuus hic miles Saulem fugit, & ni aufugisset, periret: *Declinauit Dauid à facie Saül:* 1. Reg. 19: v. 10. Si quaras: Cur Dauid leonum domitor, gigantum euerfor Saulem timeat, & ab eo distare fatagat? respondebit Basilius Seleuc. Saül, & locer & beneficijs magnis obstrictus exterius mentiri amicitiam, cum corde gereret ardentem malevolentiam: vbi contortum telum, quod animo Saül odium fouebat, detexit, celerem Dauid fugam arripuit, arbitratus satius esse inire cum leone pugnam, quàm amicitiam pati laruatam. Seleucien, audi Ora 15. *Cogitatio inimica Saülis animo tegitur: est crudelis, malevolentia plenus, amicitie larua loriceatus.* Psallebat Dauid, vt alleuaret amicum, Saül tamen amicitie assumebat laruam, vt contra incautum facilius contorqueret sagittam: ergo Dauid, vt dolosum est expertus amicum, grauius sibi agnouit imminere periculum, & ad distantie opportunum inuolauit propugnaculum. Hac experientia doctus, modo exoptat, Chusai externam cum Absalone ostentare amicitiam, & tegere speciosa larua internam malevolentiam, ratus non posse Absalonem præualere,

Iudith. 15.
v. 1.

lere, si infideli vtatur amico, familiari callido. Si in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: seruus tuus sum, Rex, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel. Non disputo, an Dauid peccauerit suadendo simulationem, & an Chusai obtemperando deliquerit? De hac re adi Interpretes, qui litteram tractant. Ego, vt propositam thesim confirmem, expendo nocentissimam sibi Absalonem fuisse pestem, dum vti amicum fidelissimum Chusai ad secretiora admisit consilia, & aperuit occultiora: nam cum speciosa eloquentia Achitophelis oppugnat consilium, dum tegit dolum, maturat Absalonis excidium. Tota Absalonis ruina orta est ex Chusai exterius blando amico, & interius aduersario: Hoc dicebat Dauid (inquit Abul. q. 36.) volens quod Chusai contraheret aliquam familiaritatem cum Absalom in Ierusalem, vt posset destruere consilium eius. Validissimum Absalonis fortunæ opposuit obstaculum, verum scilicet aduersarium, & specie tenus amicum. Quod non assequerentur armatorum agmina, cito obtinuit Chusai amicitia loricæ tectus, & interius fraudem meditatus. In Sisaram armantur astra, pugnant elementa, consurgunt agmina, & nihilominus fugæ præsidio eripitur, & saluatur. Ad Iahelis inuolauit tentorium, quod tutissimum est arbitratus præsidium. Sisara fugiens peruenit ad tentorium Iahel uxoris Haber Cinei. Erat enim pax inter Iabin Regem Azor & domum Haber Cinei. Iudic. 4. v. 17. Hic Sisara miserandus perijt clauo transfixus, & pallio tectus: Sopor mortem consocians, defecit, & mortuus est. Dum pugnant astra, dum inimica ruebant tela, fugæ opportunitatem inuenit; in domo Haber lethalem plagam admisit, nam cum esset pax, & concordia, somno indulsit, quia nullum ibi contra se obtendi posse laqueum putauit. Dum Iahel exterius affectat obsequium, & interius disponit dolum, dum exterius tegit pallio, interius terebat ferro; Sisara & dormit, & corrui, & perijt. Notauit Lira: Illuc diuertit securus, & maxime quia Iahel inuitabat eum dicens: Intra ad me, domine mi. An Iahel speciali Dei pulsu mota, an in publicum hostem, veræque religionis inimicum, hæc zelo fecerit inflammata, modò non discutio; expendo tamen Sisaram perijsse, vbi exterior amicitia promittebat tutelam, & interior cogitatio disponebat altissimam plagam.

§. CLIII.

Reipublica profunt ingeniosi genium secuti, non si contrarijs actionibus occupati.

Princeps Reipublicæ proficit, si ingenia caleat, & pro accipientis ingenio munia distribuat. Eugenitem illustrem virum litterati dogmatis opinione fulgentem (aiebat Theod. 1. Var. 13.) magisterij honore subueximus, vt gereret nomine, quam possidebat meritis dignitatem. Litterarum studiosus proficiebat magisterij muneribus occupatus: parum proficeret, armis adscriptus. Animus naturali inclinatione alia munia libenter amplectitur, alia fastidiosè auersatur; nec potest in Reipublicæ vtilitatem imperantis exercere mandatum, si occupationi apertè resistat ingenium. Hinc est, quod Dauid Chusai, quem arguta ingenij noscebat viuacitate pollere, militaria sequi signa prohibuit, & ad curiam delegauit: Si ueneris mecum, eris mihi oneri; si autem in ciuitatem

reuertaris, &c. dissipabis consilium Achitophel. Erat oneri militiae adscriptus; quia militia non aptus. Ita Lira: Non erat vir bellator. Erat magno vsui in curia, quia eminebat prudentia. Redeat Lira: Dissipare poteris per tuam sapientiam, & eloquentiam, sicut apparuit per effectum, vt habetur infra 17. Chusai militiae inhabilis esset oneri, castra secutas, magnæ fuit vtilitati Dauidi, negotijs politicis applicatus: ergo Dauid sibi, & Reipublice prouidit, vbi munera nõ inuertit. Ingemisceret Reipublica, si Chusai eloquentia nitidus, & ad difficiles soluendos nodos, litterarum lumine præditus, militiae inueniretur certaminibus applicatus; at dum munia cum ingenio concordant, propulsatur periculum, & Reipublicæ sollicitatur augmentum. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samaria: quia lugebit super eum populus eius. Osee 10. v. 5. Agit Osee de vaccis, aut vitulis illis, quos Geroboanus infanis spebus ductus, & coniecturis ambiciosissimis nifus adorandos extulit, & populo colendos proposuit. Si quæras huius gemitus causam, inuenies fuisse inuersa munia, & luctantia cum occupatione ingenia. Ingemuit populus vitulo ad dignitatem erecto, exundaret frugibus cultura aruorum applicito: vitulus rus excolit, sulcis profundis incumbit, & dum laborat iugo attritus, populus exundat frugibus copiosus; at dum inscendit thronum, dum lucet dignitatis fastigio, populus caret messium abundantia, & vituli plus dignoscitur insipientia: Lugebit super eum populus eius: Lugebit inuersum ordinem, lugebit fructus pauperiem, lugebit impensam vitulo adorationem. Qui excolendis agris applicatus copiosum Reipublicæ afferret fructum, in deorum censum redactus attulit ingentissimum detrimentum. Prodest Theodor. Luxit populus eius super eum, non, inquit, modò vllum eis auxilium non tulit vitulus hic, verum etiam multæ lachrymas eius aduehit. Adduceret colendis ruribus occupatus fruges copiosas numinis occupationibus applicitus, attulit ingentes ruinas. Vitulus regimini erat prorsus ineptus, & colendis campis aptus: ergo dum ordo inuertitur, & luctus asciscitur. Ieroboamus egregiè errauit, nam vitulus ad thronum elatus esse nequibat regni fulcrum, sed miserandum præsigium. Chusai si tractaret arma, esset oneri, ciuilia tractans negotia, fuit populo Dauidis saluti.

Osee. 10.
v. 5.

Iudic. 4.
v. 17.

TEXTVS.

VER 9. 35. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar sacerdotes, & omne verbum quodcumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus.

§. CLIV.

Politicoꝝ studium est, vt secreta possint prænoscere, & aliquem sibi de seruis Principis conciliare.

Tradunt medici humano in corpore latentia procreari venena, quæ tempore fota inopinè pariunt exitia; & quem nutrit sanguis impugnat hominem, qui allaturus videbatur salutem. Quis ferat (aiebat Cassiodor. 2. Var. 19.) in domesticis præsidij locum fuisse periculis, & ibi inueniuntur

uentum dulcis vita exitum, unde nasci debuerat defensionis auxilium? Fidit praesidijs domesticis humana prudentia, nec inde timet periculum, unde salutis oriri credidit augmentum, sed ob id ipsum aduersariorum astutia satagit aut muneribus corrumpere, aut alijs artibus ex aulicis sibi aliquem conciliare: & tunc Princeps patitur proditiōnis detrimentum, unde sperandum credebat defensionis auxilium; studium Dauidis fuit, vt Chusai in Absalonis seruatorum censum admissus secretiora nosceret, & effunderet. *Habes tecum Sadoc & Abiathar sacerdotes, & omne verbum quodcumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus.* Chusai erat quod Hispanè Dicimus *Espia*, ab aduersario instructus, & inter Absalonis familiares adlectus. Cùmque Absalom reputans fidelissimum, faceret consiliorum participem, ille effundebat, & renuntiabat. *Mittebat Dauid* (inquit Abul. q. 37.) *vt esset in consilio Absalō.* Adnectit: *Chusai debebat indicare his, quia ipse mansurus erat in domo Absalom, isti autem non sed isti denuntiare debebant filiis suis, vt referrent velociter Dauid.* Itaque Chusai vnus è Senatoribus secreta hosti aperiebat, & conatus Absalonis frustrabat: Absalom ipsis in visceribus lethale fovebat venenum, quod inopinum aliquando afferret exitium. In irremediabile degenerabat detrimentum, quod securum putabatur auxilium. Hac ab exordio vafritie vsus est humani generis inimicus: acceperat Adamus à Domino præceptum de non comedendo vnus plantæ fructus; conijciebat præceptum diabolus, & vt clarius nosceret, serpentem induit, & per vnum ex paradisi domesticis, quod exoptabat obtinuit. Itaque vt ad certiore deueniret notitiam, hanc excogitauit machinam. Erat serpens ex subiectis Adamo vnus, ergo hunc sibi acquirere procurauit, & mediante serpente, quam notitiam venari desiderauerat, acquisiuit. *Dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Gen. 3. v. 1. Mulier insidiarum inscia cum serpenti quasi domestico loquebatur, & secreta reuelare non verebatur: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vscimur; de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Idem fuit secreta aperire serpenti, ac hosti: non aduertit mulier serpentem sibi subditum, domesticumque cum aduersario fœderatum: vtque ei, quidquid nosset, renuntiaret, sciendi studiosum & dum non timet Eua domesticum, notitia contra seipsam obarmavit inimicum. *Ictus inuidia* (inquit Basil. Seleucien. Ora. 3.) *serpentem efferatus induit.* Vbi aduersarius è domesticis serpentem sibi conciliauit, secretum agnouit, & notitia Adamum eaertit.

TEXTVS

VERS. 36. Sunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis.

§. CLV.

Non dedecet Sacerdotem secularia tractare, si ad salutem Reipublicæ indubium sit conuenire.

DEO dicati sacris debent incumbere semper attenti; nam si periculum est, secularia negotia tractantes sacerdotis munus subripere, & ambitiosa temeritate se actionibus sacrisingere; non leuius erit periculum, sacerdotem se mundialibus immiscere, & profanis causis polluere. Verùm quia aliquando Reipublicæ salus titubat, & tranquillitas populorum vacillat, ni sacerdos rebus secularibus occupatus subueniat, tunc non dedecet sacerdotem negotia suscipere ciuitatis, quia tunc ambitiosus non ingeritur, sed utilis, & necessarius probatur. *Præstantior esse debet* (aiebat Cassiodor. 7. Var. 11.) *qui suscipit negotia ciuitatis.* Ad negotia ciuitatis pro generalitatis salute tractanda fas est dignitate præstantiorem inuigilare, & se laudabiliter eiusmodi curis ingerere. Achimaas, & Ionathas sacris infulis decorati non recusarunt nuntia ad Dauidem deferre, & rebus secularibus occupari. *Omne verbum quodcumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc, & Abiathar sacerdotibus, sunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.* Cur sacerdotes cæteris celsiores, & eorum filij sacerdotali etiam dignitate decori occupentur in Absalonis consilij præcallendis, & Dauidi renuntiandis, quando eos dignitas compellebat ad sæculares curas renuntiandas, & ad res sui muneris attendendas? respondeo, tunc magno discrimine Reipublicæ versatam salutem, & aliter pessumire populorum omnium tranquillitatem: ergo vt proprium erat sacerdotum vicinis Numen placere; sic erat decens fluctuantis Reipublicæ perturbationes componere. Innuit Abul. q. 37. *Isti denuntiare debebant filiis suis, vt referrent velociter Dauid.* Etsi essent sacerdotali dignitate conspicui, eiusmodi fas erat negotijs incumbere, quia debebant pacem Reipublicæ procurare. Abraham ad Prophetarum ordinem pertinere sacer Textus expressit: *Propheta est, & orabit pro te, & viues.* Gen. 20. v. 7. Sacerdotem fuisse, etiam constat, dum agnum vepribus implicitum immolauit: *Obrulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. v. 13. Hic ergo adlegit milites, vernaculos numerauit, & impetere hostem adsubitibus improuisus disposuit: *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo, & persecutus est vsque Dan. Et diuisis socijs, irruiit super eos nocte.* Gen. 14. v. 14. Melchisedech factum approbat, & dignis præmijs remunerat: *Benedictus Abraham Deo excelso.* Si inquiras: Cur dilaudetur sacerdos, dum aciem instruit, dum milites adlegit, dum hostem terret? respondeo, generalitatis suscepisse negotia, & contra Dei hostes ornasse prælia: ergo dignus erat laude, dum omnium laborabat salutem. *Sciunt* (aiebat Oleaster ad Mor. ad Gen. 14.) *Sancti suo tempore bellum, & pacem habere; similiter licet pro vicinis, & amicis arma sumere, si eos iniuste ab alijs vexari contingat.* Abrahamum licuit, & & decuit componendi exercitum cura, quia infidelium contra Loth, & suos grassabatur audacia. Ergo Abiathar, & Achimaas sacerdotibus licuit communis hostis, proditorisque consilia præcallere,

Gen. 10. v. 7.

Gen. 22. v. 13.

Gen. 14. v. 14.

præcallere, & Dauid, ad innocentium tutelam pia sollicitudine denuntiare.

§. CLVI.

Nihil omittendum est duci, ut præcalleat hostis consilia, & prænoscere possit machinamenta.

CHabrias (scribit Plutar. in Apotheg.) summum esse dixit Ducis officium, habere explorata hostium consilia. Hostis consiliorum nescius inuenitur sapissimè incautus; qui verò astutè præcaluit consilium, opportunum architectatur remedium: & sæpè hostium faciliùs retunduntur impetus sagaci industria, quàm armatorum militum copia. Hinc est, quòd Dauid fortiù idea, strenuorumque Ducum forma non tam curauit adaugere militum manum, quàm hostis præcallere consilium. *Sunt cum eis duo filij eorum Achimaas, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis.* Abul. quæst. 37. notauit Dauid, ut omnia, quæ optimi ducis erant, implet, curasse in primis hostis præcallere consilia, & scire secreta, ad hocque cursores designasse velocissimos, & familiæ Absalom inseruisse scrutatores industrios. Abulensem audi: *Chusi debebat indicare his, quia ipse mansurus erat in domo Absalom, isti autem non, sed isti denuntiare debebant filiis suis, ut referrent velociter Dauid.* Proditis consilijs, Absalonis vires eneuabantur, & machinæ frustrabantur: ergo Dauid nihil omisit, ut quid hostis conaretur, prænosceret: & expende non moueri fama vaga, sed notitia certa. Notauit datus Abul. *Mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis, scilicet omne, quod sciueritis esse certum. Nam incerti rumores non erant ferendi ad Dauid, quia per hos ipse turbaretur, & nesciret quid agere expediret.* Si infirmis coniecturis, aut vanis rumoribus sparsa deferrent, confunderent, non iuuarent; ergo Dauid scire curauit, quæ latebant certa, non quæ vanis rumoribus diuulgata. Vbi Dauid agnouit Saüllem maleuolentiâ aduri, & captiosos laqueos disponere, quod primum curauit, fuit, ut Ionathas & consilium eius præcalleret, & denuntiaret: *Ecce Kalendaria sunt crastino &c... Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, ut iret celeriter in Berthelem ciuitatem suam, quia victime solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. Si dixerit: Bene, pax erit seruo tuo; si autem fuerit iratus, scio quia completa malitia eius. Fac ergo misericordiam in seruum tuum.* 1. Reg. 20. v. 5. Duo prudenter curauit: primum, ut Ionathas abstrusam Saülis animo cogitationem erueret, & erutam sibi celeriter denuntiaret: dubijs argumentis coniecta non erant deferenda, sed certis lignis scita. Quod si Dauid obtineat, Saülis retundet conatus, vitabit adfultus. Innuit Lira. *Dimitte ergo me, ut possis certitudinaliter experiri, vel explorare intentionem finalem patris tui de me.* Consonat Abul. q. 15. *Misericordia, quam petebat Dauid, erat, quòd Ionathas renuntiaret ei sententiam patris.* Vbi habuit Dauid, qui abstrusum Saülis consilium exploraret, sibi que deferret, hostis eludit artes, fraudes euasit, sibi que maturè prospexit. Tantum iuuat hostis animum præcallere, & consilium indagare.

1. Reg. 20.
v. 5.

TEXTVS.

VER. 37. Veniente ergo Chusai amico Dauid in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

§. CLVII.

Sæpè calamitas solamine venit nuda, felicitas aliquo infauito associata.

Quidam Philosophus aiebat, fortunam, & viperam in eadem vna concludi. Nunquam deest aliquid, quod fortunæ insidias obtendat, quod splendorem obnubilet, quod metum fortunato sollicitet. Serpens (vt placet plurimis) eodem paradiso cum Adamo deguit, & vinit: erat voluptas innoxia, sed citò serpens venenum euomuit, & plagam satiauit. *Horum, qui felices vocantur* (aiebat Sen. Epist. 80.) *hi arius ficta est, aut grauis. Felicitas timet casum, veretur dolum, suspicatur infortunium, & quidem iure; nam nunquam fortunatis deest aut sollicitudinis angor, aut periculi timor.* Eodem die refertur Absalom urbem ingressus, & faustis acclamationibus celebratus, & Chusai Absalonis ruinam molitus: *Veniente ergo Chusai amico Dauid in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.* Nonne vides Absalonis fortunam tinea associatam? Iam aderat infortunium, cum exhilarabat gaudium: Chusai latenter sollicitabat ruinam, cum putabat Absalom securè se possidere coronam. *Illud habemus ex hoc capite* (inquit N. Sanct.) *eodem die Chusai, & Absalonem ingressos in urbem.* Eodem die, quo Absalom celebratur elogijs, impetebatur insidijs, eodem die, quo arridebat felicitas, aderat etiam calamitas. Erat Chusai hostis tectus, erat futurus Absalonis casus, erat opportuna consilia dissipaturus: ergo eadè porta, & die eodem, quo arripit felicitas, intrauit etià calamitas. Nabucho dum imaginè felicitatis inspexit, aliquid lutosum, & sordidum vidit. *Pedum quadam pars erat ferrea, quadam autem fictilis.* Dan. 2. v. 33. Pes lutosus auri nitorem obscurabat, felicitatem minuebat: rotatus lapis non solum superbam deiecit statuam, & in nigras fauillas vertit, sed etiam acris ventorum flatus penitus adeò deleuit, vt nulla spes remanserit imaginis instaurandæ, aut felicitatis redeundæ. *Contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam sibe area, quæ rapti sunt vento, nullusque locus inuentus est eis.* En statua, dum fulgoribus emicabat; erat obnoxia periculo, & in fauillas viles est redacta sine remedio: quod Hispanè dicimus: *La dicha tiene peligro, y la desgracia no suele tener remedio.* Prodest Theodor. Ora. 2. *Illorum omnium regnorum ipsam quoque memoriam pulueris instar delebit, qui in area partus à vento dissipatur.* Statua vsque ad fauillas potuit deleri; fauillæ humana industria non potuerunt ad erigendam iterum statuatam compingi. Absalom occultas iam patiebatur Chusai insidias, dum acclamationes audiebat faustas, coma irretitus transfixus est duro telo ea parte, quæ non admittat medelam, si succiperit semel plagam: *Tulit tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Infra 18. v. 14. Ioab intulit immedicabilem plagam: Achitophel labilem extulit ad fortunam Absalom triumphans Chusai patitur, è quercu pendens nullatenus auxiliatricem manum fortitur. *Vinea super aquas mul-*

Dan. 2.
v. 33.

2. Reg. 18.
v. 14.

tas plantata & creuit, & viguit, & floruit: *In terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes, & portet fructum; ut sit in vineam grandem.* Ezechiel. 17. v. 8. Quid tunc? *Cum tetigerit eam ventus, siccabitur, & in arcibus germinis sui arefcet.* Floridus vigor vrentium ventorum flatibus prorsus exsiccat, & radix vritur, ut iam premat sine spe restorationis ruina, cum obnoxia fuerit

vredini florida ramorum pompa: radix vitens potuit aduri, adusta semel non potuit facile reparari. *Ventus vrens* (inquit Lira) *ille est exercitus Chaldeorum, qui combussit civitatem, & templum per totalem defectum.* Proh humanarum rerum miserabilem conditionem! longis temporis interval- lis opus est, ut vinea frondeat, & citissime vrenti aëris flatu deperditur, & siccatur.



C A P V T X V I.

I.  *VM QVE* David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vnae passae, & centum massis palatharum, & utre vini. **2.** Et dixit Rex Siba: Quid sibi volunt haec? Responditque Siba: *Asini, domesticis Regis ut sedeant: panes, & palatha, ad vescendum pueris tuis: vinum autem ut bibat, si quis defecerit in deserto.* **3.** Et ait Rex: Vbi est filius domini tui? Responditque Siba Regi: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* **4.** Et ait Rex Siba: *Tua sint omnia, quae fuerunt Miphiboseth.* Dixitque Siba: *Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi Rex.* **5.** Venit ergo Rex David usque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saül, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, **6.** mittebatque lapides contra David, & contra uniuersos seruos Regis David: *omnis autem populus, & uniuersi bellatores à dextro, & à sinistro latere Regis incedebant.* **7.** Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret Regi: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* **8.** Reddidit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saül: *quoniam inuastisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* **9.** Dixit autem Abisai filius Saruia, Regi: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi? vadam, & amputabo caput eius.* **10.** Et ait Rex: *Quid mihi, & vobis est filij Saruia? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim praecipit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* **11.** Et ait Rex Abisai, & uniuersis seruis suis: *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, querit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum, ut maledicat iuxta praecipitum Domini: 12. si forte respiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* **13.** Ambulabat itaque David, & socij eius per viam cum eo. Semei autem per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens. **14.** Venit itaque Rex, & uniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi. **15.** Absalom autem, & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed & Achitophel cum eo. **16.** Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: *Salue Rex, salue Rex.* **17.** Ad quem Absalom: *Haec est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuisti cum amico tuo?* **18.** Responditque Chusai ad Absalom: *Nequaquam; quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hinc populus, & uniuersus Israel, & cum eo manebo.* **19.** Sed & ut hoc inferam, cui ego seruiturus sum? nonne filio Regis? sicut parui patri tuo, ita parebo tibi. **20.** Dixit autem Absalom ad Achitophel: *Inite consilium, quid agere debeamus.* **21.** Et ait Achitophel ad Absalom: *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cum audierit omnis Israel, quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* **22.** Teterunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram uniuerso Israel. **23.** Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis: quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum David, & cum esset cum Absalom.

T E X T V S.

VERS. I. Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba, puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vnae

passae, & centum massis palatharum, & utre vini.

§. I.

Qui Numinis vult elucrari gratiam, lucrosam egenis impendat misericordiam.

Beneficia prompto animo impensa, & praecipue eis, à quibus sperari non possunt lucra, miser

miseri cordiam commendant, & maiorem Numinis gratiam conciliant. Reddituris dare, fœnoris ingenium est, famelicis, & egentibus subuenire, est liberalitatis elogium, & promerendi artificium: vbi spes lucri deficit, grandescit misericordia, & ei debentur ampliora præmia. *Collationes facies* (monet Philo lib. de Profug.) *in amicos pauperes: munificus eris erga patriam.* Fœnerator est, qui liberalitatem detorquet ad ambitionem, munificus, qui solum subleuare alterius studet calamitatem. Siba grandem mercedem est à Dauid assécutus: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth:* cum profugis, & famelicis offert alimenta, cum ab eis nulla sperari poterant lucra. *Cum Dauid transisset paululum montis verticè, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducētis panibus &c.* Attulisse panes Dauidis pueris, labore attritis; & fame satis vexatis Textus expressit: *Ad vescendum pueris tuis.* Interpretes quærent, cur Dauid exiguum obsequium magno ad eod præmio remunerarit? respondētque ad Dauidis in eundam ampliorem gratiam profuisse, nullam à beneficiatis sperasse remunerationis vsuram: audi N. Sanct. *Cum vellet aliquam à Rege gratiam inire, non putauit hanc occasionem omittendam, quare aut egressus est ex vrbe, vbi tunc morabatur cum cibo egentibus, aut iter agentibus opportuno: aut certe sumpsit ex proxima villa.* Non putauit Siba omittendam opportunitatem leuandi laborem, & egestatem seruorum Dauid, vt qui benè nouerat, Regem gratis oculis accepturum, quod in pauperum, egentiumque subsidium attulerat expendendum: nec falsus est Siba, nam quantò à lucri spebus remotus, tantò mercede ampliori donatus; impensa enim egenis misericordia, quod generosior est, & Numini probatur acceptior. Iosephus prius stantem manipulum suum inspexit, & à sole, lunaque postea adorari se vidit. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum mœrum.* Gen. 37. v. 7. Non prius se vidit sidereis luminibus redimitum, quam spicis flauis copiosum; at vbi fertilis manipulus, splendoribus antelatus: quod si arcanum cupis eruere, scito manipulum præsignare, Iosephum fratribus fame oppressis fore alimenta liberali manu exhibiturum, à quibus nihil tunc sperari quibat: ergo vbi inauara præsignabatur misericordia, cœlestis etiam prænotabatur & gratia. Audi Theodor. q. 93. *Manipulorum somnium denotabat futuram frumenti causa adorationem.* Stabat manipulus, quia nequibat cadere, quem misericordia egentibus impensa probabatur suffulcire: stabat maturis, flauisque spicis ditatus, quia nequibat non exundare diuitijs, qui lucrosis ad subleuandam miserorum famem expendebatur impensis; vt notum fuerit, impensam egentibus elemosynam, cœlestem lucem acquirere, & diuitiarum copiam lucrari. Siba vbi subuenit miseris, ibi & promeruit Dauidis gratiam, & diuitiarum accepit copiam: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.*

§. II.

Beneficium auget non expectans rogari, sed verecundiam gestiens præire.

GRatissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, quæ præcibus non extorta, nec verecundiæ ingenti prætio ab accipiente empta. *Non tulit gratis* (inquit Senec. lib. 2. de Benef. cap. 1.) *qui, cum rogasset, accepit. Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est, nulla res* Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

cariùs constat, quam quæ precibus empta est. Cum homini ingenuo os ad petendum concurret, & suffusus rubor torqueat; qui hoc tormentum remittit, beneficium cumulauit. Plus beneficium lucet, quàm de numero, de modo, & quo plus habet spontanei, plus habet pretij. Qui cum rogasset, accepit, aliquid debet largienti, plus rubori. Video Dauid ab Abigail munera oblata: *Tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque saca polentæ, & centum ligaturas vne passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos.* 1. Reg. 25. v. 18. Video à Siba officia etiam exhibita, sed minora: *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vne passæ, & centum massis palatharum, & vtres vini.* Cum gratitudo acceptis debeat officijs respondere, & obsequia ab Abigail exhibita longè excesserint, inquirendum venit: Cur Dauid Siba obsequia remunerarit. *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth: & Abigail, etsi elogijs extulerit, nihil rependerit: suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam.* Ecqua discriminis ratio est? Forsan quia Dauid rogatores suo nomine miserat, vt quid à Nabale acciperet: *Quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid:* at Siba non rogatus, non precibus compulsus, sed spontaneè, vt offerret munera, occurrit: ergo cum beneficium non taxetur à quantitate, sed à largitoris hilari promptitudine, dignior fuit, qui remuneraretur Siba, preces anteuertens, quàm Abigail post preces munera largiens. *Egressus est* (inquit N. Sanct.) *ex vrbe, vbi tunc morabatur, cum cibo egentibus, aut iter agentibus opportuno.* Siba spontè est egressus, Abigail impendentis mali timore percussa, & legatione à Dauide præmissa: ergo et si plus fuerit ab Abigail oblatum, grandius erat à Siba exhibitum beneficium, quandoquidem beneficiorum est decus, vitasse petentis verecundiam, & petitionis molestiam. *Bibebant* (inquit Paul.) *de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* 1. Corinth. 10. v. 4. Petram Christi retulisse imaginem testatur Paulus, dum sibi arida, scaturigo cæteris erat copiosa; & quid melius Dei esse potuit simulacrum, quàm fons perennis, & sitientibus limpidissimas vndas dilargiens? *Vera est* (aiebat Philo lib. de Iudic. prope fin.) *illa præsci cuiusdam auctoris sententia: nunquam homines proprius ad Dei similitudinem accedere, quàm cum sunt benefici.* Petra inexhaustis laticibus omnium sitim explens, Dei naturam representabat, & veluti ante oculos proponebat; huius tamen largitatis laudabiliter profusæ speciale fuit elogium, Israëlitas sequi; ait enim: *Consequente eos petra:* ac si dicat Paulus: Non erat opus vllis vndas precibus sollicitare, aut tempus ad impetrandas insumere: ipsa petra anteuertebat desideria, & crystallina offerebat incundissimè pocula. Prodest Anselm. ad hunc locum: *Sequebatur eos per desertum petra spiritalis, quia vbi deficiebat eis humanum suffragium, aderat Christus, qui ideò sequebatur.* Non expectabat petra repetitis precibus cogi, non expectabat rogari, sed gestiebat ipsa vndas largiri: ergo Dei imaginem induit, & generosè liberalitatis formam ostendit; multiplicat namque beneficentiæ decorem, qui non expectat rogari, sed satagit petentis verecundiam anteire. Siba adauxit officij gratiam, dum spontaneus obtulit munera ad egestatis alleuandam miseriam.

§. III

*Tantiò liberalitas æstimatione probatur dignior,
quantiò liberalis pauperior.*

Non censetur beneficium de quantitate, sed de largientis statu, ac promptitudine: animus pertinet ad beneficium, ad materiam quantum. *Animus est* (aiebat Senec. lib. 1. de Benefic. cap. 6.) *qui parua extollit, sordida illustrat, magna, & in pretio habita debonestat: ipsa, que appetuntur, neutram naturam habent, nec boni, nec mali: id refert, quò illa rector animus impellat, à quo forma datur rebus.* Multum obligat, qui dedit parua magnificè; qui, attenta status sui conditione, quidquid potuit, fecit; qui paupertatis suæ oblitus, alienam respexit, & fortunam suam quodammodò largitate supergressus, est alteri subenire gauisus: qui non tantum voluntatem benefaciendi habuit, sed cupiditatem, qui etiam inter angustias quæsiuit liberalitatis materiam, & ut inueniret, industriè cum fortuna decertauit, generosi meruit elogium. Qui ex pleno, & superfluenti dedit, liberalitatem suam minùs commendauit; ad beneficium namque minùs pertinet quantitas, quàm voluntas. Abigail plurima Dauidi obtulit, nec tamen ad eò se obligatum sensit; ast Siba minus obtulit, & plus ad speciem & dedit, & strictius obligauit: *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vna passa, & centum massis palatharum, & vtre vini.* Munus ad eò gratis oculis Dauid respexit, ut magnis fauoribus compensarit: *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Transi ad Abigail: *Tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos & quinque sata polenta, & centum ligaturas vna passa, & ducentas massas caricaram.* Dauid munera suscepit, & honorem se accipiendò præstitisse putauit: *Ecce audiui vocem tuam, & honoravi faciem tuam.* Inquiramus: Cur qui tanta Siba respexit, beneficium se Abigail exhibuisse accipiendò putarit? Textum consule, & solutionem inuenies: Nabal erat epulentissimus, Siba conditione seruus; ad Nabal rogatores miserat, ad Siba nullum præmiserat rogatores: Abigail plura obtulit, sed impendentis periculi metu percussa, & ut sibi consulere, generosa. Audi quid admoneat famulus: *Recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum Domum tuam:* ac si dicat: Ni munera Dauid obtuleris, ingens discrimen subibis. Itaque Abigail est dilargita Donum, sed metus dehonestabat beneficium: plura obtulit, sed diuitiis copiosa, & prospera fortuna vsa: Siba minus dedit, sed conditione seruus, & timore nullo coactus, ergo dignus fuit, qui maiori exciperetur beneuolentia, & gratia remuneraretur copiosa: *Egressus* (inquit N. Sanct.) *ex vrbe, ubi tunc morabatur, cum cibo egentibus, aut iter agentibus opportuno.* Iter arripuit, ut subueniret, nec precibus allectus, nec timore exagitatus: ergo cum status sui conditionem quodammodò vinceret, gratiam inuenit. *Occasionem* (repetat datus Seneca cap. 7.) *qua prodesset, & occupauit, & quæsiuit.* Vidit Christus diuites munera magna offerentes, vidit & pauperulam, reculam dantem, & pluris æstimauit pauperulæ æra, quàm diuitum munera. *Vidua hoc pauper plusquam om-*

nes misit: (rationem reddit) nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei: Hac autem ex eo, quod deest illi. Luc. 21. v. 3. Oblita est vidua fortunam suam, ut largiretur, & stomacho denegebatur; quod offerebat: ergo eius munusculum æstimatione fuit dignum, dum pauperior, probabatur generosior. Opportunè Beda in Cat. Cor. & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Ipsa pauperies commendabat officium, & omni æstimatione probabat status dignum. Concludat thesim datus iam Seneca: *Ingrata sunt, licet re, ac specie magna videantur, que danti aut extorquentur, aut excidunt: multo que gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur: exiguum est, quod in me contulit; sed amplius non potuit.*

§. IV.

Aliquando seruis dominorum facultatibus sibi comparant gratiam, & conquirunt beneuolentiam.

Munera, crede mihi (aiebat quidam) placant hominesque, deosque. Magna est vis munerum ad conciliandam sibi gratiam, & acquirendam beneuolentiam: verum nonnulli excusato proprio, assequuntur fauorem dispendio alieno; & cum sint de suo auari, de alieno sunt prodigi. Ex horum censu erat senior filius, qui cum ad se pertinentem omnem substantiam accepisset, numquam amicis est hædum dilargitus, & quod à patre non acceperit ad instruendum conuiuium, satis est conquestus: *Numquam dedisti mihi hædum; ut cum amicis meis epularer.* Luc. 15. v. 29. Luc. 15. v. 29. Amicorum satagebat inire beneuolentiam, sed alieno hædo; non suo. Non aliter videtur seruis aliquando contingere: de dominorum facultatibus sibi parant amicos, & generosi sollicitant si gratos. Miphiboseth seruus erat Siba, cui curanda facultas tradita, & substantia fuerat commissa: *Operare ei terram, iubet Dauid, supra. 9. v. 10.* En agrorum proventus serui curæ seruandi traduntur, ipse verò, ut iniret magnatum gratiam, de Miphiboseth facultatibus explicuit mensam. *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vna passa, & centum massis palatharum, & vtre vini.* Expende illud. *Puer Miphiboseth, id est, qui eius quasi œconomus & facultatū administrator ex asseruatis agtorum fructibus munera Dauidi, eiusque seruis obtulit, & eorum gratiã iniuit.* Notauit N. Sanct. *Hic Siba est ille, de quo cap. 9. qui seruus fuit ante Ionathe; nunc verò Miphiboseth, qui cum vellet aliquam à Rege gratiam inire, non putauit hanc occasionem omittendam.* Occasio satis erat opportuna ad acquirendam Dauidis, & sociorum beneuolentiã: ergo Siba ex fructibus asseruatis munera obtulit, & occasionem arripuit: audi, vnde cibos desumpserit, à N. Sanctio: *Certe sumpsit ex proxima villa, in qua collectos ex agro fructus asseruabat.* Cum ex Miphiboseth agris, quorum sibi fuerat commissa cura, collectos fructus haberet, noluit occasionem elabi, sed de domini facultatibus iter agentibus dilargitus munera, gratiam inire. Consonat Abul. q. 2. *Cum Miphiboseth haberet possessionem in terra Benjamin, in qua erat Ierusalem, & illius erat administrator Siba, iuit ad aliquem locum propinquum vrbi, in quo esset possessio, & inde duxit illa munera.* Videt

des ex domini facultatibus à seruo munera iter agentibus offerri, & benevolentiam acquiri. Villicus ille domini facultatibus præpositus dominici census dispendio amicos sibi comparare studuit, & commoda sibi disposuit: *Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.* Luc. 16. v. 4. Amicos acquirit largus, & generosus, sed domini auri dispendio. Prodest Chrysol. ser. 126. *Qui antè substantiam vacauerat dissipando, vacuando chyrographa, quod remanserat, plus euerit.* Dimidiauit chyrographa, ut corrupta fide fideles sibi postea inueniret amicos, & experiretur ad sibi subueniendum paratos.

§. V.

Iudex, aut Superior egens, muneribus capitur, & facile ius evertitur.

Iudex, si egeat, oblata non respuet dona, & acceptis donis non difficulter evertet iura: regiminis tinea est regentis inopia, & dum astuta largitas videtur indigentia subuenire, constat legibus aduersari. *Secundum præceptum Iudicis est* (scribit Philo de Iudic.) *ne accipiat munera; nam munera, ut lex ait, excacant oculos, offiunt iustitiam, mentem à recta via cogunt decedere.* Si fames cruciet, largitas astuta adnititur Iudicis sopire tormentum, & corrumpere sopiendo iudicium: facile erroris vitio sordefcit, quem fames vrsit. Vbi David egens, & pluribus associatus proditur, & iustitiam temerasse refertur; contra Miphiboseth sententiam protulit, Sibæ fauit: *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Miphiboseth inauditum, & varijs à seruo calumnijs depostulatum cæca sententia damnauit, & bonis omnibus, ac si esset proditor, interdixit: & vnde tantus error irrepit ex Iudicis egestate: calidus Sibæ, ut egentem vidit, munera obtulit, & dum egestas munera admisit, æquitatem etiam violauit. Prodest Abul. q. 2. *Desiderabat habere totam possessionem domini sui, & putauit, quod nunc posset eam habere: ideo captauit tempus ad hoc, & tulit munera in tempore, quo Rex eis egebat.* Astutia superiorem vidit egentem, & ut sibi aliena contra fas acquireret, muneribus subornauit: indigentia accepit, & facile acceptis muneribus accelerauit iudicium, & protulit legibus contrarium decretum: tantum nocet, Iudicem, Superiorémve inopiã premi, & ad dignitatis splendorem, aut familiaris sustentationem necessarijs non exundare. Concinit Abul. & Glossa Mor. *Dono licet modico huius adulatoris, & detractoris infantum fuit deceptus, quod sine verborum eius examinatione dedit ei hereditatem domini.* Mortis ius laudabiliter ab Elia violatur, honesteque evertitur: puerum, quem iam orcus acceperat, ad vitam reuocauit, & mortis iura retrò nunquam violata infregit: *Reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* 3. Reg. 17. v. 22. Basil. Seleuc. Ora. 11. *Mors primum lugubre canere cepit: Contra homines mors inuicta per Eliam vincit didicit, ac lingue Prophetica vim passa, lugubre cecinit.* Adnectit: *Laxantur leges in paradiso morti conscripta.* Quod ab Elia editum miraculum promoribus est documentum. Vides in fauorem mortis statutas leges laxari, & puerum vinculis traditum, vim morte patiente, exsolui. Sed expende, quibus hoc circumstantijs acciderit, scilicet cum Elias famelicus, cum pane indignus, cum à pueri matre honestissime subornatus. *Affer mihi, obsecro, Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

cro, & buccellam panis in manu tua. Vbi hospitio exceptus, vbi cibo recreatus, viduæ precibus annuit, & iura mortis contempsit. Mirandis actionibus adumbravit Prophetã, quod lugere solet Respublica: sæpè Iudices, superioresque, inopiã cogente, accipiunt, & accipientes, legitimum causarum ordinem non attendunt: lex vim patitur, quia muneribus Iudex corrumpitur. Elias olim reos flammis adusit, & modò reum mortis absoluit, quia vbi exorabant munera, pro morte non attendebantur decreta.

TEXTVS.

VERS. 2. Et dixit Rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? responditque Sibæ: Asini, domesticis Regis, ut sedeant: panes, & palathæ ad vescendum pueris tuis: vinum autem, ut bibat, si quis defecerit in deserto.

§. VI.

Adulatores, ambitoresque, ut parentum sibi conciliauerint gratiam, dilargitis muneribus erga filios ostendant benevolentiam.

Sæpè Iudex, Superiorque est legum sacrarium, Innocentia templum: cumque adulator, aut ambitor non audeat eius benevolentiam donis directè sibi conquirere, filiorum, aut vxoris commodis affectat attendere: obseruat opportunitatem, explorat inclinationem, ut pueris placitura exhibeat, & sic parentis sibi animum beneuolum reddat. *Lysander* (inquit Plutare. in Apothegm.) *stolas, quas Dionysius tyrannus filiabus suis exquisitas miserat, non accepit.* Hanc Dionysius artem excogitarat, ut Lysandri gratiam iniret, scilicet pretiosas vestes non parenti, sed filiabus mittere; ut qui bene nouerat, dilargitis filiabus muneribus, parentum, matrotumque emi sæpè gratiam, & acquiri benevolentiam; qui oblata sibi respuet, vxori, aut filijs grata munera non spernit: vnde fit, ut ambitor, si vxor, aut filius pro eo interuentor existat ad consequenda vota perueniat. Sibæ, ut domini sui hereditatem adiret, vxorum, filiorumque David benevolentiam acquirere excogitauit, ad idque, quæ ex eorum erant usu, attulit, & vbi filiorum, vxorumque gratiam obtinuit, quam expectabat fortunati, sortitus est. *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Notauit Abul. q. 2. *Erat Sibæ adulator magnus, & ut captaret Regis fauorem, non solum munera cibi, & potus, sed etiam asinos in quibus portabantur, Regi obtulit, dicens: Asini, domesticis Regis, ut sedeant... vocantur domestici Regis, qui erant de familia sua, ut filij, & vxores.* Ut filij equitarent, ut teneræ vxores sederent, adduxit asinos, ratum, si vxoribus, filiisque complaceret, facile à Dauide obtenturum, quod corde gerebat, votum. Hac politice vtuntur plures; ministrorum, Magnatumque filijs blandiuntur, gratias munusculis eorum benevolentiam mercantur, & filiorum, vxorumque fauoribus assequuntur ambitiosa desideria, & aliquando cedunt fauoribus iura. Cum Iacob de matris præcepto ad Laban domum tenderet, & in terram orientalem deueniret, cum regionis pastoribus verba miscēbat; quo tempore Rachel adæquatam greges accessit, non sola, sed (ut placet Abulensi) (fratribus associata;

Luc. 16.
v. 4.

3. Reg. 17.
v. 22.

Gen. 29.
v. 9.

associata : *Ecce Rachel veniebat cum omnibus patris sui ; nam gregem ipsa pascebat.* Gen. 29. v. 9. Fratres paruulos comitatos fuisse Rachelem tum ad honestatis decorem , tum ad alleuandam erga gregem sollicitudinem tradit Abul. hinc : *Ipsa gregem pascebat non sola, sed comitata fratribus suis minoribus, qui ad eius honestatem multum faciebant.* A pastoribus didicit Iacob filiam esse Laban, cui complacere cupiebat : ergo amoto lapide, oves adaquauit , & grato obsequio eius beneuolentiam promeruit. *Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ovesque Laban amantuli sui : amouit lapidem, quo parens clauderetur.* Rachelem, fratresque adaquandi oves liberauit molestia, & grata exhibuit officia, vt Labano complaceret, & eius fauorem iniret. Abulensis existimat voluisse sortiri filios apud patrem interuenteros, vt honorificentius exciperetur, & alijs pastoribus praeferretur : eius verba sunt : *Fuit enim propter duo : primo amore consobrinae suae Rachel, cui complacere volebat : secundo, quia sciebat gregem illum pertinere ad Laban, in cuius rebus sollicitus esse volebat, quia apud eum mansurus erat.* Vt Laban, apud quem erat mansurus, & cuius erat gregibus praeficiendus, iniret gratiam, prius curauit exhibitis obsequijs filiorum beneuolentiam lucrari ; nam si filia, filiique paruuli pro Iacob apud patrem rogatores extiterint, inter domesticos lucebit honoratus, & inter pastores erit praecipuus. Historiae penicillo, meo videri, politicorum mos adumbratus est : eorum studium est, filios paruulos munusculis allicere, vt ad parentum fauorem possint ascendere. Siba egregius adulator, vt assequeretur vota, Dauid uxori- bus, & filijs praestare gestiuit obsequia.

T E X T V S.

VER S. 3. Et ait Rex: vbi est filius domini tui? Responditque Saba Regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei.

§. VII.

Magnates putant accipiendo fauere, & ob id nec gratis verbis dignantur officia sibi exhibitae compensare.

PLerique ex Magnatibus eo supercilio, eo tumore obsequia sibi praestita adspiciunt, vt se obligatos dedignentur ostendere, nec gratis verbis officia sibi exhibitae velint compensare : illis gratiae agenda sunt, quia receperunt, quasi beneficia praestiterint, non acceperint. *Non nego* (aiebat Senec. lib. 2. de Benefic. cap. 10.) *quoties patitur res, percipiendum gaudium ex accipientis voluntate : sin adiuuare illum & oportet, & pudet.* Pro compensatione habet beneficis experiri gratiam accipientis voluntatem ; non exiguum officij est pretium accipientem obligatum se confiteri, & munera gratis oculis spectare. Attulerat Siba opportuna satis tempore munera, & Dauid, quid sibi illa vellent, interrogauit : *Quid sibi volunt haec?* Siba attulisse, respondit, asinos in lassorum subsidium, panes, & vinum ad iter agentium leuamentum : *Asini, domesticis Regis vt sedcant : panes, & palatba ad vescendum pueris suis ; vinum autem, vt bibat, si quis defecerit in deserto.* Post explicatam sollicitudinis

studium, & alleuandi laboris, allatis muneribus, desiderium, expectares gratis verbis exhibitum acceptandum officium, & reddendas gratias ob opportunum tempore impendium; inuenies tamen Dauidem, vt Magnatum mores adumbrarit, gratum verbum non potulisse, sed de alijs rebus tractasse. *Et ait Rex: Vbi est filius domini tui?* Non ait: Gratias tibi ago ob prudentem sollicitudinem, ob muneris opportunitatem, ob itineris laborem; sed sermonem aliò diuertit, & de Miphiboseth inquit. Innuit aliquomodo Abulens. q. 2. *Quia ibi non inuenirent cibos, opportune duxit ista Siba, & ait Rex: Vbi est filius Domini tui?* Siba studiosam sollicitudinem praeteriuit silentiosus, & quid Miphiboseth ageret, est sollicitè scissitatus: Audio Aod obtulisse munera, & quidem non exigua, Moabitarum Principi, non tamen audio, grato vultu acceptasse, aut beneuolis oculis inspexisse. *Obrulit munera Eglon Regi Moab. cumque obrulisset ei munera, persecutus est socios, qui cum eo venerant.* Iudic. 1. v. 17. Arcanum sine dubio fuit Eglonis silentium: non inuenies protulisse gratitudinis verbum, nec Aod commendasse officium. Vbi Aod munera obtulit, discessit, nullis honoribus donatus, nullis promissis illectus: Eglon accepit, & tacuit, quasi illa munera fuerint tributa iure soluenda. Huc voco, quod aiebat Senec. lib. 3. de Benefic. c. 1. *Ingratus, qui dissimulat, ingratus, qui non reddit, ingratus, qui oblitus est.* Ingratus Eglon offerenti munera, gratias non egit, imò acsi nullo officio obligatus, dissimulauit. Vitiosi oculi lucem reformidant inspicere; Magnatum oculi oblata sibi munera recensare solitant spectare.

Iudic. 3.
v. 17.

§. VIII.

Si gratitudinis argumentis euincat plebeius, graui nobilis censurâ videtur dignus.

NON referre beneficijs gratiam, turpe habetur, & iure ab omnibus fugillatur; verum, etsi in priuato hoc vitium sit sordidum, in viro strenuo, nobilique esse agnoscitur sordidissimum: quandoquidem ipsa ingenuitas, nobilitas ipsa compellit ad obscurum ingratitudinis vitium propulsandum, & refugiendum. Elephas inter feras praecipuus dedecori ducit acceptum beneficium non reddere, & nobilitatis argumenta à gratitudine non desumere. *Nouit memor esse beneficij* (inquit Cassiodor. 10. Var. 30.) *in magistrum quippe recipit, quem sibi subuenire cognoscit, ad ipsius arbitrium gressus mouet.* Benefactori non defecit, efcas cum eo diuidit, & ingratitudine maculari sordida abhorret. Magna Miphiboseth à Dauid acceperat beneficia: paternos ei restituerat agros, & copiosos agrorum etiam prouentus: *Restituam tibi omnes agros Saül patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.* 2. Reg. 9. v. 7. Ergo cum prodicionem filij fugiens, montibus oberraret, & Siba cū subsidio satis tempore opportuno vianti occurreret, fugillatua voce, vbi Miphiboseth esset, interrogauit: *Vbi est filius domini tui?* non interrogauit, vt sciret, sed vt absentem ingratum proderet, acsi dicat: Vbi est Miphiboseth, in quem tot, tantaque contuli beneficia? vbi est dominus, cum mihi fugienti, & fluctibus coniurationis iactato adstiterit seruus? Innuit Abul. q. 2. *Dauid vidit Sibam, & miratus est, quomodo non veniret Miphiboseth, & ideo quasuit pro illo.* Demirabatur Dauid inferioris conditionis Sibam, & in quem tanta non congesta

2. Reg. 9.
v. 7.

serat beneficia, sibi opportunè occurrisset, & Miphiboseth nobilem, & dignationibus tantis obstrictum, ea in periculi urgentia deesse; & quidem demirandum sæpè est nobiliores amplissimis beneficijs obstrictos Deo non adhærere, nec in pauperibus subuenire, quando priuati, & diuitijs non copiosi Deo in pauperibus subueniunt, & in ærumnosis succurrunt. Cùm Dominus sanitatem leprosis fuisset impertitus, ex eis vnus, isque Samaritanus redijt gratias pro sanitate accepta exhibiturus. Quid tunc Dominus? *Nõnne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* Luc. 17. v. 16. Ac si dicat: Cùm hic sit alienigena claritate originis non admodò conspicuus, sed Samaritanus, Israëlitas gratitudine sua confundit; nam cùm accepta sanitatis fuerint participes, gratitudinis inueniuntur prorsus exfortes. Certè fas erat, meliori conditione exortos fuisse gratitudine alienigenam supergressos. Innuit Titus Bostrensis in Cat. *Per hoc ostenditur, quòd promptiores ad fidem erant alienigena, lentus enim erat ad fidem Israël:* Consonat Theophil. ibi: *Cùm decem essent, nouem, qui Israëlita erant, ingrati fuerunt, sed alienigena Samaritanus reuersus voces emittat benignas.* Reprehensione erat dignum, genere claros, & naturæ dotibus expolitos damnabili ingratitude fordidari, & à Samaritano, alienigenaque confundi. Cùm Dominus rogat: *Et nouem vbi sunt?* notam eis imprimit, inculcat, fugillat; quia pudendum est, inferioris hominem conditionis prode grati animi testimonia, cùm nobilis, & amplioribus beneficijs obligatus; nulla exhibeat gratitudinis argumenta.

§. IX.

Non semel, ut pupillorum sibi facultates usurpauerint, tutores architectantur mendacia, & varia calumniarum molimina.

Non semel impugnat hominem auxilium suum; & inde emergit captiosa causa, vbi sollicita oriri debuit cautela. Ne orphanos, ætatèque infirmos rapax opprimere posset auaritia, aut audax dispoliaret violentia, lex eis prouidit causarum defensorem, tutorem diuitiarum. Itaque ad horum securitatem contra execrandam inquietantium temeritatem curatores, tutoresque decreuit antiquitas, vt inualidorum bona sollicitè administrarent; & contra audaces manus defenderent. Verùm non semel ipso laboratur remedio, & tutoris munus adeptus, pupillorum bona coloratis causis sibi applicare inuenitur admissus. *Non potest* (aiebat Cassiod. 10. Var. 22.) *utilitatem propriam anteferre, cui magis decorum est credenti profutura prestare.* Decorum est fidei suæ commissio profutura prestare, inglorium utilitatis noxiæ cupidine coloratas causas confingere, & pupilli detrimento, legisque querela diuitias sibi applicare. Miphiboseth patre orbis, pedibus claudus delitescerat, cùm Dauid eius curam egit, & Sibam eius facultatum administratorem, & veluti tutorem constituit. *Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & serui tui: & inferes filio Domini tui cibos, vt alantur.* 2. Reg. 9. v. 10. Eiusmodi curatorem rogat Dauid, vbi Miphiboseth manserit, dum Abfalonis proditio omnia inquietabat, & ipsum Dauid arripere fugam cogebat: *Et ait Rex: Vbi est filius domini tui?* Hanc Siba occasionem nactus, & ra-

piendi pupilli bona percupidus, varias aduersus eum causas confinxit, & fictionibus dispoliavit: *Respondit Siba Regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei.* Exultantem, gauisumque testatus est remansisse, quia speraret, depulso Dauide, aui regnum sibi restituendum, & adendum. His calumnijs, mendacijsque Dauid inflammatam iram, & diripuit innocentis substantiam: *Et ait Rex Siba: Tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Nõnne vides auxilium suum contra Miphiboseth militasse, & facultates eius diripuisse. Iam Sibam fuisse veluti tutorem, procuratoremque tradit Lira ad 2. Reg. 9. *Ostenditur pietas Dauid, eo quòd ipsi Miphiboseth diligenter prouidit, assignans ei procuratorem, & seruum pro domo sua, & familia gubernanda.* Itaque Sibæ commissa est Miphiboseph cura veluti curatori, & tutori: verùm qui Miphiboseth debebat excogitare incrementa, admissus est coloratis causis vsurpare sibi bona. Certè suis factis expressit Siba, quod aliquibus tutoribus, & curatoribus accidit: pupillorum bona sibi applicant, & titulis coloratis vsurpant. *Quanto tempore heres paruulus est* (aiebat Paulus ad Galath. 4. v. 2.) *nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est.* Quidquid seruus acquirit, domino acquirit; & qui est dominus personæ, dominus habetur substantiæ: ergo paruulus nihil aliquando à seruo differt, dum sub tutore est, quia tutor arbitratum pupillum non habere, sed seruum: cùmque ad dominum, quæ seruorum sunt, pertineant, quæ pupillorum, ad tutorem, & actorem spectant; vnde fit, vt qui ad securam designabatur tutelam, iniustam exercere studeat rapinam. Loco serui pupillus habetur, & quidquid ad illum pertinet, applicare sibi tutor adnititur. Innuit Anselm. hinc: *Non quidem est seruus, sed tamen nihil differt à seruo: quia non est speciosè vestitus, nec est in libera potestate sua.* Pupillus non est seruus, sed à seruo nihil differt; nam vt dominus à seruo acquisita sibi applicat, ita aliquando tutor, quæ ad pupillum pertinent, sibi vsurpat.

§. X.

Superior, Iudexque confusibili errori exponitur, si indiscussâ causâ, promere sententiam noscatur.

Regnantis sententia (aiebat Cassiod. 1. Var. 3.) *iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus dominij potestate munitus.* Iustitiæ ponderibus libratur sententia, quæ discussa attentè causa, profertur; nec alteri partium indigna gratificatione blanditur; at si Iudex muneribus illectus, inaudita parte, & inexplorata causa, contra interpellatum prodat sententiam, erroris subibit notam. Sæpè contra innocuos factiosæ calumniæ emergunt, quibus si Iudex leuiter fidem præstiterit, iudicium præcipitabit. Siba innocentem Miphiboseth accusauit, & prius Iudicis animum muneribus sibi allexit: *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vnae passæ, & centum massis palatbarum, & utre vini.* Prius obtulit dona, & postea, vt facultatibus dispoliaret, Miphiboseth inuidiosa interpellauit calumnia: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi*

Luc. 17.
v. 16.Ad Galat.
4. v. 2.2. Reg. 9.
v. 10.

domus Israël regnum patris mei. De regni ambitu apud Dauidem interpellauit, & acquirendi sibi regnum spes, turbatis rebus, fouisse asseruit. Quid tunc? Dauid muneribus obligatus, & de serui fide non dubius, contra Miphiboseth sententiam tulit, & bonis omnibus dispoliauit. *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Et dum inauditum condemnat, dum calumniatori fidem adhibet, iura æquitatis euertit. *Non cognita veritate* (inquit Hugo) *absentem non vocatum condemnauit.* Interpellatus potuit delinquere, sed etiam interpellans, obiectis falsis criminibus, potuit innocentem accusare. Ergo ni Iudex ad veritatis procedat examen, iuri vim inferet, & innocentem sæpè damnabit. Discant Superiores, Iudicesque facillè non credere, & sententiam, indiscussa causa, non prode; aliter namque oppressa ingemisset innocentia, & detriumphabit iniquitas insidiosa. Diabolus, vt inuidiam Christo Domino conciliaret, ante tempus in eum querebatur protulisse sententiam, nec iudiciario more eius explorasse causam. *Venisti hic ante tempus torquere nos.* Mat. 8. v. 30. Ac si dicant: Nulla præmissa interrogatione, nullo examine facto, in nos sententiam dicis, & abire compellis: ergo cum hæc sententia ante tempus fuerit, non videris æquitatis studiosus, sed in miseros violentus. Innuit. Chrysol. serm. 16. *Agnoscunt, agnoscunt Deum, Iudicem confitentur, clamant iudicium se debere, & de tempore prescribunt.* Et si non posset Christus iura violare, et si æquissimam nequirit sententiam non proferre, dæmon tamen, vt infamaret Iudicem, iudicalem non præcessisse clamabat ordinem: *Ante tempus*, id est antequam causam discusseris, exilio pellis: ergo Iudicem non implet: *De tempore prescribit.* Quod si dæmon inuidiam Christo integerrimo Iudici satagit conciliare, persuadere admissus iudicalem, & debitum ordinem non tenere: Videant Iudices, qui non sunt, vt Christus, totius erroris expertes, ne iudicalem peruerterint ordinem, aliter namque sibi conciliabunt inuidiam, et si reuera protulerint crimine dignam sententiam. Chryfologus notauit, Christum dæmonis causam examinasse, non vt nouam notitiam acquireret, sed vt Iudicem adimpleret: *Interrogabat eum: Quod tibi nomen est?* Marc. 5. v. 9. Audi Chrysol. ser. 17. *Interrogat, non ignorat, sed implet Iudicem: seruat ordinem cognitoris, nomen interrogat, vt de conditione discutiatur, iudicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse, data sententia, per demonstret.* Ipsa sententia Iudicem Deum esse promulgabat, dum inuasum hominem à potentium violentia eripuit, & inuasores ordine iudiciali multauit; nam si Iudex solum esset humanus, violaret iustitiam, ne contra se tantam irritaret potentiam; verum vt erat rectissimus, non est blanditus potentia, sed conseruanda studuit iustitia, reum interrogauit, vt ipsius ore pateret, hominem Dei rem violentissime possidere, & fas esse violentum furem detrudere: *Implet Iudicem.*

§. XI.

Qui maledicis, & susurronibus præbet aures, nequit non prolabi in errores.

Nulla pestis humano generi infestior, quam maledicus susurro, qui vt alterius odia inflammet, ab altero contra ipsum dicta, aut excogitata malignè refert; nam cum citò adhæreamus opinioni, delusi irascimur, & contra innocen-

tiam inuehimur. Prudens ab alio contra se dicta, aut facta non aufcultat; sed aures prorsus susurroribus denegat; scit plures mendacia confingere, fabulas nequere, coniecturas infirmis argumentis innixas veluti veritates euidentissimas denuntiare; & dum putat beneuolo se fidem adhibere, insidiatori irrigandas mendacijs contingit aures præstare. *Quid indignius* (aiebat Senec. lib. 2. de Ira cap. 6.) *quam sapientis affectum ex aliena pendere nequitia?* Pendet affectus ex aliena nequitia, dum aures præbet mendacij delatori, susurroni confingenti ab vno perpetrata, vt alteri exhibeat periculosa adulationis obsequia: dum animus inconsulta ira flammescit, in errores plurimos ruit. Dauid contra Miphiboseth sententiam proferens, eximè errauit: *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Quod si huius erroris inquiras causam, inuenies fuisse patulas aures criminationibus exhibuisse, & imprudenter fidem præstitisse. Audi, quid Siba referat de Miphiboseth: *Remansit in Ierusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei.* Hilarem, & exultantem testabatur Miphiboseth expulso Dauide, quia sperabat aui sui restitui throno. Huic mendacio fidem Dauid citò præstitit, & graui se errore obscurauit. *Sæpè* (aiebat Seneca, 2. de Ira cap. 28.) *adulatio, dum blanditur, offendit.* Vera dixit: nam sæpè nos adulator facit in suspicionem falsam incidere, & suspicionem ductos errare. In suspicionem falsam Dauid incidit, & iratus contra innocentem errauit: compulsus est Princeps admissum à se errorem corrigere, decreta immutare, quia noluit aures ab iniquis adulationibus abstinere. Dum Assuerus Aman inuido, ambitiosissimoque credit, & Iudæos contra se multa machinari audit, irritandum decretum profert. *Eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.* Esth. 16. v. 17. Opus fuit retractare sententiam, quia mendaciorum cuniculis aggressus est Aman inflammare Principis iram. *Aman* (inquit Hugo ad Esth. 3.) *quia Amalechita erat, odio habebat omnes Iudæos.* Vt proprio odio adularetur, varijs calumnijs Assueri inflammare indignationem conabatur; & dum Assuerus audit contra se admissa crimina, delenda profert decreta: non erraret, si aures maledico non præberet.

§. XII.

Ingratitudinis nota aspergitur, qui magnis à parente beneficijs obstrictus, contra filium leui suspitione irascitur indignatus.

In filijs compensare tenetur, quæ magna quis à parentibus accepisse beneficia dignoscitur. Hoc debemus virtutibus, vt non præsentibus solum illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus; non sine æquitate magnorum virorum viget memoria, & in posteris accepta ab eis compensantur beneficia. Hic beneficijs, egregijsque maioribus ortus est: qualiscumque sit, cum suorum protegit umbra, aut, vt melius dicam, decessorum luce debet resplendere, vt obscura loca repercussa solis radio contingit illustrari. *Ciceronem filium* (inquit Senec. 4. de Benef. cap. 30.) *qua res consulem fecit, nisi pater?* *Cinnam nuper qua res ad consulatum recepit ex hostium castris?* Pompeios maiorum virtus extulit: sacerdotium Fabio Persico Verrucosi, & Allobrogici, & trecenti illi, qui hostium incursionem pro Republica vitam, & domum obie-

Mat. 8.
v. 30.

Marc. 5.
v. 9.

Esth. 16
v. 17.

cerant, impetrarunt. *Quid sibi voluit providentia* (addit Sen. cap. 31.) *qua Aridaam regno imposuit? patri eius datum est, & frairi.* Itaque posteri iure exigunt, quæ maiores egregijs facinoribus compararunt. Quodsi Deus alios indulgentius tractat propter parentes, auósque, & alios donis nobilitat propter posterorum indolem, homo etiam debet propter claros progenitores, & à quibus ingentissima accepit beneficia, posteris reddere gratiam, nec ingratitude, si aliter fecerit, effugere quibit notam. Ionathas regno renuntiavit, vt David purpura resplenderet; se telis obiecit, vt à periculo eriperet. *Expolians se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David.* 1. Reg. 18. v. 4. Huius filium pedibus debilem Siba adulator, & infidelis infamavit, quasi expulso è regno Dauide fuerit lætatus: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi Domus Israël regnum patris mei.* Hac nuda relatione David contra Miphiboseth indignatus, & leuiter credulus bonis omnibus dispoliuit, & parentis memoriam abiicit: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Interpretes Dauidem testantur non solum Iudicem non impleuisse, sed sibi ingratiissimi notam conciliasse, quandoquidem tantis, tam magnisque beneficijs à genitore obligatus culpam etiam filij debuisset castigare benignius. Accipe Caietanum: *Iniqua, temerariaque sententia fuit hæc, inaudita parte: præter hoc quòd ingratiissimi animi erga Ionatham fuit.* Videri potuit ingratiissimus leui argumento contra filium rigidissime indignatus, quando satis erat parentis memoria, vt dementiùs ageret, etsi filium denigrasset aliqua culpa. *Sint hi Reges* (addit Senec. cap. 32.). *Quia maiores eorum non fuerunt. Quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non Rempublicam sibi, sed se Reipublica dicauerunt.* Non debuit filius bonis omnibus dispoliari, cum Ionathas se regno abdicarit, Davidique cesserit: ergo apud Caietanum David audit ingratiissimus, dum Miphiboseth luget bonis omnibus dispoliatus. Saül bellum instruens contra Amalec, Cinæos indemnes abire iussit, vt accepta ab eorum parente beneficia in filijs compensaret, & redderet: *Discedite ab Amalec, ne forte inuoluam te cum eo, tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israël, cum ascenderent de Agypto.* 1. Reg. 15. v. 6. Inquirunt Patres, quæ fuerit hæc misericordia, quæ Cinæos protexit, & periculo eripuit: asseruntque eorum progenitorem Iethro pro populo holocausta obtulisse, & conuiuium præcipuis Israëlitarum parasse: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moyse holocausta, & hostias Deo: veneruntque Aaron, & omnes seniores Israël, vt comederent panem cum eo coram Deo.* Exod. 18. v. 12. Saül ne videretur ingratus ob parentis merita, ob accepta beneficia, Cinæis consuluit, vtque viuerent, procurauit. Audi Liram ad 1. Reg. 15. *Dixit Saül Cinæo, id est illis, qui descenderant de Iethro.* Repetere posset Seneca, quod 4. de Benef. cap. 32. *Regnent hi quia vir bonus quidam proauus eorum fuit. Qui animum supra fortunam cessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat Reipublica, vinci, quam vincere maluit. Referrì illi gratia tam longo spatio non potuit, Non retulerat populus Iethro gratiam ob holocausta, ob impensa beneficia, ob salubria data Moyse consilia: ergo etsi elapsa fuerint annorum spatia accepti mansit beneficij memoria, & Cinæus vixit, quia eorum auus promeruit. Ingratus videretur Saül, si Iethro è*

memoria excideret, aut eius in posteris beneficia non compensaret.

TEXTVS

VERS. 4. Et ait Rex Sibæ: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Dixitque Siba: *Oro, vt inueniam gratiam coram te, domine mi Rex.*

§. XIII.

Obturbatis animis pro vero habetur, quod manifestè repugnare veritati cognoscitur.

Perturbatus animus & aliquâ graui molestiâ pressus, veram de rebus sententiam non proferet, sed erroribus admittis, delinquet. Mendacium se se manifestè prodit, & nihilominus fidem inuenit, quia mens commota passionibus non attendit. *Timor* (aciebat Drogo de Sacram. Dom. &c. *Oculum turbat. Hilaris pupilla lucide specularur.* Hilaris esse debet, & imperturbata pupilla, vt de rebus sententiam ferat; nam si puluere quantumuis leuissimo tangatur, confunditur. Qui vehementi passione agitantur, apti non sunt ad seriò aliquid decernendum, nam falsa pro veris habent, & rerum repugnantiam non vident. Siba politicus adulator, vt Davidis iniret gratiam, Miphiboseth de recuperando regno agere testatus est: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei.* David Sibæ credidit, & indignum contra Miphiboseth decretum statuit: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* O quantis erroribus inueniuntur obnoxia, quæ urgente perturbatione decreta! Non potuit clariùs constare ingens esse mendacium, quod à Siba prolatum & astutia decipiente contra dominum confictum, nam Miphiboseth erat non tam homo, quam hominis umbra: pedibus debilis, animo debilior, qui non solum non ambiebat thronum, sed hominum fugiebat conspectum. Et ad hæc: *populus erat pro Absalone: quomodo ergo promitteret sibi regnum, quando pro Absalone totius populi experiebatur studium? Profectò Sibæ mendacium clarissimè apparebat, & tamen David non attendit, & contra Miphiboseth iniustam sententiam protulit.* Notauit Abul. q. 3. *David credidit hoc, & ratio persuasionis fuit, quia David erat perturbatus nimis, & non poterat attendere diligenter, an istud verisimile, vel non.* A Siba conficta manifestè cum veritate pugnant; verum ea tunc David perturbatione angebatur, vt nec examinaret dicta, nec attenderet decreta. Hinc erudimur nihil feruenti perturbatione decernere, sed priùs animum ab omni perturbatione purgare, aliter namque pro veris subrepent falsa, & manifestissime falsa habebuntur vera: Iosephi dominus, vt in manu sponsæ pallium vidit, in fontem carcere inclusum compedibus oneravit. *In argumentum fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum.* Gen. 39. v. 16. Philo lib. de Ioseph notauit, pallium à muliere retentum manifestè ipsam arguere, & Iosephi modestiam prodere: eius verba sunt: *Non animaduertit vestem, quam ab adolescente relictam mulier proferebat, esse indicium violentiæ, sed muliebris, ipsius verò adolescentis patientiæ, nam si vim tentasset inferre domi-*

1. Reg. 18. v. 4.

1. Reg. 15. v. 6.

Exod. 18. v. 12.

Gen. 19. v. 16.

na, retinisset eius amiculum; nunc reluctans suo pallio spoliatus est. Pallium manifestum erat mulieris lasciuiae argumentum, & tamen herus decreuit innocenti graue supplicium, quia zelotipiae infania percitus, & animo prorsus obturbatus non attendit euidentis mendacium, & praecipitauit iudicium. *Non poterat* (addit Philo) *vacare causa cognoscenda, ita ut postulabat ratio.* Quod mulier pro se afferebat, ipsam damnabat; verum Putiphar passionibus obturbatus à ratione desciuit, & male decreuit.

§. XIV.

Aliqua eo colore, artificiosoque proponuntur composita, ut nullatenus existimentur conficta.

Mendacium, si attentè prospexeris, lucet; nam etsi fucata primo aspectu habeantur pro veris, citò curiosius inspecta deprehenduntur; & nescias, quibus indicijs, & argumentis noscantur. Verum ob id ipsum astutior vigilare solet industria: eo artificio falsitatem colorat, ut credi etiam à prudentibus faciat. *Probabilis oratio* (aiebat Menand. apud Stob. cap. 12.) *vim, quam veritas habet aliquando maiorè, & persuadendo vulgo aptiorè.* Sic mendacium aliquando comitur, eis circumstantijs adornatur, ut impossibile videatur talia posse confingi; vnde contingit à viris etiam prudentissimis credi. Siba fidelis ad speciem Miphiboseth seruus, Dauid è regno depulso occurrit, & opportunum exercitui subsidium attulit: interrogatus, & veluti compulsus Miphiboseth infamauit, & Dauid mentienti credidit. Rogant interpretes, quomodo Dauid citò ad eò credidit, nec rem grauem maturius examinarit, omniàque domini dona seruo fallaci, & infideli concesserit. *Tua sint omnia, quae fuerunt Miphiboseth*: respondentque eis circumstantijs vestitum mendacium, ut mirum non fuerit Dauidè falli. Asserebat Siba in Ierusalem remansisse lætum de Dauidis excidio, & magnis spebus de instaurando sibi throno: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet michi domus Israël regnum patris mei.* Ingens mendacium ingens accepit præmium, quia Dauid relatis citò fidem præstitit, & à seruo contra dominum posse talia confingi nullatenus iudicauit. Itaque eis circumstantijs vestitum erat mendacium, ut nullatenus potuerit existimari confictum. Testis fuerat maiorum seruus, erat Miphiboseth modò famulus, nullo fuerat mendacio depræhensus, non referebat domini culpam vltroneus, sed respondere sciscitanti coactus. Ergo hæc omnia credibile ad eò reddebant mendacium, ut in mentem non venerit, à Siba fuisse confictum. Audi Abul. q. 3. *Non potuit Dauid concipere, quod nisi verum esset, auderet Siba talia contra Dominum suum dicere; id eò cum audiuit, & vidit munera, credidit verum esse.* Astutus Siba non gestiuit malè de domino loqui, sed expectauit interrogari, si delitatem suam muneribus contestatus est; Ergo in mentem Dauid non venit posse à Siba talia confingi, & ad fallendum componi. Itaque aliquandò eis teguntur fucis mendacia, eis vestiuntur coloribus ficta, ut vel prudentibus appareant vera. Fratres, quam à fratre abstulerant tunicam, ad parentem sanguine madentem remittunt. Agnouit pater vestem, & persuasus est desciuisse in Iosephum bestiam: *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Gen. 37.

v. 33. Si inquiras, quomodò Iacob viuum planxerit, & à feris deuoratum crediderit? respondebit Basil. Seleuc. fabulam illam eis circumstantijs coloratam fuisse sagaci astutia, ut nequiuert dubitare prudentia. Quis enim crederet fratrem à fratribus dispoliatum? Quis suspicaretur diuenditum? Quis sanguinem, quo sordescerat tunica, existimaret ad hædo mutuatam, non è vulneribus Ioseph inflictis effusum? Non venit in mentem senis possentalia à fratribus finxi, & mendacio assensit non leuiter credulus, sed indicijs ad speciem euidentibus innisus. Basilium audi Ora. 8. *Illi naturam caponati, ut rebantur, abiectum pro notho puerum damnant seruitute. Imò in speciem cædis vestem compositam patrijs offerunt manibus, morte mentita ad verum luctum senem incendentes.* Iacob à fera deuoratum Iosephum credidit, & indoluit, quia talem à fratribus stropham excogitari posse nullatenus in mentem venit. Sæpè de ipsa ad speciem impossibilitate fraudis tegumentum quæritur, & fraus inducitur, & cælatur: committere audet non semel crimen, qui arbitratur delictum sibi nullatenus adscribendum, ut pote ab omni existimatione remotum. Siba vbi putauit, à nullo sibi applicandum, confinxit illud contra dominum suum commentum.

§. XV.

Et si nequeant prodire in opera, pœnis subiaccens iniqua animi desideria.

Ne esse est (aiebat Cassiod. 4. Var. 49.) *vindicta subiaccens, qui prauis moribus obsecundat.* Seipès sæpè torpet, & contractis spirijs impeditus frigore delitescit, sed delitescens etiam venenum fouet. Non semper, ut in actum prodeant, iniquis ausibus fauet fortuna. Ille libidinibus æstuat, sed viribus destitutus desideria nequit perficere, & cogitur corde premere: ille caret tempore, ille opportunitate. Verum ut internus motus probatur æquitati contrarius, pœnis etiam inuenitur subiectus. Dauid Miphiboseth à seruo accusatum de regni ambitu facultatibus priuat, & pœnis seuerissimis damnat: *Tua sint omnia, quae fuerunt Miphiboseth.* Profectò cum Miphiboseth vtròque pede prodatur claudus, & ad eò robore infirmus, ut formam non hominis retulerit, sed cadaueris, nequibat nec milites adlegere, nec quid contra Dauidem moliri: cur ergo graui ad eò sententia mulctat, & bonis ei dilargitis dispoliat? Quia licet concepta animo vota in actum nequirent prodire, culpa non videbantur carere. Deficiebant Miphiboseth corporis vires, sed si Sibæ credendum esset, adurebant præcordia ambitionis ardores; ergo dignus fuit supplicio ob internam maculam, & si fauorabilem non fortiretur fortunam. *Miphiboseth* (inquit Abul. q. 3.) *erat omninò ineptus ad regnum, quia erat dedecus regni quòd vtròque pede claudus, & quasi hominis statua, & non homo.* Adnectit: *Dauid credidit hoc.* Non ignorabat Dauid, Miphiboseth viribus prorsus destitui, sed credidit, animo spes regnandi fouere; ergo bis erat Miphiboseth infelix, & quia carebat sanitate, & quia coniungebat insana vota cum ægritudine. Tyri Principi mors dura decernitur, quia interno corde Deitatem exambisse probatur. *Eò quòd eleuatum est cor tuum quasi cor Dei: idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabunt gladios.* Ezechiel. 28. v. 6. *suos super pulchritudinem sapientiae tue.* Ezechiel. 28. v. 6.

v. 6. Si solum corde ambitiosam fouit insaniam, cur grauem adeo sustineat penam? nihil exterius egit, vt thronum adiret, nihil agere potuit, vt Deum a regali throno deturbaret, ergo nulla constringatur poena, quando nulla produit in opera. Profecto (inquit Lir.) etsi defuerint illi instrumenta, Tyrus corde superbissima fouit vota. Insana deliquit cupidine; etsi cupiditatem externa non perfecit actione; digna ergo poena constringitur, quia cordis votum dignum castigatione probatur. *Consequenter ponitur casus deiectionis, qui iuste inferitur excessui elationis.* Elatio corde solum gerebatur, sed satis fuit cordis votum, vt amarum pateretur supplicium. Si vera Siba retulit, de Dauid expulsionem est Miphiboseth gauisus, & adire regnum animo solum conatus, & tamen soluit poenam, & tulit mulctam.

§. XVI.

Qui ad munus ineptior, munus saepe suspirat praeceteris ambitiosior.

Ambitioni, caecitas ingenita est, imò caecitas congeminata: se non videt, & alium in se videt. Quos defectustangit, ignorat; quas non habet prerogatiuas, spectat. Quisque sibi praestigator est, & illum sua fallacia delectat. Sic ista (aiebat Seneca, epist. 45.) *sine noxa decipiunt, quomodo praestigatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* In admiratione est praestigatorum ludus: calculos, siue nummos in mensa ponunt, quos operitos acetabulis, aut pixidibus tam dextere loco mouent, & transferunt, vt cum sub vno acetabulo esse censeas, ad alium translatos esse videas, & quodammodo arte magica hoc contingere credas. Hac magia frequenter ambitiosi a se ipsis eluduntur, & eiusmodi praestigijs delectantur: se eximijis dotibus arbitrantur praeditos, & ad munia praeceteris aptos; inter eos tamen ea inuenitur differentia, vt qui ineptiores sunt ad munera, praeceteris ambient suffragia, cum exiguis administrandis inueniantur inepti, sibi ad regendos populos videntur aptissimi. Miphiboseth pedibus claudus, robore infirmus, si Sibae credendum est, depulso a regali throno Dauid, & a populo conclamato Abialone, arbitrabatur se ad regimen expetendum, vt potè praeceteris aptum: *Remansit in Ierusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* Dauid Miphiboseth hereditate priuauit: *Tua sunt omnia, quae fuerunt Miphiboseth:* quia Sibae credidit. *Dauid* (inquit Abul. q. 3.) *credidit hoc.* Si quo fundamento haec Dauid crediderit, quæras, inuenies Miphiboseth prorsus regno inhabilem, imò & dedecus regni esse: Ergo cum inhabilioribus insitum sit alta ambire, & se ad regimen praeceteris aptos putare, ipsa inhabilitas faciebat Miphiboseth probabilem ambitionem, & dictis a Sibae conciliabat fidem. Abulensem audi: *Miphiboseth erat omnino ineptus ad regnum, quia erat dedecus regni, quod viroque pede claudus, & quasi hominis statua, & non homo.* Verisimile non erat Miphiboseth thronum suspirare, attentis viribus, erat tamen credibile praeceteris ineptiorem spes magnas fouere, & se aptiorem existimare. Itaque vt praestigijs ludificati, existimant nummos sub vno esse acetabulo, cum non sint, & sub alio non esse, cum sint; ita inepti quibus carent, putant dotes sortiri, & alios, quibus ornantur, prerogatiuis carere: &

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

hoc errore decepti munia praetendunt solliciti. Christus Dominus Phariseos primas ambiisse cathedras testatus est. *Amant primos recubitus in cenis, & primas cathedras in Synagogis, & saltationes in foris, & vocari ab hominibus Rabbi.* Matth. 23. v. 6. Ad examē vocati, inuenti sunt carere legis notitia: *Congregatis Phariseis, interrogauit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Matth. 22. v. 41. Scientiam ructantes, de sapientiaque praesumentes, responderunt Dauid filium esse. *Dicunt ei: Dauid.* Dominus eos arguit, & Dauid ore confundit. *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est.* Quid tunc? Argumento conuicti, ora silentio sigillarunt, & quam Scripturas non recte intelligerent, confusibili taciturnitate ostenderunt. *Et nemo poterat ei respondere verbum.* Petrus, simili quaestione proposita: *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Math. 16. v. 13. mirae sapientiae luce respondit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Hinc oritur quaestio: Si Petrus tanta sapientia resplenderet, cur primam cathedram in Synagogis non ambit? & si Phariseus Scripturas ignorat, primas cathedras cur suspirat? Notauit Chrysostr. in Cat. ad Mat. 22. *Discipulos quidem primum interrogauit, quid alij dicerent de Christo, & tunc quid ipsi dicerent: hos autem non ita existimabant autem quoniam Christus purus homo erat, & ideo dixerunt eum esse filium Dauid; & hoc est, quod subditur: Dicunt ei: Dauid: ipse autem hoc reprehendens, inducit Prophetam.* Phariseos Dominus testimonio Scripturarum concludit, nec vt Petrum Scripturas caluisse ostendit: ergo qui Scripturas ignorabant, audivissimè cathedras exambiebant; nam frequenter qui alijs est inferior sapientia, praere discupit cathedra.

§. XVII.

Aliquando politices Magnatum facultates imminuit, & ne quid audacter tentare quierint, anteuertit.

Frequenter qui magnam vtuntur fortunam, magna etiam fouere solent desideria. Hinc est, quod alta tenentes, cum nouerint, dignitatis fulgorem ambitiosos intuentium oculos referre, & ad deturbandum fortunatum multa machinari, & peccatore voluere, sibi prouident, & praecidere, aut eneruare aliorum vires student. Theopompus Lacedaemoniorum Princeps sibi addidit Ephoros, & regni aliquantulam partem praecidit: cumque ab vxore reprehensus, quod sibi potestatem ademisset, ita auxisse sibi securitatem respondit. Audi Plutarc. lib. ad Princ. indoct. *Cum eum vxor insectaretur, quod imperium filijs relicturus esset, quam accepisset, angustius; imò & amplius, inquit, quanto firmitus. Siquidem ubi vim eius immodicam remisit, simul cum inuidia declinavit periculum.* Nouit Theopompus contra fortunatum captiosas disponi insidias, excogitari machinas, ergo fortunam angustauit, & securitatem ambiuit. Hanc tamen politicam incontrarium deflexam videas: rarus est, qui, vt effugiat periculum, angustauerit sibi imperium, imò studium fortunatorum est, eorum, a quibus quid potest tentari, vires minuere, & periculum anteuertere. Vbi asseruit Siba Miphiboseth spes regnandi fouisse, &

X thronum

Mat. 23
v. 6.

Mat. 22.
v. 41.

Mat. 16.
v. 13.

thronum sibi debitum suspirasse : *Remansit in Ierusalem dicens : Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei* : David facultatibus priuauit, & seruo dedit : *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseph*. Quæ fuerit huius sententiæ ratio, quærunt Interpretes : varij varias causas afferunt. Procopius apud Gloss. existimat angustasse David Miphiboseph diuitiarum copiam, vt ambitus frænaret audaciam, veritus ne opulentia præditus, & regnandi ambitione stimulatus populos inquietaret, & nouum periculum sibi stueret. Procopium audi : *Fortassis animaduertit David, talem aliquam adolescentis imaginationem, & substantiam minuens, animum ipsius deiecit, ne regnum affectaret*. Miphiboseph existimabat, ius sibi ad regnum esse, & alioqui ditissimus erat : ergo ne eo iure filius, auróque ditatus tranquillitatem perturbaret, & sibi regnum ambiret, David periculum anteuertit, & eius vires imminuit : Siba ditauit, vt instrumenta ambitionis Miphiboseph auferret, & periculis obuiaret, & ad eum statum redegit, vt licet sibi ius esse præsumeret, affectare regnum nequiret. *Animum ipsius deiecit, ne regnum affectaret*. Vbi suspicata est Sara Ismaëlem ad primogenituram ius affectare, vt qui ætate maior esset, sollicitè procurauit, animos eius deprimere, domoque pellere : *Eijce ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancilla cum filio meo Isaac*. Gen. 21. v. 10. Ac si dicat : Cùm Ismaël sit ætate maior, arbitratur, pro stare ius ad primogenituram obtinendam, quam opinionem si possit aliquando tueri, Isaac inferre bellum non dubitabit. Ergo oportet animum tumentem frænare, virisque accidere ; alioquin eo iure ductus, & hæreditate ditatus, Isaac conciliabit periculum, affectabitque maioratum. Hunc esse legitimum verborum Saræ sensum, tradit Hieronym. apud Gloss. *Dupliciter hoc exponitur : vel quòd idolis ludos fecerit, vel quòd aduersum Isaac quasi maioris ætatis ioco sibi primogenita vendicauerat, quod Sara audiens non tulit*. Dum eiecitum pane, & aqua victitare compulsi, audentem repressit animum, & prouidè auertit periculum ; nam politices sæpè studet eos angustare, à quibus timet periculum imminere. David vt auerteret periculum, audentem, ablatis facultatibus, frænauit animum.

§. XVIII.

Fortunatissima esse solent apud Principes adulatoria mendacia, & alios de honestantia commenta.

Mendacium positum in tempore (aiebat Eutyrop. apud Stobæ. cap. 12.) *lucrum, seu fructum affert*. Mendaces, vt turpem, contemnendumque assequantur fructum, non recusant contra aliorum decus excogitare commentum, præcipuè apud summates, quos non ignorant fabulis delectari, & eiusmodi adulationibus demulceri. *Adulterina res* (aiebat Philo lib. de Decalog.) *pluris sunt, quàm legitima : & vera non tantum valent, quantum verisimiles, naturam suam tegentes mendacio, & falsis imaginibus illudentes vulgo credulo*. Apud credulum vulgum plùs res verisimiles valent quàm veræ ; verùm etsi mendacia apud vulgum sint fortunata, apud Magnates, Principesque esse solent fortunatiora, præcipuè si audientis aures gratis adulationibus impleant, aut

quæ in aliorum dedecus, referant. Siba, vt Principis iniret gratiam, & facultatum sibi acquireret copiam, ei vianti occurrit, munera obtulit, & Miphiboseph spes regni fouere retulit : *Remansit in Ierusalem, dicens : Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei*. Quid tunc ? David præmij loco omnia, quæ fuerunt Miphiboseph, mentienti donauit, & beneuolum se exhibuit : *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseph*. Modò de David sententiam non fero, sed cur Siba commenta in Miphiboseph dedecus retulerit ? inquirendum : nonne poterat, cùm opportuna temporis exhibuisset officia, à liberali, & magnifico Principe digna expectare præmia ? cur ergo recurrit ad figmenta Miphiboseph de honestantia ? Quia Siba (inquit Abul.) in Principum aula versatus, & Ionathæ olim seruus experientia didiceret, quàm valeant apud Principes mendacia, & quàm citò assequantur præmia. Arrodet adulator & parasitus mendaci lingua aliorum vitam, & famã ; & dum aures audientis demulcet, & præmium accipit. *Erat Siba* (inquit Abul. q. 2.) *adulator magnus*. Præmiserat : *Instituit accusationem contra Dominum, dicens, quòd Miphiboseph manserat in Ierusalem ad recuperandum regnum patris sui*. *Credidit autem quòd David libenter concederet ei omnia, quæ fuerant domini sui, & sic factum est*. Opportuna exhibuerat officia, retulit tamen Miphiboseph de honestantia commenta, quia minus sperauit de exhibito seruitio, quàm de detractorio figmento. O verum, experientiæque comprobatum ! Miles, qui bello excepit pectoribus vulnera, irremuneratus sordet ; & adulator, obmurmuratorque præmiatus cumulatissimè splendet. Gieffi, vt acciperet ingentia dona, finxit commenta : *Curram post eum (Naaman) & accipiam ab eo aliquid*. 4. 4. Reg. 5. v. 20. Post Naaman Syriæ Principem currit, & quomodò ab eo munera acciperet, cogitauit : & quæ eius excogitatio ? Mendacia confingere, & Elisæi integritatem fictionibus obscurare. *Dominus meus misit me ad te, dicens : Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum : da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices*. Quid tunc ? Naaman mentienti credidit, & muneribus onerauit. *Ligauit duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicita vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerunt coram eo*. Historiæ coloribus nobis exprimitur, sæpè à Principibus obtineri mendacijs, quod dignis forsitan non obtineretur obsequijs. En Gieffi confingit mendacia, vt acceperit à Principe dona, suisque factis nos edocet, non semel Principes remunerare mendacia, & pro veris habere figmenta. *In hoc* (inquit Lira) *mentiebatur*. Syrus se gratum exhibuit, nec figmentis falli præsumpsit ; verùm, dum Gieffi, vt accipiat, componit figmenta, designat, adultores, mendacisque à Principibus donaria accipere, adulationes, & fabellas narrantes, & aliorum famam iniqua, & tetra lingua afrodescentes. *Adulandi certamen est* (aiebat Sen. 6. de Benef. cap. 30.) *& vnum amicorum omnium officium, vna contentio : Quis blandissime fallat ?* Vt in certamine victor præmium accipit, ita in Principum domo mentiendi solet esse certamen : & ille præ alijs grandius præmium accipit, qui grandius mendacium adulando, aut obmurmurando confingit.

§. XIX.

Ingratus grauiſſimis mulctari pœnis eſt dignus.

INter alia vitia, quæ laudabiles mores corrumpunt, ingratitude peſſima eſt; nam cum ferè ingenio etiam truces non ſemel officijs obligentur, & vt poſſunt, accepta beneficia gratitudine fateantur, indigniſſimum eſt, ſi homo hoc ſe crimine infecerit, & fœdarit. Seneca lib. 1. de Benef. cap. 10. omnia vitia ab ingratitude cenſuit pullulare. Vt Pandoram finxit antiquitas ex omnibus dijs conſtructam, multum à veritate non aberraret, qui ingratitude vitijs omnibus exſtimaret conſtatam. Senecam audi: *Erunt homicida, tyranni, fures, adulteri, raptores, ſacrilegi, proditores: infra iſta omnia ingratus eſt, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix vllum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue tamquam maximum crimen.* Ingratitude eſt omnia vitia, & grauiſſima digna pœna. Retulit Siba, Miphiboſeth in Ieruſalem manſiſſe lætum, & alacrem ob Dauidis expulſionem, recuperandique ſibi regnum ſpes fouere, & ſupra vires præſumere. *Remanſit in Ieruſalem dicens: Hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum patris mei.* Hæc vt audiuit Dauid, Miphiboſeth omnibus mulctauit bonis, diſpoliauitque prædijs: *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* Cum Dauid Semei maledicentem tulerit, nec iudiciali aliqua ſententia mulctarit, quærunt Interpretes, cur Miphiboſeth bonis omnibus interdixit, & ſententia graui mulctarit? reſpondentque Sibæ dictis fidem adhibuiſſe: cumque Miphiboſeth magnis beneficijs fuiſſet dignatus, adeo eius ingratitude fuiſſe exaſperatum, vt facultibus interdixit, & menſa priuatit. Audi quanta in eum Dauid contulerit beneficia: *Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam quaſi vnus de filijs Regis.* ſup. 9. v. 11. Grauiſſimè tulit tantis honoribus nobilitatum, & regijs epulis innutritum erga benefactorem extitiſſe ingratum, & prorsus officiorum oblitum. Prodeſt Abul. q. 5. *Ipſe dederat Miphiboſeth omnia bona, quæ habebat, cum ante hoc nihil habuiſſet: ſupra 9. ſed propter ingratitude, quando magna eſt, renocantur donationes.* Si verum eſſet crimen, quod Siba conſinxit, cum Miphiboſeth ſe exhibuiſſet ingratiſſimum, mirandum non erat bonis omnibus diſpoliari, & iudiciali ſententia premi. Inſinitam Dei patientiam inde probat Tert. de Pati. cap. 2. quod ingratos ſuſtineat, nec pœnis atterat. *Suſtinet ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes.* Florem lucis ſparſit hominibus, temporum officia, elementorum ſeruitia in eorum vtilitatem diſpenſat, & tantis largitionibus ingrati, non ſolum adorationis denegauere tributum, ſed ad opera manuum ſuarum transferre admiſi ſunt thronum, ergo ni Deus inſinita eſſet patientia præditus, iam, attritis eiſmodi hominibus, fuiſſet vltus. Tyri Rex ferè immetata à Deo accepit beneficia. *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei plenus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs paradifi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Ezechiel. 28. v. 12. Tanta beneficia deteſtabili ingratitude compenſauit, & benefactorem detrudere è throno ambiuit. *Elenatum eſt cor tuum in decore tuo.* Quid tunc? Bonis omnibus diſpoliatur, & ad nihilum reducitur: *Nihili factus eſ, & non Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

eris in perpetuum. Iurè ad nihilum eſt redactus, & ab hominum memoria expunctus, qui nec inter bruta cenſeri extiterat dignus. *Non eris in perpetuum ſecundum illud (inquit Interlin.) non parcam tibi, nec miſerebor.* Miſericordiam ſibi Miphiboſeth denegauit, & contra ſe acrem Dauidis indignationis flammam ſuccendit, dum poſt tot accepta beneficia contra benefactorem, ſi Sibæ credendum eſt, ingrata gerebat pectoribus deſideria.

§. XX.

Aſtuta politices tegit ambitioſam flammam, & ſolum Principum ſuſpirare mentitur gloriam.

AMbitio verſipellis eſt: iam ſub humilitatis abraſtea tegitur, iam blandiſſimè fallere adnititur, iam nihil, niſi Magnati placere deſideraſſe teſtatur. Oblatis muneribus, ad lucra inhiat, & ſolam accipientis gratiam prætereſt affectat. De Cameleonte refert Plinius aura nutrir, & multicolorem eſſe. Eum audi lib. 8. cap. 33. *Solus animalium nec cibo, nec potu, nec alio, nam aëris alimento nutritur.* Adnectit: *Et coloris natura mirabilior: mutat namque eum ſubinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditque ſemper quemcumque proximè attigerit, præter rubrum, candidumque.* Ambitioſus ſolum candoris ſimplicitatem ignorat, ſolam honorabilem neſcit verecundiam, colorem mutat, & talem ſe exhibet, qualem occaſionibus conuenire præſumit, cumque inanem ardentè inhiarit ad gloriam, mentitur ſe ſolum Principum vtilitatem curare, & ſolum eorum commodis ſtudere. Sibæ adulationis, ambitionisque idea Dauidi occurrit, opportuna tempori munera offert, dominum ſuum calumnijs offendit: & cum totum eius patrimonium rapere exambiat, ſolum Dauidis gratiam ſuſpirare aſſeuerat: ſolum Dauidis teſtatur ambire obſequium, maximumque reputare præmium, ſi dignum, gratumque ei exhibuerit officium. *Dixitque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te, domine mi Rex.* Nota callidam ambitioſi veſtutiam: diuitijs inhiabat, & ſe ſolum Principis beneplacitum deſiderare fingebat, vt, dum putaretur deuotior, ſibi acquirat fraudulentior. Notauit Abul. q. 6. *Hic oſtendit Siba, quod ipſe non obtulerat munera Dauid, vt daret ei poſſeſſiones domini ſui, ſed ſolum vt placeret in oculis eius: vnde nihil dixit de poſſeſſione ſibi oblata, ſed ſolum petiuit, vt ſemper inueniret gratiam in oculis Dauid.* Fuiſſe Sibam egregium adulatorem, & aſtutiſſimum ambitorem, tradit ipſe Abul. q. 2. *Erat Siba adulator magnus.* Et q. 4. *Fuit valde aſtutus.* Itaque aſtuta ambitio affectabat ſuſpirare Principis gratiam, cum iniuſtam inhiarit ad prædam, cum audis, aulicos, palatinosque ſe nihil exoptare, niſi Principi complacere, & eius ſolum vtilitatem ambire, agnoſce aſtutiæ, & ambitionis ingenium, & crede tendere ad lucrum. De Scribis quidam affectabat Chriſto Domino inſeruire, & lateri eius adhætere: *Magiſter, ſequar te, quocumque ieris.* Mat. 8. v. 19. Quid tunc Dominus? Vulpinam aſtutiam detegit, & lucrum ſuſpirare, etſi teçtè prodit. *Vulpes foueas habent.* Profectò reſponſum non congruens videri potuit deſiderio. Si exoptat obſequi; quid obſtat, foueas vulpeculas habitare? O ſapientiam immortalem! Scriba acceſſerat non animo inſeruiendi; ſed diuitias comparandi: oſtentabat deuotionem, ſed

2. Reg. 9.
v. 11.

Ezech. 28.
v. 12.

Mat. 8.
v. 19.

vt tegeter fraudem. Ergo Dominus prodidit animum, latentem ostendit affectum. Notauit. Hierony. in Cat. *Ostenditur nobis, & ob hoc Scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quærerent.* O quot discipulos reliquit Scriba! Sibi vt quærant lucra: vulpinam astutiam deuotionis, pietatisque bractea tegunt, & simplices sæpè fallunt. En Siba affectat solam Principis gratiam ambire: *Oro, vt inueniam gratiam coram te: cum reuera dominum suum hæreditate prætenderit dispoliare.*

§. XXI.

Pia deuotio parui æstimat temporalia, quia solum suspirat Numinis gratiam mereri.

HOc est profectò quod verè deuotos facit, terrena despiciere, & amare cœlestia, parui æstimare successus fortunæ, & magni incrementa gratiæ; nam qui terrenam conuertit oculos ad mercedem, lædere videtur pietatem. *Ille dignus est premia consequi* (aiebat Cassiodor. 9. Var. 13.) *qui parere cognoscitur æquitati.* Addere posset: Et perfectè parere nequit laudabili deuotioni, qui deseruit, vt suæ adulerur cupidini. Vicerat Abraham communes hostes: & quamuis oblata à Sodomorum Rege spolia recularit magnanimus: *Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Gen. 14. v. 23. à Domino tamen aliqua videtur exambijisse sollicitus: *Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis.* Gen. 15. v. 2. Hic seruit, sed à Domino accipere filium exambit, alibi immolare filium iussus: *Offeres eum in holocaustum.* Gen. 22. v. 2. de præmio nihil refertur sciscitatus: Et cur hic non roget: *Domine Deus, quid dabis mihi?* quandoquidem & obsequium grandius, & sacrificium esse probabatur eximius? Quia iam (inquit Zæno Veron.) erat deuotio perfectæ, & erga Deum pietas consummata: iam gestiebat implere perfectissimè deuotionem, quin attenderet ad mercedem: Abraham miris semper emicuerat virtutibus expolitus; at vbi solum Deo placere attendit, plùs dilaudandus, Zænonem audi ser. 1. de Abrahamo: *Vt deuotioni pareret, lætabatur, hoc iussisse Deum.* Modò in tantis filij casibus lætatur & gaudet, & vt impleuerit deuotionem, attendit nullatenus ad mercedem. Siba etiam hanc seruiendi formam deuotos edocuit, etsi ipse ambitu degenerarit, obtulerat Dauidi iter agenti opportunum satis subsidium: *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus &c.* Dauid ex se generosus, & obsequijs exhibitis oblectatus, grandi Sibam mercede remunerauit: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth:* audit præmium, & solum Dauidis gratiam ambire, & ei placere desiderare testatur: *Oro, vt inueniam gratiam coram te, domine mi Rex.* Ac si dicat: *Ingentissima sunt, quæ à te temporalia præmia accepi, sed cum tuâ gratiâ collata, parui æstimanda, imò vel nihil habenda: non desidero accipere sed placere: Et quidem, ni deliquisset versutus, laudem mereretur deuotus.* Audi Abul. q. 6. *Ostendit Siba, quòd ipse non obtulerat munera Dauid, vt daret ei possessiones domini sui; sed solum vt placeret in oculis eius: vnde nihil dixit de possessione sibi collata, sed solum petiuit, vt semper inueniret gratiam in oculis Dauid.* Siba ini-

quus seruus, non tamen malus politicus edocuit aulicos contentos esse Principis gratia, nec inhiare semper ad incrementa, edocuit Dei seruos tunc perfectæ deuotione micare, si solum suspirent Deo placere, & temporalia agnouerint depretiare. Quæ à Deo proneniunt, gratitudine animi sunt accipienda, sed Dei gratia totis nisibus procuranda.

TEXTVS.

VER S. 5. & 6. Venit ergo Rex Dauid vsque Bahurim; & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saül nomine Semei filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid: omnis autem populus, & vniuersi bellatores à dextro, & à sinistro latere Regis incedebant.

§. XXII.

Sæpè exterius penditur obsequium, sed euomitur calatum opportuna occasione odium

E Politicis plures odium intimis visceribus pressum non permittunt respirare, quia didicerunt timere: adstant, obsequuntur, blandiuntur, plaudunt, sed totum hoc timori sacrificant, non amoris: cum odio paciscuntur, contenti interna æmulatione, quin exterius apparere sinant vel incendium eius, quod calant. Disertè Tertul. in Apolog. cap. 35. *Si pectoribus ad translucendum quamdam speculari materiam natura obduxisset, cuius non præcordia insculpta apparerent noui ac noui Cæsaris scena in congiario diuidendo presidentis? etiam illa hora, qua clamant: De nostris annis tibi Iupiter augeat anno.* Ac si dicat: *Ipsi, qui clamant de suis annis Cæsareos annos augeri, ipsum Cæsarem machinantur extinguere: cedunt temporis, cedunt timori, exterius faciunt vota, impendunt obsequia, sed interius præmunt viuidissima odia.* Semei vnus erat ex illis qui Dauidem proclamarant, & sibi Regem ad speciem ambierant. *Venerunt vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus.* 2. Reg. 5. v. 1. ex eis, qui Dauidem in Regem inaugurarunt, & faustis, iteratisque acclamationibus extulerunt. Semei erat, & modò in Regem maledicta congerit, & lapides mittit: *Venit ergo Rex Dauid vsque Bahurim, & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saül, nomine Semei filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid.* Et cur modò iaciat saxa, qui retrò pendebat obsequia? aut cur pepedit obsequia, si visceribus fouit odia? Quia cum Dauid (inquit N. Sanct.) prospera vteretur fortuna, illum exterior suspiciebat reuerentia; ast visceribus contactum odium, modò opportunam nactum occasionem, erupit, & dicteria probrosissima euomuit. *Vir quidam de cognatione Saülis, qui diu (vt apparet) metu inueteratum odium in Dauidem compresserat, vbi excidisse existimauit e regno, euomuit in illum quidquid fellis, & acerbissimis imbiberat.* Dum conclamabat Regem,

2. Reg. 5.
v. 1.

gem, oderat hostem : cessit politicus tempori, non furori : Vt notum fuerit ex politicis plurimos, dum blandiuntur, dum adulantur, interius preme- re odium, et si exterius mentiantur obsequium. Si manipulos fratrum vtrabre exterius spectes, vide- bis, manipulo præstanti, excelsoque curuatis cer- uicibus in modum adorationis colere, & venerationis tributa pendere. *Putabam nos ligare manipu- los in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare ma- nipulum meum.* Gen. 37. v. 7. Hunc ipsum manipu- lum, Iosephum scilicet, ubi eum procul viderunt, tunica dispoliarunt, & quod odium compresse- rant, misso in cisternam prodiderunt. *Nudauerunt eum tunica talari & polymita.* Nonne vides supra ceteros elato adorationem impensam, & iam vi- anti, solique non solum denegatum cultum, sed vs- que ad necem armatum odium ? Antea fortunæ etiam somniata obsequium pendebatur, modò na- tura diuendebatur. Audi Philo. lib. de Ioseph. *Tan- to odio eum prosequeretur, quanta pater beneuolen- tia, regentes tamen id, & dispensantes in tempus aliud.* Dum stare, consurgereque videbant, sic odium calabant, vt nec spirare permitterent, at ubi iam disparuit thronus, dispensatum in tempus odium euomuerunt, & seruum vilissimum reputa- runt. Hic est enim politicorum mos, in opportu- num tempus malevolentiam tegere, & fortunato officium adorationis præstare. Semei Dauidem fortunatum cum cæteris conclamauit; sed fortuna versa, in ipsum lapides iecit.

§. XXIII.

Nescias, an ingenuo viro grauior ingesta ad ho- ste contumelia, aut impensa à seruo misericordia.

Prioris fortunæ felicitas sequentis infortunij acerbitatem exaggerat, & amaritudinem cum- ulat. Quid enim olim prædiuiti, & honoribus resplendenti, acerbius, quam ab homuncione in- iurijs impeti, & ad eam redactum esse miseriam, vt à seruo opus sit ali ? *Magis urgent* (aiebat Sene- de Prouid. cap. 4.) *scia in exportos : graue est tenera ceruici iugum.* Acerbior est adorationibus assueto iniuria, luctuosior diuiti inopia, tristior miseria. Nec potest serui commiseratione indigens, dolore acerbo non discrucari, qui assueuerat diuitiarum copiâ potiri. Impensus cultus noua addit calami- tati incrementa, & distorquet amissæ felicitatis memoria. Dauid gemino crimine, adulterio, ho- micidii que se polluerat, & duplici pœna modò constringitur, dum à seruo accipit ad alendam vi- tã subsidium, & à priuato audit maledictionis op- probrium. *Apparuit Siba puer Miphiboseth in oc- cursu eius cum duobus asinis, qui onerati erant du- centis panibus.* Vides à seruo impensam Regi mise- ricordiam, audi à priuato iactatam etiam inju- riam. *Maledicebat, mittebatque lapides contra Da- uid.* Saluianus apud N. Sanct. existimat leuiorem dolorem non fuisse, ad eam deuenisse inopiam, vt à seruo acciperet, si liceat dicere, eleemosynam, & in tantam incidisse etiam calamitatem, vt priuatus audaci despectu contorquere in ipsum non vere- retur execrandam maledictionem. Saluianum au- di : *Super istis prioris status à seipso exulans, penè iam post se vinens, deiectus usque in seruorum suorum, vel, quod graue est, contumeliam, vel quod grauius, mi- sericordiam.* O quale fuit Dauid tormentum serui

miseriordia indigere ! ô qualis fuit dolor, contu- melia publica denigrari ! Hanc tamen persolueri debuit pœnam, qui tantam admisit culpam. Elias dum hironicè vir Dei appellatur, ipsa appellatio- ne despicitur : *Homo Dei, Rex præcipit, vt descen- das.* 4. Reg. 1. v. 10. Dei hominem vocat, vt irriserit, non coluerit. Prodest Lira : *Irrisoriè vocabat eum hominem Dei.* Hic irridetur, alibi, vt alatur à vi- dua, mittitur. *Surge & vade in Sarepta Sidoneoriam, & manebis ibi : præcepi enim mulieri vidua ibi, vt pas- cat te.* 3. Reg. 17. v. 9. Basil. Seluc. existimat, vt ad generalitatis commiserationem Eliam Deus flexerit, & sententiã demutare suaserit, admouisse hanc machinam, scilicet Prophetam coruorum ministerio pastum, & torrente vsum ad eam ege- statem reducere, vt viduæ eguerit eleemosyna, & aquæ guttula. Basilium audi Ora. 11. *Viam prudentiæ plenam cum Propheta innuit. Quæ via ? Eum loco locum mutare iubet, urget profectiorem in Sarepta, & eum ad mulierem, viduam mittit.* Eliæ graue fuit ir- rideri, sed grauius, panis frustulum à vidua accipe- re. Hanc Deus, vt aiebat Basilius, admouit machi- nam, & iam Elias promittit pluuiam, & interdicto soluit creaturam. Nescias namque, an acerbius sit ingenuo, denigrari contumelijs, aut indigere elee- mosynis. Dauid à Siba alitur, à Semei despicitur ; satis istud erat molestum; sed si Saluiano credimus illud erat molestissimum. *Deiectus usque in seruorum suorum, vel quod graue est, contumeliam, vel quod gra- uius misericordiam.*

§. XXIV.

Rabida ira et si nequeat malum inferre, non desinit vt exsatiatur, tentare.

Ira (aiebat Theog. apud Stob. c. 20. *peior quando- que est insania.* Insanus sine culpa furit, iracundus non sine crimine ardet. Tota est iracundia, vt ma- lum inferat, vt vltionem expetat, vt sibi expeten- do placeat. Quod si cui irascitur, malum nequeat inferre, quia extra potestatis suæ limites degit se- curus, blanditur sibi furendo, & se exsatiare adni- titur blaterando. Semei eo iræ furore in Dauidem agebatur, vt maledictis replet, & in satis distan- tem lapides mitteret : *Maledicebat, mittebatque la- pides contra Dauid.* Ex hoc cap. n. 13. constat è monte satis distanti lapides contorsisse : cumque Dauidem ob distantiam nequiret ferire, quærunt Interpretes, cur otiosè lapides fuerit conatus eia- culari ? respondētque, ea iaculatione indignatio- ni suæ fuisse adulatum, & furori blanditum. Audi Abul. q. 7. *Non mittebat lapides ad hoc, quod posse percutere eos, quia aliquantulum distabant ab eo, ita vt neminem posset tangere, sed mittebat ad iniurias, & ad satiam iram suam.* Gauderet, si percuteret; verum et si nequiret inferre plagam, solabatur iac- tu iram, & ardentissimam indignationis testaba- tur vrere præcordia flammam. Videbis aliquos irã aded percitos, vt licet non possint lædere, cæcè conentur, & satiari indignationem externa irarum significatione nitantur. Muliet fulgurantibus fi- deribus redimita sic inuidi, ac veterinosi serpentis oculos percussit, & graui aded dolore torfit, vt furens in campum profiluerit, & pro viribus nocere tentarit. Mulier mutuata aquilinas alas, in su- blime volauit, & astutos serpentis dolos elusit. *Date sunt mulieri ala due aquila magna, vt volaret in desertum, in locum suum.* Apoc. 12. v. 14. Quid tunc ? Serpens iracundia insaniens euomuit fluuium, vt

tentarit naufragium. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen; ut eam faceret trahi à flumine.* Serpens olim de calliditate præsumens, astutiæ suæ intulit modò notam, dum intimis è pectoribus, ut volantem traheret, emisit sordidam aquam. Quid enim aquæ proderit impetus ad retardandos volatus? si mulier extraxionis degit spheram, ad quid aqua? O expende ardentis iracundiæ cæcitatem, cæcitatique exoculatum furorem? videt serpens non posse volantem lædere, sed expertus intolerandis flammis aduri, eiaculatur sordidas vndas, ut internas irarum significatione sopiuerit flammis: rumpebantur namque viscera infano ardore, si nocere non tentaret emissio flumine. Ita Richar. apud Gloss. *In maiorem persecutionem aduersus eam exarsit. . . . Et illam mergere tentauit.* Mergere nequibat, flumen euomere poterat, ergo ut solaretur rabiem, fecit, quod potuit, & irarum significatione sibi est blandita indignatio, & aliquod solamen quæsiuit viscerum torsio. Non poterat Semei iactis lapidibus Dauidem ferire, sed mittendo procurabat ardentissimo odio adulari.

TEXTVS

VERS. 7. & 8. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret Regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: Et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

§. XXV.

A culmine cadere idem est, ac mortem subire.

Plures viuunt non quando respirant, sed quando splendent dignitatibus, quas anhelant. Qui à culmine cecidit, cum morte deiectionem commutaret, quia minus sibi acerbum est, animam agere, quàm infulas dignitatis deponere. *Subrepiat* (aiebat Sen. de Tranq. animæ c. 2.) *illa iactati animi non inuenientis exitum: quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt, & cunctatio vitæ parùm se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs. Que omnia grauiora sunt, ubi odio infelicitatis operosa ad orium profugerunt, & ad secreta studia que pati non potest animus ad ciuilia erectus.* Qui semel ad ciuilia erectus est, versa fortuna, nescit consistere, nec seipsum ferre. Vbi animaduertit Semei Dauidem dignitate pulsus, id æqua Numinis sententia testatur factum; nam cum non timuerit innocentem sanguinem fundere, fas erat à dignitate deponi: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül.* Multipliciter videtur Semei à prudentia, rationeque exorbitare: primò, quia Dauid Abneri, & Isboseth applicabat neces, in quibus nulla illi culpa, imò nulla nisi post perpetratas, notitia: Secundò quia si necis extitit auctor, satis non erat à dignitate detrudi, cum lex iuberet oculum pro oculo red-

di; quomodo ergo Semei testatur æquam effusi sanguinis pœnam infligi, cum Dauid vita aspiceret non mulctari? Quia graue aded est cellibus à dignitate deponi, & ad ciuilia erectum infulis denudari, ut putauerit Semei, quas intulerat mortes, soluere, & æqualem pœnam à regimine pulsium pati. Abulensem audi q. 9. *Dominus dedit super caput tuum pœnam pro toto sanguine effuso de domo Saülis. Putabat enim Semei, quod Dauid fuisset causa mortis Abner, & Isboseth.* Isboseth, & Abner cedes Dauidi imponebat, & à dignitate cecidisse non dissimilem morti pœnam putabat, quasi idem sit à dignitate deponi & vsuram lucis amittere. Isaias in recuperandæ sanitatis argumentum signum dat Ezechie, scilicet solem repentinum subire occasum, aut orientis repetere exordium. *Vis, ut ascendebat umbra decem lineis, an, ut reuertatur totidem gradibus?* 4. Reg. 20. v. 9. Ezechias, ut difficilius eligeret, noluit occasum, sed elegit exordium: *Facile est umbram crescere decem lineis, nec hoc vult, ut fiat, sed ut reuertatur retrorsum decem gradibus.* Si naturæ cursum, & solis tenorem spectes, non minùs arduum erat solem crescentibus umbris intrare occasum, quàm repetere orientis, imminutis umbris, exordium; si tamen mortalia consideres, soli alto in vertice prælucendi molestius erat à luminis pompa cadere, quàm occumbere: ergo disertè dixit Ezechias, facilius soli esse vitam finire, quàm ab splendoris culmine cadere. Innuit Caieta. *Umbram inclinare à meridie in occidentem, est naturale, & fit à natura, sed tali modo, videlicet in momento per gradus decem miraculosum erat, retrocesso autem à meridie in orientem nec quoad modum, nec quoad rem potest à natura fieri.* Fastigio elatum tardius, aut breuius mortem pati, est naturæ debitum, à culmine verò deturbari, acerbum probatur esse tormentum, quia minùs grauanter eligunt nonnulli mori, quàm à dignitatis culmine cadere: ergo illatæ neci æquam pœnam asserit Semei Dauidi impositam, cum aduersam patitur modò fortunam, è throno deiectus, & dignitate priuatus.

§. XXVI.

Odiu odioso culpas imponit, aut saltem admittas auget.

Vim odij (scribit Plutarch. lib. de Inuid. & od.) *hoc modò definiunt, affectionem, & libidinem esse, malo afficere molientem.* Odium nihil aliud cogitat, quàm odiosum per fas, aut nefas malis afficere; abrodit famam, imponit culpam, suspirat pœnam, & quidquid est inuisi calamitas, est libido, & odienti prosperitas. Adnectit Plutarch. *Qui affici se arbitrantur iniuria, hi solent odio habere, & alia aliàs iniuriosos: & improbos detestantur.* Odij ardor adurit viscera, & sæpè imponendo culpas improbanda quærit solatia. Vbi Semei in Dauidem, quasi regnum Saülis violenter inuasit, flagrantissimum odium concepit, ad iniurias, & contumelias recurrit. *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül, quoniam inuasisti regnum pro eo.* His verbis testatus est, ea ambitione Dauidem flagrasse, ut Isboseth, & Abnerum violenter occiderit. Et quidem, si rem examines, sine Dauidis conscientia, vtramque necem perpetratam inuenies: imò Isboseth interemptores durissimis pœnis mulctauit, constar

ex huius libri cap. 4. Abneri mortem indoluit, vt constat ex 3. Quomodo ergo Dauidi applicat Abneri cædem, & Isboseth stragem? Quia odium (inquit Abul.) vt se exfatiet, non veretur odioso crimina imponere. Audi Abul. q. 8. *Habebat eum exosum* Adnectit. qu. 9. *Semei imponebat Dauid mortem Abner, & Isboseth, quamquam in quolibet eorum Dauid fuerit innocens.* Notum erat in Isboseth, & Abner strage Dauidem nulla criminis vmbra obscuratum, odium tamen ei imponebat has cædes, vt sibi solatium quæreret, & intimum dolorem leniret. Doeg etiam Achimelec culpas imposuit, aut quas admisisse putabat, auxit. *Vidi filium Isai in Nove apud Achimelec filium Achirob sacerdotem, qui consulit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei.* 1. Reg. 22. v. 9. Pro Dauide non constat consuluisse Dominum, Doeg tamen pro suo cerebro hoc confinxit, quia vtrique nocere desiderauit: arbitratus est, Dauid deliquisse ad Achimelec confugiendo, & Achimelec panes, & gladium præstando: nec contentus est crimen referre, sed conatus etiam adiectis criminibus ingrauari. Quod si inquiras causam, inuenies, Doeg diu in Dauid odio æstuasse, & modò inuitante occasione, euomuisse. Audi Liram ad 1. Reg. 16. de Doeg odio loquentem: *Dixit hoc ex odio, quia iam Dauid odiebat.* Odium honestas actiones culpas grauissimas infamauit, & laqueos vitæ tetendit, quia odij ingenium est, odioso culpas imponere, & calumnijs plurimis denigrare.

§. XXVII.

Qui legis iugum excussit, calamitatem sibi grauissimam comparauit.

VT puer pedagogi cura destitutus sæpè offendit, & corrumpitur: ita qui legis pedagogia caret, in varia se discrimina immittit: exlex, equus sine fræno; nam lex noxias voluptates præcidit, & viam immunem à periculo ostendit. *Lex mortaliū omnium, & Rex immortalium* (aiebat Pindarus.) Et iurè: nam vt bene Plutar. ad Princip. indoct. *Assessor, & custos est domestica imperantis, de potestate, sicut de bono habitu, præcidens, quod lubricum est, reliquit quod est sanum.* Præcidit lubrica, discrimina abigit, tranquillitatem custodit. Qui à lege recedit, sibi nocet, nam vt breuis ebrietatis infania longo lædio, & dedecore compensatur; ita breuis voluptas magnis anxietatibus soluitur. Vt conspexit Semei Dauid è throno depulsum, & calamitatis vndis iactatum, per desertorum errores profugum, omnia hæc testatus est, prouenisse; quia vtile legis iugum è cervicibus excusserat, & ambitioni inferuierat. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül.* Ac si diceret: Dura, extentaque ceruice legis excussisti iugum, & idè modò pateris calamitatis naufragium; nam etsi breui tempore oblectarit libertas, longo, prolixoque exlegem premit calamitas: ergo cum ambitiosa siti sanguinem effuderis innocentem, vt subriperes dignitatem, procellosam contra te improuidus tempestatem armasti, & modò dignissimas pœnas soluisti. Semei Dauid imponebat crimina; vtque afflicto afflictionem adderet, confingebat mendacia; docuit tamen, dum à violata lege calamitatem testatus est promanare, sine lege non posse felicitatem florere. *Vir Belial* (inquit Caieran.) *hoc est absque iugo procedens in actibus tuis.*

Consonat Lira: *Id est absque iugo discipline, & legis diuine.* Rationis iugum videtur premere, sed reuerà probatur leuare; nam dum rectam, planamque viam docet, calamitatem ex erroribus ortam propellit. *Ephrain* (aiebat Oseas cap. 10. v. 11.) *vitula docta dirigere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephrain, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.* Ephrain collum pulchrescebat iugo non tritum; Iacob collum iugoterebatur oppressum; verum dum Ephrain excutit legem, adaggerat sibi calamitatem. Quam calamitatem? Audi ab ipso Propheta: *Consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tue vastabuntur.* Vitula lasciuiuit, sed postea grauissimo iugo oppressa dolenter ingemuit, & breuem libertatem dura, ac longa captiuitate perfoluit. Audi Glossam Interlin. *Ephrain non vult legem recipere, ego transiui super pulchritudinem colli eius, tumentes tauros cervicis eius imposito iugo edomui, & ascendam super Ephrain, conteram, imposito iugo grani.* En miserabiliter conteritur, dum legis reculato dominio, voluptatibus adulari conatur. Felix fuit Iacob sub rationis iugo arans, infelix Ephrain salubre mandatorum iugum desertans; nam qui refugit legi parere, confusus probatur calamitatum vndis iactari.

TEXTVS.

VERS. 9. *Dixit autem Abisai filius Saruie Regi: Quare maledicis canis hic mortuus domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.*

§. XXVIII.

Dei seruus iniurias proprias patienter remittit, sed Dei sine dolore graui non audit.

VT proprijs in iniurijs est laudabilis patientia; sic in Dei iniurijs imprudens reprehensibilis est tolerantia: proprias offensas non vl-cisci, magnanimitatis est argumentum, Dei inuulneratis auribus auscultare exigui est amoris indicium. *Stat Aristoteles* (aiebat Seneca lib. 3. de Ira cap. 3.) *defensor ira, & vetat illam nobis excusari. Calcar, ait, esse ad virtutes.* Non à ratione aberrauit Aristoteles; si benignè interpretetur. Fœda est ira, qua homo, vt vltionem expetat, furit, fœda, quæ impetu præcipitata, fœda, quæ rationi non parit: verum pulcherrima est, quæ flammescit animus diuini honoris zelotypus, & qua ad conatus magnos impiger, & ad Dei iniuriam honestè propullandam paratus. Semei non solum contra Dauid, sed contra eius seruos lapides proieciat: *Maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid.* Abisai hominis insolentia exasperatus, & audaci procacia offensus, facultatem à Rege expetit, vt eius iniurias digna vltione delet, & honori consulat. *Dixit autem Abisai filius Saruie Regi: Quare maledicis canis hic mortuus domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* Hinc oritur difficultas: Si Semei contra omnes Regis seruos eiaculabatur conuitia, mittebat saxa, cur Abisai omittit propriam, & solum ad vl-ciscendum Regem satagit impetrare licentiam? non ait: amputabo caput eius; quia in me lapides iecit, sed quia Domino meo Regi lingua fœdissima maledixit: *Quare maledicis canis*

*hic mortuus domino meo Regi? Non solum effuso maledici sanguine regiam deleat iniuriam, sed etiam propriam, quando eadem ultione expugere potest propriam, & regiam. O vtilem nobis eruditionem! Qui in expetendo ultionem sibi attendit, ab æquitate desciscit; qui solum Deum, & æquitatem, iustitiæ, laudabili zelo deseruit. Ergo Abisai proprias iniurias oblitus, Davidis Christi vmbra vlcisci satagit, ira pietatis adiutrice inflammatus. Audi N. Sanct. *Abisai tam maledica, ac rustica loquacitatis impatiens, facultatem à Rege petijt, ut tanti sceleris, atque impudentis vindicæ petulantissimi hominis caput amputaret.* Non sustinuit Abisai Regis sui honorem contumelijs denigrari, patienter tulit se lapidibus impeti; nam iusti ad iniurias proprias sordescunt, ad Dei iniurias pia indignatione inflammantur. Christus Dominus Samaritanus audit, & patienter sustinet. *Samaritanus es tu, & demonium habes.* Ioan. 8. v. 4. Lapidibus impetitur, nec irascitur: *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum, Iesus autem abscondit se, & exiit de templo.* v. 59. Hoc ipso in templo diuini honoris zelo ita flammescit, vt compacto, ex funibus flagello, omnes venditores eiciat, & nummulariorum mensas euertat: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Ioan. 2. v. 15. Si flagellum prehendit, vt nundinatores puriat, cur flagellum non conficit, vt maledicos, & sibi iniurios infligitis pœnis affligat? Nonne poterat iniurias proprias vlcisci, & irreuerentiam Dei templo factam vindicare? cur ergo alibi ad eam patientiam mansuetus, & alibi indignatione inflammatus? Quia nos voluit edocere, ad iniurias proprias sordescere, & pro diuino honore pia indignatione inflammari. Ita Beda in Cat. ad Ioan. 2. *Zelo domus patris saluator eiecit impios de templo.* Diuini honoris zelo periculum despexit, iniurias proprias patienter tulit: Quam rari sunt, qui ad iniurias proprias vlciscendas non furant, cum Numinis iniurias patienter ferant!*

§. XXIX.

Minus exasperat inflicta plaga, quam maledicta, venenataque lingua.

PLura sunt, quæ patientiam ferunt, & cruciationis votum exacuunt: sentiuntur vulnera, dolorem affert inflicta plaga; verum, si conferas loquacitatis iniurias cum ferri plagis, inuenies altius ferire linguam, quam dexteram. Audi Sen. de const. sapien. cap. 11. *Quosdam ictus recipit, sed receptos euincit, sanat, & comprimit.* Non dico constantem ictus non sentire, nec enim illi lapidis duritia est: nulla virtus est, quæ non sentiat perpeti, sed scit dolorem vincere, & iracundiam frænare. Minorem exigunt tolerantiam, quæ labefactant salutem, quam quæ denigrauerunt honorem; vnde inflicta honori vulnera plus exasperant, & irritant. *Contumelia* (addit Sen.) *à contemptu dicta est, quia nemo, nisi quem contempsit, tali iniuria notat.* Agrè fert magnanimus contemni, non ad eam agrè fert vulnerari. Hinc est, quod Abisai ardet maledicam linguam eruere, non dexteram ferientem amputare. Semei inueteratum odium in Dauidem euomuit, lapides iaciendo, & iniurijs denigrando. *Maledicebat, mittebatque lapides contra David.* Abisai honoris Principis sui amans, maledici sanguine ardet iniuriam delere, caputque truncare. *Quare maledicit canis hic mor-*

tuus domino meo Regi? vadam, & amputabo caput eius. Cum Dauidem non solum iniurijs dehonestarit, sed lapides etiam in eum contorserit, inquirendum est, cur Abisai silentio prætereat dexteram ferire conantem, & detruncato capite castigare discipiat linguam maledicentem? Quia dextera lapides contorquens (inquit N. Sanct.) noccebat saluti, sed maledica lingua honori; cumque apud ingenuos maiori in pretio habeatur fama, quam vita: viuidius, acriusque exasperauit maledica lingua, quam audax dextera. *Abisai* (inquit) *tam maledica, ac rustica loquacitatis impatiens, facultatem à Rege petijt, ut tanti sceleris, atque impudentis vindicæ, petulantissimi hominis caput amputaret.* Quod dextera conabatur, contempsit, quod effuriebat lingua, impatienter tulit, factisque edocuit tolerabilius esse ferro vulnerari, quam procaci lingua lædi. Videt Ioannes locustas nocendi vi scorpionibus similes, & æquales: *Exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent scorpiones terra.* Apoc. 9. v. 3. Profecto conducibilis videbatur ad nocendum de puteo exilire scorpiones, quam locustas, cum locusta exiguum sit animalium, & scorpio veneno armatus exatiet plagam, & auferat vitam: ad nocendum præ locustis videbantur è puteo scorpiones exulturi, non locustæ. Cur ergo prodierunt locustæ, non scorpiones? O attende, locustas ore lædere, omnia dentibus deuastare, ergo vt plaga defæuiat durior, locusta exiliuit, & quidquid floridum denigrauit. *Scorpio* (inquit Rupert. apud Glossam) *vermis terrenus est, ore, vel capite innoxio blandiens, & tunc demum cauda conuersa incautum feriens.* Scorpio non lingua lædit, sed cauda, locusta non cauda, sed lingua, adeoque deterius est vulnus linguæ, quam caudæ, vt cauda auferat vitam, & lingua arroserit famam. *Data est illis potestas ledendi* (inquit Glossa Mor.) *malis verbis.* Non armantur contra homines scorpiones, armantur locustæ, quia locusta malis verbis arrodit famam, & scorpio cauda defæuit in vitam: acerbis que est petulantibus, & iniurijs verbis feriri, quam vulneribus acceptis fauciari. Hinc erudimur studiosissima cautela ora sigillare, quia lingua altius vulnerat, quam machæra.

§. XXX.

Homuntio abiectus, esse solet lingua solutus.

Linguacitas infimi, & plebei hominis est; nobilis sibi debet linguam frænare, ne procacibus verbis notam sibi probetur inurere. *Vnusquisque contemptissimus* (inquit Sen. de Const. sapien. cap. 11.) *& vt maxime ludibrio est, ita solutissima lingua est.* Lingua enuntiat de homine, & de hominis qualitate. Vt audiuit Abisai Semei impudentiam, & linguam dissolutam, canem mortuum, & foetidum esse protulit. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi?* Ac si dicat: si non esset Semei prærogatiuis nudus, non delinqueret maledicus, sua tamen lingua se prodidit, & nullius esse valoris ostendit. Nostrum Sanct. audi: *Canem appellat mortuum, qui proverbiali specie abiectissimum hominem, & odiosissimum indicat.* Canis oblatrat viuus, foetet mortuus, ergo foetidum, & abiectissimum censuit, vbi linguacem, & impudentem audiuit. Ex animalibus primus Dei honorem arroset serpens: *Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis*

Ioan. 8.
v. 4.

Ioan. 2.
v. 15.

Apoc. 9.
v. 3.

Gen. 3. v. 5. *deritis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Gen. 3. v. 5. Aeli dicat: Deus loco beneficij numerat, vos arboris prohibitione à Diuinitate repellere, sed dolum amoris fucò tegit, & fallit. Vide in quantam audaciam & maledicentiam armauerit serpens linguam, facinori turpiter adrepat abiectus, & inter alia animalia obcurus. Basilium audi Or. 3. *Turpi facinori turpiter adrepat.* Nam qui Deum offendit, satis ei supplicij est dedecus. Vel ante supplicium ex infirmis, terramque corpore verrentibus fuit, qui bellum conflauit, & impudentissima lingua Numinis actiones abrodit; frequenter namque linguaces, & impudentes sunt homines ex infima plebe obscuri, & titulis multis abiecti. Doeg obscuro genere notatur, cum linguam contra Achimelech, & Dauidem exacuisset proditur. *Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saül, Vidi, inquit, filium Isai in Noe apud Achimelech filium Achisob sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei.* 1. Reg. 22. v. 9. Doeg fortuna extulerat, sed lingua genus prodebat, dum mentitur, dum sancti sacerdotis, & Dauidis facta improbare conatur, obscuris se natalibus exortum prodit, Idumæum ostendit, aliter namque temperaret linguam, & excusaret maledicentiam. *Quidam* (inquit N. Sanct.) *hoc falsum dicunt esse commentum Doeg Idumæi.* Ni abiecto genere esset satus, non componeret fabulam, nec solutissimam haberet linguam.

§. XXXI.

Procax, & soluta lingua sibi negotiatur mortem, & sollicitas stragem.

Linguax, dum aliorum famam obscurat, contra se indignationem inflamat: vicissitudo illi redditur, & audit nolens paria, ac obmurmurauit effutens. *Ita solet ei vsuenerit* (aiebat Sophoc. apud Stob. cap. 18.) *ut postquam linguam temere exornauerit, vicissim nolens, illos audiat, quibus ipse volens maledixerat.* Vicem rependunt, qui se maledica percussos linguacitate ingemiscunt: Semel dum maledicus, audit canis mortuus. *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi?* Nec solum audit canis foetidus, sed iugulandus: *Canis hic mortuus:* id est citò aded interimendus, vt inter occisos debeat censerì, & pro mortuo numerari. Notauit Abul. q. 9. *Vocatur canis mortuus, quia in breui moriturus erat.* Qui alios linguacitate irritant, qui maledicentia inflammant, citò pereunt violenter occisi, aut saltem defcedantur membris aliquibus mutilati. Serpens, vt placet aliquibus, ab exordio pedes sortitus est, non compellebatur labore corpus trahere, & tellurem vertere; ast postquam in Deum armauit linguam, hanc tulit pœnam: *Maledictus eris inter omnia animalia, & bestias terra, super pectus tuum gradieris.* Gen. 3. v. 14. Si ab exordio è terra pasceteretur, & super pectus graderetur, nulla esset hæc pœna; cumque nequeat in dubium verti eiusmodi edicto mulctatum, quarendum est, cur ad tam foedam proreptationem damnetur, & pedibus mutilus obuoluatur. Lita existimat, hoc tulisse linguacitatis præmium, vt constaret, linguaces, maledicosque aut violenter occidi, aut saltem membris aliquibus detruncari. Audi Nicolaum ex aliquorum sententia: *Secundum istos prius habuit pedes, & statuerant erectam, sed pedes sunt ei amoti, & sic raptan-* Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

do incedit. Profectò statura recta homini solum data est, quod Ouidius cecinit 1. Metamorph.

Os homini sublime dedit...

Habuisse tamen serpentem pedes aliorum adinstar, innuere videtur prolata contra ipsum sententia; nam quid illi iniungeretur amarum, si ab exordio corpus per terram traxisset foedum? habuit ergo iuxta horum sententiam pedes, sed maledicus mansit mutilus. Iam punitiois causam extitisse linguam, non obscure indicauit sacra Scriptura: contra ipsum Deum linguam armauit, & hominum inuidere felicitati procax asseruit: *Nequaquam moriemini: scit enim Deus, &c.* Dum maledicam armauit linguam, ad reptationis subit sententiam. *Contra Deum* (aiebat Basil. Ora. 3.) *bellum conflat.* Bellum contra Deum maledicendo conflat, & ob maledicentiam pedibus mutilatus turpiter satis prorepat. Vt ab exordio notum fuerit, linguaces, maledicosque aut stragè sibi maturare, aut mutilos membris carere. Bestia stupida, impudensque blasphemias loquitur, & ipsum Deum obscurare conatur. *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in caelo habitant.* Apoc. 13. v. 6. Quod præmium Apoc. 13. affecuta fuerit maledicentia, Ioannes non tacet: *Vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem.* Vnum de capitibus quasi in mortem occiditur, dum lingua blasphemias proijcere non veretur. Quam enim aliam mercedem lingua sortiretur solutissima nisi occidi, aut mutilari? *Quasi occisus, vel quasi mortuus dicitur, qui proximus est morti* (inquit Hugo Card.) Caput illud iam occisum habetur, quia occisioni proximum; non longa spatia duxerunt vitæ impudentes linguacesque, non qui se lingua audaci obscuratum dolet, vltionis desiderio inardescit, & vlscisci exambiens, aut linguam eripit, aut mortis plagam infligit. Dum Semei maledicit, iam dicitur mortuus, quia morti vicinus: *Canis hic mortuus: quia in breui moriturus erat.*

§. XXXII.

Qui honorem de se benemeritis non conatur defendere, notam sibi videtur inurere.

Qui de se benemeritis non defendit honorem, ipso silentio animi declarat ingratitude. Silere est quodammodo maledico annuere, & taciturnitas subit ingratitude notam, dum non reprimit impudentis procaciam. Saül indignatione percitus, odioque delirus morte dignum testabatur Dauidem: *Filius mortis est.* 1. Reg. 20. v. 31. 1. Reg. 20. Qui abstabant Regi, continuerunt ora, verum Ionathas Dauidis honorem defendendum suscepit, & virili animo nihil indignum perpetrasse vnquam, opposuit. *Quare morietur? Quid fecit?* Si inquiras: cur præ alijs Ionathas susceperit hanc causam? respondeo voluisse notam à se auertere, quam silentiosus verebatur incurrere. Inter Dauidem, Ionathamque intercedebat strictissima amicitia; si ergo audiens, immerito amici honorem denigrari, ora contineret, censeretur ab amicitiae obligatione desciscere: ergo amici honorem defendit, tam amico attendens, quam sibi; subiret namque apud omnes obscuram notam, ni amici pateretur iniuste obscuratam famam. *Non cessauit* (inquit Abul. quæst. 33.) *diligere eum, & respondere pro illo...* *Quare morietur? quasi dicat: Nulla est causa, quare moriatur: nullum ma-*

lum fecit, propter quod mori deberet, sed potius fecit bona, propter quæ deberet exaltari. Silentium esset amoris iniuria, fœderis initi nota; ergo ne aut amori, aut fœderi inferret notam, defendendam suscepit causam. Semei procacissimis verbis, audacissimis iniurijs Dauidis etiam obscurabat honorem: *Egrederes, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Abisai Regis exambiuuit vindicare iniuriam, arbitratus nimia tolerantia inurere sibi notam. *Quare maledicis canis hic mortuus domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* Cum tot, tantæque beneficia Abisai à Dauid accepisset, censuit non posse non sine gratitudinis querela, sine decoris nota ora comprimere, & vituperabili silentio tacere. Ita Abul. q. 9. *Quasi dicat: Cum simus hic tot viri bellatores, iam deberemus occidisse ipsum, quia in contemptum nostrum maledicis Regi, quasi nullus sit, qui pugnet pro eo.* Linguacem non reprimere, & de se benemeritum non defendere, cenfebatur dedecus, quandoquidem erat inglorium tot titulis obligato surditas affectata, & honesta ira compressa. Qui obmurmurantem de amico prudenter non reprimit, annuit, & ea prudentia, indecora apud omnes habetur nota.

§. XXXIII.

Plures ambiunt Magnatum lateribus adherere, sed pauci curant eius salutem, & opinioni prospicere.

Nimis absurdum est, si cuius lateri cupis adherere, honori negligas, & opinioni consulere. Verum plures, ne amiserint commoda, grata adulatione amicum impellunt ad quæ denigrare nouerunt famam, & afferre opinioni notam: alij etsi linguaces audiant, se substraxere periculo, & damnabili silentio malunt amicum aspergi indecora nota, quàm subire litigiorum certamina: nullis impugnationibus eneruare conantur contra amicum prolata, cum eius lateri adherere sollicita procurauerint cura. Dauidis Regis bellatores vtrumque latus cingebant. *Vniuersi bellatores à dextro, & à sinistro latere Regis incedebant.* Quisque lateri approximare præ alijs discupiebat, & proximitate anteferri desiderabat, cumque Semei maleuolentia adustus, Dauidis honorem labefactaret, & lingua solutissima referret, è tot, tantisque bellatoribus solus Abisai fuit, qui honori Regis consuleret, & cum maledico decertaret. *Dixit autem Abisai filius Saruia Regi: Quare maledicis canis hic mortuus domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* En omnes Dauidis serui, & amici norunt honorem labefactari, & tamen manum continent, nec vliscuntur iniuriam, sed improbandam ad speciem ostentauere patientiam. Notauit Noster Sanct. *Vnus Abisai tam maledica, ac rustica loquacitatis impariens.* E tot latus cingentibus vnus honori prospexit, & maledicam frænare linguam gestiuit. Consonat Abul. q. 9. *Quasi dicat: Cum simus hic tot viri bellatores, iam deberemus occidisse ipsum, quia in contemptum nostrum maledicis Regi, quasi nullus sit, qui pugnet pro eo.* Plures erant, qui adhererent lateri, sed solus Abisai consuluit honori. Plures etiam Christi Domini latus cingebant, & nonnulli præ alijs proximare obnixis precibus postularant, sed dum aduersariorum audaciam impudentissimam spectarent, vnus fuit, qui pro eo gladium educeret, & se inimicis opponeret. *Vnus autem quidam de circumstantibus educens gla-*

diu, percussit seruum summi Sacerdotis. Marc. 14. Marc. 14. v. 46. Christus Dominus non probauit vltionem, sed historia confirmat thesim, scilicet plures esse, qui exambiant approximare, rari, qui pro amico periculum velint lubire. *Vnus autem quidam de circumstantibus: Acsi dicat: Duo fratres paulò antea lateri ambiuerant adherere, sed solus Petrus non recusauit defendere.* Petrus (inquit Beda in Cat.) *hoc fecit.* Petrus solus è circumstantibus patienter non tulit Domini iniuriam, & eduxit ad eius defensionem machæram: nullus mensæ defuit, solus Petrus certamen iniuit. E tot Dauidis militibus nullus fuit, qui non audiret iniuriam, sed nullus etiam fuit, qui iniurio, & blateranti se opponeret.

T E X T V S.

VER S. IO. Et ait Rex: Quid mihi, & vobis est, filij Saruia? Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere: Quare sic fecerit?

§. XXXIV.

Reus non veretur culpam committere, si eadem cognouerit Iudicem iniquinari.

SI longè posita sit disciplina, impudens delinquentium crescit audacia. Timet grassari, qui se supplicijs veretur torqueri: in compendium mittuntur crimina, si saua minitentur tormenta. Quis enim à perpetrands sceleribus non absteat, si ceruici districtum gladium imminere cognoscat: vt econtra: quis non ambiat culpis infici, si Iudicem similibus cognouerit obligari? *Nullus in se culpas* (inquit Cassiodor. 6. Var. 21.) *timet reus, quas habere respexerit cognitorem: quando agentem malè nisi bonis moribus non estimat displicere.* Nullus actus suos in altero damnat, quia innatum est, vt nitatur quisque defendere, quod se cognouerit admisisse. Semei solutissima lingua, impudentissima audacia sic Dauidem persecutus est, vt feruorum inflammauerit iram, & opus fuerit, vt Dauid suorum frænaret scandescantiam. *Dimittite eum, vt maledicat.* Mira in Dauide relucet æquanimittatis patientia; verum Semei etsi patrem non timuerit afflictum, vereri debuit Absalonem ad regni thronum elatum. Quis enim filius patris iniurias non conetur vliscisci, & sanguine iniurij non adnitatur delere? Ergo Semei etsi à Dauide non timeat, ab Absalone potuit infligendam sibi pœnam vererij, imò, inquit Abul. q. 12. audacissimam fouet procaciam, quia nullam à Iudice tunc constituto metuebat pœnam. Absalom, cui naturæ lex suadebat reuerentiam, execrandam admittebat in patrem culpam: ergo credidit Semei Absaloni adulari, si adniteretur Dauidem persequi; nam sub iniquo Iudice culpa est pro merito, nec sibi obnoxia videretur supplicio. Abulensem audi: *Credidit quòd Dauid non posset ei malum facere in futurum, putans quòd Absalom regnaret, & nunquam restitueretur Dauid in regnum, & Absalom non vindicaret iniurias factas patri, cum ipse principaliter persequeretur eum ad mortem.* Plus Iudex eodem in genere delinquebat: ergo Semei actum suum Iudici existimauit non displicere, imò dum imitatur, ius gratiam credidit elucrari, Sub libidinoso Iudice

dice libido non timet, sub fure latro non pauet, quia reus non veretur committere, quod scit Superiori non displicere. Clodius, cum de adulterio cum Cæsaris vxore in aperto commisso interpellaretur, vt Iudices eodem crimine tenerentur, curauit; quod affectus, non timuit iudicium, quia illi iudicū patrocinauit peccatum. Audi Sen. epist. 97. *Adulterij reus adulteria diuisti, nec ante fuit de salute securus, quam similes sui Iudices suos reddidit.* Sub Iudice castitate prædito malam causam haberet Clodius, sub adultero adulterij non timuit reus, quia non poterat actus suos Iudex in altero condemnare, quando erat notum, sententiam in se proferre. Populus victimas vitulo non dubitauit offerre, nec publicis acclamationibus celebrare. *Surgentes manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas.* Exod. 32. v. 6. Cum peccator quisque ipsa conscientia admonitus lucem refugiat, & pœnam criminis expauescat, inquirendum est, cur populus lucem, vt delinqueret, non expauerit? Sed quæstioni Textus respondit, Aaronem vicaria potestate tunc populo præsentem, Aras erexisse, & vitulum celebrasse. *Edificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: Cràs solemnitas Domini est.* Quomodò timeret reatum, qui vocabatur ad sacrificium? & quomodò puniret adorationem, qui condixit solemnitatem? Moyse expertes adorationis ultores constituit: *Si quis est Domini, iungatur mihi.* Vt qui bene nouerat, non posse Iudicem proferre sententiam, si eandem, aut consimilem admiserit culpam. *Tradunt quidam (scribit Hugo) Aaron proieciisse ea in ignem, & inde opere demonis conflatum caput vituli.* Dum Aaron, quæ donaria acceperat, in ignem proiecit, dum vitulum dæmonis ope confingit, dum sacrilegam Aram statuit, nequit vituli adoratores punire; & ipsi, omni rubore postposito, non recuaserunt peccare.

§. XXXV.

Præsentanea non extimescunt supplicia, qui in fastigio perpetrare peccata.

Non respiciunt sæpè alta tenentes, quid legum æquitas præcipiat agere, quid iubeat effugere: alè infidentibus pro lege voluntas est, & dum carent timoris fræno, omni se maculare piaculo. Quis audeat in Altum? Quis potius non recurat ad iniuriæ tolerantiam, quam ad vindictam, & malit leuiori vitare grauius incommodum, & redimere patientia periculum? *Censuram* (aiebat Philo de Confus. ling.) *merentur impij, vt benefica alioquin, benigna, proprieque potentia pœnas ab eis exigant: quas Deus sciens humano generi vtilis per alios statuit, oportebat enim castigationem adhiberi.* Hoc salubri pharmaco, timore scilicet, carent potentes, & dum sibi pœna omni videntur exempti, in omne nefas non verentur præcipitari. Semei solutissima lingua, & intoleranda procacia Dauidi per campestria incedenti maledicebat, & lapides iactabat. E tot militibus, qui in comitatu erant, solus Abisai dignam infligere mulctam ambiuit, & capite plecti dignissimum censuit; verum Dauid præelègit patientiam, noluit vindictam: *Dimittite eum, vt maledicat.* Quærun Interpretes, quomodò Semei in tantam audaciam venerit, vt verbis laceffere, iniurijs denigrare, & lapidibus non timuerit impetere? respondētque, cum montis versaretur vertice, &

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

Dauid, sociosque deiectos contemplaretur à culmine, nullum sibi periculum imminere putasse, nec supplicium infligendum timuisse: ergo abæto metu, omni se piaculo infecit, impudentissimèque deliquit. Audi Abul. q. 12. *Fecit hoc, quia non timuit in presenti aliquod malum sustinere. . . eo quod Semei ambulabat super altitudinem montis, & viri Dauid gradiebantur per viam ad pedes montis.* Inurius alè incedebat, affectus iniurijs per imma ambulabat: ergo cum nullum Semei timeret ob distantiam supplicium, inferre nullum excusabat nocumentum, & humilis solum potuit recurrere ad tolerantia profugium, ne incurreret grauius damnum. Senes illi prodigiosa adusti libidine, votisque frustrati, captiuas verecundia Susannæ tetenderunt insidias, & quia non poterant pudorem subruere, adnisi sunt, ardenti adulati furori vitam auferre. Ibat ad supplicium conscientia tuta, falsis criminibus acculata; verum Deus passus non est, veritatem premi, & iniquitatem triumphare. Iudicibus Danielem opposuit, & iam relucet mendacium, & iniqui perloquere trepidauere supplicium. *Interfecerunt eos, & saluatus est sanguis innocuus in illa die.* Dan. 13. v. 62. Dan. 13. v. 62. Supplicium Iudicibus illatum sic extulit Danielem, vt specialissima apud omnes floruerit æstimatione. *Daniel factus est magnus in conspectu populi à die illa.* Et cur ab illa die factus est magnus, qui è leonum lacu exierat illæsus? Et cur ab illa die factus est magnus, qui mysteria è memoria Principis abolita, veraciter fuerat interpretatus? Quia rarius visum est populo, quam reuelare mysteria, quam leonum frænare ora, Magnatum castigari peccata. Deliquerant senes Iudices, nullam reueriti pœnam; ergo cum eis Daniel præsentaneam intulerit mulctam, visus est populo admirandus, & omni admiratione colendus. *Daniel factus est magnus* (inquit S. Thom. super Dan.) *scilicet in publica fama, & opinione populi.* Demiratus est populus leonum domitorem, somniorum interpretem, sed plùs demiratus est puerum pudicitia tutorem, perpetrati à Magnatibus sceleris vindicem; quando rarius videbatur, quam leonem frænari, Potentem delinquentem puniri.

§. XXXVI.

Prudens sustinet patienter grauia, ne cogatur sustinere grauiora.

Negotiatio est, pati aliqua, ne cogaris sustinere maiora; patientia cum patientia pugnat causa, & friget sæpè ardens iracundia flamma, si tolerantia sigillo claudantur ora. Plures in cæcas, implexasque difficultates non incidissent, si ad patientia profugium conuolassent; ast dum turgidis responsis alterius irritauere impatientiam, dum expetiuerunt vindictam cæci, difficilius implicantur, & sauiora sustinere coguntur. *Nihil incundius* (scribit Philem. apud Stob. cap. 19.) *& docto viro dignius, quam ferre posse conuictantem, quoniam si ille, cui conuictum sit, dissimulauerit, in ipsum auctorem redundat.* Qui iacula contorquet, vt feriat, si effectū careat, torquetur; & quia vulnus non potuit infligere, vulneratur. *Altero duorum* (aiebat Euryp. in Protefilao.) *colloquentium indignante, is qui se non opponit, plus sapit.* In Semei procacem, conuictiatoremque Abisai indignabatur, & illata morte delere incussati notam adnitebatur. Verum Dauid opponenda in

asseruit conuictori patientiam, & reportandam ipsa tolerantia victoriam. *Dimittite eum, ut maledicat.* Duplici, eaque honestissima de causa, aiunt Interpretes, Dauidem abstinuisset vindicta: altera, ut ipsa patientia conuictantem exeruciat: altera, ne incommodum grauius subiret; nam si in expectanda ultione detineretur, ipsa mota Absalonis studio suffragabatur. Audi Abul. q. 12. *Dauid ibat profugus à facie Absalonis, ideò non auderet consistere apud Bahurim.* Si Dauid tardaret gressum, ut dignum Semei inferret supplicium, armatae Absalonis manus eum caperent, & fortè occiderent: ergo prudenter decreuit vnus Semei procacissimam linguam pati, ne ab hostibus deprehensus, cogereetur grauissima sustinere; ergo minori incommodo maius redemit, & periculum patientia prouidenter elusit. Animal, quod Prophetæ insipientiam corripuit, nobis imitandam prudentiam tradidit; à viâ declinabat, & quia declinabat, verbera sustinebat. Quod si inquiras, cur non vitarit verbera? respondit Textus sustinuisse fustem, ut euaderet mortem. *Cernens asina Angelum stantem in via euaginato gladio, auerit se de itinere, & ibat per agrum.* Num. 22. v. 23. Deuians aliqualem sustinebat dolorem, sed dolore euasit ensem: ergo prudentia fuit, aliquid sustinere; ne cogereetur acerbiora subire. *Tunc brutum* (inquit Philo de Vita Moy. lib. 1.) *perspicacius erat, quam is, qui se iactabat videre.* Prudenter se gerebat asina leuiora patiens, grauiora fugiens; est enim amplectenda prudentia, quæ leuiori detrimento grauius redimit, & eludit. Prudenter ergo Dauid maluit iniuriam non vlisci, quam in Absalonis, bellatorumque manus cadere.

Num. 22.
v. 23.

§. XXXVII.

Nonnulli affectant Deo adherere, sed volunt simul appetitibus inferuire.

Sunt plures, qui associare adnitantur sibi contraria, ab ingenioque distita: volunt virtutem colere, sed passionibus etiam obtemperare: ad speciem comitantur Christum, sed improbandum sequuntur etiam affectum. *Si placeat illa iunctura* (aiebat Senec. de Vita Beata cap. 14.) *si hoc placet ad beatam vitam ire comitatum, virtus antecedit.* Repellenda sunt, quæ virtutem eneruant, nam monstruosum est, virtutem colere, & insanis passionibus deseruire. Verùm hæc iunctura (ut aiebat Seneca) placet pluribus: & cum ambient beatam vitam, appetitionum sequuntur insaniam. Abisai Dauidis adhæret lateri, & inhiat etiam ultioni. *Quare maledicisti canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius: & ait Rex: Quid mihi, & vobis est, filij Saruia? Ac si dicat: Cum ego linguam continere edoceam, cum pro malo malum non rependam, vos vestris actionibus à me disungimini, & me ad speciem comitantini: vultis in conuictorem, canem mortuum vocando, evaporare iracundiæ flammam, caput amputando; expetere ardetis vindictam: & cum totum hoc à tolerantia, quam videtis, diffideat, mihi affectatis adherere, latulque cingere.* Innuit Caietanus: *Quid mihi, & vobis est? hoc est, nolo vobiscum communicare in animo vindicandi.* Affectabant Regis honorem: *Domino meo Regi:* & referiebant verbis maledicentem: *Canis hic mortuus:* patientiæ cursabant scholam, & expetebant vindictam: *Amputabo caput eius.* Ergo ostendit Dauid à suis eorum mo-

res prorsus discordare, & commune nihil intercedere. Intran plures paupertatis scholam, patientiæ profitentur disciplinam, omnimodam voluptatum habitu promittunt abstinentiam: verùm, dum Dauidem comitantur; inferuire passionibus agnoscentur. *Omnia prætoria* (scribit Philo de Nomin. muta.) *consistoria, theatra, concilia, & catus hominum decipiunt, utque laruas, & personas pulchras vultibus foedissimis adhibent, ne videlicet à spectantibus arguantur.* Appetitio indecora virtutis larua contegitur, ut vultus foedus pulchra persona vestitur. Idem vultus, si externa consideres, pulchrescit; si interna, foedus est. Balaan adeò se Dei fatebatur discipulum, ut populum maledicere detrectarit, & solum à Deo accepta Oracula prolaturum, se dixerit. *Vadam, si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperauerit, loquar tibi.* Num. 23. v. 3. Hic idem, ne à Rege inhonoratus expelleretur, & speratis præmijs fraudaretur, detestandum consilium protulit, Regique paruit. *Quidquid Dominus dixerit, hoc loquar. Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium.* Num. 24. v. 13. Nonne vides prodigiosa iunctura Oraculum proferre, & iniquum consilium dare? A Deo inspiratum vaticinium protulit, & consilium impijssimum iniungit. Disertè satis notauit Philo de Nomin. muta. *Sua vesania percitus, multis vulneribus acceptis, in medio fauciatorum occubuit, quia nimirum ficta, falsaque diuinatione à Deo inspiratum vaticinium peruerterat.* Grauissimam pœnâ interpolator fuit dignus, dum associat, & cœleste Oraculum, & detestandum consilium. Nihil Dauid testatur, cum Abisai habere commune, cum eodem tempore videatur lateri eius adhære, & de Semei lingua, & ense ultionem ambiebat sumere: *Canis hic mortuus.*

Num. 23.

v. 3.

Num. 24.

v. 13.

§. XXXVIII.

Modicum videbitur, quidquid patimur, si quæ ob admissas culpas mereamur, expendimus.

Hæc est apud homines consuetudo, non attendere merita, & horrere supplicia: non considerant, quæ perpetrarunt, & considerant, quæ supplicia soluerunt, & ob id sæpissimè dant querelas, ob quod pendere debuissent gratias. Grande beneficium est, totum debitum non exigere, sed exiguam partem solummodò postulare. *Excrescentibus morbis* (aiebat Cassiodor. 3. Var. 40.) *lesio debacchari permittitur, cum medicina differtur.* Cum medicina sit quasi sæuitia de cauterio, de synapis incendio inter medici manus mugiens, & rugiens, non queritur crudelitate feuerum, sed deprecatur feueritate benignum, & muneribus onerat medici manus, si, vno præciso, cæteris membris subuenerit, & ardentior leuiori dolore expunxerit. Grandis misericordia est, ne serpat ulterius contagium, expromptum adhibere remedium. Qui nouit opus esse corporis partem ferro secare, litemque grassantem reprimere, si opportunum adhibere tardet cauterium, ipsa dilatione perniciosum adauget morbum. Deliquerat Dauid suis oculis captus, & homicidij sanguine infectus: Deus feueram inferre decernit pœnam; & iam Absalom parenti admittitur auferre coronam: & Semei lapides iaciens, & maledictis amarissimis feriens, exacerbauit patientiam; cumque Abisai procacissimis verbis exasperatus gestiret maledici caput amputare, & iniuriam sanguine effuso abolere, Dauid repressit

anda

audaciam, quia illa in maledictione latentem Dei intuebatur misericordiam: *Dimittite eum, ut maledicat*: ac si diceret: Quam patior, calamitas leuissima est, si conferatur cum calamitate, quam ob admissa scelera mereor: ergo negotiatio est maledicta, & lapides sustinere, & patientiam seueriora supplicia redimere: *Dimittite eum, ut maledicat*, quandoquidem dum nostram exercet tolerantiam, grauiorem euacuat poenam. Audi Gregorium apud Gloss. *Tunc illata conuicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quod iniuria percussimur, dum conspiciamus, quod poenas meruimus.* Adnectit Moralissimus Doctor: *Sicque fit, ut contumelias gratia magis, quam ira debeat, quarum interuentu, Deo Iudice, poena grauior declinat.* Agnouit maiora supplicia supplicij leuioris tolerantiam redimi, gemitus gemitibus impediti, laboribus labores expungi, & lato vultu respexit poenam, quam grauissimam declinauerat multam: gauisus est temporaliter lapidibus impeti, maledictisque dehonestari, quia aeternas sciebat poenas debere: ergo leue illi visum est, sustinere probrum, qui inextinguibile sustinere debuit incendium. Qui non expendunt, quibus se ob lethalem culpam deuouerint poenis, temporalibus afflictaur angustijs, qui vero merita, & supplicia conferunt, bene secum putant agi, si grauis leui poena commutetur, & exiguo supplicio acerbissimum redimatur. Villicus debitores conuenit, & soluere statim compellit. *Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò; scribe quinquaginta.* Luc. i. 6. v. 5. O villicum, qui Dominicae substantiae curam geris, & qua obligatione debitores teneantur, ignorans sciscitaris! Debitor, quod mirandum est, debitum confitetur, & villicus sciscitatur: nec contentus fuit semel singraphae corrumpere fidem, sed extendit ad alterum prauitatem. *Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.* Non demiro villicum dispendio Domini sibi consuluisse, & officia ob remissa, à debitoribus sperasse. *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas:* Sed miror, debitores citò exsoluere, nec moras necere: miror villicum praesumentem grato vultu à debitoribus excipiendum, cum eos modò ad solutionem cogat, & premat. Fors redditurus quinquaginta cados olei, modò eis caret, & ut soluat, non modicas angustias subibit: quomodo ergo se exhibebit gratum, qui se dolet ad statim soluendum pressum? O animaduerte villici prudentiam? Cogebatur olei debitor, cados soluere, sed debitum valde non ignorabat imminui: fors tunc ad reddendum triticum opus erat, victum angustare, & famefcere, sed sciebat, posse ad plus reddendum aequissimo iure cogi; ergo dum conferunt solutionem cum debito, agnoscunt misericordiam, & deberi villico gratiam. Erat enim ingens beneficium ad leuiores compelli, cum ad maiora quieuerint iure cogi. Audi Chrysol. ser. 126. *Conueniebat conscientiam, restabat debitoris animum, sic dicendo. Oleo carere, tritico priuari, erat debitoribus asperum, sed debiti, & solutionis reddebatur consideratione iucundum; quandoquidem non poterat non letari, qui non ignorabat conscientiam, & imminui debiti videbat summam.*

Luc. 16.
v. 5.

Huc voco Cassiod. 2. Var. 36. *Delectat nos munificos esse in amore vindictae.* Ipse vindictae amor erat ingens beneficium: Expetere scilicet vltionem leuem, qui iure poterat inferre laesionem grauem: amarum est, infirmitatibus angere, inopia premi, maledictis impeti; verum qui ad conscientiam recurrit, & scit ob perpetrata flagitia potuisse pati voracissimas gehennae flammam, Iudicis laudat benignitatem, dum temporali multa euadit aeternanda tormenta. Dauid dum confert sceleris meritum, & correctionis supplicium, grato animo correctionem recipit, & conscientia eruditus, difficultates emollit.

§. XXXIX.

Elinguis tolerantia est honesta iniuriarum vindicta.

STudet improbitas verbis, aut factis dolorem tacere, & afflicti patientiam exasperare: quòd si assequitur, letatur, & gaudet; si non assequitur, affligitur. Nescio, an durius sit patienti probrum, an exprobranti silentium; nam cum iniurius adniteretur iniurias patientem exasperare, torquetur conspicuus laudabili linguam taciturnitate reprimere. Disertè Tertul. de Patient. cap. 8. *Fatigetur improbitas patientia tua.* Cum Semei in Dauidem lapides iaceret, & impropria congereret, retinebat patienter linguam, & sustinendo repercutiebat maledicentis audaciam. Abisai pectoris indignationem euomit, & dignam expetere vltionem decreuit: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi? vadam, & amputabo caput eius.* Dauid aegre tulit, & Abisai indignationem compescuit. *Quid mihi, & vobis est, filij Saruiae? Dimittite eum, ut maledicat.* Si inquiras, cur praecipiat silentium, qui audiebat probrum? respondebit datus Septimius, Abisai, ostensa indignatione Semei, suffragium attulisse, eiusque desiderium compleuisse; nam cum adniteretur iniurius irritare patientiam, & furoris accedere flammam, dum Abisai conuicio rependebat conuictum, furore inardescens, afferebat maledico gaudium, quia assecutum se experiebat intentum: ergo Dauid, ut vltionis edoceat formam, continere praecipit linguam. Tertullianum audi: *Plus improbum illum cadis sustinendo.* Ac si dicat: Si vis improbum durius cadere, tace; nam maledicus sine frustratus, se dolebit & derisum, & despretum. Audi Abul. q. 10. *Quid mihi, & vobis, filij Saruiae? id est, quid habetis mecum, quòd infestatis me?* Dauidem Abisai infestabat, dum furorem prodebat, cum elingui patientiam plus Semei feriretur, & tolerantiam durius discrucietur; est enim elinguis patientia dura maledicenti vindicta. Cum falsi testes Christum Dominum accusarent, tacebat; & Sacerdotum Princeps eius patientiam adeo discruciebatur, ut surgens, cur sic ora silentio premat, rogarit. *Nihil respondes ad ea, quae isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat.* Matth. 26. v. 62. Miraberis in tacentem Inuchi, cum debuisset ad speciem ob taciturnitatem letari; nam qui apud Iudicem conuentus, & testibus tedargutus, tacet, ad speciem consentit; ergo non reprehendat silentium, si discupit falsum impingere testimonium. O attende! In illius iniqui Iudicis pectore diuersos colluctari secum affectus; ut pro conuicto damnaret, desiderabat silentium; ut ante sententiam distorqueret, Christum subire

Matth. 26.
v. 62.

exambiebat impatientiæ , & furoris cruciatum: Ergo ubi se sensit optato sine fraudari, surrexit, ingemuit, indoluit, quasi plus ipsum Christus discruciatet tacendo, quam ipse Christum falsis criminibus denigrando. Audi Hieronym. in Cat. *Ita præceptis, & impatiens, non inueniens calumnie locum, exciuit de solio Pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret; unde sequitur, & surgens Princeps Sacerdotum ait illi: Nihil respondes?* Christus falsis criminibus impetebatur, sed silenti patientia mirè Iudex discruciabatur: plus dolebat aduersarius tot contorta tela frustrari, quam interpellatus tot falsis criminationibus adurgeri. Dum Christus Dominus laudabili taciturnitate miram ostendebat patientiam, omnem ad captiosas, nouasque calumnias construendas occasionem præcidebat, & causam. Ergo qui ex responsis discupiebat arma contra respondentem procudere, elingui patientia non poterat non cruciari.

TEXTVS.

VER. 11. & 12. Et ait Rex Abisai, & vniuersis seruis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quantò magis nunc filius Iemini: dimittite eum, ut maledicat iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

§. XL.

Sapè quæ auersamur uti contraria, esse inueniuntur auxilia.

Habet hoc improvida conditio mortalium: ut quibus lædere admittitur, faueat, & quibus fauere studet, præter opinionem lædat. Sæpè impugnavit hominem auxilium suum, in solatij prosperitate crevit sæpissimè aduersitas, & ex aduersitate oriri solet felicitas. Felici errore, & prospera tempestate sæpè naus appulit portum, cum, impletis prospero vento velis, miserum subierit naufragium. *Paritur hoc* (aiebat Cassiodor. 7. Var. 47.) *improvida mortalium plerumque conditio, ut cum lædere putatur, consulat, & cum consulere videtur, affligat; sed illud magis est eligendum: quod prodesse cognoscitur. Nam venena ipsa, si iuuare probantur, accepta sunt. E contra refugienda est suauitas mellis, quæ inferre dignoscitur læsiones. Finis ergo sapientis est, amare quod expedit.* Prudens non attendit, qua manu quid sit applicitum, sed si inde oriri possit remedium, neque alterius respicit votum, qui ex actibus oriri nouit profectum: Semei solutissima lingua in Dauidem maledicta congeffit, sed Dauid eius non attendit votum, sed laudabili patientia temperauit ex ipso veneno sibi remediũ. *Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Asperum erat maledici, amarissimum lapidari, sed cognouit Dauid, posse venenum in salubre conuerti antidotum, & sustinuit patiens molesta, quia sibi sperabat fore iuuamina. *Fugiens* (inquit Gregor. apud Gloss.) *reduxit ad animum malum, quod fecit, & contumeliosa verba, non tam conuitia, quam adiutoria esse credidit, quibus se pur-*

gari sibi que misereri posse iudicauit. Ipse sibi prouidebat, conuitia patienter sustinendo, & eam pœnam in perpetrati criminis compensationem applicando: ergo quæ alij existimauere doloris irritamenta, ille censuit ad prosperitatem assequendam auxilia; & quam Deus illi patiendi obtulit, occasionem arripuit, ut cœlestem indignationem sopiret, & benevolentiam in posterum conciliaret. Babilonius ille Rex ex hominum consortio expulsus, & nec campis exerrare permissus, patienter tulit ferreis vinculis illigari, & iniurijs elementorum reperi. *Pœnum, ut bos, comedit, & rore cæli corpus eius infectum est.* Dan. 4. v. 30. Cum herbis esset alligatus, facile ad speciem potuisset vincula rumpere, ni maluisset patienter, quam pœnam ei Deus intulerat, sustinere; verum ipsa vincula in libertatis vertit suffragia; & qui amiserat sensum superbiæ vesanus, sensum recuperauit humilitate subiectus: *Sensus meus redditus est mihi.* Superbia è throno expulit, patientia restituit, & plus, quam amisit, patiens inuenit. *Magnificentia amplior addita est mihi.* Eleganter Tertul. de Patien. cap. 13. *Cum squalore, & pœdore septenij ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini est, Deo satisfecit.* Satisfecit patientia debitum, & recuperauit thronum: à regno expungi, vinculis illigari, videbatur animitus auersandum, & erat reapse expectandum: dum videbatur affligi, expertus est adiuuari: *O seruum illum beatum, cuius emandationi Dominus instat! cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Undique igitur adstricti sumus officio patientie administranda. Quia quæqua ex parte aut erroribus nostris, aut mali insidijs, aut admonitionibus Domini interuenit, usus eius officijs, magna merces, felicitas scilicet.* Sæpè Deus nostræ emendationi affligendo insistit, sæpè immittendo calamitates, ad virtutem veluti impellit, sæpè cordis duritiam veluti ferrum fornace excoquit, ut depositis sordibus, melioremur, & oblata patientia, eius mereamur benevolentiam, & gratiam. Dauid maledicta, & lapides patienter sustinuit: & patientiam pullulaturam magnam tranquillitatis mensem agnouit.

§. XLI.

Nostra ignauia tribuendum est, quod defcimus, & tentationibus cedimus.

Quisque diuina gratia innixus efficere potest, quod alter fecit. Indè oritur malum nostrum, quod vires non excrimus, sed difficultatibus terga damus. *Multi* (inquit Hier. lib. 1. in Mat. ad cap. 5. & 6.) *præcepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum vires estimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt.* Impossibile putant plures, maledicam patienter sustinere linguam, non vlcisci insolentiam, tacere ad iniuriam; verum eorum est imbecillitati adscribendum, non rei impossibilitati applicandum. *Silentium cum ubique culpa vacet* (inquit Stobæ. cap. 19.) *tum maximè in aliorum conuitijs nescio, quid egregium Socraticum, aut potius Herculeum præferri: siquidem & ille non quantum muscam, odiosa verba curabat.* Licurgus à iuvene altero oculorum orbatus, facile veniam dedit. Socrates conuitia remisit. Consuerunt Philosophi, esse viro prudenti congruens tolerantia, indecens sapienti vindicta. Quid durius? Quid asperius? Quid toleratu difficilius, quam Regem à priuato maledici, lapidibus impeti, puluere sordidari?

Et

& tamen Dauid cum à Semei omnia ista fuerit perpeſſus, ſibi coſtitit, & patientia inſatigabili armatus, ora continuit. *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* Iam ſpiritu præuidebat illud Domini præceptum: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. v. 44. ſciebat Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfectæ: ergo tacuit, magis eligens perfectum eſſe, quàm vindicem. Prodeſt Gregor. apud Gloſſ. *Qui verborum contumelijs preſſus virtutem patientia ſeruare non poteſt, vel ſufficit, factum Dauid ad memoriam reuocet, quem cum Semei conuiſijs urgeret, & armati Proceres vlciſci contenderent, ait: Quid mihi, & vobis filij Saruie? & paulò poſt: Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* Non erat Dauid alterius naturæ, ſed maioris conſtantia: factis oſtendit, poſſe hominem cœleſti ope adiutum ſibi conſtare, & aſpera patienter ferre. Sibi imponunt, qui rerum difficultatem exaggerant, vt à patientia deſiſcant. Quid grauius potuit excogitari in Principem? & tamen patientiæ clypeo obarmatus, ſpicula repulit, & patientia invulnerata triumphauit. In Iobum armatur Malus: ſuppelias fert amicorum aduentus; pro hoſte ſtat vxor. A throno ad ſterquilinum reductus, vlceribus oppletus, amicorum verbis pungitiuis vexatus, à virtutis culmine deturbari non potuit: vxor laceſſit, vermīs arrodit, & tamen Iob patientiæ ſimulachrum, firmus ſtetit. Grauiora videbantur onera, quàm ceruix humana portare quiret, & tamen patientia tulit, & virtus ſuperavit. *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.* Iob 2. v. 10. Tot calamitatum volumina nec impatientiæ verbum extorſerunt, nec animum demutarunt. Audi Tertul. de Pati. cap. 14. *Nec à reſpectu Dei tot doloribus auocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium tam ſpiritu, quam carne, tam animo, quam corpore patientiæ perpetranda: vt nec damnis ſecularium, nec amiſſionibus chariſſimorum, nec corporis quidem conſtellationibus ſuccidamus.* Contra nos ſtat Iob ſimili carne indutus, & tot aduerſitatum fluctibus ſemper immotus. Quid pro ſe afferat, qui exiguis aſperatus fuit, qui reculis indignatus flammefcit? Opponere nequibit carnis fragilitatem, cum Iobus fragilitatem non exuerit, ſed cœleſti gratia adiutus, triumpharit: & ne pro te afferas, Dauidem, Iobumque virtutis fuiſſe ſummates, audi quid politicus reſponderit apud Senec. lib. 2. de Ira cap. 33. *Notiſſima vox eſt eius, qui in cultu Regum conſenuerat, cum illum quidam interrogaret: Quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet? Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* Vides politicum iniurias non ſolum patienter tolerantem, ſed gratias agentem: obmutuit ad iniuriam, ne amitteret aulam; politico ſuaſit leuè luerum, quod non ſuadet Chriſtiano. Equitis Romani filius leuibus cauſis occiſus eſt. Quid tunc? Pater non ſolum patienter tulit, ſed languine perſuſam dexteram occiſoris oſculauit Audi datum Senec. *Funeſtam, perſuſamque crnore filij manum ad os ſuum retulit.* Eiuſmodi patientiam edocuit plures Philoſophia: Politicos adeat impatiens, ſi Chriſti Domini non ſufficiat diſciplina, & ſanctorum ad ipſum erudiendum, exempla.

§. XLII.

Patientia iniuriarumque venia pingue eſt ſacrificium, & ad impetrandam miſericordiam efficaciſſimum probatur inuentum.

SI quod maximè bonum, id maximè penes Deum. Cùmque ſeipſum Deus patientiæ exhibeat exemplum, hæc inter cæteras virtutes ſingulare ſortitur elogium. *Nobis exercenda patientia auctoritatem* (inquit Tertul. de Pati. cap. 2.) *non affectatio humana canina equanimitatis ſtupore formata, ſed viuæ, ac cœleſtis diſciplina diuina diſpoſitio delegat, Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum.* Fert omnipotentiam ſuam in controuerſiam adduci, vt patientia eluceat, & miſericordia reſplendeat. *Vt ſua ſibi patientia detrabat* (addit Tert.) *plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tandiu neſciunt.* Cùm florem lucis ſuper iuſtos, & iniuſtos ſpargat, cum ingratiſſimas nationes ſubſtineat, plures, quam demirari debuiffent patientiam, ad poteſtatis detorquent iniuriam; nihilominus tamen mavult Dominus oſtentare patientiam, & ſuo exemplo laudabilem edocere homines tolerantiam. Armatorum cingebatur Dauid militum circumſtantia, cum in ipſum Semei ſolutiſſima auderet lingua: facile erat expetere dignam vltionem, ſed maluit ſibi conſcius ſacrificare patientiam, vt qui bene nouerat, eiufmodi ſacrificium & Deo gratum, & ſibi ad obtinendam citius miſericordiam ſatis accommodum: *Dimittite illum, vt maledicat iuxta præceptum Domini: ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Quasi dicat: Abeliſ felicitas fuit ſacrificio Dominum promeruiſſe: ergo meam patientiam, quam ei ſacrifico, adſpiciet, & larga manu remunerabit. Prodeſt Chryſoſt. apud Gloſſ. *Qui afflictiones ferunt grato, & patienti animo, non ſolum multa peccata delent, ſed & non paruum apud Deum fiduciam, & loquendi libertatem obtinent.* Quibat ſe vlciſcendo, oſtentare Dauid potentiam, oſtendit tamen imitandam nobis philoſophiam, vtque citius Dei indignationem ſopiret, & miſericordiam impetraret, ſatis afflictus obtulit patientiæ holocauſtum, tolerantiaſ ſacrificium. Abrahamum virtutum experimentis velut in paleſtra eruditum, nobis ſacer Textus imitandum proponit: primum certamen fuit lares relinquere, & ad ignotas regiones tendere: patienter tulit natale ſolum ignotis regionibus commutare, lares, & familiares relinquere. Fluebant tempora, & Saræ ſterilitas proliſ expectationem auſerebat, nec tamen patientia imminuta eſt. Tandem ſerò datus filius poſtulat ad victimam, & gratias agit, quòd Deus non eriperet, ſed poſtularct: celeri pede, omni ſacramento diſpoſito, ad cella contendebat, cum Isaacum non moriturum, ſed rediturum prædixit: *Postquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Gen. 22. v. 5. Inquires, unde Abrahamo ſpes vitæ aſfulſerit, cum tot, tantæque puerum ignibus vorandum ſuaderent: Gladius minatur, flamma abſumere holocauſtum adnititur; & tamen Abrahamus in tot, tantisque periculis Dei miſericordiam intuetur: *Reuertemur ad vos.* O patientiam miſericordiæ matrem! Vbi non ſolum patienter obtemperauit, ſed amaro adèd labores læto animo tulit, ex ipſa patientia ſententiam demutandam coniecit. Audi Baſilium Seleuc. Ora. 7.

Gen. 22.
v. 5.

Tentatione purgat Abrahamum patientia simulacrum, ut nitidior opere ostentato, expectantem rapiat in admirationem. Abrahamus patientiæ, tolerantiæque gubernaculo sic nauiculam ventis agitatum direxit, ut non attulerit sua tempestas naufragium, sed philosophiæ admirandum dederit semper exemplum, dum patientia labores sopit, dum Dei misericordiam tolerantia acquirit: quale patientiæ sit inuentum ad afflictionem propulsandam, ad maturandam misericordiam ostendit; & David Abrahami legitima proles, patris exemplum secutus, patientia impetrauit misericordiam, & declinauit molestiam.

§. XLIII.

Iusti sæpè exterius affliguntur, sed interius placida tranquillitate fruuntur.

VNus est huius vitæ fluctuantis, & turbida portus, fluxa contemneret, & aduersus fortunæ tela constantiæ clypeum opponere. Magnanimos nos natura produxit: quibusdam animalibus truculentum, quibusdam cautum, pauidum alijs ingenium dedit; homini excelsum spiritum, & magnanimum, ut supra fortunam degeret, & honestatem amaret. Et quidem qui Deum sequitur, extra mundum quodammodo degit lætus, & tutus. Audi Senec. epist. 104. *Dominus omnium est, supra omnia est: itaque nulli se rei submittit: nihil illi videtur graue, nihil asperum, quod virum incurret.*

Terribiles visu forme, latumque, labosque?

Terribilis visu formas despiciet, ut sæpè vigilans ridet somnium, quod dormiens exhorretcebat tormentum. Expende, Virgilium non dixisse spectra illa terribilia esse re, sed visu. Redeat datus Seneca: *Egregie Virgilius Noster. Non re dixit terribiles esse, sed visu, id est, videri, non esse.* Pueris larvæ terrorem incutiunt, viris risum afferunt: ergo viris constantia, patientiæque munitis non afferunt anxietatem, quæ sæuam alijs attulere dolorem, exterius specie affliguntur, interius tamen tranquilli sunt. Semei in Dauidem maledicta congerit execranda, Abisai inardescit, & monetur excandescencia. Quid tunc Dauid? *Dimittite eum, ut maledicat: nec maledictis obturbatur, nec iactis lapidibus à tranquillitate deijcitur: in Olympo degit interritus, & quæ corpori accidunt, despectat non solum tranquillus, sed placidus. Causam* (inquit Noster Sanct.) *illudentis, & subsannantis suscepit, usque adeo non graue tulerat insurrenantis iniuriam; nunc ut Semei quasi clienti sui patrociniū suscipiat, rationem aliam adducit.* Patienter adeo iniuriam tulit, ut nullatenus internam tranquillitatem amitteret, aut pacem laceffitur turbaret, imò Semei causam veluti aduocatus suscepit, utque defenderet, pro iniurio allegauit. Si externa aspiceres, putares infelicissimum, si interna, videres prorsus imperturbatum: nam iusti, virtutumque summates interius placidè otiantur, etsi exterius durè affligentur. Seraphini Dei throno adstantes, hanc nobis veritatem adumbrarunt, & miris coloribus expresserunt: medias pennas extendunt, & oculos ad throno insidentem dirigunt: *Duabus volabant.* Isai. 6. v. 2. Profectò habitus à veritate diffidere videtur, nam extensæ in modum crucis alæ afflictos ad speciem produnt, oculi Deum adspicientes imperturbatis gaudijs fructos ostendunt. Si quæras quomodo inter se con-

cordarint crucis tormentum, & visionis iucundæ gaudium: aut quomodo imperturbato frui poterant gaudio, si crucis affligebantur tormento: respondebit Hierony. quidquid ad crucem spectabat, esse externum, quidquid ad lætitiã, intimum: species representabat oculis crucifixos, ostendebat veritas interius imperturbata lætitiã plenos. Hieronymum audi in Cat. Diui Th. ad Mar. 15. *Quando volant ad æthera, formam crucis sumunt.* Dùm Seraphini volant, non assument crucem, sed crucis formam, extensi in crucis modum videntur affligari, sed interius inueniuntur gaudere. Ipsa crucis forma erat ad sublime petendum ala: & quibus putares premi, videas leuari. E contra peccatoribus accidit: exterius videntur otari, sed interius probantur affligi. Nabucho plumeo, mollique lecto decumbit, externi sensus placido somno fruebantur, sed præcordia acerrimo timore percellabantur. *Quietus eram in domo meâ, & florens in palatio meo: somnium vidi, quod perterritus me, & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me.* Dan. 4. v. 1. Si externa aspicias, aureo videbis cubantem lecto, indulgentem placido somno, si interna examines, reperies timoribus agitatum, & perturbationibus varijs perculsum. Externa species ab interna prorsus veritate diffidebat, & à corpore animus discrepabat. Prodest Theodoretus Or. 4. *In tanta felicitate somnium vidi mihi molestum, ac vehementer perterritus sum ea specie, quæ mihi in somnijs oblata est.* Somnus mentiebatur oculis requiem, internus angor ingentem excitabat perturbationem: vno, eodèque tempore erat Nabucho exterius quietus, & interius perturbatus.

§. XLIV.

Eximie iusti non solum non vlciscuntur iniuriam, sed iniurijs suscipiunt causam.

SVMmus impatientiæ stimulus, scilicet vltionis libido, negotium curat, euanidæ gloriæ, aut odiosæ malitiæ. Ira alterius factis prouocata ardet in exequenda vltione superiorem se constituere, & prouocantem grauiore pœna remunerare. Verum Dei spiritu instructi nobiliter degenerarunt, & honestiori modo sibi prædicabilem famam acquisierunt. *Cum spiritus Dei descendit* (aiebat Tertul. de Pati. cap. 15.) *indiuina patientia comitatur eum.* Lenis patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, & ad iniuriam defendendum impellit. Itaque virtutum summates, imò & Philosophi eius à quo acceperunt iniuriam, suscipere adnituntur tutelam; & iniurijs inuenit patronum, quem sibi offensis reddiderat inimicum. Audi Ruphinum ex dictis Epist. de Amic. *Lycurgi Lacedæmonij factum quis vestrum non admiratur? Nam à ciue quopiam iuuenem altero oculorum orbatum, illum à populo accepit.* Iniuriam passus à populo in iuuenem irato liberauit, & eius patrociniū suscepit. Hanc etiam Dauid philosophiam factis edocuit, nam à Semei denigratus, & iactis lapidibus impetitus, Abisai vltionem ardentem cohibuit, & allatis rationibus, in se commissum peccatum leuius effecit. *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quarit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? Dimittite eum, ut maledicat.* Ac si diceret: Quid mirum est, maledicat Semei, intuitus cognati sibi Saülis regnum ad me translatum, cum Absalom à me genitus, suspirarit excidium: ergo nullus in eum manum extendat, nec vltionem

Dan. 4. v. 1.

ultionem expetere exambiat. Nonne vides iniuriam passum, minuentem iniuriam, & suscipientem iniurij causam? Notauit Noster Sanct. *Causam illudentis, & subsanantis suscepit, usque adeo non grauare tulerat insurreptantis iniuriam; nunc ut Semei quasi clientis sui patrociniū suscipiat.* Vti diuino spiritu plenus prohibuit Abisai gladium, suscepit Semei patrociniū: iniuriarū, qui eas patiebatur, defensionē quæsiuit, nam virtutum Summates pro ultione reddunt gratiam, & suscipiunt iniuriantis tutelam. Cū Dominus à Malcho conditione seruo impeteretur, Petrus agrè tulit, & audacis auriculam amputauit; verum patientia Magister Petri prohibuit dexteram, & iniurio restituit auriculam. *Sinite usque huc. Et cū tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Luc. 22. v. 51. En Malchus præcisam recepit auriculam, & Dominus defensionis suscepit causam. Notauit Tert. de Patien. cap. 3. *Gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem ipse non vexauerat, satisfecit per patientiam, misericordia marrem.* Veluti clientis Malchi suscipit tutelam, & ultionis prohibuit operam; parum patientiæ erat, sustinuisse iniuriam, ni exhibuisset etiam misericordiam. Iosephus cū fratres intueretur anxios; & ob venditionem perterritos, iniuriarum defensionem suscepit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Gen. 45. v. 8. Achi dicat: Vobis debeo, quod venerim in Ægyptum, & inscenderim dignitatis thronum. Notauit Basil. Seleuciens. Or. 8. *Iniuriarum defensionem, qui eas patiebatur, querit, & affectum animi expromens, sincerè fratres amplectitur, germanisque labijs eos osculatur, qui dentibus inclementer lacerauerant.* Iniuriam imminuens, beneficijs venditionem vlciscitur, & inclementer furentes germanis brachijs amplectitur: omnigena Ioseph effloreat antea virtute, sed venia absolutissimum Dei simulachrum ostendit; vt nouerimus Dei amicos non solum non repercutere, aut iniurias patienter ferre, sed ad iniurios beneficiorum sinum expandere.

§. XLV.

A creaturis gaudet affligi, qui de se honestam ob perpetrata ultionem cupit expetere.

Nihil tam iniustum (aiebat Theog. apud Stob. cap. 20.) quam ira, qua dominum suum laedit, vt, animo commoto, misere gratum facit. Prudenter dixit, si ira, vt irato blandiatur, ab alio expetere ultionem probetur; ast nihil adeo honestum est, ac in seipsum irasci, & digna perpetratum scelus castigatione punire. Laudabilis ultio, quam de se peccator sumit, & quam vt sumat, ab alijs affligi gaudet. Quos experitur molestos, gratis oculis aspiciit vt iui desiderij ministros. En Dauid, vt de se ultionem recipiat, maledici gaudet, & Abisai; quia in Semei inflammabatur, satis sibi molestum dicit. *Quid mihi, & vobis est, filij Saruie? Dimittite eum, vt maledicat.* Cur mihi molestiam infertis (inquit) maledicentem prohibendo, cū exambiam, vt de me ultionem expetam, à Semei affligi, & iniurij denigrari? Hunc legitimum esse verborum sensum tradit Abul. q. 10. *Quid habetis mecum, quod infestatis me, ducendo ad id, quod nolo? Dum maledicta prohibebant, Dauidem infestabant, quando quidem ipse gaudebat à creaturis affligi, vt de se meliùs quiret ob perpetrata scelera ultionem expetere.* Itaque in

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V;

seipsum honestè iratus gaudebat affligi, & gratissimum erat laboribus diuexari. Profectò odio peccatum non habet, qui affligi respuit; nam verè pœnitens, & honestam de se ultionem sumere exambiens, gaudet ab alijs affligi, & multiplicibus afflictationibus diuexari. Paulus dolet Ecclesiam Dei persecutionibus afflictasse. *Persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Corinth. 15. v. 9. vtque de se dignam vindictam expetat, gaudet tribulationibus angi, & laboribus adurgeri. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Corinth. 7. v. 4. Et cur gaudeat tribulationibus vri, periculis adurgeri, à plurimis vehementer affligi? Quia cū se olim persecutorem Ecclesie vere doleret, gaudebat ad desumendam de se ultionem, à cæteris adiuuari. Audi Anselm. ad cap. 15. epist. 1. ad Corinth. *Persecutorem fuisse aliquandò, dolet.* Vero dolore pœnitebat, qui in tribulatione gaudebat: amabat tribulantes, quia ad expetendam ultionem desiderabat consortes, qui post admissa peccata labores refugit, expetere de se vindictam non cupit. Plures ad afflictionis, ad incommoditatis umbram expauescunt, qui, si contra se indignarentur, afflictari non refugerent, sed amarent. Dauidi molestum est non pati, quia se de se exambiebat vlcisci.

1. Corinth. 15. v. 9.

2. Corinth. 7. v. 4.

TEXTVS.

VERS. 13. *Ambulabat itaque Dauid, & socij eius per viam cum eo. Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur maledicens, & mittens lapides aduersus eum, terramque spargens.*

§. XLVI.

Quia inualidus non timetur, contra aequitatem affligitur.

Non semper timor malus consiliarius est. Nimò improbitas glisceret, ni timor sæpè frænaret. Timoris quidem vnum vocabulum inuenitur; sed, accedente ratione, timor à timore secernitur. Timetur homo, timetur & Deus: hominis timor est naturæ proprius; Dei timor cælesti dignatione, & in virtutis auxilium inditus; vterque tamen prodest conscientie; ne aliquo reatu exæstuet, dum, timore abactò, delinquit. *O necessarius timor* (aiebat Zeno Veron. serm. de Timore) *qui nihil aliud agit, nisi vt beatos efficiat!* Tolle timorem, & ferè precepta sunt omnia. *Æquitas sine timoris suppetijs exaimata languescit, feralitas gliscit.* Hinc est, quod inualidus, quia non timetur, despicitur; hinc est, quod potens, quia nescit timere, legibus audet opponi. Vbi Dauid à throno expulsus, & pedibus discalceatus, per plana tetendit, Semei per montis excelsa gradiens, maledica lingua denigrat, lapides mittens, auferre vitam discupiens, & puluerem spargens. *Ambulabat itaque Dauid, & socij eius per viam cum eo. Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur maledicens, & mittens lapides aduersus eum, terramque spargens.* O rerum vices! Dauid, qui heri regio fulgebat throno, modò sordet discalceatus, & imus: & Semei, qui heri infortunatus, modò graditur eulmine celsus. Inquirendum tamen est: Cur Semei adeo procaz delinquat, cur solutus lingua referat? Cur pœ-

Z naxera

nam soluere non expauescat; Profectò lex iniurio statuit pœnam, percussori decernit multam: ergo timeat Semei soluturum se pœnas, cum tot contra Dauidem perpetraverit culpas. O expende utriusque statum! Dauid modò ima tenet, Semei occupat montis fastigia: ergo non veretur Semei altus legem, nec inualidum timet. Prodest Abul. q. 12. *Fecit hoc, quia non timuit in presenti aliquod malum sustinere.* Adnectit: *Eò quòd Semei ambulabat per altitudinem montis, & viri Dauid gradiebantur per viam ad pedes montis.* Semei erat tunc cœlus, Dauid inualidus: ergo cum Semei nullo frænaretur timore, contra æquitatem lapides contorsit, & contra ius opprobrijs, & conuictijs debilem oneravit. Nam ubi deest timor, æquitas proculcatur, & inualidus premitur. Non sine labore filia Iethro adaquandis gregibus aquam hauserant; verum superuenere pastores, & abactis fœminis, alieno labore adaquare greges tentarunt. *Implevis canalibus adaquare cupiebant greges patrii sui. Superuenere pastores, & eiecerunt eas.* Exod. 2. v. 16. Ratio, æquitatque suadebat, inualidas fœminas contra ius, æquitatēque laticibus non priuare, nec violenter abigere; verum, ubi à fœminis nihil timuerunt, leges proculcaverunt. Eo tempore Moyses fœminatim iniuriā exasperatus, & æquitatis defensor, causam suscepit, & iam pastores timor corripuit. *Surrexit Moyses, & defensio puellis, adaquavit oves earum.* Si inquiras: Cur pastores modò se contineant, qui antea inualidum sexum iniurijs affecerant? respondit Philo lib. 1. de vita Moy. antea leges contempnissse, æquitatem proculcasse, quia putabant se impunè id facturos, modò verò pœnam veritos, & timore terrefactos abstinuissse, & sententiam demutasse. Philonem audi: *His verbis territi, quæ videbantur hominis afflari diuino furore, veriti quæ, ne vera caneret, paruerrunt.* Non paruerrunt legi, sed timori, non desistebant ab iniurijs, ubi sibi prouiderunt impunitatem: paruerrunt; Moyses intuiti æquitatem, & fortitudinem. Dum puellis non aderat timoris auxiliium, legis parum adiuuabat præceptum: timor defendit innocentiam, frænauit audaciam. Ut noueris, si timor desit, inualidum dispoliari, & contra iustitiam premi: cumque potestate, altitudinēque celsi nullo timore percellantur, impunè inualidos premere, & afflicte noscuntur.

§. XLVII.

Peccatum peccatum parit, & sceleribus detestandis augetur.

Culpa frequenti additione adolescit, & infelici fœcunditate peccatum parit. *Difficultatem nobis* (aiebat Cassiod. 5. Var. 15.) *querelâ submo- uemus, dum in ipsis cunabulis scelera commissa rescantur.* Ni scelera ipsis in cunabulis rescantur, ingentem afferunt difficultatem, quia roborantur adulta, & nouis crescunt accessionibus roborata. Semei in Dauidem audet solutissima lingua, & detestanda procacia: *Maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid.* Non multo post contentus non est maledicta, & lapides mittere, sed terra adnixus est sordidare: *Contra illum gradiebat maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens.* Et cur modò lapidationi terram addiderit, aut cur exordio terram non sparserit? Quia initio non se omnis profert malitia, sed nouis in-

crementis in dies procedit adulta, & augetur nouis parturitionibus fœcundata. Prius lingua maledixit, postea lapides manu contorsit: post lapidationem puluerem fœdum sparsit; audacia parturiebat audaciam, audacia crescebat in insolentiam. Prodest Hugo: *Terram spargens, ut fœdaret eos.* Antea adnixus est percutere, postea percutere, & defœdare; quia culpa culpam peperit, & error ad nouum errorem traxit. Draco ardet mulieris filium ipso in exortu vorare. *Draco sterit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium eius deuoraret.* Apoc. 12. v. 4. Tenera hic præda contentus est, nec adnixus deuorare matrem, sed recens exortam prolem. Non multo post videbis contra matrem furentem, & depræliantem. *Persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.* Si inquiras: Cur initio arma in mulierem non verterit, & iam adauctis furoribus militarit? Respondeo, serpentinam astutiam paulatim se exerere; initio tentat exigua, ut processerit ad maiora: initio pugnat in filium, sed modò in matrem; detestandis postea incrementis furor inoleuit, ut non solum filium & matrem, sed omnem deuorare adnixus fuerit progeniem. *Abijt facere prælium cum reliquis de semine eius.* Ecce serpentinos processus: in exordio adoritur puerum, postea pugnam ad parentem extendit, & tandem furor ardet in omnem prolem. *Inde* (aiebat Ansel. ad Apoc. 12.) *magis insanit.* Insania insaniam, & culpa culpam adauxit.

§. XLVIII.

Est aliquando mutetur materia, peccandi perseuerat frequenter insania.

PLerique inter varias peccandi occasiones miseri fluctuant, & ab vna transeunt in aliam. Si tempus reddat inhabiles ad luxuriam transibunt ad auaritiam: non datur otium, quia peccandi gliscit studium. *Adhuc enim* (aiebat Sen. epist. 49.) *non pueritia in nobis, sed quod est grauius, puerilitas remanet, & hoc quidem peius est, quod auertoriam habemus senum, vitia puerorum.* Nos in viros ætas extulit: verum puerilitatem retinemus, & in senio pueros agimus: pueritiæ tempus nos deserit, & puerorum error detinetur, aut ad errores alios transitur. Dum nequimus vno crimine infici, satagimus alio fœdari. Semei linguam contra Dauidem armat, lapides mittit, puluerem spargit; & licet effectum frustraret distantia, perseuerabat iaciendo lapides, ut sibi blandiretur, proteruia: nec solum iaciebat lapides, sed & puluerem spargebat. *Semei per iugum montis ex latere contra illum gradiebat maledicens, & mittens lapides aduersus eum, terramque spargens.* Interpretes querunt: Cur terram sparserit, & puluere Dauidem defœdare contenderit? Respondentque, eo in itinere aliquando lapides deesse, & tunc ad puluerem recurrissse: deficiebat materia, sed ad aliam transibat detestabilis contumacia. Audi Abulens. q. 15. *Semei mittebat lapides, & quando non inueniebat, mittebat puluerem, & quidquid inueniret, ut numquam vacaret sibi locus offendendi Dauid.* Itaque peruicacia ab vna materia transibat in aliam, quin malitiæ suæ otium faceret, aut cessationem à peccando ferret. Ille viribus destitutus est, nec carnis potest negotia tractare, sed alijs occasiones præparat, consilij vrget, & peccatis alienis gaudet. Diues purpuratus, qui

Exod. 2.
v. 16.

Apoc. 12.
v. 4.

Luc. 16.
v. 26.

à purpura transiit in flammam, ad inferni cruciatus Lazarum sollicitat trahere, & de alienis pœnis indignum solatium querere: imensa distantia impeditum est detestabile votum. *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint; nec inde huc remeare.* Luc. 16. v. 26. Audit assequi non posse improbum desiderium, non tamen cessat, sed alio dirigit votum. *Rogate, pater, ut mittas eum in domum patris mei.* A dolo transiit in dolum, & quia nequibat trahere ad gehennæ cruciatus, sollicitat Lazarum ad antiquos redire gemitus. Notauit Chrysol. serm. 123. *Ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos deuocare non potuit cruciatus. Antea dixit; Mitte ad me; modo dicit: Mitte ad fratres meos.* Tempus, & locus eius refragabatur conatibus: chaos magnum interiaccens impediēbat accessum; sed Diues aliò vertit animum, expertus desiderij prioris impedimentum. *In domum patris mei.* O quot Diuitis sequuntur errores! Ocasio, tempus, materia perpetrando crimini subtrahitur, & nihilominus peccandi pruritus alijs culpis infici adnititur, quasi aliud pro alio debeat crimen substitui, ne contingat ab improbis desiderijs cessare. Vbi lapides deerant, Semei recurrebat ad puluerem, & ne delinquere cessaret, occasionem aliam offendendi quæsiuit. *Numquam vacaret sibi locus offendendi David.*

TEXTVS.

VERS. 14. & 15. Venit itaque Rex, & vniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi: Absalom autem, & omnis populus eius in gressi sunt Ierusalem, sed & Achitophel cum eo.

§. XLIX.

Christum secuti, via lassantur, sed in termino reficiuntur; secuti vitium, in via gaudent, in termino lugent.

Prodest semper inculpabilis vita, & ad omnem legem exacta prodest frugalitas; prodest ipsa itineris asperitas, si laborem placida sequatur quies, & imperturbata requies: fallit lætitia, illudit quies, quæ ad anxietatem ducit, & laborem. Malo per ardua, & horrida deuenire in florida, & plana, quam per florida, & plana deuenire in præcipitia. Felici clausula vitam absoluens, laboris expertus imperturbanda fruitur requie, & numquam finiēda pace. Huc voco Senecam de Consol. ad Poly. cap. 28. *Non ira eum torquet, non morbus affligit, non suspicio laceſcet, non edax, & inimica semper alienis processibus inuidia consecrabitur, non metus sollicitabit, non leuitas fortuna citò munera sua transferentis inquietabit.* Miserum putamus virtutis ingressum viam, quia difficili itinere ingemiscit lassus, quia siti, & fame vexatur pressus, & quia ab hominum veluti collegio expunctus; verum cum inter viam, & terminum multum intercedat caliginis, non videmus, quæ in termino expectant, sed solum quæ in itinere aut oblectant, aut cruciant. Si attentius rem inspiceremus, demutarem sententiam, quia deprehenderemus fallaciam. Dauidem secuti, cliuosa inscendunt, deserta incolunt; ast vbi ad terminum deuenērunt, quiete pla-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V;

cida lassitudinem commutarunt. *Venit itaque Rex, & vniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi.* Ibi iam aufugit labor, & dolor, ibi famem lauta excepit mensa, ibi expunxit mœstitudinem omnem lætitia. *Refocillati sunt ibi.* Audi Nostrum Sanct. *Eò igitur peruenit cum populo lassus ex itinere, cum illud suis peragrasset pedibus, nec via esset expedita, & facilis; vbi omnes paululum sunt a labore recreati, & refecti cibo.* Vbi in termino consederunt, iam cibus depulit famem, requies lassitudinem, securitas anxietatem. Transi modò ad Absalonis sequaces: instructis recreantur conuiujs, delicatis fruuntur dapibus, prosperis lætantur spebus. *Cum immolaret victimas, facta est coniuatio valida, populisq; concurrens angebatur cum Absalom.* Supra. 15. v. 12. Idem esse victimas immolare, ac opipara conuiuia instruere, testatur Hugo. *Absalom per conuiuium, & simulatiuè se Regem constituit, & populum auertit à David.* Vides, Absalonem secutos, conuiujs frui, spebus foueri, musica delectari: verte oculos ad finem, & itineris clausulam. *Cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David... & multò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam his, quos vorauerat gladius in die illa.* Infra 18. v. 7. Absalonem secutos aut saltus feræ vorarunt, aut præcipites ipsi se egerunt; breuē lætitiā grauiſſimum excepit lamentum, & planum iter deduit ad præcipitium: vt hoc veluti ænigmate nobis adumbrarit sacra Scriptura, secutos Dauidem, id est Christum, itineris laborem in termino compensare placida requie, Absalonis verò sequaces in itinere non lassari, sed in saltu à feris discerpi. O si ad futura extenderemus prospectum! O si res pensarem ex fine! O si nos non fallerent fucata, & præsentia! Moyſi obtemperantes per inuia gradiuntur, & mucronibus hostilibus infestantur. *Timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum.* Exod. 14. v. 10. Inter stupentes gurgites incēdunt solliciti, & ignota via, timoribus diuexati; clamorem verò cantus excepit. *Sumpsit Maria Prophetisa soror Aaron tympanum in manu sua; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris.* Exod. 15. v. 20. In termino aures demulcet tympanum, in itinere aures diuerberat lamentum. Pharaonis socios in itinere spes fallēbat, & quadriga vectabat. *Dixit inimicus, Persequar, & comprehendam, diuidam spolia; implebitur anima mea.* Sed spebus elatos vndis spectabis submersos. *Oppertit eos mare, submersi sunt in aquis uehementibus.* En alij initio lætantur, sed postea ciulantes miserè submerguntur, alij in via varijs terroribus anguntur, sed in littore dulcisonis tympanis delectantur. Prodest Zæno Veron. serm. 5. de Exod. *Dei populus nauigat plantis. Mira res! Iter eius barbaris uehementer vrgentibus, nec eques potest sequi, nec nauis.* Maria cum mulieribus tympanum quatit, hymnus canitur, Dei populus liberatur, resolutisque vndis, via cum persecutore deletur. Hebræorum fletum cantus excepit, Ægyptiorum plausum luctus finiuit.

§. L.

Inter desertorum aspera, & dura respirat animus, inter curiæ delicias quietem ignorat spiritus.

Facilius cor respirat inter corpotis afflictationes, quam inter animi sollicitudines. A turbâ recedentem, & desertorum latebris immorantem

Z. A. Egellad

egestas laboriosa diuexat : æstus , frigidisque iniuria dilassat, solitudo contristat, sed intus omnia pacata sunt. Solutus pungentibus curis animus diuagatur, & contemplatione suauissima fruitur: in curia exterius plura sensus oblectant, sed plura etiam animum interius discruciant. Ambitio numquam quiescit, auaritia inextinguibilis sitit: altus laborat desiderio proprio, aut alieno. Monebat Seneca, asperam fortiter ferre fortunam ducum exemplo: ipsum audi de Consol. ad Poly. cap. 74. *Quod duces magni faciunt rebus affectis, ut hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata lætitia abscondant.* Inter splendentes familiam, inter togæ plausum, inter adastans fatellitium interna cura cor exedit, & ambitio quiescere non permittit. Secum se fert auarus, & ambitiosus, & cum nequeat à se fugere, anxias nescit sollicitudines deuitare. Dauidem secuti, per aspera gradiuntur; verum ipsis in desertis spiritu refocillati probantur. *Veni itaque Rex, & uniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi.* Ibi, in campestribus scilicet, desertisque locis; nam ibi animus curis spatiabatur solutus, & respirabat sollicitudinibus non vexatus. Absalonis comites curiam referunt ingressi, sed ibi non dicuntur refocillati. *Absalom autem, & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed Achitophel cum eo.* O arcantum Scripturæ silentium! Curiam dixit ingreffos, sed ibi non dixit refocillatos. Profecto in curia & ornatus cultior, & mensa splendidior, & voluptatis materia auctior: verum ibi & inuidia urit, & timor premit, & ambitio ardet. Itaque ingressi curiam, non referuntur gauisi, & desertis temporum iniurijs expositi, dicuntur refocillati. *Refocillati sunt ibi.* Et cur ibi? Quia etsi externi defatigarint labores, cor non discruciant internæ sollicitudines: Erat angusta mensa, sed aberat auaritia. Ministrabat vimbram syluestris planta, sed erat longè superbia: diuitiarum non erat copia, sed nec erat diuitiarum appetentia: ergo ibi animus placido stuebatur otio; curiam verò ingressi, ignorauere quietem; quia animo gerebant cupiditatem carnificem. *Omnes sunt* (inquit Noster Sanct.) *à labore recreati, & refecti cibo.* O verum! O experientia comprobatum! Saül purpura regia collucens, interius mæret, & dum diademate redimitur, exagitur. *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.* 1. Reg. 16. v. 15. Hic idem ad Naioth deueniens purpuram exiit, & cum Prophetis alacriter cecinit. *Spoliauit ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris.* 1. Reg. 19. v. 24. Ab alio dispoliari, esset miserimū, se regalibus exuere vestibus, fortunatum. En palatio mæret, & in Prophetarum collegio canit: hic non splendet regia purpura, sed interna spiritus exultat lætitia; ibi inter delicias, lautitiasque angebatur spiritus, & sollicitus urgebat metus. *Propheta* (inquit Hugo ad. 1. Reg. 19.) *viri religiosi erant, dicti Nazarei, qui non bibebant vinum, & vacabant semper canentes hymnos, & psalmos.* Nazarei Deo dicati respirabant læti, aulici cum Saüle mærebant sollicitudinibus diuexati.

TEXTVS.

V E R S. 16. Cùm autem venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, locutus est ad eum. *Salue, Rex, salue, Rex.*

§. L I.

Sunt, qui se insinuarint ad amicitiam, quo facilius explorarint conscientiam, & euerterint fortunam.

A Mici larua regi solet callidus explorator, & vt facilius auertere possit fortunam, satagit elucrari officijs benevolentiam. Fidelis amicus phœnicis adinstar quinquagesimo anno nascitur; & vbi sedem collocatit, prorsus nescitur. *Nescis* (aiebat Senec. 6. de Benef. cap. 33.) *quantum sit pretium amicitia; si non intelligis, multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed seculis raram, que non alicubi magis deest, quam vbi creditur abundare.* Sæpè fraudulentus agit amici personam, sæpè insidiator amicitia defumit laruam, sæpè qui accedit propius, euertere conatur fortunam. Habuerunt plures turbam *Aue* dicentium, & salutantium; sed quo plus affectabant amicitiam, plus etiam auersabantur personam. Magno consilio opus est, magna prudentia, vt inter adulatorem, & amicum distinguas, & fallaciam subdolam deprehendas. Chusai Dauidis amicus in amicitiam Absalonis se insinuat, blandisque, ac repetitis salutationibus benevolentiam ostentat. *Cum autem venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, locutus est ad eum: Salue, Rex, Salue, Rex.* Affectabat Absalonis amicitiam, faustis, repetitisque exclamationibus exambiebat gratiam; sed hoc totum, vt facilius inuestigaret conscientiam, vt venatus notitiam, euertere quiret fortunam. Nostrum Sanctium audi: *Chusai in Absalonis se gratiam insinuaui, quò melius explorare posset, arque dispicere illius consilia, & quo in statu esset res solymitana.* Chusai aduenerat explorator, abstrusa Absalonis Dauidi relaturus consilia, vtque id facilius assequeretur, amici induit laruam, & dum amicus habetur, consiliorum proditor inuenitur. Minus totus populus profuit ad Absalonem stabilendum, quam vnicus Abisai, dum reputatur amicus, ad è throno deturbandum; nam dum inter amicos admissus interna explorat, denuntiat hosti, & obicem apponit Absalonis felicitati. Iob conquestus est, amicos tectis semitis ad eum accessisse, & euertere penitus procurasse. *Inuoluta sunt semita gressuum eorum. . . Super pupillum irruiis, & subuertere nitimini amicum vestrum.* Iob. Iob. 6. v. 18; & 27. Accesserant amicorum facie, insidiantium intentione: accesserant consolandi specioso titulo, sed verò subuertendi desiderio. *Subuertere nitimini amicum vestrum.* O amicitiam subdolam, & fallacem! *Inter cor, & linguam* (aiebat Gregor. apud Hug.) *æquus arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta cor offerat, que utiliter lingua suscipiens, producat.* A corde ad linguam grandis distantia est: cor disponit fraudem, lingua mellitam profert adulationem; vnde viæ gressuum magnis sunt difficultatibus inuolutæ, & caliginibus tectæ. Chusai blandissima verba profert, repetis acclamationibus: *Salue, Rex: salue, Rex:* nouo Regi plaudit, sed reuera sagax illudit internorum explorator, & salubrium consiliorum euerfor.

TEXTVS.

VERS. 17. Ad quem Absalom: Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo.

§. LII.

Sibi notam inurit, qui necessitatis tempore ab amico prorsus recedit.

VERUS amicus non attendit fortunam, quia diligit amici personam, frequenter tamen colitur persona, dum prospera arridet fortuna. Plures amici vnde probabantur, inde fugerunt, & amicitia leges ignorarunt. Calamitose solatium est amici condolentis presentia, ut exacerbat etiam calamitatem affectata distantia. *Cum quis tristitia laborat* (aiebat Philem. apud Stob. c. 114.) *minus habet mœroris, presentem intuitus amicum.* Suaue quid inest amici verbis ad dolorem delinendum, & mœrorem temperandum. *Tristitia* (inquit Socion lib. de Ira.) *mederi nouit beneuolus amicus.* Beneuola amici presentia quædam ægotantis medela est; verum ut peste infecto rarus adest, quia veretur quisque contagium, si accesserit, exhibiturus remedium; ita ab infortunato amico veluti lue pestifera laboranti amicus recedit, imò fugit. Et quidem qui antiquam ob infortunium deserit amicitiam, inuidiosam sibi conquirat notam. Vbi Absalom vidit Chusai ad suas partes transire, & Dauid stricta amicitia olim cultum, ob infortunium deserere, irrisit! *Hæc est gratia tua ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo?* Non carebas (inquit) amico, sed amicitia, quando quidem quem fortunatum officiosus comitaberis, afflictum deseris, imò non solum deseris, sed ad partem contrariam transis, quod tibi non potest non afferre notam, & alios edocet tuo exemplo cautelam. *Quasi dicat* (verba sunt Hugonis) *nullius misericordie videris; quia dimisisti amicum tuum in sua scilicet aduersitate, cum esses ei necessarius. Et dixit hoc Absalom irrisorie.* Irrisit hominem fucate amicum, & sui solum commodi, aut lucri studiosum; Chusai tamen verus aded erat Dauidis amicus, & hanc irrisionis subire notam non recusauit; ut amico melius consuleret, sed sibi conciliauit inuidiam, dum amicum deserens, ostendit amicitia violatorem indecoram apud omnes subire notam. Fratrem à fratre deridendum testatur Hieremias: *Vir* Hier. 9. v. 5. *fratrem suum deridebit.* Hier. 9. v. 5. Si inquiras: Cur frater fratrem spernat, derideatque? respondit Propheta; naturæ, amicitiaque leges temerasse: ergo frater à fratre cavit, dum sanctas, inuiolandasque amicitia leges temerasse cognouit. *In omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Amicus si amico desit, frater si fratrem fallit, redditur cunctis suspectus, & ab omnibus deridetur odiosus. Quis enim ad familiaritatem admittat, quem nouit amicum in afflictione deseruisse, & ad contrariam partem inuolasse? Inuit Glossa Interl. *Inane nomen amicitia, nomen inane fides.* Amicitia nomen sine re, fides fidelitate carens amicum reddit omnibus despicabilem, & contemptibilem. En Chusai deridetur, dum desuisse amico putatur.

TEXTVS.

VERS. 18. & 19. Respondit Chusai ad Absalom: Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israël, & cum eo manebo. Sed ut & hoc inferam, cui ego seruiturus sum? Nonne filio Regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

§. LIII.

Plures delectat manifesta adulationis fallacia, etsi veritatis repugnat notitia.

PLURES præcipue à Magnatibus adulationis oblectantur fallacia, etiam dum non carent indubia veritatis notitia: se tam magnos, quam audiunt, credunt, & cum non ignorent propriam conscientiam, futilem sequuntur autam. Diserte aliorum Sen. epist. 36. *Securitate nobis ratio non prestat, ad quam stultitia perducit.* Stultitia est, sopire internam notitiam, & sequi securitatem adulationis fictam, & manufactam. Chusai, diserto ad speciem Dauide, Absalonis partes secutus est, & licet Absalom exoptauerit patri vitam & coronam auferre, improbauit Chusai ad contrariam partem transire; nam etsi proditio placeat, odio omnibus proditor est. Obiecit ergo Absalom Chusai violatae amicitia culpam: cumque non haberet, quo expungeret notam, ad adulationem confugit, & se non posse non sequi à Deo electum, & prudenter à populo inauguratum respondit. Respondit Chusai ad Absalom: *Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israël, & cum eo manebo.* Inquires: Quomodo Chusai à Deo deprædicari electum, quem non ignorauerat dolosis fraudibus à populo conclamatum? & cur populi laudari suffragia, cum rationi, æquitati que manifestò sciret aduersa? Esto, confugiat Chusai ad adulationis fallaciam, quomodo poterat Absalom contemnere propriam notitiam? Ignorabátne, quibus medijs ad se populum allexerit, & quibus artibus sibi dignitatem ambiuerit? Quomodo ergo non conueniebat conscientiam, quando Chusai testabatur, ei decretam à Deo coronam: Quia malebat (respondet Abul. q. 16.) adulationis delectari fallaciâ, quam propria erudiri notitiâ. Abulensem audi: *Cum cluserit euidenter Absalom contra Chusai; ipse autem non habens quid responderet, conuertit se ad quasdam friuolas adulationes. Nequaquam; id est non sic, sicut putas, scilicet quòd deberem ire cum Dauide, quia illius ero, quem elegit Dominus, id est ego nolo seruare fauorem, sed iustitiam.* Audit Absalom, se æquitatis suffragijs electum, ad thronum audit cœlesti decreto eleuatum; & cum esset manifesta adulatio, assensit, & talè se, ut Chusai testabatur, existimauit. Quam bene Senec. lib. 6. de Benef. cap. ... *Se tam magnos, quam audiunt, credunt.* Testis erat Absalonis conscientia, quòd ipse à Deo non fuerat electus, sed per immaturam ambitionem à populo conclamatus; contempsit tamen conscientiam, & amplexus est dulcem adulationis fallaciam, vera fraudis contempsit argumeta, ubi audiuit blandas, quia sæpè Magnates, etsi conscientia propria

testimonijs probentur conuicti, eiusmodi credunt adulationibus delectari. Non ignorabat Nabuchodonosor, quibus regnum eius terminis concluderetur, & nihilominus ad cœlum vsque pertenuisse putauit: & licet iactu lapidis adspexerit omnem potentiam euersam, fortitudinem suam existimauit intinctam. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat usque ad terminos vniuersæ terræ.* Dan. 4. v. 8. Si inquiras: Quomodo se adeo celsum, vt cœlum tangeret, crediderit, & quomodo regnum ad vniuersam terram prolatum existimarit; cum sciret statura corporis ab alijs vinci, & regnum limitibus certis contineri? Iam Textus respondet: *In ramis eius conuersabantur volucres cœli.* Id est garruli, & adulatorès Nabucho adstantes, eius vefaniam nutriebant vanissimis adulationibus, testabanturque quadam diuinitate potiri, & eius potestatem nullis terminis angustari. Ergo manifesta fallacia oblectatus, & adulationibus falsissimis delinitus, se tam magnum credit, quàm audiuit. Iam in volucris adultores adumbrari, tradit Glossa Moral. *Volucres, id est garruli adultores.* Adultores vocabant Numen, testabantur immetatam eius potentiam: ergo maluit assentiri fallaciæ, quàm credere propriæ conscientiæ. *Se erexit (inquit Hugo) & extulit tanquam Deum, volens coli vt Deus.* Propriam corripit conscientiam, secutus dulcissimam imposturam? est enim Magnatum proprium, conscientiæ contraire, & se tales, quàm audiunt, credere.

§. LIV.

Nonnulli quò melius colorarint fallaciam, amare ostentant semper iustitiam.

DE ipsa veritate contra veritatem arma procu-
dantur, & de virtute contra virtutem colores
mutuantur. Cum nos interna lateant, externis
illudimur, & fallaciam pro veritate sectamur.
Hinc est, quòd plures, vt nobis melius imponant,
inflexibili se proposito colere iustitiam affectant:
sub ouina pelle latet lupo, sub æquitatis, ius-
titiaque colore absconditur fraudulentus; tu-
tior introducitur fallacia, quia externo habitu
incorrupta apparet iustitia. *Per insidiosum iter vitæ*
(aiebat Senec. epist. 44.) *non tantum ferunt sarcina-
nas, sed trahunt: ita longius ab effectu eius, quòd pe-
tunt, semper abscedunt.* Insidiosus quibusdam con-
uersationis est modus; & inde longius recedunt,
quòd se tendere, vt nobis imponant, dicunt. Chu-
sai non transfuga, sed explorator ad Absalonem
accessit; cumque de violata amicitia manifestè
argueretur, respondit se sectatorem esse semper
iustitiæ, æquitatis leges colere, fortunam despi-
cere. *Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis
hic populus, & vniuersus Israël, & cum eo manebo.*
Aci dicat: si sequerer Dauid, à Deo iam de-
sertum, amicitiam colerem, sed iustitiam non
colerem; te secutus, Diuinæ pareo voluntati,
cum te elegerit, & ad thronum regium extulerit:
ergo hic manebo, vt qui plaris æstimem iusti-
tiam, quàm attenderim propriam, notam. Au-
di Abul. quæst. 16. *Ego nolo seruare fauorem,
sed iustitiam; olim enim quando Deus elegerat Da-
uid, ego eram cum eo; nunc autem quia Deus ele-
git te, & respuit ipsum, non manebo cum eo, sed te-
cum.* Nonne vides quàm affectet æquitatem, &
quàm se ab omni alio respectu testetur expertem,

cum reuera Absaloni accesserit, vt eius venaretur
consilia, & opponeret consilij impedimenta?
est enim hic aulicorum mos, insidioso itinere
pergete, & ostentare se illuc tendere, vnde cer-
tissimum est aufugere. *Diligite iustitiam* (aiebat
Sapiens) *qui iudicatis terram.* Sap. 1. v. 1. Otio-
sum ad speciem videtur præceptum; nam si Iu-
dices inscendunt tribunalia, vt legum tueantur
præcepta, iustitiam diligent; nec enim queit
æquitas coli, ni contigerit adamari. Quomodo
& iudicare testatur, & colendam iustitiam sua-
dere adnititur? O vtilè doctrinam! Sciebat
sapiens; Iudices plures exterius iustitiâ indui; in-
ternis tamen affectibus æquitati auersari; imò
quòd plùs interius disponunt fraudem, eò plùs ex-
terius ad speciem colere legem; ergo monet, vt
interna externis conueniant, ne peruersa via
ostentant iustitiam, cum viam satagant inire
contrariam. Innuit Hugo: *Iuste iudicate terrenos,
qui habetis officium iudicandi, & hoc amore iustitiæ,
non libidine vindictæ.* Aci dicat Sapiens: inueni-
tur, qui iustitiæ colore, cupiditati deseruiat, qui
ambitioni pareat, qui vindictæ obediat, & dum
affectat iustitiæ integritatem, fraudem tegit, &
contra iustitiam agit.

TEXTVS

VER S. 20. & 21. Dixit autem Absalom
ad Achitophel: Inite consilium, quid
agere debeamus. Et ait Achitophel ad
Absalom: Ingredere ad concubinas
patris tui, quas dimisit ad custodien-
dam domum: vt cum audierit omnis
Israël, quòd fœdaueris patrem tuum,
roborentur tecum manus eorum.

§. LV.

*Spes reconciliationis ad speciem præciditur, &
eius in sponsis Numinis honor fœdetur.*

NVlla est culpa, quæ deleri nequeat verâ, &
humili pœnitentiâ. *Offendisti* (aiebat Tert.
de Pœnitent. cap. 7.) *sed reconciliari adhuc po-
tes. Habes, cui satisfacias, & quidem volentem.*
Nullo perpetrato delicto, succidendus, ac su-
bruendus est animus veniæ desperatione: displiceat
peccasse, sed pœnitere non displiceat, nam
in Numinis myrothecio omni animæ ægritudini
medecina parata est. Cainus minùs deliquit,
dum orci aperuit ianuam, & fraternum sangui-
nem fudit, quàm cum desperatus protulit:
*Maiores est iniquitas mea, quam vt merear ve-
niam.* Gen. 4. v. 13. Huc voco Basil. Orat. 4. *O*
vocem ipsa cade magis execrabilem! O sententiam
impiam! Si pœnitentiæ dolorem Cainus obtu-
lisset, vt gratum sacrificium Deus acceptasset,
& hostiæ loco retractationem habuisset: impiè de-
liquit, dum desperauit. Verùm, vt noueras quàm
grauè sit, Dei sponfas à pudore auertere, & sponsi
honorem violare; Achitophel consulit, Dauidis
violare concubinas, vt omnis reconciliationis
spem præciderit, & æternas inimicitias fundave-
rit. *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit
ad custodiendam domum; vt cum audierit omnis
Israël, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum
manus eorum.* Aci dicat: Patrem tuum è throno
deturbasti

deturbasti, contra ipsum copias adlegisti; verum adhuc veretur populus, iterum reconciliandos, & sibi precauens, tua signa recusat sequi, ne contingat à Davide tecum reconciliato puniri: ergo vt reconciliationis spes prorsus præcidatur, & ab hac suspitione populus liberetur, ad patris concubinas ingredi; hoc enim aded est dedecus non ferendum, vt omnem spem reconciliationis abstulerit, & timorem populi abegerit. Hunc esse horum verborum sensum, tradit Abul. q. 21. *Licet Absalom insurrexisset contra patrem, & etiam ultra bella committeret, semper putabant esse locum reconciliationi, quia post bella relinquitur offensa, & damnium, non tamen relinquitur infamia, & turpitudine, vel dedecus; ideo ista reconciliabilia sunt.* Præstrepebant inter patrem, & filium bella, sed erant bella inter filium, & patrem. Ergo politici, prudentesque nolebant in Absalonis patrem inclinare, ne, patre, filioque reconciliatis, contingeret illis pœnam subire. Adnectit Abul. *Si tamen cognosceret Absalom uxores, vel concubinas patris, relinqueretur æterna infamia, & deturpatio domus David. Ideo, hoc facto, putabant Israelitæ impossibilem esse reconciliationem.* Non erat impossibile reconciliatio; verum execrandum aded erat scelus, vt populus crederet, non esse iam reconciliationi locum, & fore æternum dissidium. Vt discant Dei sponsas ab eius amore auertentes, grauem aded esse iniuriam, vt vereri possint non fore reconciliationis locum, sed æternum eos manere tormentum. Abner Isboseth ad thronum euexerat, milites contra David conscriserat, in campum sæpè processerat, & tamen redire in amicitiam petiuit, & impetrauit: *Fac mecum amicitias.* 2. Reg. 3. v. 12. Quid tunc David? *Ego faciam tecum amicitias.* Aduersarium facile in gratiam admisit, iussit tamen, Michol sibi restitui, & à Psalthiel auferri. Psalthiel etsi in lachrymas fusus, à Davide veniam petere non est ausus. *Sequebatur eam vir suus plorans.* Hinc oritur quæstio: Cur Psalthiel intuitus Abner ad gratiam admissum, non sollicitauerit veniam, & amicitiam? Et quidem timere poterat à Davide grauiissimam sibi infligendam pœnam, & abolendam effuso eius sanguine tantam honoris iniuriam: ergo sibi caueat, & ad Davidis benignitatem recurrat. O dotrinale silentium! expendebat Psalthiel temerasse honorem Davidis: ergo fortè credidit impossibilem veniam, & otiosum inanèque putauit sollicitare misericordiam: falsus est; eius tamen suspicio sceleris grauitatem demonstrat, & indignationem indicat. *Volebat David (inquit Lira) & debebat precauere honori suo.* Abner deliquerat, Davidis impediendo dilatari coronam, Psalthiel inferendo propudiosam honori iniuriam: ergo cum ingenuo grauior sit, quàm dignitatis, aut salutis, honoris iactura, Abner non desperauit de recuperanda gratia: Psalthiel ausus non est, Davidis sollicitare præsentiam.

§. LVI.

Politici dum assequantur votum, parum curant, an honestum, aut inhonestum sit medium.

Politices, quæ virtus est, prudentiæ, æquitatisque soror est. Qui prudentem politicem colunt, generalitati deteruiunt; sunt tamen adueterini politici, qui dum consequi finem ambiunt, media parum, aut nihil attendunt. Eorum studium est, ad honorem, vtilitatemque peruenire, an recta,

aut peruersa via parui faciunt. Hanc ambitiosam cæcitatem à primordio intulit serpens; diuinitatem edocuit arripere, siue aliena rapiendo, siue æquitatis legem temerando. *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Gen. 3. v. 5. Vt infidias innocentia obtenderet, vt politicem vaferrimus serpens corrumperet, hominibus persuasit, quod ad speciem expediebat, ambire, & quibus assequendum artibus, parui pendere. *Tu mihi frater* (aiebat Basil. Seleuc. Or. 3.) *huiusce dictiois infidias obseruita; quæ omnis impietatis parens, ac radix exiturunt.* Paradisum in præuicationis vertit officinam, dum suavitati diuinitatem ambire, & an honestis, aut inhonestis medijs omnimodè depreiare. Absalom etiam cæca, immaturaque ambitione coronam exambiens, quid expediat, rogat. *Dixit Absalom ad Achitophel: Inite consilium, quid agere debeamus.* Achitophel censuit, vtile esse omnem opem reconciliationis inter patrem, filiumque prorsus succidere, ne populus suspicatus futuram pacem, Absalonis signa vereatur sequi: ergo monuit patris honorem defœdare, eiusque concubinis ad explendam libidinem vt; quandoquidem illata eiusmodi iniuria impossibilis videbatur concordia. Eius audi consilium: *Ingrede ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, vt cum audierit omnis Israël, quod fœdaueris patrem tuum, roberentur tecum manus eorum.* Ac si dicat: Tandiu populus hærebit, nec tuo lateri fixè se adiunget, quandiu vercatur, an celebrata inter te, patremque concordia te secutis imminet pœna. Quam suspitionem ab eorum cordibus radicitus abscindes, si honorem patris violaris. En detestandus politicus consuluit ad optata peruenire, & an licita vel illicita media, nullatenus spectare. Procopium audi apud Nost. Sanct. *Certum est. Achitophel se rebus presentibus accommodasse; & pro vtriusque ingenio, & moribus consilium dedisse.* Se accommodauit tempori, etsi clarissimè refragatus sit æquitati, degenetes namque, & peruersi politici quæuis docent amplecti media, quibus videntur assequenda facile vota. Ieroboam elatus ad regnum imminere sibi nouit periculum; ergo vt sedaret timorem, stabiliretque dignitatem, vitulos construxit, & adorandos proposuit. *Excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra ascendere in Ierusalem.* 3. Reg. 12. v. 28. Quid execrabilius, quàm idololatriam introducere, à veraque religione auertere? & tamen qui eius fouebant consilia, adiuuabantque vota, vt firmarent coronam, non respuerunt idololatriam: vt compertum fuerit malè politicos solum attendere mediorum conducentiam, non æquitatis, honestatisque consonantiam. Audi Theodor. q. 41. *Miser, & ter infelix iste, accepta potestate, aggressus est eam habere humanis, & impijs artibus.* Vitulorum media erant impia, ad fulciendam verò dignitatem deputabantur satis idonea; ergo dum assequeretur iniqua vota, detestanda amplexus est media.

§. LVII.

Ferniciosus est consiliarius, si ingenio attemperetur Principis, & solum conditionem attendat temporis.

Decet tractatores habere doctissimos, quibus Reipublicæ potestas commissa est; sæpè namque prouisa generalitatis vtilitas impeditur,

2. Reg. 8.
v. 12.

Gen. 3. v. 5.

2. Reg. 12.
v. 28.

fi

ni sagaci prudentia nodus difficilis explicetur. De generali salute studioso talis est associandus, qui virtutem colat, & æquitati semper attendat. *Nam sicut perniciosum est* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 12.) *doctos prava suadere: sic salutare munus, cum veritatis terminos desertitudo nescit excedere.* Quid optabilius, quàm disertum consiliarium, ingenij acumine scutari profunda, & æquitatis disciplinæ adaptare dicenda; verùm nec perniciosius aliquid inuenitur, quàm consiliarius chamæleontis naturam aut fortitus, aut imitatus. Chamæleon res exigua, grande vocabulum, ventum ruminat, gradum designat, non explicat; & insuper multarijs coloribus vestitur. Vnde miraberis vna in superficie tot apparere diuersa, & oculos colorum detinere fallacia. Nec aliter huius bestiolæ imitatori contingit: eius, cui accedit, imitatur ingenium, & obseruat, vt aduletur, studium. Achitophel consiliarius habebatur diuinus, & à populo celebratus. *Quasi si quis consuleret Deum: hic sic à seipso aberrauit, vt Absaloni consilium præbuerit nefandum, & auribus honestis molestum. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinæ patris tui.* Si inquiras: Quomodo Dauid eiusmodi fuerit cõsiliario vsus? & quomodo fuerit à populo celebratus? respondebit Nost. Sanct. ad.ò politicè subdolum, & subdolè fuisse politicum, vt cui accedebat, Principis attemperaretur ingenio, & deseruiret studio: cum Dauide consiliarius apparebat diuinus, cum Absalone impudicus, & detestandus. Nost. um Sanct. audi; imò apud eum Procopium: *Quomodo Dauid vir sanctus, & prudens vsus est tandiu viri adeò scelerati consilio? Iam respondet Procop. Certum est, Achitophel se rebus presentibus accommodasse, & pro vtriusque ingenio, & moribus consilium dedisse; erga bonum malitiam celans, erga prauum ostendens.* Vbi vidit Dauidem æquitatis studiosum, virtuti addictum, præbebat consilia probitate, honestatèque conspicua, & veluti Numine digna; vbi verò sensit, Absalonem libidinis mancipium, ambitionis seruum, scelestissimum dedit consilium. Itaque Achitophel consultus non attendebat rationis, æquitatisque legem, sed diuersum, prout occasio se offerebat, induebat colorem. Cum Dauide sancto apparebat consiliarius diuinus, cum Absalone iniquo apparebat sceleratus. Inueniuntur namque huiuscemodi consiliarij, & ministri, qui arundinis more legis statuta non attendunt, sed pro diuersitate auræ mouentur, & inclinantur. Vbi Ioseph etiam à fratribus pro seruo diuenditus Ægyptum intrauit, Rempublicam tractaturus, non sine arcano mysterio refertur tunica denudatus. *Nudauerunt eum tunica talari, & polymita.* Gen. 37. v. 23. Fratres denudarunt, vt adularentur inuidentiæ, sed denudatio profuit doctrinæ. Tunica dicebatur polymita, quia diuersa colorum varietate contexta; ergo vt utilis esset rerum ciuiliu administrator, non decuit varios colores referre, sed vnicum iustitiæ, & æquitatis vestire. Pharao vbi reipublicæ constituit administratorem, bisina vestiuit stola, non varijs coloribus variegata. *Vestiuit eum stola byssina.* Gen. 41. v. 42. Non multiplicem colorem ref. rat stolam, sed candorem simplicem, illibatúmque, vt compertum fuerit, ciuiliu rerum administratorem, consiliariumve, vnico, simplici que colore vestiendum non multiplici, & incerto exornandum. Huc voco Rupertum lib. 8. in Gen. cap. 40. *Stola byssina, Deo*

Indice, induus est. Vbi potestate donatus, stola vnus coloris, & quidem purissimi refertur indutus; quia Reipublicæ minister, aut Principis consiliarius solum æquitate lucere debet ornatus.

§. LVIII.

Qui implacabilia inter domesticos odia seminat, miserandam sibi stragem maturat.

Concordia pacis nutrix, & felicitatis est mater: ea florente, Respublica augetur, si deest, multiplice perturbatione concutitur. Nec est potius, quod felicitatem figat, ac voriuua concordia. *Ter diuinam prouidentiam* (aiebat Cassiod. 10. Var. 23.) *omni suspitioni aduersa, desiderabilis potest vnanimitas permanere.* Sed proh dolor! Aut vltionis appetentia, aut vilitatis fœdæ auaritia disseminat sapè inter domesticos odia, vt detestanda acquisuerit lucra, aut merita effugiat damna: nec mens his passionibus perturbata queit dispicere, & stragem sibi miserrimam maturare. Achitophel interijt suspensus. *Suspendio interijt.* 2. Reg. 17. v. 23. quia inter Absalonem, & Dauidem odia implacabilia studuit disseminare, & consilijs iniquissimis refouere. *Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inire consilium, quid agere debeamus: Ingredere ad concubinas patris tui.* Quàm miserandus fuit Absalom, quid deberet agere, consulens, & pessimum consiliarium inueniens! Propudiosum, & sceleratissimum Achitophel præbuit consilium, vt exinceps inter Absalonem, & Dauidem implacandum duraret odium: nam cum obscura nota, & grauissima infamia, violatis concubinis, Dauidi accresceret, censuit Achitophel vulnus hoc non posse vnquam ad sanitatem venire, nec inter Absalonem, & Dauidem pacem vnquam posse efflorere. Audi Abul. q. 20. *Achitophel voluit primò tollere hanc suspitionem populo, ostendendo, quòd nunquam Absalom reconciliandus esset patri suo; eò quòd faceret contra ipsum tam enormia, quæ nullam recuperent reconciliationem.* Eò Achitophel tendebat consilio; vt implacabile duraret odium: ergo dum fouet odium, meruit suspendium. Ipse suis manibus mortem sibi conscuit, & fœtæ pœnas discordiæ dedit. Achitophel supplicio diuina resplenduit iustitia, dum eo ipso carnifice contra illum vsa est: vt alieno in capite discant homines, non fouere odia, nec disseminare iurgia. Audi Theodor. q. 33. *Timens ne natura eos rursus coniungeret; deinde si fieret reconciliatio, pœnas daret proditiõis, extremam illam suggererat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret locus; statim autem dedit pœnas illius impie, & nefarie suasionis, & quoniam in patrem armauit filium, ipse rursus in se armauit manus, & ijs laqueum collo iniciens, miserrimum sustinuit finem.* Propria manu de se exegit supplicium, qui æternum constabile aggressus est inter filium, & patrem odium. Versuti serpentis est pacem turbare, discordiam alere, diffidia fouere. Audi Tertul. ad Martyr. c. 1. *Non dicat: In meo sunt; tentabo illos vilibus odijs, defectionibus, aut inter se dissensionibus.* Fugiat conspectum vestrum, & ima sua delitescat contractus, & torpens tanquam coluber excantatus, & effumigatus. Vt serpens incantationes fugit, & fumum horret, ita diabolus fugit concordiam, & dolet pacem. *Neque illi* (addit Septim.) *tam bene sit in suo regno, vt vos committat, sed inueniat munitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.* Dæmonis arma

2. Reg. 17.
v. 23.

Gen. 37.
v. 23.

Gen. 41.
v. 42.

arma odium, & discordia sunt; nec quis veter-
no serpenti melius queit blandiri, quam si studeat
discordiam fouere, & lites disseminare: De ini-
quo aiebat Salomon: *Omni tempore iurgia som-
niat: huic ex templo veniet perditio sua, & subito
conteretur, nec habebit ultra medicinam.* Prouerb. 6.
v. 14. Nonne vides quàm citò immedicabilem si-
bi perditionem asciscat, qui concordiam eradicat.
Omnis culpa pœnitudinis medela expungitur; hu-
iusmodi verò offensa immedicabilis quodammodo
habetur. *Huic* (inquit Hugo) *scilicet seminatori
discordia ex templo venit perditio sua, id est subito,
vel ex improviso sicut fur.* Qui citò vult disperire,
curet discordias fouere, forsitan felicitate vsus effu-
giet humanam, sed vindictam non effugiet diui-
nam. Achitophel filium cum patre commisit, sed
sui ipsius carnifex suspensio interiit.

§. LIX.

*Aliqui ea audent consilia prestare, quæ (si fas
est dicere, puderet dæmonem exhibere.*

Videntur mali (Scribit Philo de Confus. ling.)
*que infirma sunt, comminire contra meliores, &
fluxa, dissolutaque compingere, ut ex tuto in virtutem
iaculentur.* Pessimorum votum est, iniquitatum
muros compingere, vnde tutò virtutem prorsus
queant conuulnerare, & penitùs interimere. Has
impias animo cogitationes versant, diùque, ac
nocte eiusmodi consilia tractant, & eo aliquando
successu, vt dæmonis videantur & nequitiam su-
pergressi, & audaciam. Rebellarat in pium patrem
adolescens, gloriæ cupiditate delirus, & ambitione
vesanus; vtque perpetuam, durabilemque impie-
tatem constabiliret, Achitophel consilium inire
præcepit: *Dixit Absalom ad Achitophel: Inire con-
silium, quid agere debeamus, & ait Achitophel ad
Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui.* Eù
consilium modis omnibus execrandum: non ex-
horruit Achitophel omnem pudorem expunge-
re, & consilio castas aures diuerberare. Existimant
Interpretes, si à dæmone consilium peteretur, non
adèd fuisse insolens, & detestandum; nam ali-
quando impiorum, scelestorumque tanta est inso-
lencia, tanta impietatis audacia, vt videantur ma-
litiæ dæmonis supergressi, & omni ratione exu-
ti. Innuit N. Sanct. *Tale adolescenti leniculo, ac cre-
dulo consilium dedit; quale nec suggeri potuisse vide-
batur à diabolo.* Dæmones semper ad prauitatem
sunt proni, ad nequitiam semper expediti; tegunt
tamen aliquando versutiam, & in lucem quasi
verentur propalare insolentiam. Audi Theodor.
q. 33. *Dæmones celant suam nequitiam.* Non cæla-
uit Achitophel nequitiam, sed, si fas est dicere,
quod dæmon erubesceret, consilium præbere
non erubuit: *Ingredere ad concubinas patris tui.* Ba-
laam dæmonem consulit, & ab eo augurium quæ-
rit. *Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obuius
pergam.* Num. 23. v. 15. Pergebat, quid ageret, dæ-
monem consulturus: sed dæmon etsi inuitus ora
continuit, nec consilium dedit. Ita Abul. q. 7.
*Donec ego pergam ad obuiandum Domino; quanquam
non inquireret Deum, sed dæmonem; occultabat tamen
dæmonem sub nomine Dei, ibat enim ad querenda a u-
guria.* Balaam à dæmone quærebat augurium;
verùm ab eo nec accepit oraculum, nec consilium.
Ad propria rediens Balac admonuit, Moabitas
pulchritudine eximias, & ornatu floridas Hæ-
bræorum oculis obijcere, & ad luxuriam publicam

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V,

prolectare. *Dabo consilium, quid populus tuus populo
huic faciat extremo tempore.* Num. 24. v. 14. Expres-
sit Ioannes Apoc. 2. v. 14. *Docebat Balac mittere
scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.* Ex-
pende consultum dæmonem numquàm simile de-
disse consilium, & Balaam dæmonis nequitiam
eiusmodi consilio, si fas est dicere, supergressum.
Ausus non est dæmon propudiosam adèd suadere
luxuriam, & suavit Balaam execrandam intempe-
rantiam; nam, vt dicebam, non erubescunt ho-
mines talia consilia præstare, quæ, si fas est dicere,
erubescerent dæmones exhibere.

TEXTVS

VERS. 22. Tetenderunt ergo Absalom
tabernaculum in solario, ingressusque
est ad concubinas patris sui coram uni-
uerso Israël.

§. LX.

*Eodem sepè loco, quo culpa perpetratur, multa
penalis infligitur.*

Congruum est ibi inflictam pati pœnam, vbi
quis ausus est perpetrare execrandam cul-
pam. Congruum est æquitati, eundem locum te-
stem esse vindictæ, qui fuerat testis offensæ, vt
oculorum prospectus ibi inueniat ad virtutem
subsidium, vbi passus fuerat scandalum; pœna
namque à consimili auertit factò, dum reprimitur
audacia supplicio. *Malum* (aiebat aliorum Basil.
Seleuc. Or. 4.) *tacere nesciunt intuentibus sit hortam-
ento.* Videntibus solarium fuit pro admonente
columna; & dum criminis ibi admissi publicat
cœlestem vindictam, armat cautelam. Dauid sola-
rio ambulans mulierem intuetur, & proprijs ocu-
lis capitur. *Accidit, vt surgeret Dauid de strato suo
post meridiem, & deambularet in solario domus regia,
viditque mulierem se lauantiem.* 2. Reg. 11. v. 2. In so-
lario deliquit, & venerandi thori violare hono-
rem decreuit; ergo in solario passus est æternam
infamiam, & à proprio filio retro inuisam iniu-
riam. *Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in
solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram
uniuerso Israël.* Non expendis Dauidem eodem lo-
co, quo admiserat culpam, dedisse pœnam? sola-
rium fuit criminis conceptaculum, & solarium
idem dignæ castigationis indubium extitit testi-
monium. Audi Abul. q. 21. *Quia Dauid erat in so-
lario domus sue, quando vidit Bethsabee, & concupiuit
eam, fecitque ad se duci, fecit Deus nunc quod in eo-
dem solario domus sue cognoscerentur concubina sue
ab Absalom.* Grauior pœna erat, infamiam pati;
quàm mortem obire: ergo cœlestis iustitia dispo-
suit, vt eodem loco, in quo perpetrarat delictum,
pateretur Dauid dehonestationis tormentum. Noë
progenies imprudenti ambitione insanam tentant
turrim construere, & euandidum nominis plausum
grandi labore mercari. *Venite, faciamus nobis ciuita-
tem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum,
& celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur
in vniuersas terras.* Gen. 11. v. 4. Per sordidam la-
terum conformationem, per obscurum fornacis
habitum ad inanem tendebant gloriam, & dum
ciuitatem ad ciues congregandos construunt,
conscientia stimuli iam diuisionem prælagiunt:
Antequam diuidamur. Atx celsa erigitur; sed cœ-
lestis ira inflammatur: ex templo pœna secuta

A a est,

est, & anxij laboris merces confusio fuit. *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Non solum dignam tulit superbia mulctam, sed eodem in loco confusionis subiuit pœnam. *Confundamus ibi linguam eorum.* Et cur ibi? vt eodem loco, quo insanuit superbia, superbiæ legeretur vindicta, & vbi delectati sunt lateritijs adificij, sinflictis lugerent pœnis. Opus non absolvitur, & pro mercede confusio legitur. *Confundamus ibi linguam eorum, id est* (scribit Oleast. ad litt.) *idiomata, ac si dicat: Faciamus ibi linguarum diuersitatem.* Ibi lingua est castigata, vbi tumentia protulit verba.

§. LXI.

Libido numquam quiescit satura, sed nouis semper ardoribus gliscit anhela.

Luxuria vis non vsu hebetatur, sed viuidius accenditur. Qui hydropis laborant morbo, copiosis laticibus nutriunt flammam, & remedio sitis sitim incrementant anhelam. Nec aliter accidit luxuriæ, dum carnis negotia tractat, flammam libidinis incrementat. *En* (aiebat Aristophan. in Poly.) *uxorem hanc tibi trado Phœdræ. Videor autem mihi additurus ignem igni.* Ignis ingesto pabulo non extinguitur, sed adipatur: ergo, quæ ignis sortitur naturam, intemperantia, libidinis auget flammam. *Animo* (aiebat Plutar. lib. de virt. & vitijs) *nisi alacritas, vacuitas terroris, & fidentia, sicut sedes, & serenitas tranquilla substernatur, non potest latitias, nec gaudium solidum infundi.* Adnectit: *Nisi motus animi turbatos compresseris, insatiabilem cupiditatem extinxeris, metu teipsum, & cui exemeris. Vinum roganti febricitanti, & bilioso obtuleris mel... vnde non solum non confirmatur, sed etiam ledantur.* Vt febris vino acrius incenditur, ita intemperantia intemperantiæ vsu viuidius inflammatur. Absalom dum ignorat pudicitiam, dum exercet intemperantiam, nescit modum; sed fœdissimo libidinis egressu pascit insatiabile desiderium. *Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Non ingressus ad vnâ, aut alteram concubinam; decem mulieres eodem tempore vitiauit. *Dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Supra 15. v. 16. Nec famem extinxit. *Introductæ sunt* (inquit Abul. q. 21.) *decem concubine Dauid in tentorium illud.* O prodigiosam libidinem! O brutalem intemperantiam, quæ dum videbaris extinguenda, acrius agnosceris inflammata! Libidinis incantamento homo totus transit in carnem, & caro in luxuriæ transit cupidinem. *Acceperunt* (inquit sacra Scriptura) *sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Gen. 6. v. 2. Intelligi datur, effrœnem adedò debacchatam fuisse libidinem, vt quisque homo vnica non fuerit vxore contentus, sed ex omnibus copiosum numerum delegerit inflammatus. *Acceperunt ex omnibus.* Notauit Basilus Seleuc. ora. 6. *Seruam libidini rationem tradentes, diuina calcant edicta, & execrabiliu egressu fœdantur, fluxam, & caducam voluptatem æternarum rerum votis anteferentes.* Adnectit: *Pro fructu impietatis nouam impietatem vindemiabant.* Vt ex vno plurima pullulant grana, ita ex intemperantia pullulabat libidinis sylua: & quibus videbatur prorsus exfatianda, crescebat rabies, nullis limitibus continenda. Ad decem concubinas Absalom eodem tempore ingreditur, & execrabiliu egressu fœdatur,

§. LXII.

Peccatoris imprudentia solet plausum ambire ex his, qua fas esset tegere.

In tetram adedò caliginem incidere solet peccator, vt à rationali natura in bestiam videatur transisse, imo ipsas bestias fœditate actionum exsuperasse. Malè agentem edocuit natura auersari lucem: verum sic à seipsa solet deciscere, vt plausum indignis, pudendisq; actionibus probetur quærere. *Videatur* (aiebat Senec. lib. 1. de Ira cap. vlt.) *& libido magni animi. Transnatat freta, puerorum greges castrat, sub gladium mariti venit vxor, morte contempta.* Mortem sæpè vxor contemnit, & adamata a pluribus obscuram gloriam exambit. *Credat aliquis* (aiebat Sen. epist. 97.) *pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Caesaris vxore in aperto commiserat.* In aperto vxor Caesaris adulterium commisit, non tenebris textit, quia maluit à pluribus adamatæ fugiendam gloriam, quàm seruare naturæ inditam verecundiam; talis namque erat vesania, vt discuperet omnium oculis prospici, quod vnus etiam notitiam debuisset fugere. Nec aliter contigit Absaloni: patris concubinas aggreditur defœdare, & cum ipsa natura pudore suffusa vereatur notitiam, in aperto affectauit delinquere, & quod plus demiraberis, ab impudicis oculis prospectari. *Tetenderunt Absalom tabernaculum in solario: ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Quis crederet, eis rebus, quæ tetram quærunt caliginem, meridianum procurasse splendorem, & exambijse conspectum, quibus fugere debuisset intuitum. Audi Saluian. lib. 2. de Prouid. & apud. N. Sanct. *Cum vtiq; facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publicè perpetraret: scilicet vt feralissimo crimine non pater tantum absconditus deformaretur, cum occulto etiam totius orbis publico fœdarentur incestu.* Absalom, quod natura veretur, publicè libini indulsit, & oculos pudicos offendit. Qui naufragium euaserant, non deterriti periculo, sed in audaciam elati, luteis operibus defœdantur, & spectari oculis non verentur. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Gen. 11. v. 4. Conscientia prælagiebat, & prænuntiabat supplicium, & nihilominus appetitus insania effrœnis inuolat ad peccatum. Et vide, vnde quærant nominis celebritatem, ex contractis scilicet in formatione laterum sordibus, ex fumi tetræ halitibus. Philo Iudæus de confus. ling. graphicè scribit: *Circumquaque rumores iniquitatum vestrarum dimittendos censetis, vt nemo nesciat, nemo non audiat: ô vestra miseri, ac scelesti facinora. At quale tandem nomen cupitis.* Adnectit post pauca: *Bella gloriatio captare celebritatem nominis ex his, que calari debuerant. Sunt tamen, qui valdè sibi rebus talibus placent, putantes inde se lucrifacere præclaram existimationem apud homines.* Petulans, impudicus, audax, violentus eius facinora discupit prospici, & inde famam studet venari, vnde debuisset confusionem incurrere. O sæcula! O mores! *Faciamus nobis nomen* (verba sunt dati Philonis) *ô insignem impudentiam! Quid ait? Cum debeatis tenebris vestras iniquitates abdere, & prætextum eis, si non verum, certè virisimilem quærere,*

Gen. 6. v. 2.

Gen. 11. v. 4.

vel

vel ad incundam apud homines gratiam, vel, ut fugatis pœnas confessorum criminum: audetis tantum non inclarissima luce vos ostentare. Se nonnulli peccatores ostentant, & inde cupiunt venari execrandam famam, vnde subire debuissent confusibilem verecundiam. Absalom, quam vel bruta abscondunt, libidinem euulgat, & omnium oculis repræsentat.

§. LXIII.

Qui omnem verecundiam exuens, scandalum præbuit, contra cœlestem indignationem exacuit.

Humana, fragilisque natura sæpè peccatorum vitiis defœdatur, & noxijs appetitionibus vititur; non tamen ad eò se omnem proiecit verecundiam, vt fatagat iniquitates tenebris abdere, & colorato prætextu tegere. Qui delinquens rubore suffunditur malè se egisse fatetur; si verò eò amentia deueniat, vt, omni expuncto pudore, peccetur, ipsa publicitas, ipsa procax insolentia oculos offendit humanos, & ad celerem vindictam prouocat etiam Diuinos. Citò exsoluet pœnam, qui delinquens, alios delinquere edocuit, & suo exemplo quodammodo traxit. Cui inest petulantia cum impudentia, temeritas cum arrogantia, cum libidine inuerecundia, citissimè pœnas exsoluet, & vtrices diras audax subibit. *Audetis tantum non* (aiebat Philo de Confus. ling.) *in clarissima luce vos ostentare, contemptris, & minis hominum, & supplicijs diuinitus infligendis clementia?* Scandalum sibi negotiatur supplicium, & tale, vt auctorem in profundum mergat, oneri graui depresso: dicente Domino: *Expedi ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Mat. 18. v. 6. Nihil tristius posse homini videtur accidere, quàm marinis vndarum voluminibus obrui, & in profundum demergi, & tamen comparatione subeundi supplicij, hoc videtur commodum, non amarum. Prodest Chrysof. in Cat. *Dicit, quòd expedi ei hoc sustinere, quoniam alia grauior pœna expectat.* Non solum grauiissima pœna in futurum expectat, sed in præfenti dura vindicta discruciat. Citò Absalom arbori, vt carnifici traditur, duris citò telis confoditur. *Tulit* (Ioab) *tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Infrà 18. v. 14. Publico supplicio interijt, qui impudentissima luxuria deliquit: in populi oculis patris concubinas violans, æternam sibi, parentique intulit notam. *Ingressus est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Quod debuisset tenebrarum caliginibus delictum oculere, publicè perpetravit: ergo citissimè pœnas exsoluit. Prodest Chrysof. apud N. Sanct. *Cessa, ne audaces ex te, quod non nouerant, discant; cessa, inquam, ne, qui post te tantum facinus perpetraverit, te vtatur auctore. Cur mundo nouum facinus tradis? Cur doces, quod natura non nouit? Cur audes perficere, quod nouo supplicio cogatur Deus vindicare?* Acsi dicat: Dum scandalis mundum replet, Deum, vt nouo supplicio impudentiam puniat, quodammodo cogis. Nam etli clementior dissimulet alia scelera, seuerissima pœna punit scandala. Inimicus hominis zizania feminat, agricolæ sudorem frustrat, seminis augmenta retardat, & tamen agri dominus ei non refertur pœnas infligere, nec tormentis duris vexare. *Cum dormirent homines illi, venit inimicus Eman, de Naxera in Reg. Tom. IV.*

Mat. 18.
v. 6.

eius, & superfeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Mat. 13. v. 25. Hic idem inimicus patris familias, homine inuaso, ita via publica defœuebat, vt nullus illac posset transire, nec ad vltiora gressum promouere: huic eas Dominus pœnas intulit, vt eiulans dolorem prodiderit, & se distorqueri egregiè clamarit. *Occurrerunt ei duo, habentes demonia, de monumentis exeuntes, sani nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam: & ecce clamauerunt dicentes: Venisti huc, ante tempus torquere nos.* Mat. 8. v. 28. Cum zizaniorum seminator, & habitator sepulchrorum sit idem, iuuat inquirere: Cur alibi non referatur seuera rigiditate punitus, & alibi clamet rigidis pœnis vexatus? Si factores inhabitans, clamat de pœna, cur zizania seminans, non queratur de multa? Profectò diabolus, vt nunquam facit malitiæ suæ otium, nunquam etiam desinit acre subire tormentum: verùm ad nostram eruditionem vbi tectè, tenebrarumque patrocinio deliquit, si fas est dicere, non inuerecundè peccauit; ast vbi publica defœuebat violentia, & scandala iter agentibus opponebat feralis & impudica procacia, fas fuit grauius distorqueri, & ad edendos clamores cogi. De gehennæ pœnis non queritur, & de pœnis modò inflictis flebiter lamentatur, quasi duriora fuerint tormenta, quæ passus est ob scandala. Notauit Chrysol. serm. 16. *Videtis, quia demones venientibus ad Christum præcluserant viam? transtium denegarant?* Dum insolentia publica, dum impudenti arrogantia omnium in oculis delinquebant, & ne ad Christum venirent homines, scandalis retardabant, durioribus sistuntur pœnis, & rigidioribus distorquentur supplicijs, vt notum omnibus fuerit, quàm sit graue in luce peccare, & scandalis intuentium oculos alligere, aut aures verecundas offendere. Absalom transfossus telis, occubuit, quia in omnium oculis scelera fœdissima perpetravit. Itaque licèt alia leuioribus pœnis castigentur flagitia, durissimis puniuntur scandala.

TEXTVS.

VER S. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom,

§. LXIV.

Qui apud vulgus celeberrima opinione floruit, famam etiam erroribus conseruabit.

Citò accedimus opinioni, non coarguimus illam. Vnde qui apud vulgus famam fortitus est, magnus semper celebrabitur, imò aliquando ipsis nomen erroribus assequetur: Nam plurimum iudicio contraire timet prudentia, & aspergi veretur inuidiæ nota; ad hæc: Facilius sibi quisque suadet cæcutire, quàm tot intuentium oculis non videre. Celebris fama delinquendi quodammodo priuilegium est. Quos fortunæ fauor, aut virtutis excellentia commendauit ultra iniquæ suspicionis metam constituit. Opportunè Senec.

lib. 1. de Tranq. animi cap. vlt. *Catonem ebrietas obiecta est, at facilius efficit quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.* Tanta opinione Cato habebatur, vt facilius crederent ebrietatem esse honestam, quam Catonem incurrisse criminis notam. Idem de Scipione, de Socrateque scripsit Philolophus. *Cum pueris Socrates ludere non erubescerat, & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum; & Scipio triumphale illud, & militare corpus mouit ad humeros.* Subijcit: *Non facturi detrimentum etiamsi ab hostibus suis spectarentur.* Socratis luxus cum pueris, Scipionis ad numeros saltus vel apud æmulos habebatur honestus, quin auderent abrodere, quia inuidentiæ, aut linguacitatis cogerentur obmurmurantes notam subire. Nec aliter Achitophel contigit: sic viua prudentiæ imago habebatur, vt omne eius consilium promanare à Numine putaretur. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi quis consulere Deum.* Profectò si consilium Absaloni præstitum examines, inuenies non à prudente prolatus, sed à prudentiæ hoste & pudicitæ, verrecundiæque profligatore profectum. *Ingredere ad concubinas patris tui.* Quid potuit esse pudori, æquitati que perniciosius consilium? & tamen habebatur prudentiæ consonum. Eam Achitophel fuerat adeptus opinionem, vt eius insania haberetur prudentia. Consilium Dauidis tempore præstitum, nil mirum, cum esset æquitati consonum, haberetur diuinum: ast quomodò Absaloni exhibitum potuit cœleste haberi, cum notum esset rationi, legique refragari? *Sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom.* Consilium Absaloni datum etsi castitati, pudicitæque esset manifestè contrarium, ob auctorem credebatur honestum, Prodest. Abul. q. 22. *Consilium Achitophel erat in diebus illis sicut consilium Dei, quod dabatur, consulendo eum per Prophetas vel sacerdotes in rationali, scilicet ita erat certum.* Eam Achitophel apud vulgus opinionem fuerat consecutus, vt eius consilium haberetur diuinum, etsi reuerà esset prudentiæ, æquitatisque venenum; nam si semel vulgus eiusmodi opinione fuerit imbutus, etiam euidentiæ se oculis ingèrenti, resistet; nec credit. Diuini, sapientis que Pharaonis apud populum magni habebantur, credebantur mira peragere, & eximia potestate vigere. Hi in certamen cum Moyse, Aaronéque descenderunt, & virgas præstigijs apparentes in dracones mutarunt; sed Moyse veritas Magorum deuorauit mendacia. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Exod. 7. v. 12. Expectares Pharaonem demutatuum sententiam, & Magorum agnitorum versutiã: verum sic Pharaon, populis que sententiam tuiti sunt, vt ipsam fallaciam virtutem deprædicarent eximiam. *Induratum est cor Pharaonis, & non audiuit eos.* Moyse, & Aaron despiciuntur, Magi ob fallaciam ipsam laudantur: Pharaon sententiam non demutauit, imò tenacius antiquæ opinioni adhæsit: *Induratum est cor Pharaonis.* Et quare induratum? Quia Magorum præstigiæ putabantur miracula, quasi à talibus auctoribus nulla compingi possent figmenta. Notauit Græcus apud Glos. *Præstigiæ pro miraculis habebantur, efficacia tamen imposturam coarguit.* Magorum impostura veritate euidenti arguebatur, sed eam apud vulgus opinionem erant sortiti, vt præstigiæ pro miraculis haberentur, & facilius sibi persuaderet populus imposturam esse veritatem, quam posse Magos obijcere oculis imposturam: *Præstigiæ pro miraculis ha-*

Exod. 7.
v. 12.

bebantur. Sic opinione auctorum honestabatur fallacia, vt nullatenus contraria prævaleret euidentiã. Achitophel Absaloni consilium præstitum erat reuerà execrandum, & nihilominus de consiliarijs fama celebrabatur diuinum. *Quasi quis consulere Deum, sic erat omne consilium Achitophel.*

§. LXV.

Magni habentur aliquando Consiliarij, etsi æquitatem despiciant, si vtilitatem promoueant.

Professionem constat esse iustitiæ, consiliarios æquitatis studiosos habere, quia vix potest errare, qui à iustitiæ semitis desiderat non defectere. Verum apud politicos Principes pluris solent haberi, vtilitatem promouentes, quam æquitatem sectantes. *Non decet (aiebat Cassiodor. 8. Var. 18.) Iudicem ministrum esse voluntatis alterius, vt magis alteri pareat.* Satis pudendum est, si Iudicis, aut consiliarij sortitus elogium, alienum sequatur arbitrium & temporale solum promoueat Principis commodum. Verum cum sæpè æquitatis vindex parui pendatur, & magni, qui vtilitatem promouet, æstimetur. Nonnulli consiliarij magis attendunt placere, quam legibus adaptari. Achitophel magni habebatur, & eius consilium veluti diuinum excipiebatur. *Quasi si quis consulere Deum, sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalom.* Profectò consilium Absaloni præstitum erat pudori inimicum, rationi contrarium, homine indignum, nec videbatur magni habendum, sed condemnandum. Audi quid consulat: *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, vt cum audierit omnis Israël, quòd fedaueris patrem tuum, roberentur tecum manus eorum.* Qui Absalonis votis, & studijs fauebant, retardabantur, veriti; ne, si ad concordiam filius, & pater deuenirent, nullum in Absalone haberent præsidium, & ob defectionem, proditiõemque subirent Dauidis odium: ergo eò tendebat consilium, vt illata hac infami iniuria, omnis reconciliationis spes succideretur, & populus metu iam liber, Absalonis signa sequeretur; ideò addidit: *Vt roberentur tecum manus eorum:* nam illa de concordia suspicio animos debilitabat, & Absalonem sequi dissuadebat: ergo consilium promouendis commodis deseruiebat, etsi iustitiæ, honestati que aduersaretur. Ergo Absalom, qui legem non attendebat, & successum coniurationis ambiebat, Achitophel magni æstimabat, & sibi familiarem habebat: *Quasi si quis consulere Deum (audi Abulenf. q. 22.) dicitur hoc ad significandum quòd consilium illud erat vtile Absalom.* Vtile erat consilium, sed ab æquitate prorsus alienum; Absalom tamen magni huiusmodi consiliarium æstimabat; quia non semel apud non bene moratos Principes pluris æstimantur consiliarij, si vtilitatem industriè promoueant, quam si studiosè æquitatem attendant. Iob stulto sæpè sine duci consiliarios testatus est. *Adducit consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporè.* Iob. 12. v. 17. consiliu prudenti sine ducitur, dum æquitas spectatur, imprudenti, si vtilitas tantum attenditur: sæpè ergo consiliarij stulto sine ducuntur, quia solum Principum vtilitatibus applicantur: Consulunt vestigalia imponi, tributa extorqueri, vt augeatur Principis census, etsi

Iob. 12.
v. 17.

contra

contra fas denudetur violenter populus, Stulto sine ducuntur, quia à iustitia, & æquitate prorsus alienantur. Innuit Gregor. lib. 11. Mor. cap. 7. *Profecto in stultum finem deducitur, quia illuc per laborem tendit, unde per mentis rectitudinem fugere debuit. Per mentis rectitudinem sapè consiliarius contraria debuisset præstitisse consilia, & à recti-*

tudine deuiat, quia promouere solum studet comoda. Achitophel non ignorabat consilium de vitiandis concubinis esse peruersum, sed sciebat adaugendis militaribus Absalonis viribus satis aptum: ergo dedit consilium stultum; sed quia vtilitati opportunum, à Principe celebratum: *Consilium illud erat vile Absalom.*



CAPVT XVII.

DIXIT ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte. 2. & irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatum. 3. Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu queris: & omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël. 5. Ait autem Absalom: vocate Chusai Arachitem, & audiamus, quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus, an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursus intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo: veluti si Vrfa, raptis catulis, in saltu seuiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet, quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom. 10. & fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, panore soluetur: scit enim omnis populus Israël fortem esse patrem tuum, & robustos omnes, qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. 12. Et irruemus super eum, in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem. 13. quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiat calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachite, consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc, & Abiathar sacerdotibus: Hoc, & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israël: Et ego tale & tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite cito, & nuntiate David dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè Absorbeatur Rex & omnis populus, qui cum eo est. 17. Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nuntiauit eis: & illi profecti sunt, vt referrent ad Regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res. 20. Cumque venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas, & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transferunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi, qui querebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt Regi David, & dixerunt: Surgite, & transite cito fluuium: quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo David, & omnis populus qui cum eo erat, & transferunt Iordanem, donec dilucesseret: & ne vnus quidem residuus fuit, qui non transisset fluuium. 23. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam; & disposita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui. 24. David autem venit in castra, & Absalom transiit Iordanem, ipse, & omnes viri Israël cum eo. 25. Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri qui vocabatur Ietra de Israël, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruia, que fuit mater Ioab. 26. Et castrametatus est Israël cum Absalom in terra Galaad. 27. Cumque venisset David in castra: Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Bersellai Galaadites de Rogelim. 28. obtulerunt ei stratoria, & tapetia & vasa fictilia, frumentum

& hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer. 29. & mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos; dederuntque David, & populo, qui cum eo erat, ad vesendum: suspicati enim sunt, populum fame, & siti fatigari in deserto.

T E X T V S.

VER. I. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.

§. I.

Densissimis tenebris inuoluitur, qui offendere Deum admittitur.

CVlpa tenebrarum filia, & caliginis mater est: ignorantia fructus, & foetus, teste S. Scriptura: *Omnis peccans est ignorans.* Vitium morbus est, totam animam inficiens, & possidens. *Qui febre decumbit* (aiebat Philo lib. Resipui &c.) *non una quapiam parte, sed toto agrotat corpore: ita totius animae infirmitas est vitium.* Totius animae infirmitas vitium est; eiusmodi aegritudine prudentia languet, perspicacia cæcutit, animus deficit. *Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt* (scribit Chrysol. ser. 3.) *quæ de confusione veniunt peccatorum. Audi Prophetam dicentem: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre.* Iniquitas densas offundit tenebras, quibus mentis oculus impeditus caligat, & animus duce destitutus oberrat. Ut hanc nobis veritatem, Sacæredoceret Textus, Achitophel refert, arma in Dauidem prementem, & noctium tenebris caligantem. *Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.* A luce distabat, qui Dauidem persequi discupiebat, nam cum David Christi personam gereret, nequibat luce carere, qui contra Dominum decreuerat militare: tempus notanter expressit Textus: *Persequar David hac nocte: ut nouerimus, contra Deum bellum gerentem, luce non fructum, sed noctium confusis caliginibus obscuratum.* O quàm calignosa erat nox, in qua Dauidis persecutor est adnixus offendere, & culpis infici! *Per noctem* (inquit Abul. q. 1.) *inueniam illum.* Per offusas noctium tenebras opus est pergere, qui in Dauidem, id est Christum, decreuerit militare. Paulus in Elymas supplicio hanc veritatem expressit: *omnis iustitiæ inimicus vias Domini subuertebat, & virtutem oppugnabat: ergo ab animo tenebræ prodierunt, & oculos deturparunt. Confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ.* Act. 13. v. 11. Arcanum erat supplicium, & cæcitatæ animi testimonium. Elymas sic comprehenderant iniquitates, ut densissimis inuolutus tenebris, oberraret, & oculorum perspicacia priuatus desiperet. Huc voco Chrysol. ser. 3. *Nox sepelit hestrenum lumen, peccata sensum, animum membra confundunt.* Nox auferit lucem, culpa prudentiam, cæcitas oculum priuat aspectu, & animus caligat reatu, & omnia sordescunt confusa, æquitate amandata. In nocte persequi Achitophel decreuit, quia nequibat persecutor, tenebrarum voluminibus non confundi,

Act. 13.
v. 11.

§. II.

Iniquis votis spontè sæpè fauetur, & fauor virtutibus denegatur.

Impiorum consilia spontanea inuenerunt iuantis sæpè suffragia. Non oratione intuitati, non mercede conducti sunt, qui iniquis votis opem præstiterint, & fouere contenderint. Virtus solitaria degit, nec, qui porrigat manum, inuenit. *Nec desunt* (aiebat Philo lib. de Confus. &c.) *his etiam nequiores, qui non contenti hunc conatum suscepisse, etiam alios ipsis meliores ad contemplatiuum genus pertinentes, cogunt lateres facere.* Non contenti sordidis operibus inquinari nonnulli, alios urgent, dum ad similia opera spontaneum fauorem impendere non reculant. Absalom Dauidem persequi exambit, & statim adest Achitophel, qui se vltro offerat, & ad iniqua vota perficienda opem suam afferat. *Dixit Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.* Inquires: Cur non rogatus quieti renuntiarit, & bellicos labores subire ambuerit? Mirum certè non esset, si iustus laborem susciperet, & milites cogeret; verum, si ab Absalone cura eiusmodi non iniungitur, nec copias ducere demandatur, cur se vltro offert, nec subire periculum respuit? Quia namquam deest (inquit Abul. q. 1.) qui iniqua vota foueat, & suam opem afferre gestiât. Ipsum audi: *Dixerat Absalom ad Achitophel: Inite consilium, quid facere debeamus: & tunc Achitophel dixit quod ingrederetur Absalom ad concubinas David. Quo expleto, non consultus Achitophel subiunxit aliud consilium: Eligam mihi duodecim millia virorum.* Consultus execrandum præbuit consilium, spontaneus suscepit bellum, ut iniquum Absalonis foueret votum. Sunt namque, qui se spontaneos ingerant, ut iniquis aliorum consilijs faueant. *Non consultus Achitophel subiunxit aliud consilium.* Hanc damnabilem facilitatem testatur Psaltes, habuisse Assur, ut Lot filijs opem ferret. *Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filijs Lot.* Psal. 82. v. 9. A quo venerunt iuuitati? à quo allecti? Certè à seipsis. Filij Lot malignum super populum fouebant votum. *Super populum tuum malignauerunt consilium.* Ergo Assur spontaneum obtulit Lot filijs suffragium, ut assequerentur intentum. Notauit Interlin: *Hi homines, operante in se diabolo, adiuuant.* Impia consilia adiuuant, vel à diabolo persuasi, vel innatâ nequitia exciti. Inuenies, qui inopi deneget obolum, tesseras ludenti, spontè mutuauerit aurum: inuenies, qui expetendæ vltioni socium se offerat infanientisque votis faueat. Mulier illa cœlestis solitaria ad tuta deuenit. *Mulier fugit in solitudinem.* Apoc. 12. v. 6. Apud Zachariam mulier alia ad Babylonem contendens, auxilia inuenit. *Ecce mulier una sedens in medio amphoræ.* Zach. 5. v. 7. Quid tunc? *Et ecce due mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi milui, & leuauerunt amphoram.* Hinc oritur quæstio: Cur scilicet mulier illa solitudinem petens, non fuerit sortita auxilium, & hæc inuenit votis suffragium? Si vnus non solum complent aliæ foeminae desideria gressibus, sed volatibus, cur alterius nec volatu, nec gressu? Facilis solutio est:

Psal. 82.
v. 9.

Apoc. 12.
v. 6.

Zach. 5. v. 7.

vna serpentiam fugiebat astutiam, recessus honestam perquirebat tutelam : alia tendebat in Babylonem , & tractabat confusibilem turpitudinem. Ergo virtus ope destituta humana, desertum petiuit, vitium ad Babylonem plurimis suppetijs peruenit. *Solitudinem* (inquit Ambros. ad 12. Apoc.) *Christum vocat : solitudo quippe dicitur, eo quod sola sit.* Quærebat Christum, ergo sola tetendit, quin fuerit eius conatibus fauens, aut vota fouens : vt noueris, quàm pauci sint, qui virtutis studiosum promoueant, & quàm plures, qui vltro vitijs , & sceleribus faueant. Spontaneè se Achitophel offert, & non consultus consilium præbet.

§. III.

Ita sitibunda est aliquorum ambitio, vt nec splendoris guttulam alijs permittat, sed sibi rapiat.

Nillum vitium stare nouit ; omnia mobilia sunt, nouis quotidie incrementis auferuntur, & augmentis furunt. Inter alia verò ambitio hydrope laborat. Bene Senec. 2. de Benefic. cap. 27. *Nunquam improba spei quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quò maiora venerunt, multoque concitior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flammæ infinito acrior vis est, quò ex maiore incendio emittit. Aquè ambitio non patitur quemquam, in ea mensura honorum conquirere, que quondam eius fuit impudens votum.* Non respicit ambitio, quid habeat, inflatiabili siti exæstuat, & omnes omnium dignitates præripere sibi adlaborat. Tribunus ambit præturam, Prætor consulatum: nihil fatiat diuisum ; ergo omnia simul congerere ardet ambitionis delirium. Achitophel id sibi nomen consilijs fecit, vt ab omnibus haberetur viua prudentiæ imago, eximio honore cultus, & plausu celebratus. *Quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium.* Achitophel. Sup. 16. v. 23. Hic cum copiæ contra Dauid producendæ essent, ducis munus poposcit, & exambiuit. *Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.* Quærent Interpretes : Cur exambierit ducis gloriam, qui consiliarij eximij obtinebat famam ? Respondentque, satis illi visum non esse consiliarij famam potiri, nisi etiam ducis gloriam, & munus haberet. Non considerauit, quid haberet, sed quid habere posset. Veteranis, & militari disciplina strenuis non permisit ducatum gerere, sed sibi gestiuit rapere. Audi Abul. q. 1. *Voluit etiam ipse ire vt dux belli.* Prudentiam tractarat, non militiam ; ambiuit tamen bellicam gloriam, quasi parum illi fuerit consiliarij excellentia, ni bellici ducatus resplenderet etiam prærogatiua. Locustas intuetur Ioannes plurium animalium proprietatibus compactas, & coronis ad speciem aureis redimitas. *Super capita earum tanquam coronæ similes auro, & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant.* Apoc. 9. v. 7. **O** multiplex animal ! Locusta terrea, & exigua non solum regiam coronam, sed hominis discupit excellentiam, mulierum venustatem, leonum fortitudinem, & quidquid in plurimis adspiciebat dispersum, sibi vni exambiebat vnitum. Omnium voluit prærogatiuis lucere, & omnium prærogatiuis micare. Locustæ ad laborem inertes, ad tactum fugaces, vagæ saltu, stridulæ ore, dum omnium sibi excellentiam vendicant, ambitionem

miram designant : locusta impinguata fame fessis, satiata sitis ; non procedit gressu, sed graditur saltu, & cum omnibus probetur nociua, omnes sibi doctes ambit anhela : vna est, & multiplex est ; omnia est, & nihil est. Huc voco, quod aiebat Gregor. lib. 20. Moral. cap. 15. *Immensis cupiditatibus inardescunt, & cum singula rapiunt, ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet Sanctorum Patrum, quorum merita adipisci non querunt, loca eorum, atque regimina apprehendere satagunt.* Non curat ambitio virtutes imitari, sed celsa tenere, & saltu ad cacumina peruenire, non attendit quot post se habeat, sed supra se vnum habere discruciat. En locusta est Rex, est homo, est mulier, est leo, quia nullis prærogatiuis satiatur, & ad alia semper extenditur. Achitophel consiliarij potitur honorem, & cæteris præire satagit electus in ducem : *Voluit etiam ipse ire vt dux belli.*

§. IV.

Sunt, qui satagant, alijs delinquendo præire, & primatum detestabilem gerere.

Omnis ætas carnis sentit contagium, & patitur ad errores pruriturum. Verum sunt etiam criminum proceres, qui supra vires præsumunt, supra potentiam possunt : contenti non sunt peccare, ni cæteris probentur delinquendo anteire, & detestabili laude excedere. Cum è mari bestia emergerent, leæna primatum ambiuit, & exilire ante cæteras festinauit. *Quatuor bestie grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ.* Dan. 7. v. 3. Si simul vidit ascendere : *Quatuor bestie ascendebant :* quomodo leæna sortitur pennam, & præ cæteris exambit præstantiam ? Deinde : Cur propheta post leænam non ait ascendisse secundam, sed aliam ? *Et ecce bestia alia similis vrsæ :* non ait, secunda, sed alia. Quia cum hæc symbola adumbratint homines vitijs infectos, expressit inueniri, qui fugiendum ambiat primatum, nec patitur in delinquendo secundum. Leæna mutuata est æquilæ alas, vt non solum cum cæteris ascenderet, sed volando bestias cæteras anteiret. Innuit Hugo Card. *Propter saeuitiam, & crudelitatem, siue propter luxuriam, & vitæ libidini seruientem non leo, sed leæna appellatur.* Leæna saeuitia, crudelitate, libidine primatum gestiuit occupare, aliàsque excedere, nec sequens passa est appellari secunda, sed alia, quasi in vitijs fuerit dedecus, præstantiorem agnoscere, & alteri primas concedere. Achitophel etiam adornandi contra Dauid, hoc est Christum, exercitus suspirat ducatum : non patitur locum secundum habere, sed vult cæteris anteire. *Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid.* Non vult, & persequentibus esse vnum, sed sollicitat sibi primatum. Notauit Abul. q. 1. *Voluit ipse ire vt dux belli.* Proh execrandam præstantiam ! Proh abominabilem excellentiam ! Achitophel imitatores plures reliquit. Ambiunt præ alijs lasciuire, præ alijs sauire, præ alijs violentiam, & iniuriam inferre ; quia parum illis videtur inter alios recenseri, ambiunt denotari. Hasta, qua Goliath contra Dei populum instruebatur, longè alias cuspide, & mensura excessisse refertur. *Hostile hasta eius erat quasi liciatorium texentium : ipsum autem ferrum haste eius sexcentos siclos habebat ferri.* 1. Reg. 17. v. 7. 1. Reg. 17. Contentus non est solitis, communibusque armis vt 7. communici, sed ad pugnandum contra Dei populum

lum armorum magnitudine, mensurâque excedere. Notauit Basil. Seleuc. Ora. 15. *Qua utebatur hasta, erat pro modo corporis; tantâque hasta communis modum superabat, quanto supra humana natura terminos ille se efferebat.* Aliorum superbiam longè superabat, aliorum insolentiam latè euincebat: non erat, qua utebatur contra Deum hasta, cæteris similis, sed veluti immetatè excedens; erubesceret, ni in crimine, Gigas, si impudentia, cæteris altior non emineret, longèque superaret. Nam ea est aliquorum vesania, vt in peccando cupiant alios vincere, & victoriæ plausu antecedere.

§. V.

Curandum est duci omnem tumultus occasionem præcidere, & nullam discordiæ causam militibus suis præbere.

VBique desiderabilis est vnanimitas, qua vel res parua permanere noscuntur, & sine qua vel res magnæ facillè corruiere probantur. *Nunc est potius* (aiebat Cassiodor. 10. Var. 23.) *quod regna coniungat promissio fixa, & votiua concordia.* Saxæum procerumque ædificium facillè tempestatis adfultibus cedit, ni concordia muniatur partium compagine, & inuicta lapides associentur vnione. Carina dum nullis dehiscit rimulis, æquora calcit profunda, si complexio scinditur, in flumine etiam submergitur. Sed licèt vbique desideranda sit animorum vnio, præcipuè militari necessaria probatur in campo; nam si milites, rupta societate, dissentiant, sine labore hostibus triumphum ministrant. Ob id strenuis ducibus semper fuit curæ, ne occasio dissensionis emergeret, quæ concordiam militum rumperet; nam dissensio aduersarijs ministrat laurum, & dissentientibus affert lamentum. Achitophel dum exercitum contra Dauidem disponit, deligenda duodecim millia pugnatorum statuit. *Eligam mihi duodecim millia virorum.* Si inquiras: Cur hunc præ alio numero elegerit? Respondebit Abulensis, voluisse omnem discordiæ occasionem præcidere; nam ex quauis tribu mille decreuit eligere, ne aliqua occasio discordiæ posset emergere, si aliquam præteriret, aut plures ex vna, quàm ex alia tribu designaret; prius contra se ipsum armaret milites, aut inter se tribus ipsas committeret, quàm in hostem adornaret: ergo cauit, ne vlla discordiæ eis præberetur occasio, sed floreret inuicta vnio, & animorum consensio. Abulensem audi q. 1. *De qualibet tribu erant mille viri (vt plurimi asserunt) ne aliqua tribu putaret se contemptam, vel quod non confidebatur de ea, quia tunc faceret seditiones magnas, vel recederet ab Absalom.* Si aliqua tribus ad bellum non conscriberetur, doleret se præteriri, aut de eius fide præsumeret dubitari, & dum iniuriam seditione tentat depellere, ducis votis probaretur manifestissimè contraire. Ergo Achitophel prudenter omnem seditionis præscindit causam, vt assequatur victoriam. Dum diuersæ ad prælium nationes conueniunt, ni eximia dux prudentia, & æquitate reluceat, dilabatur exercitus, & triumphabit aduersarius. Ephraim tribus à Gedeone ad bellum non ascita, inhonesta se indoluit aspergi nota, eaque incanduit iracundia, vt periculosa seditio victoriam turbaret, nisi blandissimis verbis ducis prudentia iracundiam sopiret. *Quid est hoc, quod facere voluisti, vt nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian?* Iud. 8. v. 1. Post ac-

ceptum de hostibus triumphum, durum satis, ac domesticum vrgeret bellum; nam cum Ephraimitæ vt iimbelles, fuisse quererentur despectos, & cæteris alijs postpositos; ni blandis verbis dux furentes deliniret, bellum periculosissimum excitasset, & internis certaminibus disperijissent. *Iurgantes fortiter, & propè vim inferentes.* Occasio ad speciem Ephraimitis discordiæ exhibita, ducis videbatur obscurare prudentiam, & sine dubio si querela esset veritate innixa, conciliasset inuidiâ. Audi Ioseph. lib. 5. Antiquit. *Tribus Ephremi, ex qua erat Gedeon, grauiter ferens, quod cum eo minime dimicasset, exercitum super eum festinabat inducere.* Luctuosa reddebatur victoria, vbi Ephraimitas factiosa contra cæteros armabat querela: Vt nouerint duces, opus esse, omnem tumultus occasionem præcidere, & omnem dissidiorum causam prouidenter auertere.

§. VI.

Victoria non tam reportatur militum numero, quàm alacritate & animo.

SÆpè, quâ sibi duces placent, indigesta militum congeries ducenti metuenda est; nam immodica nec durare possunt, nec regi. Electi milites, etsi numero pauci, si animo plures, & bellica peritia excellentes, contra immetatam aduersariorum copiam audebunt, & abigent, aut deuincunt. Non sine rubore, serâque pœnitentia agnouit Xerxes, aliud esse exercitum, aliud copiosum militum numerum. Trecenti milites ferè immensæ militum multitudini restiterunt, & fatigarunt. Audi Senec. lib. 6. de Benefic. cap. 31. *Trecenti stare inesserunt: stratusque per totam passim Graciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret.* Non est, quod quis exercitum suum sustinere non posse existimet, quia numerus eius duci quoque ignotus est; imò vereri debuisset, ne ex ipsa magnitudine exoriatur pernicies, dum tanta moles nec instrui potest, nec regi. Achitophel triumphum sibi promittit, si ex duodecim pugnatorum millibus constantem exercitum duxerit, & Dauidis viribus opposuerit. *Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.* Quærunt Interpretes: Cur noluerit copiosorem ducere exercitum, quando desiderabat ardentè triumphum? Absalom erat ferè immensus populus; ergo cum expeditum esset, plures adlegere, videbatur Achitophel aduersari prudentiæ, dum vult pugnatorum numerum angustare. Imò (inquit Abul. q. 1.) prudentissimè decreuit strenuis militibus adornare exercitum, nec immetatum ducere numerum. Vt qui nouerat, aliud esse turbam copiosam ducere, exercitum aliud sortiri. Abulensem audi: *Cum Absalom erat multus populus, qui venerat cum eo de Hebron, & fuerat ibi in coronatione eius, & de illis volebat eligere Achitophel duodecim millia virorum, vt ipse iret ad persequendum Dauid: voluit autem eligere, scilicet vt acciperet de viris fortibus, & animosis.* Milites coacti, conductitijque facillè terga vertunt, & exercitum fuga confundunt: ergo Achitophel militiæ non ignarus, maluit ducere mediocre exercitum, strenuis militibus constantem, quàm indisciplinatum turbam, & trepidam copiam. Abraham contra ferè innumeros hostes, spolijs onustus, & victoria accepta superbos, in campum profiluit, & victores detriumphauit. *Diuisis socijs, irruit super eos nocte, percussitque eos.* Gen.

Gen. 14.
v. 5.

Gen. 14. v. 15. Si inquiras: Quomodo Abraham decantandū adeo sæculis triumphum tulerit, & exultantem hostem subegerit: Respondet Textus elegisse milites prorsus expeditos, & fortitudine strenuos. *Numeravit expeditos vernaculos trecentos decē & octo.* Non tulerunt ad castra pellices; quarum blanditijs enervarentur, non duxerunt impedimenta, quibus retardarentur, imò ab omnibus tricis expediti inierunt prælium, & idè reportauerunt facilè triumphum. Notauit Oleaster hinc ad Lit *Sensus est quod abstulit à suis ea, quæ impedimento esse poterant ad committendum prælium.* Numero pauci, fortitudine eximij, & ab omni molitie alieni, hostes abegerunt, & facilè detriumpharunt: confusa militum turba est impedimento; exercitus strenuis militibus constructus deseruit triumpho.

§. VII.

*Satagendum est, ne hostes se quiuerint communi-
re, & locorum arduitate defendere.*

Qui de aduersarijs cupit reportare trophæum, omne satagat impedire subsidium, nam si permittatur valida munitione defendi, laboriosè poterit expugnari. Animus pronus est in audaciam, dum pro se habet loci tutelam. *Quale est, rogo, gaudium (aiebat Cassiod. i. Var. 17.) in laribus proprijs esse, cum durissimas mansiones hostis cogitur sustinere? Ille imbribus pateat, vos tecta defendant: illum inedia consumat, vos copia prouisa reficiat; sic vobis turissimè confirmis, hostis vester ante euentum certaminis facta patietur perditoris.* strenui Duces vt suos munitis substructionibus defendunt, sic aduersarios communiti non sinunt. Ante prælium tradit manus, quem inopia vexat, quem temporum iniuria fatigat, quem castrorum locus non adiuuat. Ob id Achitophel properandū fore asserbat, ne Dauid posset locorum asperitate muniti, aut subsidium sibi ad certamina comparare. *Consurgens persequar Dauid hac nocte.* Et cur hac nocte? Quia irruens, inquit, super itinere lassum, & nullis munitionibus tectum, facilè vincam, aut in fugam indecoram compellam. *Celerem persecutionem.* (inquit Caietan.) *prudenter elegit, vt ex improviso aggredierentur Dauidem cum suis.* Consulit accelerandum certamen, ne Dauid tempus haberet se ad tuta recipiendi, & locorum auxilio repugnandi: milites nec ad repugnandum dispositos, inquit Achitophel, nec opportuno loco communitos facilè est vincere, si tamen vires collegerint, & densato vallo obarmarint, arduum erit triumphum reportare; nam plurimum ad victoriam conducit occasionem rapere, & commoda aduersarijs subcidere. Miraculo, eoque ingenti opus fuit, vt Israël iugum non subiret, cum Pharao expeditionem accelerauit. *Nuntiatum est Regi Aegyptiorum quod fugisset populus, immutatūque est cor Pharaonis &c. Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum.* Exod. 14. v. 5. Profectò Pharao votis suis aduersari videtur: si cupit fugientes persequi, & ad antiquam seruitutem reducere, cur copiosorem manum non armat, sed celeriter currum iungit? O militarem prudentiam! Satius esse duxit, tempus se communiendi hostibus non concedere, quàm currus plures coniungere; ergo, ne Hebræus posset itineris lassitudinem reparare, aut tuta loca conscendere, citissimè in

campum profiluit: nec eum sua fefellit opinio; nam Israëlita iam se deplorabant deuictos, & durioribus catenis oppressos. *Viderunt Aegyptios post se, & timuerunt valde.* Non poterant repugnare, nullis circumuallationibus tecti, nullis præsidijs muniti; & quidem ni miraculosè scinderetur mare, Israëlita periret, & Aegyptius facilè detriumpharet. Notauit Zæno Var. ser. 3. de Exod. *Præsentario exitum moris expauit: hinc enim persequentium Aegyptiorum infestis macronibus premebatur: inde maris undis magno clausis obite premebatur.* Etenim illi nulla inerant naues, nulla tranfretandi præsidia, cum subito diuina prouidentia scinditur mare. Ni mare retrò inuiso miraculo scinderetur, Iudæus ingemisceret detriumphatus, & Pharao, dum nullum concedit tempus ad disponenda præsidia, vinceret spolijs copiosus. Tantum iuuat opportuna, prudensque celeritas, adè nocet ignaua tarditas.

§. VIII.

Magnates, dum ceteri solitant somno indulgere, inueniuntur bellum contra virtutem instruere.

Alius priuatorum, alius Magnatum temporis vsus: Priuati sequuntur naturam; Proceres affectant naturæ inferre violentiam. *Talis horum (aiebat Sen. epist. 122.) contraria omnibus non regio, sed vita est.* De Antipodis cecinit Virgilius, densis perfundi tenebris, cum lux nos exhilarat recentibus radijs. Ipsum audi:

*Nosque vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina vesper.*

Antipoda lumina accendit, cum nobis lux candet: sed noueris etiam nostra in curia Antipodas esse. Illis noster dies, nox est: vigilias ducunt dum ceteri laborem somno reficiunt. Omnia vitia ordinem naturæ deferunt, & laudabilem consuetudinem euertere cupiunt; noueris hoc esse delicatæ, & luxuriosæ vitæ propositum, gaudere peruersis, imò non solum inuerso ordine gaudere, sed econtrà prorsus stare. Cum aurora micat, est illis cœnandi tempus, cum sol ardet, inertis somno merguntur oculi; & ferendum esset, si solum temporum ordo demutaretur inuersus, verum vitijs seruit etiam dicatus. Nocte insidiæ tenduntur pudicitia, noctū iaciuntur tali, noctū instruuntur conuiuia, & contra virtutem bella. Vbi Achitophel ambiuit primatum: *Eligam mihi duodecim millia virorum:* contra Dauidem, hoc est Christum, disposuit in nocte prælium: *Et consurgens persequar Dauid hac nocte.* Quid ais, Achitophel? Nox dicatur somno, non prælio: recreandis otio viribus seruit, non parandis certaminibus apta est: cur ergo ordinem inuertis, & nocte bella contra Dauidem disponis? *Et consurgens persequar Dauid hac nocte:* vtilius lecto iaceres, quàm surgeres, sed nocte surgis, quia Altorum, & Magnatum ordinem tenes. Audi Caiet. *Tempus nocturnum ad exequendum celerem persecutionem elegit.* Nocturnum tempus ad virtutes expugnandas elegit, & Magnatum mores factis adumbravit. Disertè datus iam Seneca: *Causa est ita viuendi quibusdam, non quia aliquid existiment noctem ipsam habere incundius, sed quia nihil iuuat obuium, & gravis male conscientia lux est.* Fugiant lucem,

Exod. 14.
v. 5.

vt liberius exerceant prauitatem, temporum inuertunt ordinem, vt ostentauerint magnitudinem. Quidam villam emit, & nummis in dominantium numerum se intrufit, & illicò affectauit, Magnatum more viuere; stylumque verte-
 re. Ipsum audi: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Luc. 14. v. 18. Nox auferebat visum, erat enim cœnæ tempus, & primus, vt videret, tendebat in agrum. *Necesse habeo exire, & videre illam.* Et quis tibi hanc necessitatem imposuit? Quis ad offusis tenebris exeundum adegit? Ipsa Magnatum consuetudo (respondet) nam cum iam, villa empta, sim dominus, opus est noctem in diem verte- & ordinem temporum demutare. Ad rem Augustinus in Cat. *In villa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur vitium primum; primus enim homo dominari voluit.* Villæ emptor dominari voluit, & inter dominantes cenferi: ergo noctu ad videndum decreuit exire. Magnates ferarum videntur ingenium imitari; nam feræ noctu profiliunt, diù dormiunt. *Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertransibunt omnes bestia syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & querant à Deo escam. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum.* Psal. 103. v. 20. Hominis labores vesper finit, aurora discutere otium suadet; ast Proceres confundunt naturæ ordinem, stylum inuertunt diuites. Audi, quid ad cœnam vocatus diues respondeat: *Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa.* Cum ab opere cessandum esset, opus inchoat, & cum boues debuissent stabula repetere, cogebantur arare, sulcòsque aperire. *Non ait* (verba sunt datæ iam Hug.) *quinque iuga bouum emi, eo pascere illa, sed eo probare illa.* Plures famulis, seruulisque non curant stipendium præbere, & cogunt die, nocteque laborare: non pascuntur, & fatigantur: Et vide, quo tempore verset terram, cum lex scilicet ab opere cessationem præcipiat. *Exhibet homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum.* Ergo à rationali descuerat, qui opus, vespere incumbente, inchoabat. Quàm erant boues miseri, & quàm asperis casibus, & infortunij probabantur obnoxij! Si stabulo quiescerent, asperos casus vitarent; ast dum catuli leonum per offusas noctium tenebras ex antris profiliunt, & prædam quærunt, nocturni boues fiunt famis præda, & inopina cadunt ruina. O quot homines, dum nocte deambulant, in audaces, & insolentes incidunt, & sæpè pereunt! Achitophel nocte proponit consurgere, Dauidemque impetere: *Consurgens persequar Dauid hac nocte.*

TEXTVS.

VERS. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est) & solutis manibus, percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.

§. IX.

Dæmon Christum deserentes non solet affligere, sed lactare.

Qui legem adimplere proposuit, & virtutis vexilla sequi, opus habet patientiâ obar-

mari, & continuis aduersarij adfultibus contraire: cum stantibus pagnatur; qui hosti cessit, relictus est. *Amplianda, adimplendaque legi* (aiebat Tertul. de Pat. cap. 6.) *adiuricem suam patientiam præfecit.* Cum lege patientiam coniunxi; nam qui legi, virtutique decreuit obtemperare, necesse habet plures adfultus nequissimi sustinere: quos à ratione, æquitatèque defecisse cognouit, non oppugnat, sed lactat. Achitophel, si in campum procedat, sibi promittit Regem à suis derelinquendum, & facillimè debellandum. *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.* Et cur Achitophel fugientes non persequatur, & solùm Regem expugnare conetur? Quia fugientes iam illius erant: ergo contra illos opus non erat certamen inire, imò bonis tractationibus confirmare. Innuit Caiet. *Tertius effectus describitur, occisio solius Regis Davidis, & quartus demum reductio vniuersi populi ad Absalom Regem.* Qui Davidis desertabant signa, facillè ad Ablalonis transierunt castra: ergo contra hos non oportebat armâ exacuere, imò stipendia præbere. Achitophel fugientem populum non vult persequi, sed allicete; si cum Dauide perfeueraret, contra ipsum etiam durum certamen iniret; ast dum recedit, dum fugit, dum deficit, pugnam non sentit, sed tranquillitate floret. Certè plures vitiorum castra secuti, salute, commodis, tranquillitate fruuntur, qui, si ad virtutis castra se conferant, afflictiuntur. Ecqua huius discriminis causa est? Quia dæmon suos non vult vexationibus præmere, sed blandis fallere. Ouem video pastoris ouile deserentem, campis, & montibus oberrantem, quin leonis vngues fuerit passa, aut lupi dentes experta. *Vadit ad illam, que perierat. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. v. 4. Inuenit erroribus dilassatam, inue-
 nit morbidam, non tamen leoninis vnguibus vulneratam. Transi ad oues Dauidem sequentes, videbisque ab vrsis infestari, à leonibus premi. *Pascebat seruus tuus* (inquit) *parris tui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis.* 1. Reg. 17. v. 34. Expeditius videbatur in
 erroneam ouem dentes acuere, vngues euaginare,
 & tamen nec leo, nec vrsus ab ouili recedentem vrget, & ouili manentem premit. Ecqua huius discriminis causa est? Quia dæmon in leone, vrsoque adumbratus, in Christi ouile deserentes non desauit, in pastorem sequentes furit: quæ Davidis, hoc est Christi vocem audit ouis, leonis experitur sæuitiam, sentit truculentiam; erronea ouis non patitur externos adfultus, non sustinet morsus. *Veniebat leo, diabolus* (inquit Glossa Interlin.) *Diabolus non decertat cum subiugatis, vitisque infectis, contra virtutibus furit expolitos: contra Dauidi adhærentes stomachatur, deserentibus blanditur.* Ouis, dum errat, externas non sentit plagas, dum Dauidem sequitur, leonis experitur insidias. Ex Hebræis nonnulli à Saülis castris deficientes, Iordanem traiecerunt, & alij ad eas sunt angustias redacti, vt ad speluncas confugerint, & obscuris se antris abdiderint. *Philistim congregati sunt ad præliandum contra Israël, &c. quod cum vidissent viri Israël se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis. Hebræi autem transierunt Iordanem.* 1. Reg. 13. v. 5. Si inquiras: Cur Hebræi, qui Iordanem traiecerunt, ad latibula non fugerint, nec abscondere se curarint? Respondebunt Interpretes,

pretes, longius præ alijs à Saùle recessisse, & ad Philistinorum castra remeasse: ergo eos Philistini nõ oppræsserunt, imò placido aspectu receperunt; alios verò sic urgebant, vt nec viuere, nec respirare permitterent: hisque opus fuit antra incolere, & latebrarum profugia quærere. Prodest Rabban. apud Glossam: *Qui Hebraei vocantur, timore perterriti defecerunt à Saül, & viris, qui cum eo erant, & descenderunt in castra Philistinorum.* Philistæus à Saùle deficientes non premit rigidus, imò ad signa sua conuolantes prolecat: quia à Deo electum Regem secuti, durissimis laboribus ingemuerunt vexati. Vt hac in imagine noueris, Deo adhærentes à Dæmone sæpissimè affligi; recedentes verò non adurgeri. En Achitophel Dauidam relinquentes non infectatur, sed suis adiungere castris admittitur.

§. X.

Quibus peccator inficitur, eisdem cæteros moribus denigrari arbitraur.

Peccator cæteros sibi similes censet, aut errore falsus, aut conscientia suæ blanditus. Quibus ipse inficitur, denigratos alios moribus arbitratur, quia quærît de pluralitate solatium, de similitudine admissi criminis leuamentum. *Inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas* (aiebat Paul. ad Rom. 2. v. 1.) *in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas.* Et cur seipsum condemnet, qui alterum aut cupiditati addictum, aut ira incensum, aut libidine existimat sordidatum? Quia ni conscientiam eis moribus, inquit Paulus, experiretur denigratam, alienam temerariè similibus non censeret infectam. Rationem Pauli attende: *Eadem enim agis, quæ iudicas.* Ac si dicat: Ni tu proximo adscriptis culpis sordesceres, ei nullatenus applicares, sed rubiginem tuam illi affricas, & de tua conscientiam damnas alienam. Eo crimine, de quo temerè alios accusas, denigrari te manifestas. Prodest Ansel. hîc. *Inexcusabilis es, quia tu ipse testis es damnationis tuæ.* Verum dixit; nam nisi peccator eadem non perpetraret, temerariam de altero sententiam non ferret. Achitophel censet omnes Dauidis familiares, domesticosque à fide citò recessuros, & inter Absalonis milites numerandos: *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.* Et vnde illi venit in mentem, fidelissimos Dauidis seruos, & comites indecora fuga dehonestandos, & à fide defecturos? Ex propria certe conscientia; nam Achitophel inter consiliarios, & Dauidis domesticos olim ascitus, eum deseruit, & ad Absalonis partes transiuit. *Accersit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid.* Supra 15. v. 12. A fide defecerat, & Dauidem deserat; ergo credidit, cæteros eisdem moribus denigratos, infidelitæque obscuros. Prodest Abul. q. 2. *Putabat Achitophel derelinquendum à suis.* Regem iam credebatur desolatam, & à suis prorsus derelictum; nam cum ipse eo crimine teneretur, cæteros inficiendos simili arbitrabatur. Pistor ille Pharaonis hanc veritatem somnians expressit: videbat per somnium ex Pharaonis cibis quid aues discerpere, & rapinis inhiare. *Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farina haberem, super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui sunt ante pistoria, auesque comedere ex eo.* Gen. 40. v. 16. Aues de rapacitate sugillat, reuera aues non defœdabantur rapina; *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

sed pistor somniabat, hac infici nota, & culpa. Quod si inquiras huius somnij fundamentum: Respondebit Philo lib. de Ioseph, ipsum rapinæ reum; vt declarauit illatum ipsi supplicium: ergo somniabat cæteros eadem obscuros offensa. Pistoris munus erat, debitam alijs conseruis dilargiri annonam; ille angustabat, aut differbat: ergo cum ipse esset rapax, aibus rapacitatis culpam applicuit, & rapaces omnes credidit. Philonem audi. *Qui hac in re peccauit, lege rationis suspensus necatur, & quod alijs intulit, ipse patitur; quippe qui esuriens, & ab ipso pendentes diuturna fame cruciatur.* Ab ipso pendentes alimentis fraudabat, & famem pati cogebat; ergo dum ipse rapacitatis crimine sordesceret, rapaces aues esse somniatur. Achitophel etiam, quia ipse fidem violans, ad Absalonis partes transierat, cæteros transituros, & Regem deserturos somniatur: *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.*

§. XI.

Strenuus miles mauult honestè cadere, quàm sibi vituperabili fugâ consulere.

Decet promissam nomine fidem actionibus adimplere, nec inuidiam sibi conquirere: militis vocabulum promittit inuictam constantiam, & in decertando peritiam. Martia bella tractantibus insolitum non est, morum non custodire mensuram; verum confusibile est dedecus, stationem deserere, & turpi fuga honorem nominis denigrare. *Est turpe* (aiebat Eurip. in Aeol.) *cadaver in puluere prostratum, posterius in dorso ietu haste transfixum.* In glorium non est cadere, sed in dorso plagam recipere, nam vulnus eripit vitam, sed vulneris locus inurit notam. Gloriæ militaris auidi satius ducunt; honestè pugnando cadere, quàm fugiendo turpiter viuere. Ea erat Dauidis inuicta fortitudo, vt Achitophel eam non fuerit denigrare ausus, cum cæteris fugæ notam adscribere sit molitus. *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.* Ac si dicat: Dauid fugâ vitæ non consulat, cæteri aufugient. *Percutiam Regem desolatam*: non præsumpsit fugam; dum sibi promittebat victoriam. Ea erat eximia fortitudo, ea Dauidis præstantia, vt inimicus non præsumperit compellere ad fugam, etsi inferre promittat plagam. Itaque nec aduersarius, qui præsumpsit auferre vitam, ausus est impingere fugæ notam. *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam.* Id est: Populum non percutiam, quia fuga sibi consulat, & Principem deseret; Dauidem tamen percutere quibo, quia etsi remanserit desertus, & solus, potius eliget honestam pugnando mortem subire, quàm periculum fugiendo turpiter declinare. *Percutiam Regem desolatam*: statione tamen manentem, & inuicto robore repugnantem. *Iuxta Hebræum habetur* (inquit Caiet.) *Et percutiam Regem solum eum.* Solus manebit, & tamen eliget, honestè cadere, non ingloriè fugere. Innuit etiam Abul. q. 2. *Percutiam Regem desolatam, id est manebit Rex solus.* Etsi solus, tamen in statione manebit, nec cum cæteris fugiet. Discant à Dauid militiæ Principes, copiarum Ducès sibi notam non inferre, sed gloriosam mortem eligere. Iacob morti proximus, cum ad Iudam benedicendum deueniret, aiebat: *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Gen. 49. v. 8. Id est, præ tui timore terga inimici vertent,

Ad Rom.
2. v. 1.

Gen. 40.
v. 16.

Gen. 49.
v. 8.

tent, & celerem fugam, vt consulerent vitæ, arripient. Et adiecit, vt laudem militarem, & consummatam prædiceret, Iudam leonis sortiri ingenium & animum: *Catulus leonis Iuda*. De leone proditur, si imminente periculo vrgeatur, tantisper citato gradu incedere, sed numquam fugere: ergo ait, Iudam initurum numquam fugam, nec obscuram gloriæ suæ illaturum notam: *Catulus leonis Iuda*. Prodest Abulens. hîc: *Catulus leonis Iuda potest referri ad ipsum Iudam, qui inter fratres suos robustior fuit tanquam leo, & constantior*. Fugæ inscius, victoriæ avidus plenam militaris gloriæ laudem est affectus; nam fortis, strenuusque miles non timebit pectus mucronibus obijcere, erubescet tamen plagam inflictam tergoribus reportare. Non veretur Achitophel, cum populo Dauidem fuga euasurum periculum, sed subiturum credit, pugnando casum: *Cum fugerit populus percutiam Regem desolatam*.

TEXTVS.

VER S. 3. Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.

§. XII.

Detestabilis est pax ex delictis orta, & obsequiis indebitis comparata.

Multo labore comparanda est pax, nec seditionibus illicitis perturbanda, cum ex ipsa pullulent honestissima commoda, exoptataque lucra. Omni regno est exambienda tranquillitas, in qua & populi frequentia crescit, & Reipublicæ utilitas viget. Pax est decora disciplinarum mater, mortalis generis nutrix: facultates protendit, mores excolit, controuersias abscindit. Verum vt subærata moneta fallit, & possessores illudit; ita pax, quæ exulcerat conscientiam, monetam imitatur adulteratam. Est quædam pax quæ affert otium, sed cum otio defert delictum; vnde aiebat Propheta: *Pax, pax, & non erat pax*. Jerem. 6. v. 14. Pax erat, sed fucata, quia perturbata trepidabat conscientia. *Semper metuit* (aiebat Cassiod. 11. Var. 7.) *iniusta præsumptio*. *Quid enim acquiri putatur, vbi bona conscientia perditur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse?* Pax innocentiam iactura acquisita, & defectionibus orta, bello deterior est. Achitophel ad Absalonis partes, ait totum Dauidis populum tranfiturum, & tranquilla pace donandum. *Reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace*. Dauidem deserentibus; & ad Absalonis signa inuolantibus pax promittitur. *Omnis populus erit in pace*. Verum nihil adeo, vt pax illa fugiendum, & detestandum, quandoquidem iniustis defectionibus parta, & confusibili fuga acquisita. *Quomodo vnus homo reuerti solet* (inquit Hug.) *id est concorditer, & faciliter*. Ecce quod dixit Caiphas. Ioan. 21. *expedit vt vnus moriatur homo pro populo: ne tota gens pereat*. Achitophel, & Caiphas de Dauidis, & Christi nece promittebant populo pacem, sed ob necem extremam pertu-

lerunt perniciem. Itaque erat pax nomine mentito, pernicies effectu vero: erat pax cum hominibus, sed cum Numine dissidium, cum conscientia bellum. *Erat pax, & non erat pax*. Moabita studiosè cultæ, ornatuque floridæ, splendentibus fucis illitæ, Israëlitas ad sacrificia vocarunt, & concordia oblata fefellerunt. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua*. Num. 25. v. 1. Iam Moabita non producit armatorum copias, sed pulchras fœminas, iam Israëlita auersatur Martia prælia, & pacifica init consortia. Qui effectus hanc pacem secutus fuerit, Textus non tacuit: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis*. Non solum attulit pax illa mortis perniciem, sed Numinis inflammavit etiam indignationem. *Iratus Dominus*. Non multò post Deus Israëlitas armat in prælia, quia contra eos Madianitæ blanda instruxerunt certamina. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decipere insidijs*. Eni pax illa hostile, & insidiosum fuit bellum; & modò contra Moabitas bellum est pace conducibilius: nec enim omnis pax est exoptanda, sed illa solum, quæ de pura venit conscientia, de morum oritur politura. Innuît Hugo: *Primò allegerunt eos ad amorem suum, deinde captos amore suo traxerunt ad idololatriam*. Idololatræ fruebantur pace, sed pax illa protulit amarissimos fructus, & asperri-mos casus. Exploranda sollicitè est pax; solet namque speciosa tranquillitas fallere, & conscientiam altè lædere. Sub Absalone promittit Achitophel tranquillam pacem: *Omnis populus erit in pace*: sed pax illa erat deterior corporali pernicio.

§. XIII.

Difficiliter populus ad virtutem adducitur, facile sequi prauitatem suadetur.

Temperantia implacabile bellum gerit cum voluptate: castitas in armis vigilat contra operosam, & saluti noxiam libidinem; lautitiæ deliciæque animæ, & corpori euanidum promittunt gaudium, sed amarum afferre solent tormentum. Verum indocta turba plus quam rationi, visui credit, falsò speciosa discipit; à solidis, & honestis recedit. *Voluptas* (aiebat Philo de Mundi Opific.) *prius appellat, pertentatque sensus, per quos id, quod principale est, mentem illicet*. Facillimè sensus ad voluptatem trahuntur, eius veneficijs veluti incantati, & delusi. Gaudet oculus colorum pulchritudine, auditus concentus suauitate, gustus saporum dulcedine: voluptatum suadellam facilè homines amplectuntur, nec reluctari conantur. Virtus, quia austerior, patitur frequenter repulsam: nec eius persuasio fortitur apud populum efficaciam. Huius discriminis non ignarus Achitophel, populum à Dauide fugientem facillimè testatur adducendum ad Absalonem: *Reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet*. Duo sibi promisit Achitophel: Dauidem populum non facilè retenturum: *Cum fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam Regem desolatam*: & ad Absalonis seruitutem facillimè reducendum: *Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet*. Æquitas, iustitiæque persuadebant à Dauide cœlesti Oraculo electo non discedere, & ad Absalonem iniqua coniuratione

coniuratione intrusum non conuenire; & tamen Achitophel testatur cum Dauide populum non mansurum, & ad Absalonis sequenda signa facillimè reducendum: nec mirum, cum Dauid Christi figuram gesserit, & Absalom, qui interpretatur pax, noxiam pacem, & voluptatum occasionem promiserit. Prodest Abul. q. 2. *Sic reducam ad te omnem populum, sicut reducitur vnus homo, scilicet facilliter.* Ad sequendum Absalonem incestuosum, voluptatibusque addictum Rethoricà non est opus, ad Dauidem comitandum nec valet Rethorica, nec suadella. A se fabricatum hominem Deus in paradysum infert, culturamque præcipit. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. v. 15. Non leges Adamum manum operi admouisse, suadentique obtemperasse: transi ad serpentem, videbisque facillè suasisse fœminæ ad plantam pulcherrimam oculos expandere, ante experientiam eius suauitatem demirari, & ad saporatum fructum manum extendere: *Nequaquam morte moriemini.* Gen. 3. v. 4. Quid tunc? *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro.* Expende, quàm facile Adamus mulieri obtemperauit, quàm facile mulier serpenti obedierit: statim ac serpens abesse mortis periculum dixit, dexteram mulier extendit: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Culturam honestissimam Deus suaserat: *Vt operaretur, & custodiret illum:* & tamen Adam indulsisse legitur somno, & expresse non legitur paruissè præcepto; vt ab exordio innotesceret, quàm facile homines trahantur ad voluptatem, quàm ægrè ad virtutem. Audi Phil. de Mundi opific. *Sunt huius cupiditatis sequestri sensus, quos postquam inescarit, facillè mentem subiungat.* Facillè mens ad delicias trahitur, honestatem sequi renititur. Adamus manum non extendit ad salubrem paradisi culturam, extendit Eva ad noxiam fallaciam, & serpentis blandissimas voces excepit, ad Numinis verò voces obsurdit. Prodest Philo lib. nuper dato: *Voluptas suas prestigias, ac fraudes viro non audent admoliri, sed fœminæ; & per hanc illi, idque admodum appositè, & efficaciter.* Serpens suavitati mulieri, mulier homini, idque satis efficaciter: Deus culturam iussit, sed Adamus obdormiuit. Ionas à Deo in Niniuem delegatus, difficillè persuadetur, & contrariam arripere viam conatur: *Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis.* Ion. 1. v. 3. Propheta alius à veteroso sene ad mensam inuitatur, & persuadetur: *Fefellit eum, & reduxit secum.* 1. Reg. 13. v. 19. Inquires: Cur Ionas nec horrifono tempestatis strepitu, nec imminente naufragio persuasus fuerit demutare sententiam, cum Propheta alius senis oratione inuitatus, deflexerit viam? Sed quæstioni ipsa materia responderet: Senex blandam persuadebat fallaciam, Deus ad virtutem vocabat eximiam: cumque de morte homines deteriora sequantur, Ionas fugit, & Propheta mensam ambiuit. Audi Tertul. ad Psych. cap. 16. *Prohibuit à Deo fuerat illum cibum in totum attingere, sed ab alio modo sene mentito prophetiam, temerè pastus.* Veteroso vocanti ad mensam, vir Dei non restitit; Ionas Numini præcipienti non paruit.

TEXTVS.

VERS. 4. & 5. Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël. Ait autem Absalom: Vocate Chu-

saï Arachitem, & audiamus quid etiam ipse dicat.

§. XIV.

Quidquid Principi placet sepe probatur, etsi æquitas aduersetur.

Faure populi frequenter celebratur, quidquid a regia voluntate promanasse dignoscitur. Vt itrenuè in stadio decertantes corona adstantium plausibus prouocat, sic Principem, etiam contra æquitatem certantem purpuratorum numerosa turba dilaudat. Boni Senatoris, boni ciuis partes se putat egisse, qui Principis sententiæ suffragium addere, aut laudibus studuit extollere. *Si fauore vestro dignus est* (aiebat Cassiod. 8. Var. 22. *qui vel semel regale potuit impetrare iudicium, quid P. C. vir magnificus merebitur Cyprianus?* Cyprianus sæpè sæpius meruerat regale iudicium: ergo C. P. pendebant plausum, quasi nulla discussione egeret, quod Princeps ipse probaret: & quidem id est adulandi studium, vt, si Principi consilium placeat, pietati, æquitateque aperte contrarium ab adulatoribus, magnis laudibus celebretur. Pallans libertus Principis beneuolentiam sibi, nescias quibus artibus, conciliarat; ad eumque miserandum statum ambitio summates deiecerat, & crescendi libido sic dementarat, vt per suum, aut per publicum dedecus Pallantem extollerent, & summis dignum honoribus pronuntiarent. Audi Plin. 8. epist. 6. *Pallantis nomine Senatus gratias agit Casari, quod & ipse cum summo honore mentionem eius prosecutus esset, & senatui facultatem fecisset testandi erga eum beneuolentiam suam.* Nihil à ratione, æquitateque remotius, quàm in beneficijs numerare, occasionem inseruendi Pallanti, cum nihil fœdius, nihil Senatore fuisset indignius; ea tamen erat illius sæculi seruilis ambitio, vt per dedecus suum niteretur crescere, & indignis processibus ampliari. Placebat Principi, Pallantem euehi, ergo Senatores plaudendo obmurmurabant, & obmurmurando plaudabant. Achitophel consilium protulerat naturæ aduersum, pietati contrarium, & protus homine indignum. Erat enim patrem à filio quæri, & armorum violentia non solum à dignitatis culmine deturbari, sed vulneribus inflicis occidi. Consilium hoc prætextatis, & Israël senioribus placuit, quasi nihil rationi conformius, aut laude dignius. *Placuit sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël.* Quis sermo? *Iruens super eum* (quippe qui lassus est, & solutis manibus) *percutiam eum.* Instructo exercitu, parentem expugnare, & coronam, vitamque auferre erat sermo ab Achitophel prolatus: hic sermo senioribus placuit, quia placuit Absaloni. *Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël.* Quàm erat miser status Reipublicæ! vbi natu maiorum fides sic erat ad seruuile obsequium addicta, vt, quod Principi arridebat, celebraret, siue rationi consonum, siue dissonum. Prodest Abul. q. 2. *Multi de senioribus congregati cum Absalom tractabant negotia eius, qui audita sententiâ Achitophel, laudauerunt eam.* Sententiâ Absaloni placuit: *Placuit sermo eius Absalom:* ergo è senioribus nulli displicuit: *Et cunctis maioribus natu Israël:* quia pro lege illis erat, quidquid Principi gratum, etsi rationi probaretur aduersum. Sacerdotum, Pharisaorumque Proceres, quos inuidia, ambitioque adunarat, concili-

Ioan. II.
v. 47.

hium colligunt, vt quid sit faciendum, prouideant, & quod verebatur, periculum anteuertant: plures numero, & vnus animo ambiguus cogitationibus hærebant suspensi, nec quid e re vtilius definiebant ambigui. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Ioan. II. v. 47. Inuidia eos impellebat, sed Christi Domini miranda sanctitas retardabat. Quid tunc? Caïphas morti addixit, & nullus dissensit, aut contraiuit. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt inficerent eum* Inquires: Cur ab illo die mors decreta, & cur ante Caïphæ placitum nullatenus definita? Sed quæstionis solutio facilis: Erat Caïphas summus Pontifex, sacerdotum Princeps: *Pontifex anni illius*: ergo vbi agnouerunt placere Principi, hominem miraculis coruscantem ad mortem damnari, nullus ausus est contraire: & licet ad decernendam mortem nec ambitionis insania, nec inuidiæ amentia maiores traxisset, satis fuit Principis placitum, vt eam definirent, & consilium Principis celebrarent. Innuit Origen. in Cat. *Quasi dicat: Vos federis, & adhuc sepius rem attenditis, sed attendatis vnus hominis salutem pro communi Republica oportere contemnere.* Adstipulatur Chrysoft. *Sententiam firmauerunt.* Quam Princeps protulit, omnes confirmare sententiam, etsi aperte nouerint æquitati contrariam, quia illis erat pro iure Principis voluntas, quin attenderetur æquitas: *Firmauerunt sententiam.* Placendi Principi libido, crescenti ambitiosa fitis subscripsit, & sententiam iniquissimam approbavit.

§. XV.

Citò annuitur consulenti illecebrosa, tardius consulenti salubria.

Voluptas præstigiatrix est, licet mens appetitui resistat: hac in lucta sic pro sensibus dat suffragium, vt finiatur citò diffidium. Si consilium sensibus arrideat, vltro arripitur, si contraherit, differtur. *Ex Lacone cum esset quæsitum* (Scribit Plutarc. lib. Tradi doctrin.) *quid regendis pueris præstaret: Recta, inquit, vt incunda sint pueris, efficitur.* Prudenter respondit; nam recta, ni incunda fuerint, ægtè suadentur: iacunda, etsi recta non fuerint, sine difficultate admittuntur. Achitophel duplex consilium dedit, quorum vnum statim executioni mandatum, de altero diceptatum est. *Dixit Absalom ad Achitophel: Inire consilium, quid agere debeamus. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui.* Supra 16. v. 20. Absalom statim paruit, & consilium executioni mandatum est: *Ingressus est ad concubinas patris sui.* Aliud Achitophel consilium præstitit, scilicet: *Eligam mihi duodecim millia virorum*: sed Absalom nullatenus executioni mandauit, imò, quid Chusai censeret, quæsiuit: *Vocare Chusai Arachitem, & audiamus, quid ipse etiam dicat.* Disputandum venit: Cur, audito primo illo consilio, Chusai non vocarit? & cur, hoc secundo audito, asciuerit? Si modò, quid consiliatius alter sentiat, cupit audire, cur prius noluit, quid sentiret, interrogare? *Queritur* (inquit Abul. q. 5.) *quare nunc dixit Absalom, quod vocaretur Chusai, & ad consilium primum de ingrediendo ad concubinas Dauid, non vocauit eum?* Quæstioni respondet: *Aliquis dicet, quòd hoc fuit, quia Achitophel indicauit ea, quæ erant delectabilia Absalom, ideo noluit habere alium consiliarium ea vice, ne*

fortè contrarium sentiret. Primum illud consilium erat voluptati consonum, & ideo citissime arreptum, nec, quid Chusai diceret, expectatum: modò Achitophel consilium erat salubre, & tempori accommodatum: *Consilium Achitophel vtile.* Infra, v. 14. ergo non solum dilatum, sed fuit etiam in controuersiam adductum. Itaque quod voluptati deseruiebat, sine dilatione est arreptum; quod expediebat salutem, aut dilatum, aut neglectum. Sæpè namque vtilia consulenti fides non præstatur, & consulenti deliciofa fides habetur. Humilis ad Roboam defertur populi supplicatio: qui noluit sine consilio rem definire, sed mature decreuit considerare. *Inijt consilium Rex Roboam cum senioribus.* 3. Reg. 12. v. 6. Senes salubre dederunt consilium: *Si hodie obedieris populo huic, & serueris, & v. 6. petitioni eorum cesseris, loquutusque fueris ad eos verba lenis, seruum tibi serui cunctis diebus.* An senum consilium amplectendum, in dubium vocauit, & adulescentes consuluit: *Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium?* Iuuenes consuluerunt Principi grata, sed noxia: *Sic loqueris populo huic, & c.* Roboam, qui senum examinauit consilium satis maturum, iuuenum amplexus est placitum: *Respondit Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, & loquutus est eis secundum consilium iuuenum.* Si post consilium iuuenum alios non consuluit, sed fidem eis citissime præbuit, cur de consilio senum dubitauit? Quia senes (inquit Lira) vtilissimum dedere consilium; & vtilia consulenti fides sæpè non præstatur; consulenti noxia assentitur. *Reputabat se valentiorum patre suo; & ideo durum erat ei aliquid remittere.* Senum sententia erat saluberrima, sed eius superbiæ dura, iuuenum consilium satis erat perniciosum, sed eius præsumptioni adaptatum: ergo post senum consilium consiliarios alios asciuit; post iuuenum consilium nullum alium interrogauit. Vt noueris consulenti grata fidem citò adhiberi, & consulentis vtilia sententiam sæpissimè differri, aut in quæstionem adduci.

§. XVI.

Periculosa politices est inexploratum ad secretiora admittere, & probatis suffragio temporis, antepone.

Princes ad celsa prudenter euehit in minoribus approbatum; nam qui certo processit vestigio, dignus est, ampliori honorari præmio. Omnia deliberata robusta sunt; & bonis actibus processurus creditur, qui suffragio temporis approbatur. *Nec inexplorati suspicionem refugit* (aiebat Cassiodor. 7. Var. 13.) *quod repente prouenerit.* Absalom Dauidis amicum Chusai, quid ad eius partes non sine infidelis nota se præter opinionem contulerat, ad secretiora vocauit consilia: *Vocate Chusai Arachitem, & audiamus, quid etiam ipse dicat.* Quod vt vidit Achitophel, cuius consilium habebatur diuinum, exasperatus discessit, & Absalom imprudentiæ non modicas pœnas luit, suæque strage meliorem politicem futuros edocuit: Nam Chusai speciosis eloquentiæ coloribus Achitophelis improbauit sententiam, & Absaloni conciliauit ruinam. Prodest Chrysoft. apud Gloss. *Tyrannus facit Chusai consilij participem, quod non erat humane rationi consentaneum, vt eum, qui recenter venerat, tanto honore afficeret, & fide dignum existimaret. Sed quando Deus est ductor,*

ductor, etiam quae sunt difficilia, euadunt facilia. Siue Absalom expectaret rationem siue attenderet politicam, consentaneum non erat, consilium Achitophel tot experientijs commendatum, tot titulis expectandum reijcere, nec ad tractanda secretiora recens transfugam aduocare; verum ut Davidis precum resplenderet energia, & proditores clarius dignosceretur amentia, participem secretorum fecit transfugam, suspitionibus obnoxium, & Achitophel consilium postposuit tantis titulis commendatum: ergo dum inexploratus admittitur, & diu probatus postponitur, calamitas imprudentissimum promit, & populum vrget. Qui caeleste consilium suscipit, abundantiam rerum copia perfruitur. & expulso timore, amabili tranquillitate lætatur. *Qui me audierit, subsque terrore requiescet, & abundantiam perfruetur, timore malorum sublato.* Prouer. i. v. 33. Cum Salomonis consilia sapientiae plena probarentur, non defuerunt, qui consiliarios sibi adhiberent ætate immaturos, ambitionisque feruolos: unde factum est, ut, dum eiusmodi consilia quærunt, sibi ipsis inuideant, & calamitatem afferant. *Comedent igitur fructus viae suae, suisque consilijs saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* Dum consiliarij honore fruuntur, qui ambitiosus, dum adulationis vernula in consilium venit ascitus, in calamitatem vergit prosperitas, & infortunata probatur ipsa felicitas. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et quare? Quia dum prauis consiliarij à rectis, sanisque consilijs auertunt, calamitatem luctuosam adducunt. Non melatet verba illa *Prosperitas stultorum* ad stultos ipsos, prosperitate abusus referri: Verum, cum hinc Salomon agat de sana consilia respuentibus, & noxia, oppansis auribus, auscultantibus: nihil obstat eis verba adaptari, qui consiliarios inexploratos sibi conciliant, quorum dignitas Reipublicae probatur esse calamitas: & illis honor impensus in Principis perniciem vertitur, & armatur. *Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos:* Id est, hi consiliarij sapientia paruuli auertunt à salubribus sanisque consilijs: ergo hæc auersio audientes interficiet, & perdet. Huc voco Hugon. *Prosperitas stultorum perdet eos, de quibus Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* Ac si dicat: Sapientiam meam respuunt, & à se electorum sapientiam ambiunt: & dum hi à vera sapientia consilium quærentes, auertunt, manifestis infortunijs exponunt. Absalom dum utile consilium in quæstionem vocat, & Chusai inexploratum interrogat, à salute auertitur, & calamitati dicatur.

T E X T V S.

VER S. 6. & 7. Cùmque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiusmodi sermonem locutus est Achitophel, facere debemus, an non? Quod das consilium? Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.

§. XVII.

Plures, ut vituperarint laudant, ut denigrarint commendant.

SÆpè laudibus aliquem efferre, est malignitatis sacrificium, & coniectum ad lædendum specioso fuce venenum. A laudatore impacta nota suspitione videtur libera; unde esse solet obscurandi artificium, proferre sumptuosum elogium, manifesta obmurmuratio promanare creditur ab æmulationis ingenio, à detractionis studio: ergo qui altiorem infligere plagam discipiunt, à laudibus inchoant; & dum beneuola lingua creditur, plaga mortifero veneno satiatur. *Quid?* (aiebat Tertul. in Apol. cap. 3.) *Quod ita plerumque clausis oculis odium eius impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius Seius, tantum quod Christianus.* Ut Christianos Ethnici obscurarent, à laudibus incipiebant; & iam depulsa omni æmulationis, odiisque suspitione, honorem, & motes caninis dentibus dilaniabant; ut culpa grauissima, ut ipsi existimabant, infamarent infectos, prius eximijis dotibus commendabant ornatos, ne viderentur, defectum obscurandi libidine prodere, & apertè dentibus remordere, abscondunt laudibus odium, & commiserationis mentiuntur affectum. Ita videtur Chusai processisse; nam rogatus quid de Achitophel consilio sentiret, respondit: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice:* ac si dicat: Consilium Achitophel audis semper auribus excipiendum est; cum nescio quid sapiat diuinum, hac tamen vice à prudentia prorsus deuiavit, nec bene consuluit. Hunc legitimum horum verborum sensum esse, tradit Chrysost. apud Gloss. *Quid Chusi? Numquam errauit Achitophel; nosti viri prudentiam: non reprehendit statim eius sententiam; sed cum laude. Eum enim admiratus, quod opportunum antea consilium dedisset, ita presentem vituperat sententiam. Miror quod nunc errauerit: non enim mihi videtur esse vile consilium.* Consonat. Lira: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice, quasi dicat: Licet sit sapiens homo, & consuetus dare bona consilia, tamen defecit ista vice.* Adnectit: *Hoc autem dixit Chusai, ne videretur contra Achitophel inuidia moueri, & ideo licet de sapientia eum commendauerit generaliter, non tamen in hoc facto.* Achitophelis sapientia habebatur diuina, quam si Chusai infamaret apertè, omnes putarent, fugillationem promanare ab æmulationis ingenio, detractionisque studio: ergo à laudibus cœpit, ut sic melius præstiti consilij imprudentiam sugillaret, suamque sententiam stabiliret. Est enim mos politicis à laudibus exordiri, ut tutius honorem quierint denigrare. Eliphaz hunc est imitatus stylum: à Iob laudibus cœpit, ut abroderet, non laudaret: *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremantia confortasti, nunc autem venit super te plaga, & defecisti.* Iob. 4. v. 3. Ad speciem potius apparet defectum minuere, quam sugillare, ac si dicat: Mirum non est, quod aliquo digneris defectu, cum toties resplenderis virtutum plausu. Erat tamen vera redargutio, publicatioque, quæ videbatur criminis releuatio. Quod si inquiras: Cur ampliauerit antea virtu-

Prouerb. i.
7. 33.

Iob. 4. v. 3.

tum

tum elogium, vt publicaret defectum? Respon-
deo, de malignitatis Rethorica à laudibus fuisse
exorsum, ne quis suspicaretur inuidia, æmula-
tionéve denigratum: faciem assumpsit consolant-
tis, cum reuera gereret linguam mordentis. Gra-
phicè Gregorius lib. 5. Moral. cap. 12. *Pro laceratione virtutum præconia proferuntur... laudanda loquitur, qui ingerere crimen conatur.* Si
crimen apertè obijceret, quin priùs laudaret, for-
sit non haberetur verax, sed linguax: ergo, vt
meliùs laceraret, elogia protulit, quia dum non
putatur linguax, habetur verax. *Laudanda loquitur, qui ingerere crimen conatur.* In ipsis elogijs in-
feruit venenum, vt meliùs perficeret lædendi vo-
tum. Chusai quo meliùs persuadeat reprobandum,
quod modò dedit, celebratissimum, ait, fuisse
semper Achitophelis consilium.

TEXTVS.

VERS. 8. Et rursus intulit Chusai: tu
nosti patrem tuum, & viros, qui cum
eo sunt, esse fortissimos, & amaro ani-
mo, veluti si vrsa, raptis catulis, in saltu
sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est,
nec morabitur cum populo.

§. XVIII.

*Aliqui non minùs, quàm filijs orbari, dolent
dignitatibus interdici.*

AB exordio Angelus celsa ambiuit; & eodem
spiritu inflatus homo, diuinitatis lucere
splendoribus aggressus est: nescias an vitalem an-
teuerterit halitum ambitio, an halitus ambitio-
nem. Alexander gloriæ cupidine exæstuat, & vt
progressus dominandi cessat, expirat. Balthasari
mortem proximam Daniel non prædicat, quia
eius regnum datum iam Persis ostendit. *Datum
est Medijs, & Persis.* Dan. 5. v. 28. quasi otiosum
fuerit prædicere mortem statim subiturum, vbi è
throno prædicebat pellendum. Celebre est illud
Tertulliani dictum (vt Parmelio placet) in Apo-
log. cap. 42. *Non emo capite coronam.* Et quis ca-
pite coronam emat? plures (inquit) dum malunt
vita ipsa carere, quàm dignitatum infulis dispo-
liari. Nescio an quid homini acerbius, quàm à
dignitate deponi, & Reipublicæ administratione
interdici. Altissimus parentibus dolor est, ante se
posteris mittere, & charissimis pignoribus exor-
bari; sed lenior non videtur à dignitatis culmine
excludi. Chusai, vt Dauidis è throno deturbati
dolorem expresserit, vrsa, raptis catulis, desæ-
uienti exæquauit: *Veluti si vrsa, raptis catulis, in
saltu sæuiat.* Fateor amarum Dauidis animum,
dum è throno pellitur; sed aciori vrsa adurge-
tur, si catulus dilectus rapiatur; exiguo tempore
erat Dauid interdicens corona: catulis sine spe
orbata ingemiscit vrsa. Cum grauior sit omnium
filiorum iactura, quàm exiguo temporis spatio
regali carere fascia, vehementiùs vrsa & desæuiet,
& furet. Satis prudenter asseruit Chusai, non diffi-
mitem esse dolorem, amissis catulis, aut infulis,
quia respectu amaritudinis animi minus non erat
à dignitate depelli, quàm pignoribus charissimis
exorbari. Audi Caiet. *Afferitur hæc similitudo quoad
amaritudinem animi.* Grande erat discrimen inter

filium, & thronum; sed frequenter homines non
minùs ingemiscunt, si dignitate priuentur, quàm
si filiorum orbitate premantur. Psaltes de inflig-
genda scelestis durissima multa agens, aiebat:
*Fiant nati eius in interitum: in generatione vna de-
leatur nomen eius.* Psalm. 108. v. 13. Et quasi pec-
catis adæquatum non inflictum fuerit suppli-
cium, adiunxit: *Fiant dies eius pauci, & episcopa-
tum eius accipiat alter.* Ac si dicat: Dies eius pau-
ci fient, si dignitatis infulis denudetur: & licet fi-
liorum interitus acrem excitarit dolorem, non
minorem afferet ablata dignitas anxietatem. *Hic
consequenter ponitur (inquit Lira) culpa debita
pœna.* Vt debita pœna tantæ infligeretur culpæ,
non solùm filijs orbatur, sed à culmine peccator
dignitatis expungitur: *Episcopatum eius accipiat
alter.* Adde: acri aded aliquos ambitionis flamma
aduri, vt filiorum sanguinem despexerint, si dig-
nitatem firmarint. Arcta obsidione pressus, & spe-
bus præualendi fraudatus, Rex Moab non dubita-
uit, vt auerteret periculum, flammis adurere pri-
mogenitum: *Arripiens filium suum primogenitum,
qui regnauit erat pro eo, obtulit holocaustum super
murum.* 4. Reg. 3. v. 27. Audierat Abraham, im-
molato filio, meruisse dignationem cœlestem, er-
go secum ratiocinatus est: ni holocaustum offeram,
regnum amitto, si offeram, coronam conferuo;
ergo emamus filij capite coronam, cum mihi sit
durius, quàm filio, carere regno. Prodest Lira:
*Rex Moab requisit à sapientibus suis, quod esset
meritum, propter quod Deus Israël tanta fecerat pro
illo populo, & faciebat. Et responderunt quòd erat
propter meritum Abrahæ patris ipsorum, qui filium
suum Isaac voluit immolare Deo Israël: quod audiens
Rex Moab, cepit filium suum primogenitum, & im-
molauit eum Deo suo, scilicet soli, quem pro Deo co-
lebat.* Execrabili impetrare voluit piaculo, quod
Abraham obtinuit egregio merito, maluitque
manus primogeniti sanguine polluere, quàm
splendore dignitatis priuari: vt noueris quàm sit
certum, molestius sæpè esse hominibus à dignita-
te deponi, quàm pignoribus charis orbari.

§. XIX.

*Virtutis Proceres nec humanam gloriam, nec
ingloriam attendunt, sed soli Deo
seruire exambunt.*

OVi attendit temporale lucrum, aut commo-
dum, prauus, aut probus ad mercedem erit.
Si plus scelera promittant, sequetur; si reluceat in
virtute commodum, amplexabitur. *Qui amicum
esse cepit (aiebat Senec. epist. 9.) quia expedit, pla-
cebit aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in
illa placet pretium præter ipsam.* Sæpè quæ putatur
virtus, negotiatio est: virtutum castra plures de-
relinquunt, & ad prauitatis transeunt, si maius sibi
promittant præmium, aut commodum. Solida
virtus seipsa contenta est: vnde Paulus perfectio-
nis studiosis formam præbens, aiebat: *Per arma
iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & igno-
bilitatem, per infamiam, & bonam famam.* 2. Co-
rinth. 6. v. 7. Ac si dicat: Virtutis signa sequen-
tem nec ab statione deiiciet infamia, nec persiste-
re in statione inutilis suadebit gloria, quia solum
curat munus adimplere, nec alijs nouit affectibus
deseruire. Audi ad hunc locum Anselmum: *Con-
tra prospera, & aduersa virtutum armis semper mu-
niti, nec prosperis eleuemur, nec aduersis perturbe-
mur.*

Psalm. 108:
v. 13.

4. Reg. 3:
v. 27.

Dan. 5.
v. 28.

2. Corinth.
6. v. 7.

mir. Egregium virtutis militem nec blanda demulcent, nec aspera terrent: ex his videtur fuisse Chusai, qui vt Dauidi inferuisset, Achitophel consilium aggressus est improbare: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Abulensis quærit: Quomodo ausus fuerit Chusai Achitophel consilij resistere, cum non solum potuerit eius indignationem vereri, sed etiam à populo impudentiæ nota fugillari: Ipsum audi. q. 6. *Quomodo ausus est Chusai reprobare consilium Achitophel, cum ille haberetur in tanta auctoritate, nam in diebus illis erat consilium eius quasi consilium Dei?* Chusai ora comprimēbat Achitophelis iracundia, & impudentiæ apud populum nota; sed omnia intrepido animo contempsit, & solum inferuere virtuti studuit. Itaque nec gloriam concupiuit, nec ingloriam expauit, sed pro veritate stetit. Redeat Abulensis: *Debit se opponere indubiò ad gloriam, vel ingloriam, vt liberaret Dauid à periculo.* Si consilium Chusai reprobaretur, forderet inglorius, si approbaretur, luceret de prudentia celebratus: verum Chusai pro Dauidē stetit, siue subiret infamiam, siue assequeretur gloriam, quia nullum præter virtutem præmium attendebat, aut commodum. Abraham immolare filium iussus, statim paruit, & per ardua montis contendit. *De nocte surgens, stravit asinum suum: ducens secum duos iuvenes, & Isaac filium suum.* Gen. 22. v. 3. Cum olim sciscitatus fuerit de præmio: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Gen. 15. v. 2. & sollicitus de imminente periculo: *Interficiet me.* Gen. 21. v. 12. Quærunť Interpretes: Cur hic nec haberi exhorruerit parricida, nec futura inquisierit præmia? Respondentque antea tantum in virtute non profecisse, & modò omnimoda perfectione radiasse, dum timebat pericula, dum ambiebat præmia: ad perfectionis culmen non deuenerat; & quia modò ad virtutum culmen euectus est, nec infamiam timuit, nec sitiuit gloriam. Zæno. Veron audi ser. 1. *Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur.* Olim sollicitus erat de infamia, aut gloria; verum vbi ad perfectionis culmen euectus est, nec de præmio requisit, nec de periculo cogitauit. Nam virtutum Summates nec humana alliciuntur gloria, nec confusibili deterrentur infamia. Chusai consilium improbat, quin humanam ambierit laudem, aut fuerit veritus irrisionem.

§. XX.

Qui ardua ob virtutem tentat, tentando superat.

Sæpè non audemus ad speciem ardua, sed sunt ardua, quia non audemus: sæpè quæ videntur nobis prærupta, procliuia sunt. Sed sto cliuus superandus sit, ipsa arduitas triumphis militabit, & roboris valentiam prodet. *Vlca* (aiebat Ennod. in Paneg.) *fluuius, est tutela Gepidarum, qua vice aggerum, munit audaces, & in iugorum morem latus pronintia quibusdam muris complectitur nulla ariete frustrandis. Ad hunc te callis tui rigor adduxit, vbi pro legatis, & gratia postulatione, obsidendi, animo gens diu inuicta properauit.* Videbantur Gepidæ nullo quantumuis accerrimo ariete euertendi, nullis armis domandi; Verum vbi Theodericus rem difficultatibus ad speciem plenam aggressus est, Gepidæ ante certamen gratiam postularunt, & ante bellum palmam concesserunt. Negotij arduitas adauxit laudem, & commendauit

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

virtutem. Idem Chusai videtur accidisse; nam cum Achitophel eam apud populum prudentiæ opinionem fuisset adeptus, vt omne eius consilium haberetur diuinum. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Supra 16. v. 23. Aggressus est infirmare, imò prorsus consilium eius destruere: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Rem tentauit Chusai satis arduam, & ad speciem eius vires excedentem, & magnis difficultatibus exundantem. Notauit Abul. q. 6. *Quomodo ausus est Chusai reprobare consilium Achitophel, cum ille haberetur in tanta auctoritate; nam in diebus illis erat consilium eius, quasi consilium Dei?* Insaniæ vertendum videbatur Achitophel contraire, & consilium eius reprobare, & tamen dum Chusai cœlesti fauore innixus, rem pro virtute est aggressus, aded facile vicit, vt palmam reportarit, & gloriam. *Melius est consilium Chusai Arachites consilio Achitophel.* Arduum satis ad speciem negotium tentauit, sed tentando vicit. *Quod inducebat eum.* (addit Abul.) *erat confidentia de Dei adiutorio.* Dei ope innixus, rem difficillimam est aggressus: & quod videbatur nullis viribus assequendum, est facillime superatum. Susannam pudoris gloriam procreabilis thori honorem, damnant senes iudiciaria potestate præditi, & grandi apud populum auctoritate decori: ad supplicium ferebatur corpus libidine intactum, & castitatis candore nitidum, cum puer audet, & senum sententiam improbare contendit. *Cum duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.* Dan. 13. v. 45. Ridebis audaciam pueri, si ratione dimetiatis humana: qui enim fieri poterat, vt Iudices in suspicionem venirēt, & quod auctoritas suffulciebat, pueruli clamor euerteteret, & omnem populum Magnatibus adulantem suam in sententiam traheret? & tamen res faciliter peracta est. *Saluatus est sanguis innoxius in illa Die.* Vicit honesta pueri audacia senes, vicit confidentia in Domino Iudices: & quod videbatur impossibile, fuisse ostendit effectus facile. *Stupet populus* (inquit Veron. Zæno serm. de Susanna) *quod à supplicio ad iudicium repetendum reuocaretur addicta. Falsos testes pauor inuadit, tremuit diabolus, quod ipsius commenta nudentur.* Sic diabolus commentum firmarat iudiciali sententia, Magnatum auctoritate, vt nullis viderentur arietibus euertendum, aut machinis labefactandum; vicit tamen honesta pueruli audacia, & diabolus tremuit, senex expauit; sæpè namque diabolus, vt præciderit animos, obstacula obijcit ad speciem nullatenus superanda, & difficultatum munimina, nullis machinis subruenda. Verum, si in Domino confidat, satis est puer ad confusionem diabolo inuehendā, & victotiam reportandam.

§. XXI.

Mala conscientia hominem stupore solet illigare, & veluti fascino labra impedire.

Serpens torpet, nec venena diffundit, si effumigatus, & excantatus in ima sua delitescat, & contractis spirijs oculos fugiat. *Fugiat conspectum vestrum* (aiebat Tertullian. ad Martyr. cap. 1.) *& in ima sua delitescat contractus, & torpens tanquam coluber excantatus, & effumigatus.* Mala conscientia fascino est, quod vires enervat.

& labra silentio signat. Peccatorem quodammodo excantat, & ora eius taciturnitate sigillat: etiam disertus, etiam eloquentia nitidus prauæ conscientia veneno torpet, & stupet, quia omnes corporis sensus retorpescent, quia sanguis gelascit, quia & lingua obmutescit. Achitophel consilium dederat iniquissimum, etsi proditio- ni Absalonis aptum. *Eligam mihi duodecim mil- lia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.* Se miser exponebat periculo, vt Absalom frueretur throno: bis infelix, quia diu, noctu- que vigilabat, vt iniquo Absalom frueretur otio, & denigraretur execrando piaculo. Hoc Achito- phelis consilium Chusai aggreditur improbare: *Non est boni consilium, quod dedit Achitophel.* Quibus Chusai Achitophel consilium improbabat, erant fuitiles, apparentesque rationes. Cumque non so- lum viro sapienti, sed rei militaris nouitiolo fa- cile esset præstitum consilium defendere, & Chu- sai manifestè conuincere: Achitophel tacuit, & obstupuit. *Achitophel* (inquit Abul. q. 6.) *probare posset ratione evidentissima consilium suam optimum fore, & consilium Chusai esse ridiculum, & dolosum: nec solum ipse, sed etiam quilibet alius vir minoris prudentia hoc probaret. Chusai tamen conatus est redarguere illud.* Nouerat Chusai ora iniquitate li- gari, linguam torpere, cumque Achitophel im- pius, & iniquissimus multiplices contra David retendisset insidias, non dubitauit stupore illigan- dum, & prauæ conscientia incantamento vin- ciendum, iuxta illud Psalm. 106. v. 42. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Euthymius legit: *Ob- turabit.* Iniquitas sic labra obturat, vt hæreant, nec pro se excusationem afferant. Achitophel nihil respondit, quia iniquitate veluti excan- tatus, nec inuenit labra, nec pro consi- lio responsa. Quidam ad conuiuium intrauit ad speciem compulsus. *Exi in vias, & sepes, & com- pelle intrare:* Luc. 14. v. 23. Is à Rege interro- gatus, quomodo impudenti audacia sedisset ad men- sam, cum nuptialem non haberet stolam: *Quo- modo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Mar. 22. v. 12. Ita obturbatus est, vt prorsus ob- mutesceret, nec, quæ satis videbatur obuia, ratio- nem redderet. *At ille obmutuit.* Præ manibus erat interroganti respondere, se venisse compulsus, nec, vt nuptialem vestem quæreret, temporis illi concessum spatium, & tamen tacuit, nec ad af- ferendam pro se excusationem linguam inuenit. Profectò quantò facilius erat responsum redde- re, tantò ora comprimere, fuit arcanum: quam fouebat visceribus, culpa loquelam abstulit, & lapidescere fecit. Prodest Hieronymus in Cat. *In tempore illo non erit locus impudentia, nec ne- gandi facultas: cum omnes Angeli, & mundus ipse testes sint peccatorum.* Ad stipulatur ibi August. *Præuarum, atque distortarum voluntatum implicatio vinculum est.* Ipsa prauitas, ipsa cordis iniqui- tas fuit linguæ vinculum, ne inueniret verba, aut redderet arguenti reponna. Videas aliquos à Iu- dice deprehenso, à superioribus redargutos sic obturbari, sic hærese, sic verbis egere, vt ipsa cul- pa veluti vinculis illigentur, & pœnam subire cogantur. En Achitophel à Chusai redargutus hæsit, & tacuit.

Psalm. 106.
v. 42.

Luc. 14.
v. 23.

Mat. 22.
v. 12.

§. XXII.

Acer timor, & ad extremam redactus audaciam armat, & temerarias vires inspirat.

Temperatus timor cohibet animum; intem- peratus, & ad vltimam desperationem reda- ctus, contemnit periculum: & quia acer metus nihil securi permittit, vitam carè vendere per- suadet. Vbi nulla spes, sed paria metuuntur dis- crimina, iuuat fortunam tentare, & per ipsum mortis despectum vitæ consulere. Egregiè Senec. lib. 1. de Clem. cap. 12. *Temperatus timor cohibet animos; assiduus verò, & acer, & extremam admonens in audaciam, iacentes excitat, & omnia experiri suadet. Sic feræ lineis, & pinna conclusas contineas, easdem à tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa, quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* Si feram eques persequatur, arripit fugam; si verò fugere nequeat conclusa, contra incessentem assurgit, & per ipsam mortem vitæ providere curabit. Hanc rationem attulisse vi- detur Chusai, ne Absalom arma in Dauidem mo- ueret, quando Dauidi sola spes erat in repugnan- do, & pericula despiciendo. *Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos; & amaro animo, veluti si vrsa, raptis catulis, in saltu seniat.* Vrsa contra venatorem non insurgit, si tuendi catulos spes sit; si verò timor omnes effugiendi spes præciderit, eliget, despecta morte, sibi con- sulere, imò per ipsa, quæ fugerat; sibi, & catulis providere. Hanc Chusai rationem attulit, vt Absalom non persequeretur fugientem: Pater tuus (inquit) arripuit fugam: si verò ad vlti- mam fuerit necessitatem redactus, vitam suam vi- tæ despectu tuebitur, & veluti vrsa defauiens, prosternere incessentes conabitur. Hoc esse hu- ius rationis pondus tradit N. Sanct. *Ex eo probat, quia tam David, quam qui illi ex ciuibus adhe- serunt; diu sunt in acie versati, & armis tractandis assueti; quare quiduis audebunt: quod si eo fuerint ada- cti, vt de victoria, aut de salute desperent, eo magis esse formidandos.* Monet Chusai non oportere Dauidem ad desperationem adducere; nam des- peratio consulere solet temerariam audaciam, & sæpè temeritas est assecuta victoriam. Profectò Potentes, & Magnates cauere debent, ne sibi subiectos ad vltimam necessitatem adduxerint; nam tunc nihil est, quod non tentet exoculata desperatio, & ultra modum audax formido. Fugit Elias Iezabelis impia minas. *Timuit Elias, & surgens abiit.* 3. Reg. 19. v. 3. Hic idem cum in 3. Reg. 19. v. 3. montis vertice sedens à Quinquagenario vrgere- tur, sic exarsit, vt ardentes ei aculatus flammæ persequentem vstularit, & in fauillas reducerit. *Ascendit ad eum, sedentique in verticem montis ait: Homo Dei, Rex præcepit vt descendas. Quid tunc? Descendat ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Hinc iuuat inquirere: Cur modò pia- tra in Quinquagenarium defauiat, at dentes flam- mæ ei aculatus, & Iezabelem fugiat minis deter- titus? Fugiat Quinquagenarium, si fugit Iezabe- lem; aut vtatur igneis armis contra Iezabelem, si eis vitur contra Quinquagenarium? O ex- pende! A Iezabele territum potuisse fugam arripere; at cum in vertice montis à Quinqua- genario vrgeretur obsessus, quò fugeret, non habebat: ergo vbi nulla euadendi spes, totus igneus decertauit, & vicit. Inuit Abul. q. 16. in. 14.

Reg. *Elias sedebat in vertice montis Carmeli.* In vertice armis strepentibus circumdatus, & militibus obfessus, opus erat aut iaculari flammam, aut amittere vitam: ergo ad nostram eruditionem ira religiosa defœuit, & per ipsam formidinem vitæ consuluit. Audi datum Senecam: *Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. Relinquat oportet, securi aliquid metus, multoque plus spei, quam periculorum, ostendet; alioquin ubi quiescenti paria mentiuntur, incurrere in pericula iuvat, & aliena anima abuti.* Qui nimium vrget periculum sibi asciscit; nam ubi par periculum est quiescenti, & repugnanti, iuvat exerere audaciam, & experiri fortunam.

§. XXIII.

Sæpè qui debuissent virtutem tueri, demonis partes probantur agere.

Vique probatur esse necessaria cautela, quæ rebus omnibus inuenitur accommodata: sæpè namque inde oritur bellum, vnde sperabatur axilium. Et qui consilijs, adhortationeque debuisset promouere virtutem, instigare solet ad prauitatem: virtutis tutor inueniri solet virtutis proditor. *In hoc peruerso sæculo* (aiebat Zæno Veron. ferm. de Susan.) *contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidie.* Veluti in regione hostili degimus circumquaque ceruix flectenda est. *Quis enim ferat* (aiebat Cassiodor. 2. Var. 19.) *in domesticis præsidijs locum fuisse periculis? Et ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxilium?* Defensionis auxilium non semel in periculi transit suffragium, & ni sollicita inuigilant cautela, inopina vrgebunt pericula. Sæpè puellæ à matre pudoris, & castitatis tutela misera promanat ruina: sæpè amicus mores corrumpit; sæpè familiaris periculum extruit. Cum Achitophel contra Dauidem paucis tunc stipatum militibus, dirigendam aciem consuleret, Chusai restitit, & consilium improbavit: *Pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.* Huius rationis vim expendens Lira, ait, alleuuisse Chusai Dauidem non ignorare, milites ad defensionem ascitos insidiosè sæpissimè agere, & suppètijs hostibus ferre: & ob id in acie Dauidem tunc non manerè, sed ignotis in recessibus latitare. Liram audi: *Dicebat Chusai ipsum Dauid de hoc probabiliter timere, vt tradentes eum, haberent gratiam Absalom.* Itaque aiebat Chusai opus esse Dauid contra domesticos cautela; vt qui non ignoraret verti tuitionis arma in discriminis auxilia; & inde oriri salutis periculum, vnde credebatur exoriundum tutamentum. Certè Chusai ratio, si ad mores accommodetur, experientia comprobata inuenitur; nam agere solet causam sceleris, defensus causam virtutis. Aaron veræ religionis delectus tutor, & salutis populi procurator, ubi intercessit autum, vitulum construxit, & adorandum suavit: *Edificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est.* Exod. 32. v. 5. Si Elias virtutis miles Baal aras euertit, si vit Dei erectam vitulo aram subruit, quomodo Aaron sacro oleo vnctus, & ad religionis defensionem electus, vitulo aram constituit, & victimas affertre populo persuadet? Vt noueris esse verum, quod aiebat Cassiodorus, scilicet in domesticis præsidijs inueniri periculum, & non minori aliquando opus

esse cautela inter virtutis ad speciem patronos, quam aduersarios. *Primus* (inquit Caiet.) *adificauit illi altare ad sacrificandum ei.* Populus vitulo exambiebat litare, carebat verò ara, vt sacrificia imponeret, & offerret; & Aaron, qui iniquis votis debuisset resistere, & constructâ aram euertere, iniquis votis fauit, & vt perficerentur, aram disposuit. O quoties confessor pro peccatis est! O quoties mater filiarum pudicitiam prodit! O quoties iustitiæ vindex iustitiam vendit! Ergo ait Chusai, Dauidem non ad eò suis militibus fidere, vt non cautela securitati suæ curauerit providere: *Pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.*

§. XXIV.

Quò quis ab hominibus remotior, contra demonis adsultus inueniri solet validior.

Non inficiabor solitudinem, & ab hominum consortio recessum deseruire posse criminibus. *Animosi accipit res* (aiebat Cassiod. 8. Var. 31.) *aquila venarices, & supra omnes alios acutius inuenientes, volatus solitarios concupiscunt, quia rapaces insidia innoxia conuenticula non requirunt.* Aquila auium consortium refugit, aut superbia tumida, aut rapacitatis auida. Hæc solitudo vitijs opportunitatem concinnat, & malis cogitationibus locum parat, verum est alia solitudo, & ab hominum conuictu recessus, qui hominem expolit, & quidquid oblectabat sensus, præcidit. Hanc ergo exambierunt virtutum Proceres, vt melius eluderent aduersariorum conatus, & repellerent tentaminum acres adsultus. Achitophel dæmonis ymbrâ gerens, sibi promittit victoriam, si contra Dauid militibus, cinctum instruxerit pugnam: *Irruens super eum, percussit eum.* Sup. v. 2. Chusai Achitophelis consilijs obuiat, & Dauidè à populo recessisse asseuerat, *Pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.* Si allatam à Chusai rationem humanæ prudentiæ trutinæ examines, à pugna non auertere, imò acutiùs ad certamen inflammare reperies; nam si Dauid in statione esset militibus fortissimis cinctus; & æquali aggere circumuallatus, posset detrectari pugna, cum esset dubia victoria; verum si à populo recessit præsidio nudus, & nullis armis protectus, faciliùs Achitophel vincet, & à suis dissitum capiet. Ergo Chusai, dum à populo testatur seiunctum, conatum Achitophelis non retardabit, sed notos igniculos præter opinionem iniiciet, iam dixi, Chusai rationem respectu Martialis pugnæ eneruem videri, si verò morale, spiritualèque pugnam spectes, dæmonis retardantis conatibus efficacem; nam, ait, ipse recessus erit contra aduersarium pro munitissimo fortalitiò & aggere valido. Nam qui soli Deo decreuit vitèrè, qui affectu decreuit omnia deserere, nec humanis rebus implicari. Dæmonem exarmauit qui armatus voluptatum præstigijs solet in campum prodire. Innuat Caiet. *Iuxta Hebraum habetur vir belli, hoc est, vir sciens ea, que sunt belli, prudens in agendis, ac disponendis circa res bellicas.* Cum Dauid bellicosus esset, à populo recessit: vt qui nouerat contra tentationum congressus plurimum conducere ab hominum consortio recedere, & quidquid ab hominibus exambitur, despiciet. Ergo prædixit Chusai eludendas Achitophelis vires, cum Dauid se contulerit ad

Exod. 32.
v. 5.

fortissimum recessus præsidium, & abnegationis propriæ castrum præualidum. Inter festiuas fœminarum choreas animus emollefcit, inter insolentes milites audaciam, & sæuitiam ediscit, inter ambitiosos, & cupidos ambitioni, & cupiditati deseruit: si verò ab his cautus recedat, & generoso animo omnia hæc fucata animosè despiciat, geret bellum, & fortior aggredietur inimicum. Vbi Iob sensit inimicas hostes armari, & contra ipsum acce bellum disponi, ab vrbe discessit, & ad sterquilinum nudus confugit. *Testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Iob. 2. v. 8. Si regia, quam habitabat, non corrui, si domestica familia non discessit, si ornatus domus non auolauit, quid cum sterquilinio commutat, & intacta ab hoste depreiatur? Audi Orig. lib. 2. in Iob: *Dic, ô beate Iob, ô sancte Dei præliator, dic, ô admirabilis vir Domini constantissime, qui terribilibus, atque fortibus maligni plagis in nullo succubui, qui amara supplicia, atque fortes dolores absque murmuratione supportasti, cur extra ciuitatem egressus?* Audisti interrogantem, audi respondentem. *Ego, ô viri, cum sem prior, atque antiquior illis, qui nouissimo tempore erunt Apostoli, vel Euangelistæ, qua illi verbis dixerunt, quod spectaculum factus sum & Angelis, & hominibus, hæc nimirum ego ipsis operibus anticipans, tanquam typo adimpleo.* Dei viri, inquit, relictis omnibus, vt bellum indicerent sæculo, renuntiauerunt, & ad solitudinem, speluncasque confugerunt: ergo omnibus renuntians, tanquam ad tutum præsidium, ad nuditatem, solitudinemque confugio, vt qui huius militiæ gnarus, noui omnia humana inuisibilibus hostibus opem ferre, & eius causam suscipere, nudus, & profugus vincam: inter ciuitatis delicias, morumque corruptelas, aut cadam, aut saltem eneruis fiam: ergo discedo, & ad sterquilinum confugio. Adde acrius esse bellum, si homines adsint, quàm si dæmones pugnent. Ecquis hoc ait? Ipse sanè Iob: à Dæmone impetitus sensit aduersarij valentiam; nouit tamen limitatam, amicis verò associatus, confessus est fetè immensam. Aduentant ad sterquilinum amici; cumque verba iacerent aspera, fugillatiuâque, in has querelas prorupit: *Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Iob. 19. v. 22. Ac si dicat: Si conferam vestros cum dæmonis adfultibus, adfultus dæmonis mihi videtur leuior, & vester durior. Pugnat dæmon, vt creatura limitatæ virtutis, sed vos in persequendo videmini, immetatas vires sortiri. Prodest Gregor. lib. 14. Moral. cap. 24. *Omnipotens Deus amando, purgationem exhibet; iniustorum prauitas sciendo, malitiam exercet.* Sensit Iob in amicis quandam ad eius subruendam patientiam vim, quasi immensam, in dæmone senserat limitatam: ergo testatus est periculosiori certamine se inter amicos vrgeri, non aded molesto cum dæmonibus decertare. Ergo cum Dauid spiritualis belli non esset ignarus: *Vir bellator est, à suis, ait Chusai, recessisse: Nec morabitur cum populo:* & sibi profugium tutissimum comparasse.

§. XXV.

Opus est omni tempore inuigilare in excubijs, quia omni tempore contra nos perstat inimicus in armis.

Qui nomen suum militiæ dederunt, inerti otio prorsus renuntiant: non solum pu-

dor, sed periculum est, Martia profiteri bella, & in hostili regione abieccisse arma. *Illud est potius graue (aiebat Cassiod. 7. Var. 22.) si miles viuat otiose, cui questus est actio sua: honor principalis iniunctio; Similis enim discincto habetur, qui ignobili torpori relinquitur.* Militem somnus infamat, otium obscurat, sed tunc præcipue cum inimicorum profiliunt in campum agmina, & circumstrepunt bella. Achitophel manum vult adlegere, vt Dauidem, quem putabat lassum, impeteret, & facile vinceret: *Consurgens persequar Dauid hac nocte, & irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum.* Existimabat Achitophel itinere lassum somno indulturum, & armis nudatum facillimè percutiendum. Verùm Chusai hanc Achitophelis existimationem non benè testatur fundatam, imò falsis omninò coniecturis innixam: nam licet verum sit militem lassum, armis discinctum, & somno deditum facile capi, aut occidi: Dauid non erat ex horum numero; imò aded strenuus, & bellicosus, vt nec oculos somno, nec arctus otio permetteret, imò sollicita vigilantia in armis semper staret: *Pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.* In Hebræo Textu legitur: *Et non faciet dormire populum.* Exulat, inquit Chusai, à Dauid militibus somnolentia, ignota est lassitudo; & ignauia; nam cum non dubitent posse nocturnis irruptionibus impeti; curant sollicitis in excubijs perstare. Caietanum audi. *Sonant verba, quod seruabit populum cum excubijs, quasi vigilem in nocte contra nocturnum tempus electum ab Achitophel ad aggrediendum populum Dauidis ex improviso.* Nouit Dauid Achitophelem diu, noctuque contra ipsum captiosas insidias tendere, bellaque disponere; ergo cum sit vir bellator, inquit Chusai, diu, noctuque excubabit, eumque munitum inimicus semper inueniet. **O** Dauidis, hoc est Christi milites expendant, se ad bellum vocatos; in quo nec otium datur, nec requies; nam cum inimicus corporis pondere non grauetur, & odio ferali semper vratur, à pugna non cessat, sed insidiosus semper inuigilat: vnde opus est solertissima vigilantia, & vigilantia semper cautela. Veterinosus serpens parturientis fructum satagit deuorare, ad idque captiosos obtendit laqueos, bellicos disponit adfultus. *Draco stetit ante mulierem, qua erat paritura, vt, cum peperisset, filium eius deuoraret.* Apoc. 12. v. 4. **Apoc. 12. v. 4.** Quæcumque tempora obseruat, siue nocte, siue die insidiosus suspirat interitum: semper draco vigilat, venenosas versutias armat. Quid ergo? Omni etiam tempore mulier clamat, & cœlestem opem implorat. Sole, stellis, lunâque munitur, & nihilominus ad orationis præsidium confugisse refertur. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & utero habens clamabat parturiens.* Siue sol candeat, siue luna fulgeat, siue sidus splendeat, clamor auditur, & mulier vigilans semper armatur. Quod si inquiras: Cur omni tempore ad precum recurrat scutum? Respondeo omni tempore serpens insidiosas disponere technas, obtendere captiosas insidias: ergo cum nouerit inimicum nullum malitiæ suæ otium facere, non sustinuit cœlestis mulier otio indulgere, aut precum arma deponere. Huc voco, quod aiebat Tertul. de Pœni. cap. 7. *Pernicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit, atquin tunc maxime seuit cum hominem plenè, sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Mulier luctam cum nunquam

quam dormiente dracone iniens, nullo tempore dormiuit, sed indefinenter clamore deterruit. En Chusai testatur Dauidem somno nullatenus indulgere, cum omni tempore non ignoret, posse subitis irruptionibus fatigari, & ab hoste somni expertere circumuenit.

§. XXVI.

Qui ab hoste ingemit dispoliatus, insurgat honesto contra dispoliantem ardore succensus.

Pericacissimus ille humanæ naturæ hostis dollet, & ingemiscit, si virtutibus videat hominem exornatum, & comptis moribus expolatum. Hinc est, quod multiplices obtendit laqueos, ut, si omnibus nequeat, aliqua saltem virtute dispoliet. Graphicè Tertul. de Pœni. cap. 7. *Observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris irretire, aut fidem terrena potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Cum nunquam tentationum ariete virtutem euertere non procuret, aliquando fortitur votum, & perniciosum iacit non sine successu telum; sed tunc homo, ut se percussum sentit, generoso furore debet insurgere, & ferientem referre. Absalom captiosas contra patrem tetendit insidias, & inopina coniuratione e throno deturbatum confugere coegit ad latebras: cumque factis impietati non esset, ni vitam abstulerit, abstulisse coronam, de Achitophelis consilio manum adornabat copiosam; verum Chusai admonuit Dauidem bellicosum esse, nec certamen fore cum timido, sed ob raptam coronam viuidiori ad recuperandam ardore succensum. *Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, veluti si vrsa, raptis catulis, in saltu seuiat.* Testabatur Achitophel, amissa corona, animo excidisse, & solutis manibus trepidare: *Quippe qui lassus est, & solutis manibus.* Chusai verò ob id ipsum duriori obstinatione initurum pugnam asseruit, ut fugæ maculam fuso aduersariorum sanguine abstergeret, & per ipsa hostis tela honori consuleret, nec aliter ac vrsa raptis catulis, delatuit, certamen aggressurum. *Afferitur* (inquit Caietan.) *hec similitudo quoad amaritudinem animi.* Consonat N. Sanctius: *Sicut vrsa, raptis catulis, prouerbialem habet formam, quæ significat furorem, & seuitiam, & impaudum animum, qui quoduis aggreditur.* Ut vrsa filijs orbata non fit iactura tepidior, sed audacior, & seuior, sic Dauid (inquit Chusai) rapta corona, non animo cadet timidior, sed ad depellendam iniuriam depræliabitur audacior, & truculentior. Chusai hac prouerbiali forma mores instruit, docetque animo non cadendum, si diabolus aliquam virtutem rapuit, aut plagam incussit, imò maiori conatu, & laudabili seuitia aduersarium referre, & abstergere maculam laudabili indignatione enitendum. Pudeat aliquid amississe, sed pudor ipse, & animi amaritudo conetur recuperare, & grauiorem hostibus plagam incutere. Hanc optimam certaminis formam ab exordio præscripsit Deus: nam cum serpens illecebrosus adulationibus, blandis dolis mulierem e paradiso eiecerit, eos, ait animos ascituram, ut serpentis caput infringat, & acceptam plagam, incussa hosti altiori plaga, depellat: *Ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3. v. 15. Gaudebat serpens, qui à mulieris capite rapuerat coronam; verum contra se

acrem adeò inimicum exciuit, ut raptam coronam capite attrito persoluerit, & à fœmina deuictus aeterno luctu ingemuerit. *Quod suum erat* (inquit Oleaster ad Lit.) *fecit, non tamen impune.* Et addit Ad mor. *Docet locus iste, quanto odio prosequendus sit, qui nos ad peccatum inducit.* Serpens Euam induxit ad peccatum, non tamen tulit impune: caput à muliere fractus, & pedibus gressus. Itaque edocuit naturæ Auctor, si quid per humanam fragilitatem virtutum amiserimus, maculam serpentis veteriosi proculcatione eluendam, & plagam eius gemitibus perfanandam. Ergo assurge animo, qui cessisti illecebrosus fallacijs, & Dei gratia adiutus serpentem impete, & caput frange.

TEXTVS.

VERS. 9. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno quo voluerit, loco; & cum ceciderit vnusquibet, in principio audiet, quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom.

§. XXVII.

Qui infortunium alicuius audit, multis incrementis adauctum refert.

DE mustella dicitur, quod aure concipiat, & ore pariat: quod si aliorum infortunia referentibus adaptaueris, non alienum à veritate reperies; nam ut conceptus, dum editur, incrementis amplificatum producit, sic infortunium, quod aure percipitur, mirandis incrementis auctum refertur. *Casibus asperis* (aciebat aliorum Cassiod. 3. Var. 46.) *præstandum est sub iustitia laude moderamen.* Profectò prudentiæ moderamen est adhibendum, nec fides asperos casus referentibus, est omninò præstanda; nam aut referentis malignitas, aut auditus prauitas veritatem corrumpit, & fallit. En Chusai asserit, quod si quis audierit, vnum ex Absalonis militibus cecidisse, referet totam manum acceptis plagis laborasse: *Cum ceciderit vnusquibet, in principio audiet, quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom.* Mira res: si audit percussus e militibus vnum, quomodo dicturus est, populum plagis confossum, & deturbatum? Profectò si fama, rem incertam attulisset, mirum non esset extendere, aut grauiorem cladem suspicari; at cum determinatè miles vnus audiatur occisus, quomodo refertur percussus populus? Quia hic in referendis aliorum infortunijs mos solemnis est: ex festuca fit trabs, & quod exiguum auris conceperat, lingua incrementatum prodit, & parit. *Liram audi: Ex festuca fit trabs, quia ex modica percussione fit rumor magna occisionis.* Lewis lapsus, si teferatur, iam est grauissimus, & quidquid alienam famam, aut honorem deturpat, lingua referentis crementat. Festuca crescit in trabem, & exigua plaga extenditur ad magnæ percussioneis rumorem. Audiuit commilito commilitonem dicentem, quasi subcineritium panem rotatum in Madian castra deuenisse, & tabernaculum quoddam terræ funditus coæquasse. *Videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volvi, & in castrâ Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terra funditus coæquauit.* Iudic. 7. v. 13. In re-

ferentis ore non erat panis, sed quasi panis: *Quasi subcinericius panis*: in audientis verò aure Gedeonis est gladius. Qui vidit, tabernaculum quoddam adspexit euersum: *Cum peruenisset ad tabernaculum, percussit illud*. Qui interpretatus est, iam omnia coniecit euerfa tabernacula, & hostili iugo depressa colla. *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israëlita: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius*. Hinc difficultas exoritur: Quomodo scilicet esse potuit in ore gladius, qui in aure panis fuerat subcinericius: & quomodo in ore omne tabernaculum erat euersum, si in aure singulare fuerat percussum? *Quia* qui audierat, suspiciosus coniecturis amplificauit, aut interpretationibus veris ænigma explicuit: iam omnia retulit castra euerfa: *Omnia castra eius, iam hordeum eruentissimum erat ferrum: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis*. Notauit satis moraliter Hugo: *Quomodo potuit ille sic somnium interpretari? Fortè audierat, quod Gedeon volebat resistere, & ideò hoc dixit*. Audierat Gedeonem restitutum, aut bellum illaturum, & iam retulit accepisse de Madianitis victoriam, & intulisse lethalem plagam. Tantum creuit res ab aure vsque ad ora. Et vtinam hoc semel accideret, nec tot exemplis experientia frequens ostenderet! Quis audiuit de femina leuem culpam, & iam cæteris insulurrat læsisse famam, amisisse pudicitiam. Audit quis Iudicem accepisse bellaria, & refert acceptasse ingentissima dona; hic enim est inos obmurmurantium, & referentium.

§. XXVIII.

Rerum exordia sæpè sunt non dubia futurorum auspicia.

EX principijs futura conijcimus, & veluti in radice fructus prænidemus. Bellorum exordia aut intrepidam pariunt audaciam, aut timidiam semper inertiam: primis uentibus animus in fiduciam erigitur, aut in diffidentiam labitur. *Non tua* (aiebat Plin. in Paneg.) *in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem thorum, sed ante puluinar Iouis Op. Max. adoptio peracta est, qua tandem non seruitus nostra, sed libertas, & salus, & securitas fundabatur*. Ipsum, inquit, imperij exordium prosperitatis fuit, & tranquillitatis prælagium: nec timeri potuit seditiosus tumultus, ubi imperij origo erat festius communitis plausus. Itaque rerum exordia esse solent non dubia futurorum auguria. Hac ratione vsus est Chusai, vt audaces Achitophel animos retardaret, & consilium impediret: ex rerum, ait, exordijs felicitatem, aut infelicitatem pendere, nec prudentiæ consonum esse, Dauidè tunc persequi; nam cum eius milites & peritia bellica sint instructi, & asperis casibus veluti in desperationem adacti, timendum esse, per ipsa pericula vitæ consulturos, & Absalonis signa sequentibus, metum incussuros; vnde satius sibi videri maiores vires colligere; & eiusmodi periculis obuiare. *Cum ceciderit vnusquilibet in principio, audiet, quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur*. En docet Chusai rerum exordia omni curanda sollicitudine, cum ab eis pendeat sæpè aut processus, aut casus. Prodest. N. Sanct. *Quotidie videmus tam in bello, quam in rebus alijs, vt in mercatura, & navigatione, vt ex principijs futura coniectemus, & ex illis timor oria-*

tur, & audacia. Consonat Tacitus, qui in vita agricolæ ait: *Prout prima cesserint, fore vniversa*. Chusai dum Absalonem monet, nos etiam instruit, frequenter scilicet principia non dubia esse futurorum præfagia. Isaias, vt prospera populo denuntiaret, ducem aiebat fortitutum adeò bellicosum, strenuumque, vt ab ipso vberè iniuerit prælium, & reportauerit triumphum. *Delectabitur infans ab vberè super foramine aspidis, & in caverna reguli, qui ablaetatus fuerit, manum suam mittet*. Isai. 11. v. 8. *Isai. 11. v. 8.* Et quid interest, si aspidem è collo pendens occidit? Nonne, sublato vno aspide, aut regulo, cæteri reguli, aspidisque poterunt armare venena, & cum iam viro inire certamina? Nullo modò, inquit Isaias, nam bestia eiusmodi omnes effugient velut excantata, & effumigata. *Non nocebunt, & non occident in vniverso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini*. Acti dicat: Huius pueri notitia, fama que ad omnes perueniens, aspides deterebat, & in ima sua se abdere regulos coget, nam quid timendum non sit à viro; si iam reguli, & aspides conteruntur à puerulo? & expende rerum ordinem: Qui ab vberè vicit aspidem, iam ablaetatus triumphat regulum, & qui ablaetatus triumphat de regulo, temporis processu amplissimis ditescit triumphis, ditatur trophæis. Eleganter Tertul. Aduer. Iudæos cap. 9. *Inspicias atatis demonstrationem, an virum iam Christum exhibere ista ætas possit, nedum imperatorem. Scilicet vagitu ad arma esset conuocaturus infans, & signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus, nec ex equo, vel de mutro, sed de nutricis, & gerula sua dorso, siue collo hostem designaturus; atque ita Damascum, & Samariam pro mammis subacturus*. Vbi de gerulæ collo pendens, de aspide ludere visus est; ablaetatus erit regulo magis infastus, & aspidi ominosissimus; nam vt in radice videntur germina, ita ex exordijs conijciuntur futura. Prudenter igitur admonet Chusai, ne primis in congressibus ex Absalonis militibus aliqui concidant, quia casus, & commilitones efficiet enervus, & reddet aduersarios audaces.

TEXTVS.

VERS. 10. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israël fortem esse patrem tuum, & robustos omnes, qui cum eo sunt.

§. XXIX.

Celeris improborum ruina salubri pauore audaciam reprimi, & pauidam ceteris cautelam suadet.

PLures ipso in malitiæ suæ apparatu votis fraudati sunt, quia celeri strage sublato, aut inopina calamitate deiecti; longa sibi temporum promittebant spatia, sed celeri alios admonuerunt ruina: & qui eadem vestigia secuti, si sapiunt, vt illi pauore quatiuntur, & stylum vertere asperis aliorum casibus edocentur. *Græue est* (aiebat Cassiod. 8. Var. 20.) *sapienti offendere, ubi alterum reperit incidisse*. Qui non fugit scandalum, alterius conspicatus ruinam, videtur prorsus amisisse prudentiam: nam cum medicina contrarijs plerumque rebus succedat, amentia est, amare salutem, & eadè ampleri,

Et, quæ attulerint alijs mortem. Hinc est, quod Chusai Absalonis sequentes signa, testatur pauore soluendos, si primis contra Dauidem congressibus adspiciat comilitones prostratos: *Fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur.* Et vnde gelidus pauor? Iam refert: *Cum ceciderit vnusquilibet in principio, audiet, quicunque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom.* Qui commilitonem expendit florente ætate occisum, & ipso in ambitus exordio spebus euanidis defraudatum, cursum sistit, & sibi prouidet: nequit timore non concuti, qui comitis conspexit infortunium, & inopinum agnouit casum: audi Nostrum Sanct. *Si tunc populus, qui nunc, Absalone Duce, triumphare videtur, plagam aliquam accipiat, quod non videtur incredibile, cadent tunc aliorum animi, & aut castra deserent, & domos suas repetent, aut si manere velint sub signis exiguam nauabunt, & inutilem operam.* Qui pro Absalone militabat, iucundam sibi vitam promittens, & fortunam spondens, vbi vidit celerem alterius mortem, etsi impauida fuerit animi fortitudine præditus, non potest pauore non solui, & sententiam retractare. Sic censebat Chusai prudentiæ legem attendens. Verum ô tempora! ô mores! secuti vitiorum signa, & voluptuosæ vitæ ad speciem commoda, intuentur quotidie socios, amicos, eandem viam ingressos, florida in iuuentute cadere aut mucrone transfuerberatos, aut languor p. silenti correptos; & nihilominus nec salubri pauore tanguntur, nec resipere persuadentur. Pueros constantia armatos, religione munitos, & mirando flammaram horrendum resonantium contemptu impuidos, ministri, vt Principi blandirentur, vgebant, flammam adipantes, & viuidius ignis globulos succedentes; verum dum execrandum præstant obsequium, miserandum subierunt casum, nam adipata flamma nutrientes consumpsit, & in cineres redegit. *Non cessabant, qui miserant eos, ministri Regis succendere fornacem napha, & stupæ, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nonem, & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.*

Dan. 3. v. 46. Pueros in fornacem iactare iussi, paruerrunt: *Miserant eos: vtque iubenti adularentur, sponte sua aliquid addebant, flammam nutrientes, quasi satis adulationi non fuerit, flamma ferè immetata puerorum sollicitare perniciem: verum dum ardentius gestiunt impietati deseruire, probantur quas adipauerant, flammis ardentissimis vstulari: Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.* Flamma suapte natura ad æthera anhelabat ascendere, sed ingenij oblita contra improbos maluit effundi: *Erupit: pueros fugiens, scelestos inuasit: Et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.* Cum certamen sit Principibus adulandi, quætere iuuat: Cur è tot populis non fuerit, qui postea ignem nutriuerit, & complacere Nabucho tentarit? Flamma alios exustit, sed forsitan alijs parcat: ergo minus ambient, ignemque accendant. O expendi vidisse inopinam stragem: ergo referre maluerunt pedem, imò post hunc asperum casum non refertur statuam adorasse, aut Nabucho officium, quod nuper præstiterant, exhibuisse. Ecqua huius ratio est? Certè aliorum casus: nam salubri pauore soluta sunt corda, quia miseranda non audere persuasit ruina. Quis enim adeo vecors, infanus adeo, vt intuitus comitis casum, innutri-

re-auderet incendium? Huc voco, quod aiebat Basilius Seleuc. Or. 1. *Discamus Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* Dum aliorum refert mercedem, incutit alijs terrorem; & dum non refert alios ignem nutritæ ausos, edocet vtili & salubri timore correptos. Prodigium erat, tres pueros inter crepitantium flammaram volumina non aduri: & quodammodo videretur prodigium, inspectis sociorum pœnis, alios similia tentare.

TEXTVS.

VERS. 11. & 12. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: Et tu eris in medio eorum. Et irruemus super eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.

§. XXX.

Prudentia est, dum hostis robur nequit ignorare, præsidio prouidenter muniri.

Bellum est consilium atrox, crudele inuentum, generis humani excidium: belli causas vitare, habetur prudentia; concinnare, audacia periculosa. Verum, cum in spiritualibus inuitabilis sit concertatio; quia ipso cum spiritu homo huic militiæ fati quidem probatur adscriptus, & certamini designatus, testante Iob: *Militia est vita hominis super terram.* Iob. 7. v. 1. opus est sollicita vigilantia, cum hostis non solum fortitudine vigeat, sed etiã malitiæ suæ otium non faciat, nec scandalis, aut tentationibus vquam deficiat. Hoc in agone contententibus nulla arma superflua sunt, imò necesse, robur ædificare, & omni se præsidio, armaturaque communire. Qui secus faxerint, citò cedent dediti, aut corruent ignaui. Notauit Philo lib. de Fortit. *Ignauis cautos se vocant, timidi consultos, segnes prouidos, prætexendo vitia turpissima honestis vocabulis. Ne igitur talium militia detrimento afficiat Rempublicam, & profit parvibus hostium, ignauos facile trucidantium, legislator sciens inertem turbam impedimento esse, non audimento prohibuit timidos.* Timidus, iners, ignauus hoc in agone facillimè prosternuntur, & conculantur. Hinc est, quod Chusai, cum omnibus compertum esset fortiri Absalonem fortissimos aduersarios, admonuit exiguis viribus bellum non tentare, sed prius vndequaue colligere: *Congregetur ad te vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum.* Ac si dicat: Opus tibi est vndequaue vires colligere, & multis militibus stipari, aliter namque, cum sit aduersarius fortissimus, & longa experientia bellicam disciplinam edoctus, aut fugies confusus, aut corruet prostratus. Innuit Abul. quæst. 7. *Multus populus erat cum Absalom, sed adhuc volebat Chusai, quod congregaretur residuus populus.* Sufficienti militum copia videbatur Absalom munitus; sed cum David fortissimus esset,

& bellicofus, aiebat Chufai, nouas vires conqui-
rendas, & ſolicite comparandas. Quodſi nulla ſu-
per eſt cautela, cum hoſtis robore viget, qui
cum leone fortiffimo, cum illecebroſis appetitus
inſidijs, cum blandis molliffima carnis fallacijs
colluctatur, vnde quaque ſe debet tueri, & in ar-
mis ſemper ſtare, alioquin accipiet plagam, aut
miſeram patietur ruinam. *Sicut turris David* (aie-
bat Sponſus) *collum tuum; quæ adificata eſt cum*
propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis ar-
matura fortium. Cant. 4. v. 4. Si turris eſt propug-
naculis cincta, ſi clypeis fideliffimis tecta, cur non
quieſcit, ſed ſolicita vigilantia omnium fortium
armaturam conquirat? Quia cum nouerit Spon-
ſa ineundam pugnam cum veternoſo colubro,
cum ceraſte aſtuto, cum ſerpente callidiffimo,
omni ſe ex parte communiuit, & vndique ſibi
comparare vires curauit. Turris erat fortiffima,
quæ nullis vanitatis flatibus, aut ſuperbiæ euer-
teretur adſultibus: & quamuis aſſurgeret celfa,
profunda erat humilitate fundata, & tamen om-
nium armaturam fortium conquirat, ne oculus
feriatur concupiſcentia, ne animus capiatuſ fal-
lacia; ne, ſi parte aliqua denudatam vigilans ho-
ſtis inuenerit, ea ſubruere parte tentarit. Audi
Noſtrum Deſt. in Anago. *Clypei, & armatura ſan-*
ctorum hominum, omnigenæ virtutes, & merita, qui-
bus nos adhuc pugnanter tegi, & armari debemus,
quando innadit humani generis inimicus. Humanus
generis inimicus leo rugiens circuit, & præcedit
rugitus, non vt moneat, ſed vt gelido terrore vi-
res ſuccidat: ergo opus eſt, contra leonem fortif-
ſimum omnium armorum genere præmuniri, quia
certamen nequit excuſari; nulla namque eſt ſu-
perflua cautela, aut otioſa armatura contra ve-
ternofum hoſtis insolentem audaciam, & perſpica-
cem verſutiam. Ergo dum Chufai contra validif-
ſimum hoſtem vires vnde quaque hortatur colligere,
nos, quid agere debeamus contra inuiſibi-
les hoſtes, conſtat docere.

§. XXXI.

*Qui alterius ſpe inuitantem occaſionem omit-
tit, pœnam ſæpè fruſtratus ſoluit.*

A Mplectenda occaſio eſt (aiebat Tertul. lib. 1. ad
Vxor. cap. 7.) *quæ ademit, quod neceſſitas im-*
perabat. Occaſio ab antiquis velox, & ferè pingebatur
decapillata, vt notum eſſet, citò prolabi,
neque iterum facilè deprehendi. Tota inimici
verſutia in eo conſiſtit, vt nobis perſuadeat, in-
uitantem virtutis occaſionem iterum redituram,
& commodiùs apprehendendam: & dum nobis aſ-
ſentamur, & euanidis ſpebus credimus, nec futu-
ra, neque præſenti occaſione fruimur. *Rogât*
(Idomœneum Epicurus, teſte Seneca epift. 22.)
vt quantum poteſt, fugiat, & properet, antequam ali-
quæ vis maior interueniat, & auferat libertatem re-
cedendi. Nobis promittimus opportuniorem oc-
caſionem, ne rapiamus inuitantem: & dum in
futurum ſpes extendimus, nec futura veniunt, nec
præſentia profunt. Quàm diſertè datus Seneca:
Nemo quidquam habet facti, in futurum enim noſtra
diſtulimus. Chufai, vt quam iam Abſalom occa-
ſio victoriam promittebat, eluderet, opportuni-
orem poſteâ futuram ſuaſit: Achitophel vrgebat,
vt inuitantem arriperet, & victoriam facile, de-
bellatis hoſtibus, obtineret: *Irruens ſuper eum*
quippè laſſus eſt, & ſoluitis manibus) percutiam

eum. David veloci fuga laſſatum, & paucis, mili-
tibus cinctum, facile erat atterere, triumphumque
conſequi: ergo admonet Achitophel, arripien-
dam eſſe occaſionem properantem, & allicientem;
è contra Chufai in futurum occaſionem differre
ſtudit, vt qui nouerat vanis ſpebus illectum, &
& in futurum miſſum præſenti opportunitate
priuandum, & numquam futura uſurum: *Congre-*
getur ad te vniverſus Iſraël à Dan uſque Beſabee
quæſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medi-
eorum. Et irruemus ſuper eum, in quocumque loco in-
uenius fuerit. Omnes Interpretes teſtantur, Chu-
ſai animum fuiſſe, inuitantem tunc occaſionem
eludere, & qui præ manibus erat, triumphum au-
ferre. Prodeſt Abul. q. 7. *Multus populus erat cum*
Abſalom, ſed adhuc volebat Chufai, quod congrega-
retur reſiduum populus, & iſtud erat, vt, dum fieret
hoc, tranſiret aliquantum tempus, & poſſet interim
David fugere ad aliquem locum conuenientem, &
cogregare ſibi auxilia ſive de terra Iſraël, ſive de gen-
tibus ſinitimis. In eo Chufai ſolertia deſudauit, vt
ſcilicet opportuniore ſpebus, præſens occaſio
elaberetur, & Abſalom vinceretur. Quod & acci-
dit; nam dum Abſalom pugnare differt, David
exercitum cogit, & Abſalomem ſequentes premit.
Ea elapſa opportunitate, alia non redijt, imò, dum
commodiùs Abſalom ſibi tempus promittit, mu-
crone tranſuerberatus dilationis, & ignauiæ pœ-
nas exſoluit. Quis dubitet, hac in imagine ſa-
cram depinxiſſe Scripturam, quod ſpiritualibus
in bellis accidit: adeſt opportunum tempus con-
ſcientiam expiandi, ſed ignarus ſibi imponit, &
differt, & ſæpè, quia differt, perit. O quot perie-
runt ſpebus deluſi, & ſibi iſtis periculoſè aſſen-
tati! *Non tantum præſentis, ſed vigilantis eſt* (da-
tum audis Senecam) *occaſionem obſeruare properan-*
tem. Itaque hanc circumſpice: hanc, ſi videris, pre-
hende: & toto impetu, totis viribus id age. Si Ab-
ſalom properantem occaſionem arripuiſſet, aſſe-
cutus fuiſſet victoriam; aſt dum ſibi promittit
aliam, vanis ſpebus illuditur, & telis tranſuerbe-
ratur. Pluuiatibus imbribus impedita, & aſperita-
te hyemis retardata confugerat columba ad fora-
minis profugium, & otium. Sponſus, verno iam
tempore inuitante, monet, vt excutiat otium, &
accelerari volatunt: *Surge, propera, amica mea, &*
columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hyems
tranſijt, imber abiit, & reſeſſit. Cant. 2. v. 11. Quæ
à lecto ſurgere verno tempore inuitabatur, &
ſponſi blanditijs illiciebatur, videtur maluſſe
ſomno tantisper indulgere, & otio lectuli frui:
In lectulo meo per noctes quaſiui, quem diligit anima
mea. Cant. 3. v. 1. Sibi perſuaſit, etſi moras tra-
heret, occaſionem non deſuturam, vt ſurgens
ſponſi fruereſt alloquio, & placido adſpectu;
faſſa tamen eſt, nam poſtea opus fuit aſſurgere,
circuire ciuitatem, curſitare per vicos, nec tamen
inuenit, vt ignauiæ pœnam perſolueret. *Surgam,*
& circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas queram,
quem diligit anima mea. Quaſiui illum, & non inue-
ni. Quantis ſe liberaſſet anguſtijs, ſi elabi occa-
ſionem non ſineret, ſed arripuiſſet alacriter? Ve-
rùm ſemel elapſa non redijt; & ſponſa, quam
oporteat arripere, non ſine periculo didicit. Huc
voco, quod aiebat Liuius ore Marci Ducis lib. 25.
Si occaſionis momento, cuius præteruolat opportunitas,
cunctatus paululum fueris, ne quicquam mox amiſſam
queraris. Sponſa, occaſione elapſa, deſatigatur, &
non redijtſe anxia, & gemebunda queritur. Pallio
exuitur, veſtitur vulneribus. *Vulnerauerunt me, tu-*
lerunt

Cant. 4.
v. 4.Cant. 2.
v. 11.Cant. 3.
v. 1.

Gant. 5.
v.7.

lerunt pallium meum. Cant. 5. v. 7. vt nouerit. si vocanti annuisset, quanta incommoda vitasset. Si vocantis vocem audis, si arridet tempus, si occasio inuitat, ne moras nectas, quia fortalsè dabis pœnas ob moras.

§. XXXII.

*Si ineptus muneribus præficitur, Reipub. ica
salus periclitatur.*

Dan. 2.
v.32.

Interrogatus quidam, qualis militaris esse deberet instructus, respondit existimare se, fortiorem esse leporum manum, duce leone, quàm leonum exercitum, duce lepore. Difertè dixit, & prudenter sensit; nam sub timido, fugientèque duce audax militum ferocia aut stupet, aut torpet; vt econtrà, sub bellicoso, & strenuo præfecto ignauus etiam miles animos induit, & exemplo inflammatus vires recolligit. Opus fuit cœlestis lapidis ictu, vt statua illa regnorum imago euertetur, dum metalla locis debitis adaptantur; pro meritis loca occupabant, quin fauor, aut adfectio melioribus deteriora præferret, & ordinè metallorum confunderet. *Huius statua caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento; porro venter, & femora ex ære: tibia autem ferrea, pedum quadam pars erat ferrea, quadam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam.* Dan. 2. v. 32. Contra adfultus temporum stabat statua firma, vtque caderet, visa sunt prodigiosa miracula. Non dicitur lapis casu rotatus, sed sine manibus scissus, vt notum esset in statuæ casu interuenisse prodigium. Audi Theod. Ora. 2. *Lapis Christus, qui quantum ad humanitatem attinet, non secundum natura legem excisus est.* Statuæ constructio, dum suis quæuis metalla locis adaptantur, stabilis permanet, opusque est lapidis ictus, vt premat casus. Itaque destructione ipsa erudimur, opus esse cœlesti manu, quando occupatur locus pro occupantis merito, non pro extollentis arbitrio. Antigonus vbi accepit duces indulgere potationibus, milites armari thoracibus, hos constituit militia præfectos, veritus, si cum hoste congredieretur exercitus, grauem ob ducum ignauiam subiturum iacturam. Audi Plutar. in Apotheg. Verbo Antigonus. *Milites nonnullos intuitus thoracatos, & galeatos pilaludentes, gestiuit, ascieuitque eorum præfectos, vt eos laudaret, quos vt accepit potare, illorum præfecturas attribuit militibus.* Salubriter elegebatur in præfectum miles ipso in ludo thoracatus, & loricatus, & vtiliter præfectura denudabatur dux Martiali in campo exarmatus, & scyphis capacioribus deditus. Chusai Davidis partes summo studio agens, totus fuit in Achitophel à militia præfectura excludendo, & in Absalone ad præfecturam designando. Aiebat Achitophel. *Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens, persequar David.* Milites hos sub Achitophel veritus est Chusai debellaturos Dauidem, vtque impediret victoriam, maiorem consuluit congregare militum summam; nec Achitophel, aiebat, committendam, sed Absalonis regimini designandam: *Congregetur ad te vniversus Israël à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum.* Profecto Chusai verba ab animo discordare videntur, nam inimico addit vires, vt Davidis tueatur partes. Nonne minus esset laboriosum Dauidi duodecim millia vincere, quàm numerum sine nu-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

mero superare? Ergo procedat in campum Achitophel duodecim millibus stipatus, non Absalom innumeris militibus circumcinctus: imò, vt ingentem opem Dauid conferret, non Achitophel, sed Absalom exercitum ducere procurauit. Audi Abul. q. 8. *Chusai dicebat, quòd esset dux belli Absalom, & non Achitophel.* Subdit rationem. q. 9. *Poterat etiam hoc fieri propter aliam utilitatem Dauid. Nam sciebat Chusai, Achitophel esse virum fortem, & amaro animo contra Dauid propter Bersabee, & Vriam. Erat etiam vir prudentissimus; vnde, si ipse iuisset, tractaret nimis prudenter negotium belli, & potuisset illa nocte capere Dauid: ideo omninò cauit Chusai, ne nunc, vel alio tempore esset Achitophel dux belli contra Dauid.* Angustior esset exercitus ab Achitophel ductus, ferè immetatus ab Absalone directus; verùm Absalom non solum erat belli imperitus, sed etiam, vt ex fuga conijcitur, timidus, & ignarus; Achitophel verò erat prudentissimus, & strenuus: ergo totis viribus Chusai adnixus est, Absalonem ducis munus peragere, vt qui non dubitabat, eo duce, exercitum debellandum, & prosternendum, quod accidit. Tantum iuuat, aut nocet, munus iniungere idoneis, aut ignauis, & ineptis. Exigua manus, duce Achitophel, vinceret; innumerus exercitus sub Absalone & fugit, & perijt: *Cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid.* Infr. 18. v. 7. Heli affectu naturali ductus, filios ad sacerdotij exercitium immaturè satis euexit: electi splendebant infulis, sed carebant ad munus prærogatiuis: *Nescientes Dominum, nec officium sacerdotum ad populum.* 1. Reg. 2. v. 12. Quamuis improbis moribus sordescerent imbuti, minùs malè ageretur cum populo, si administrare munus scient; verùm, dum eorum proditur ad munus inhabilitas, iam populi præuidetur calamitas. Arca capitur, inimicus exultat, ara sacrificijs viduata deplorat: & hoc totum, quia electus muneri non idoneus, Audi Dauid Kmih apud Gloss. *Viam Dei nesciebant, hoc est ius diuinum, & veras ministerij sacri leges.* Sacrum ministerium tractabant ob mores indigni, ob legum ignorantiam muneri inepti. Ergo ab hac electione populi emanauit calamitas, & inimicorum prosperitas: & ne nobis aliqua dubitandi præberetur occasio, Textus ipse expressit, & per sacrum nuntium edocuit: *Magis honorasti filios tuos, quàm me.* Filiorum immaturus honor, cæca eligentis affectio Reipublicæ ingentissimum attulit detrimentum, & planctum: minùs nocerent, si legum scientia, muneris administrandi florent peritia, et si incompti moribus, & denudati virtutibus, extiterunt tamen populi fatalis ruina, dum ad munera inhabiles, & ab originis sanctitate degeneres. Hac in Historia adumbravit sacra Scriptura, quanta incommoda Reipublicæ ab electionibus promanatint, & ab indignis ad culmen elatis fluxerint.

1. Reg. 2.
v. 12.

§. XXXIII.

Si aliqua vitiorum permittatur scintilla, ignem suum explicabit, & in incendium flammellata transibit.

Difficultatem noui certaminis submouet, qui nullum viuere ex inimicis permittit; sapè namque ex parua scintilla promanare solent incendia: & dum quid inimico permittitur, victoria discrimini exponitur. *Si voluptati cesserò (aiebat Sen. epist. 51.) cedendum est dolori, cedendum labo-*

D d

rii

ri: idem sibi in me iuris esse volet & ambitio, & ira. Qui voluptatem penitus non expunxit, sed aliquid et si leue, permisit, ius contra se dedit, vtetur licentia: & quæ permilla est viuere, permittetur etiam augeri, & aucta instaurabit bellum, & præsumet triumphum. Ob id Chusai, dum monet, bellum Dauidi inferre, monet etiam nullum ex eius militibus vita donari: *non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.* Et quid nocet vnum, aut alium relinquere, & clementiæ locum dare? Multum quidem, respondet Chusai, quia si vnus viuere permittatur, vires resumat, & resumptis, bella tentabit, nec victoria resplendet perfecta, si hostilis remanserit scintilla. Audi Abul. q. 9. *Vallabimus eos undique, & in medio captos occidemus, & non poterit aliquis eorum effugere.* Ita, ait, bellum tractandum, vt nec vnus maneat inimicus; nam si superstes permittatur, nec victoria erit integra, nec tranquilla. Profecto in moralibus vtilissimum documentum, & amplectendum inuenitur consilium; nam si quid licentiæ iræ, aut voluptati permittitur, se paulatim explicabunt, & dum vires acquirunt, nobis controuersiam facient. Omnia, quæ Iob erant, in hostis manus concessa sunt. *Ecce vniuersa, que habet, in manu tua sunt.* Iob. i. v. 12. Hostis omnia deuastauit, nonnullos tamen seruos superstites dereliquit, vt tristitia nuntia deferrent, & dolorem relatis stragibus gemerent: *Effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.* Quid tunc? Ad bellum Iob armatur, & ad reportandum triumphum accingitur: *Tunc surrexit Iob.* Origenes surrexisse testatur in prælium non sine victoriæ spebus. Ipsum audi lib. 1. in Iob: *Tunc surrexit Iob, certum est, quia cum surrexisset, dicit. Nunc belli tempus, nunc coronarum compositio, nunc approbatio, nunc victoriæ acceptatio, nunc retributionis expectatio.* Et vnde Iob, singularem ad expertus tragediam, fouere pectoribus potuit victoriæ fiduciam? *Nunc victoriæ acceptatio.* Quia cum omnia Iob potuisset inimicus extinguere, aliquos seruos ruinam permisit euadere: ergo vbi vidit Iob concessam seruis vitam, sibi promisit victoriæ. Redeat Origen. *Nuntius venit ad Iob, qui conseruatus ab aduersario.* Vbi cum posset omnia penitus inimicus non deuastasset, Iob in prælium surrexit, & inimicum attriuit: *Nuntius venit ad Iob, qui conseruatus ab aduersario.* Ni seruus ab aduersario fuisset conseruatus, forsitan Iob tanta spes non fuisset; at vbi vidit, quid sibi permillum, resumpsit animum, & fœlicem est sortitus euentum: vt in historiæ umbra videamus, quàm sit in moralibus periculosum aliquid hosti permittere, & indulgenter tractare. Boni certaminis formam edocens Christus, aiebat: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea que possidet. Si autem fortior eo superueniens, vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Luc. 11. v. 21. Non aliqua arma, sed vniuersa auferuntur, ne si aliqua permilla, contra triumphatorem vertantur: nec enim perfecta resplendet victoria si inimicus instaurare quiverit bella. Prodest Beda in Cat. *Sunt arma eius astutia, dolique, nequitia spiriuales.* Lingua abstinet à iuramento, sed non à leui, aut afficioso mendacio, manus rapina graui continetur, sed quid exiguum subripere non cunctatur, respuitur adulterium, sed non illecebrosum colloquium: ergo dum vniuersa non auferuntur arma, inimicus instaurare tentabit bella, & fors qui vicerat magna, vincetur, paruipendens exigua.

Ergo monuit Chusai, nec vnum ex hostibus relinquendum. *Non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem:* ne vel vnus obscurarit victoriam, & certaminum nouam adduxerit controuersiam.

T E X T V S.

VER S. 13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiat calculus quidem ex ea.

§. XXXIV.

Sapè in Concionatore plauditur nitida verborum copia, et si careas coherentiâ, aut medulla.

PLura displicent examine prudentiæ discussa, quæ auribus placuerunt prolata. Ad examen reuocanda sunt nitida, quia fucata imponunt, & euandis oblectamentis decipiunt. Frequenter populus non attendit rationis medullam, sed verborum demiratur plausibus redundantiam. *Pensabit* (aiebat Cassiod. 5. Var. 9.) *loqui tuum dominantis examen.* Ac si dicat Ne existimes nobis verborum placitum, quia nos verba non solum aure percipimus, sed iudicij lance pensamus. Populo placent meretricia, & fucata, quia non querit solida, sed placencia: vnde quidam apud Isaiam aiebant; *loquimini nobis placencia.* Isai. 30. v. 10. Auribus quærebant oblectamenta, non moribus medicamina; vnde indocta plebs plaudit, magnique æstimat Oratores eloquentiâ nitidos, & verborum speciositate ditatos. Protulerat Achitophel orationem breuem, sed Absalonem sequentibus vltimam; Chusai longissimam, & satis floridam orationem texuit: & licet Dauid se ad munitissimam urbem receperit, funibus implicatam, à fundamentis euellendam promisit. *Si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem.* Nihil erat à prudentia, rationeque distantius, quàm tentare ciuitatem funibus implicare, & à fundamentis euellere, & tamen turba assensit, & salubre Achitophelis consilium improbavit. *Melius est consilium Chusai Arachite consilio Achitophel.* Si vtrumque expendas consilium inuenies Achitophel militari prudentia plenum. Audi apud Lucanum Cæsar. lib. 1. Pharsal.

*Dum trepidant nullo firmata robore partes,
Tolle moras, semper nocuit differre paratis.*

Si consilium Chusai examinemus, apparebit à ratione prorsus alienum, & solum pulchra verborum floriditate vestitum, & tamen Chusai præfertur & Achitophel postponitur. Notauit Abul. q. 9. *Ecce qualiter iste Chusai est totus verbosus, & ad rem nihil dicit, nisi quamdam insaniam, que, comperito sermone, stultis placeret.* Achitophel oratio erat vtilitate, & soliditate plena, ambagibus tamen Rethoricis nuda; Chusai oratio erat prudentia, & soliditate vacua: sed nitido verborum splendore vestita. Hanc ergo turba, & prætulit, & laudauit. *Melius est consilium Chusai.* Turba sequens, pessimi argumentum est, nec rem perspicaci prudentiæ

Iob. i. v. 12.

Luc. 11.
v. 21.

Isai. 30.
v. 10.

dentia attentione examinat, sed ex aurium oblectatione diiudicat: *Chusai est totus verbosus, & ad rem nihil dicit.* Chusai verba plus sonabant, quam dicebant; Achitophel plus dicebant, quam sonabant, & tamen substantia non attendebatur, sed verboritas laudabatur. Iob aliquorum in concinnandis verbis studium carpens aiebat. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.* Iob. 6. v. 26. Concinnata, calamistrataque verba increpationem sonabant, sed robore ad increpandum carebant: nitidus erat, & eloquens sermo, quia expolitus artificiosis fucis, & fucatis artificijs, sed solum deseruiebat ad captandam auram, & ad assequendam inanem gloriam: *In ventum verba profertis*: id est non ad fructum, sed ad ventum. O quot desudant, & longas vigiliis agunt, vt orationem comant, vt tumida verba inueniant, & veluti textilem eloquentiae sylvam perficiant! Audi Greg. lib. 7. Moral. c. 17. *Gratiam ex fauoribus captat.* Oratio nimis culta gratiam captat, quia audientium aures delectat; & saepe non attenditur rationis nucleus, quia aures detinet gratus sonus. Chusai expolita oratione, florida verboritate audientibus placuit, & cum eius sermo soliditate careret, populi fauorem obtinuit; nam populus speciosis coloribus plaudit, nec energiam, aut efficaciam orationis attendit.

§. XXXV.

De Imperatoris praesentia ardor militum adaugetur, de absentia saepe minuitur.

Nescio, quis vitalis vigor à superioris, Principisve conspectu dimanat, quo subditi incitati, magna tentant, & quo deficiente, torpescunt vel ad exigua. Si Princeps ipse inter decertantes adsit, si publica, aut priuata negotia solerter curet, feliciter succedunt, quia nescio, quid de Principis conspectu sugunt. Plinius in Paneg. infractam patientiam, honestam audaciam testatur, suos Principem edocuisse, & exemplis confirmasse: *Cum tecum in adiam, tecum ferret sitim, cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudoremque misceres.* Militem sudor defatigabat, & labor; verum Principem intuitus, sudore, laboreque ambiebat munus implere, vt eius gratiam valeret inire. Malè ferret miles in adiam, malè sitis toleraret angustiam, si cogitaret pro quo vitam hostilibus mucronibus obiciebat in campo, molli lecto otiosum decumbere, opiparis mensis indulgere, & sciphis capacioribus ardorem sitis sedare; ast, dum laboris intuetur confortem, dum sitis participem, ad labores miles indurantur, & inuictis quodammodo vitibus praemuniuntur. Chusai nullum, ait, Dauidi fore profugium, si Absalom in campum procedat, nam eius aspectus suos ad certamina inflammabit, & aduersarios gelido metu concutiet: *Tu eris in medio eorum, & irruemus*: ad munitam ciuitatem confugiet, sed eam populus funibus implicabit, & funditus prorsus euertet. *Si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem.* In speluncis latitabit, sed extrahemus, ad montana confugiet, sed vincemus inaccessa, quia tua praesentia inspirabit vires militi, & timorem incutiet hosti. Audis non solum ardua, sed impossibilia vincenda, si Princeps adsit. Quis funes ita oblon-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

gi erunt, vt ciuitatis fortissimos muros implicarint? Quae vires, vt implicatos saxeos muros ad torrentem impulerint? Quomodo ciuitatis fundamenta è sedibus euellètur, ita vt nec leues calculi relinquatur. Non dubitabat Chusai se non solum ardua tentare, sed impossibilia; verum vt, quam Principis praesentia iuuet, exaggerarit, ciuitates à fundamentis dilapidandas asseruit. Profectò militibus vires Principis aspectus infundit, ad labores silentio impellit, sine vi cogit. Chusai hyperbole est vsus: ultra humanas vires rem non solum tentandam, sed perficiendam testatus est, quod ostenderet praesentiae Principis energiam, & ad euincendas difficultates valentiam, cum induretur ad labores constantia, & de studio placendi bellicosus, & ardens furor audeat etiam impossibilia. Audi Nostri Sancti. *Magnum ab imperatoris conspectu res bellica capiunt emolumentum, vt docent omnium gentium annales, tam noui, quam antiqui, qui magnas res produunt feliciter gestas, praesente Rege, & illo absente, miserè dissolutas.* Milites, Rege absente, non admodum curant egregijs factis excellere, quia ab ausente Principe existimant ignorari: vnde ardor tepescit, & vigor languet. Itaque ignavis Principis aspectus vires infundit, quia timent displicere, cuius beneuolentiam desiderant elucrari; strenuos exacuit, quia famam cupiunt extendere. Si non Achitophel, sed tu veneris, inquit Chusai, Absalomem alloquutus, nullum erit profugium aduersarijs, quia vel munitissimas ciuitates euertent milites. Cum omnia ad nostram eruditionem scripta sint, iuuat comparare Salomonis lectum cum throno: dormientis lectum custodiunt, non tamen gladios habent strictos, sed vagina reconditos. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Cant. 3. v. 8. In excubiis sunt fortissimi milites, sed licet satius esset, strictos praesentare gladios propter nocturnos, & inopinos timores; nihilominus, dormiente Principe, dicuntur reconditi vaginis otiosi enses: *Vniuscuiusque ensis super femur suum.* Transi modò ad thronum, videbisque cinctum non militibus, sed leonibus. *Duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde.* 3. Reg. 10. v. 19. Si inquiras; Cur qui in lectulo milites, in throno fuerint leones? Respondeo, de somnolentia, aut vigilantia Principis prouenire discrimen: dum Princeps vigilat, adsunt leones inuictis viribus obarmati; dum dormit, vel fortissimi gladios vaginis recondunt, languente vigore fessi. Huc voco, quod aiebat Onofander Strateg. cap. 42. *Conspiciens aliquis ducem suum in re atrectanda omnium Principem, festinandum esse, animaduertit, cessare erubescit, imperatque non parere veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque prouectus accedit.* Instar leonis accedit ad opus in Principis oculis seruans, non adeò alacriter accedit absente. Vel ciuitates muratas euertendas funiculis testatur Chusai, si Principis adsit praesentia: *Tu eris in medio eorum, & irruemus super eum*: quasi aspectus Principis eas militibus vires infundat, vt non solum accingantur ad ardua, sed pertentent impossibilia.

TEXTVS.

VER. 14. Dixitque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem natu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum.

§. XXXVI.

Sapè errorem dissimulare, est duram vindictam sumere.

Inuria quidem nostra est (aiebat Rex Theodahad. 3. Var. 15.) *lesa iustitia: quia violationes earum reru merito ad eos trahimus, quas amamus. Vnde illud maxime inultum esse non patimur, quod in contemptum nostræ iustionis constat admissum.* Sapè ira, dum occurrit crimini, seruit pietati: & dum errans arguitur, ipsa redargutione frænatur. Grauissimum supplicium est, errantem non corrigere, sed contemnere. Vnde disertè Tertul. de Pati. cap. 11. aiebat: *O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit!* Nullum Deus decipit, se quisque seducit: sed cum non redarguere errantem, sit quodammodò fræna laxare, & præcipitia permittere, infelicem, ait Tertullianus, esse illum seruum, cuius Deus emendationi non instat, sed dissimulatis erroribus ad pœnam seruat. Dederat Achitophel consilium Absalonis votis vtilissimum: Chusai non ignarus vtilitatis, conatus est eludere & in partem contrariam Absalonem trahere: orationem suam fulsit facundiæ armis, Rethoricæ clypeis: & dum capit aures, inclinat mentes. Absalom, & populus totus Chusai plausit, consilio Achitophelis reiecto: *Melius est consilium Chusai Arachitæ.* Facile erat Achitophel Chusai consilium redarguere, & esse clarissimam insaniam, ostendere; ora tamen silentio compressit, vt grauiorem vindictam sumeret. Dixerat Chusai, si Dauid ad ciuitatem confugisset, quantumuis præsi dijs, & muralibus machinis esset cincta, à populo funibus circumdari, & ad torrentem impelli: *Circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem.* Quàm esset hæc propositio vecors, amensque, clarissimè adeò constabat, vt facillimè redargui posset, & euerti: nec deerat Achitophel ad maiores superandas difficultates acuta mentis perspicacia, nec rationis deerant pondera. Verùm, vt seueram expeteret vindictam, tacuit, & quam imminere præuidebat ruinam, erroris esse voluit meritam pœnam. Audi Abul. q. 7. *Ratio potuit esse ex indignatione contra Absalom, & seniores Israël, qui videre debuissent manifestè stultam responsionem, & argumentationem Chusai, & ipsi debebant eam illudere, & applaudere Achitophel, sed applauserunt Chusai, & recusauerunt Achitophel; ideo ipse indignatus noluit respondere, sed permisit eos in errore suo.* Grauissima erat indignatio, imminentem præuidere miseriam, & redargutionis, correctionis opportunam omittere medicinam; nam dum Absalom pro salubribus amplectitur perniciofa, è dura, à ramosaque quercu suspensus sustinuit tela. Si Achitophel stultitiam redargueret, & à vesano illo consilio auerteret,

vitasset Absaloni perniciem, ea tamen indignatione incanduit, vt in errore, quem elegerat, lineret, & sinendo (si fas est dicere) morti traderet. O timeant peccatores à Domino non carpi, calamitatique fræno non contineri! Est namque indulgentia periculosa, errores dissimulare, si contingat dissimulatione adaugeri. Quos Deus amat, quos parat sibi, verberare salubri corrigit, & exiguo dolore nunquam sopiendum clementissimus anteuertit. Duo Propheta inficiuntur culpis. Vir Dei in totum sumere cibos prohibitus, fallenti credidit, & Dei celere correctionem sustinuit: in leonem incidit, qui interemit opiparè pastum, cum leones plures attingere ausi non fuerint. Daniele ieiunij luridum. *Inuenit eum leo in via, & occidit.* 3. Reg. 13. v. 24. Veteroso, fallacique seni ^{3. Reg. 13. v. 24.} nulla modò correctio adhibita, nulla calamitas est decreta: cumque certum sit Dei virum leuiter deliquisse, & grauissimè senem peccasse, statim se offert, cur scilicet Deus leuiter delinquentem affligerit, & grauissimè errantem nullatenus increpauerit, nec pœna aliqua corporali mulctarit? Profectò æquitatis lex grauius peccati grauius decernebat supplicium; & tamen contra cum nec asperum verbum profertur. Imò quia in veterosum senem Deus rigide iratus, non adhibuit temporalem pœnam, sed ad nunquam sopiendam seruauit flammam: ipsa sceleris grauitas correctionis impediuit medelam, & cœlestem succendit iram. Beatus fuit Propheta, cuius emendationi Deus institit; infelicissimus, quem dissimulando (vt aiebat Septimius) decepit. Huic casui adapto, quod aiebat Cassiodor. 12. Var. 10. exactores alloquutus: *Parcendo non parcitis: exonerando prægrauatis, & dum venales moras queritis, tributi onera duplicatis. Relinquit tandem crudelem misericordiam, beneficia tota detestatione fallita. Grauius percutit qui blandiendo grassatur; & sub indulgentia ledit, qui consuetis temporibus exigere tributa distulerit.* Misericordia est culpæ tributum; scilicet pœnam statim exigere, nec differre; nam dum solutio differtur grauioribus peccator debitis implicatur: fugienda est indulgentia, quæ dum longa permittit spatia, quodammodo multiplicat onera. Achitophel grandè in Absalonem beneficium conferret, si amplecti adeò noxium consilium non lineret: ast dum tacuit; dum errorem permisit, grauissimam indignationem ostendit. *Indignatus noluit respondere, sed permisit eos in errore suo.*

§. XXXVII.

Cœlestis indignatio media in luce permittit calcitrare, & consiliarios errorem manifestum amplecti.

EXimiè Reipublicæ salus periclitatur, & cœlestis indignatio grauius punire dignoscitur, si media in luce Reipublicæ gubernatores caligent, mentèque exerrent. Aiebat quidam: *Video meliora, probòque, deteriora sequor.* Non carbat luce deteriora secutus, & ipsa conscientia monitus; infelicior esset, si perniciofa amplexus, salubria existimaret delusus: dum monebatur, conscientia stimulus erat ægotanti pro medicina; ast dum prudentia de mentis arce præcipitatur, dum oculorum perspicacia tetrus caliginibus tenebrarum inuoluitur, salus prorsus desperata est, nam voluntas prolabitur, & intellectus confunditur: *Quando intellectus (aiebat Philo de Agricult.) receptum in suam*

suam administrationem gregem anime iuxta nature magistra leges constanter regit, probatum eum reddit, & valde laudabilem: vituperabilem verò, quando non legitime eum tractat, sed seuerè, negligenterque. Dum intellectus animæ motus, passionisque veluti inquietum gregem prudenter continet, viget salus; si verò curam intermittat, insipientiæ nebulis obscuratus, aut errori subiectus, rectore animi motus carentes, in præcipitia labuntur, & miserijs non facile leuandis vrgentur: dum intellectus aurigæ munus rite gerit, vel voluntas contumax salubri violentiæ pareat, & seruit; at si dormitat auriga, viget ferocia, & floret miseria. Hinc est, quòd si corporis politici, rectores, qui intellectus vices gerunt, aut caligent obscurati, aut à ratione deflectant, erroribus varijs infecti, pessum it Respublica, & dum cæca à cæco ducitur, vterque in foueam prolabitur. Qui secuti Absalonem fuerant, à ratione, æquitatèque ingratiissimi descuerunt: vtque sequerentur iuuenem, & lasciuum, repulerunt Dauidem manu validum, & tot de Republica titulis benemeritum. Quid tunc? Deus, vt iustissimas pœnas infligat, lenes, consiliariosque permittit errare, & pro antidoto venena amplecti. Dixit Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachita consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum. Vt Deus patricidam arbori canifici traderet, eiusque signa sequentes saltus consumeret, permittit Israël Summates, Consiliariosque vtilissimum Achitophelis consilium respuere, & prudentiæ prorsus contrarium Chusai amplecti: media in luce caligant Summates, Dei indignatione deserti, & populares perierunt merito supplicio puniti. Audi Caietan. Diuina prouidentia adscribit Scriptura fractionem consilij Achitophel, quamuis boni, hoc est, vtilis Absalom, & rationem reddit diuine dispositionis, videlicet, vt puniret Absalom, qui conspirauerat contra patrem, & tam infame incestum commiserat. Luce erat clarius, quod monebat Achitophel manifestè prudentiæ oppositum, quod suadebat Chusai: verum Deus, vt dignam de populo vindictam sumeret, sic permittit viros Israël, hoc est Procere, Præcipuosque cæcutire, vt, quod manifestè erat vtile, reijcerent, & quod clarissimè perniciosum, præferrent. Si videris Respublicæ consiliarios, consulèque non in inuio, sed planissima in via errare, & media in luce tenebris densis obuolui, scito Deum contra Respublicam indignatum, & grauissimum inflixisse supplicium. Audi Abul. q. 10. Sicut Deus mutat partem affectiuam, & volitivam, ita mutat intellectiuam, vt aliquando faciat nos errare in iudicio... sic autem fuit hic, quia Deus fecit Israëlitas non intelligere, quid bonum esset eis. A consiliarijs abstulit sapientiam, vt grauem populo inferret multam: tam impia, tam fœda, tam incestuosa punita sunt Summatum cæcitate, & infelici gubernatorum errore. Moysem, Aaronemque delegat Deus, vt Pharaonè seuerè puniat; & ne nimis propera ultio videretur, Pharaonis duritiam prius aggreditur miraculis flectere, & delinire. Moyse virga verum in draconem vertitur, Magorum virgæ ad speciem corpora draconum assumunt. Initur certamen: Moyse virga fallaciam coarguit, & Magorum versutiam clarissimè ostendit. Denouit virga Aaron virgas eorum. Exod. 7. v. 12. Quid tunc? Induratum est cor Pharaonis, & non audiuit

eos. Si inquiras quomodo potuit cor indurari, quando manifestis argumentis nequibat intellectus non persuaderi? Respondebit Tertullianus, Deum, vt ab Ægyptijs dignas pœnas exigeret, & marinis vorticibus traderet, permisisse errare, & pro veris falsissima habere. Ipsum audi lib. de Anim. cap. 57. Interiorem mentis aciem excacare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni, & Ægyptijs magicarum dracones. Experiebantur Moyse veritatem, dracones suos videbant facile absorberi, & nihilominus pro suis draconibus stabant, & draconi Moyse præferebant: dumque cæca mens mendacia pro veris amplectitur, Respublica miserandum naufragium patitur.

§. XXXVIII.

Misera Respublica, si manifestè erranti nullus audeat Principi obsistere, aut repugnare.

Pietate plenum est, erranti Principi in totius Respublicæ detrimentum, obsistere, & imminens periculum propulsare. *Rationum publicarum reliquie* (aiebat Cassiodor. 12. Var. 10.) *infausta sunt aegritudini comparanda, quæ granarum debilitant, nisi sub celeritate discedant.* Infausta aegritudo in perniciem verget, ni salubris medicina obuiarit: Si medicus non audeat morbo resistere, sed ægroto malit adulari, de salute prorsus est actum; nam interna febris vires consumet, & ignauia opponere præsidia tardabit. Chusai consilium dedit Absaloni, eius populo manifestissimè perniciosum; & tamen Rex & Optimates annuerunt errori, cumque Achitophel potuerit ab imminente periculo eripere, & Respublicam pessum iri, clarissimè ostendere, ora continuit, nec errantem coarguit: *Melius est consilium Chusai Arachita*: manifestam esse, quod celebrabatur, insaniam, tradit Abul. q. 10. *Omnes applauserunt consilio Chusai, tanquam aliquid dixisset, & ipse nihil dixerat, nisi insaniam.* Quod Princeps amplectebatur, manifestè erat vilitati contrarium, prudentiæ aduersum: Achitophel ad eneruandum illud consilium nec deerat prudentia, nec efficacia, tacuit tamen sibi consulens, & ingratiæ Principis timens. Audi Abul. q. 7. *Fuit timor aliquis incussus à Deo, quia sicut Deus infatuauit omnes Israëlitas, vt crederent consilium Chusai esse bonum, & non consilium Achitophel; ita credendum est quod mutauerit animum Achitophel ad quendam timorem, vt non auderet arguere.* Chusai consilium euidenter erat rationi, & vilitati contrarium, & Princeps secutus, sibi maturabat excidium; sed Achitophel timore compressit ora: & dum nullus erranti resistit, populus perit. Deus ab illo populo dignas decreuerat pœnas exigere, ergo fecit Achitophel timere, & timore linguam reprimere; nam Deus vt ad occasum Respublica vergat, qui possent casibus obuiare, permittit pauido timore impediti. *Credendum est quod mutauit animum Achitophel ad quendam timorem, vt non auderet arguere.* Dum Moyse Pharaoni resistebat, & eius votis audax repugnabat, aliqua spes relucebat salutis; nam Pharaon etiam ad tempus respicebat, & sententiam demutabat, ast dum sub mortis pœna à se Moysem amouit: *Recede à me, & caue, ne ultra videas faciem meam: quocumque enim die apparueris mihi, morieris.* Exod. 10. v. 28. extremam sibi maturauit calamitatem; Moyse timore recessit retardatus, & Pharaon errores est profecutus.

Exod. 7.
v. 12.

Exod. 10.
v. 28.

Respondit Moyses: Ita fiet, ut locutus es; non videbo ultra faciem tuam. Pharao insaniebat, quin aliquis admonitionis frænaret medela, aut salubri occurreret medicina: ergo & cœlestis defœuit ira, & properauere naufragia. Audi Abel. q. 8. *O miserande, & miserabilis Pharaos, stultus te furor exagitat! Nunquid ex precedentibus castigatus non euasisti? Tu mortem comminaris eis, quem toties pro vi a exorasti? Insanis valde & longè aliter quam existimas, tibi est euenturum.* Sc Pharao felicem existimabat, sit Moyses impeditus timore, insaniam eius non reprimeret, nec dignis castigationibus coërceret, verùm falsus omninò est; nam dum ad nonere posset, est timore retardatus, liberius insanit procacia, & grauiora proxima uere supplicia. Nihil enim populo infaustius est, quàm si nullis audeat superioris, Principisque erroribus manifestis obistere, nec votis iniquissimis repugnare.

§. XXXIX.

Si Princeps, aut Superior vnus tantùm consilio regitur, Respublica asperis obnoxia casibus inuenitur.

SI plura pro generalitate conueniant sapientium consilia, salus viget & felicitas floret, testantur Scriptura: *Salus autem, ubi multa consilia.* Prouerb. 11. v. 14. Vbi à multis tractatur sapientia, facilius præuidentur pericula: si verò Princeps, aut Superior vnus tantùm dictamine gubernetur, obnoxius erroribus pronuntiatur. *Decet (aitbat Cassiod. 8. Var. 12.) tractatores habere doctissimos, quibus potestas summa committitur, ut, nullo defectu impediante meritorum, prouisa utilitas Reipublica explicetur.* Difficilius est, multorum consilia iniquis affectionibus deprauari, quàm vnus dictamen corrumpi. Qui vnus sententia regitur, qui vnus arbitrio ad generalitatis gubernationem subiectus esse probatur, sibi detrahit, & Reipublicæ officit. Chusai consilium præbet ad speciem sapientiæ plenum, sed reuerà regenti, & populo satis nocuum; Chusai sententiam secutus est Absalom: *Melius est consilium Chusai:* & dum non examinat, errat: totus populus cum gubernatore periit, dum vnus arbitrium omnia disposuit: ut nobis velut in imagine adumbraret facta Scriptura, quàm conducat multorum adhibere consilia, & quàm noceat vnus rectorem gubernari sententiâ. Hoc accidisse, ait Caietanus ut Absalom puniretur, & Respublica quassaretur: *Ut puniret Absalom, qui conspirauerat contra patrem, & tamen infanem incestum commiserat.* Dum Absalom vnus tantùm dictamine regitur, asperis obnoxius casibus inuenitur. Sæpè Superiores, Principesque, dignitatis retento nomine, & excusato laboris censu, regiminis habenas vni, aut alteri prorsus committunt; & qui debuissent cæteris imperare, vnus arbitrio probantur seruire, & alterius voluntatem secuti erroribus inueniuntur expositi. Si Absalom circa Chusai sententiam alios consulere, si rem prudentiæ trutina examinaret, insaniam esse dignosceret; aut ubi omnia vnus decreuit disponenda consilio, corruit in bello. Ad nostram eruditionem summus sæculorum Princeps ministri arbitrio omnia Iobi, eiusque familia commisit: *Ecce vniversa, qua habet: in manu tua, sunt.* Iob. 1. v. 12. Minister praua af-

fectione corruptus, & imperium Principis extendi nullatenus studiosus, citò omnia perdidit, & ut sibi consuleret, deualtauit. Iam Chaldaeos adduxit, iam oues innoxias allatis flammis deperdit, iam tempestatum volumina mouit. Non vides quanta emerferint damna ex potestate vni ministro, & quidem improbo tradita, & prorsus commissa: Vbi omnia gubernantur singulari iudicio, innoxia oues vstulabantur, & Chaldaei ditabantur. Qui ob sollicitam in alendis gregibus curam fuerant munerandi præmio, afficiebantur supplicio. Sic Principi, & Reip. accidet aliquando, si singularis minister omnia pro suo arbitrio disponat, & nullius consilium audiat. In ministri manu Deus omnia posuit, ut nobis exhiberet exemplum, docerétque quanta oriantur incommoda ex tradita Reipublicæ administratione vnus ministri arbitrio, & imperio: nam cum possit cōtingere, illum aut ambitione aduri, aut amulatione adurgeri, aut incomptis moribus infici, omnia perdet, si pro arbitrio suo Reipublicam gubernarit. Prodest. Orig. lib. 1. in Iob. *Omnia, quaecumque habet, dedi in manum tuam, qua iram, atque gladium continet; qua prelia, atque bella operatur, que perditionem, atque damnationem perficit, que doloribus non satiatur, que sceleribus, atque impietatibus inhiat. In hæc, inquit, manum tuam trado omnia.* Quod Deus summa sapientia, prouidentiæque fecit, plures Principes, Superioresque imitantur consulibili inertia, damnabili ignauia, omne regimen in vnus manus ponunt, qui si, ut potest accidere, iniquis sit affectionibus deprauatus, aut dictaminibus non bonis imbutus, Principis auctoritatem imminuet, & Reipublicam quassabit. Dum Absalom ex vnus Chusai sententia omnia disponit, & omnia perdit.

TEXTVS.

VERS. 15. & 16. Et ait Chusai Sadoc, & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israël: Et ego tale, & tale dedi consilium. Nunc ergo mitrite citò, & nunriate Dauid dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeat Rex, & omni populus, qui cum eo est.

§. XL.

Non ita alieno filendum est patrocínio, ut tibi non prospicias labore proprio.

Iuat plurimùm Procerum suffragium & Magnatum patrocínio, quia facilius assequitur, quòd tantorum suffragijs conquiritur; verùm ita exambienda sunt patrocinia, ut propria accesserint merita: nam si propria desit sollicitudo irrita solet esse protectio. Narcissus libertus patronum ambiuit Mercurium: patronus gressum iussit accelerare, ut omnia essent procliuia, & fausta. Audi Sen. in ludo: *Ille patrono plura blandiri volebat, quem Mercurius iterum festinare iussit, & virga morantem impulit.* Mercurius liberti erat patronus; opus tamen erat, ut libertus gressum acceleraret, nec ignauia patrocínio eluderet. Plures, dum patrocinijs nimis

Prouerb. 11.
v. 14.

Iob. 1. v. 12.

nimis fidi torpescunt, sibi calamitatem asciscunt. Chusai eximius Dauidis patronus, eius partes suscepit, & Absalonis, populique impetum retardauit, admonuit tamen Dauidem ad tuta cito confugere, & sibi praesidia quaerere, ne, dum patrocinio filius, pereat campestribus immoratus. *Tale & tale dedi consilium... Nunc ergo mittere cito, & nuntiate Dauid dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deseri: dum accelerat gressum, dum Chusai sortitur patrocinium imminuentem euasit calamitatem, periret sine patrono: satis non esset patronus sine profugio, aut dum utrumque associatur, vis calamitatis illiditur. Prodest Lira. In Hebraeo habetur: Ne consulatur Regi, scilicet Absalom, quod faciat consilium Achitophels, & sic inueniretur Dauid, & eius exercitus lassus, & fatigatus, & sic de facili posset capi.* De facili posset Dauid capi, si subsisteret Chusai patrocinio filius, non tamen erat absorberi facile, Chusai properantem Absalonis audaciam tardante, & Dauid gressum celeriter promouente, Absalom daemone gmisse figuram compertum est. Ergo licet sancti peccatorum patroni malignis consilijs obtinent, & conatus retardent, opus tamen est peccatoribus gressum promouere, & ad virtutum tuta confugere. Chananæa illa mulier Apostolos est sortita patronos: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Mat. 15. v. 23. Audit pro se interuenire, nec differt gressum accelerare: *At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.* Praecum persequerantia, repulsæ patientia, suffragijs Apostolorum accedentibus, votum obtinuit, & daemone effugauit. Notauit eleganter Basil. Sel. or. 20. *Mulieris oratores sunt Christi discipulis, & infirmis mulieris susceptis precibus, hortantur Dominum: Dimitte eam.* Adnectit: *Se se dimisit, nec iniurijs fidei firmitudo infracta est.* Totam curationis mensam ei Christus explicat, non micas, vt cani, sed panem integrum dilargitus, quia proprias adiunxit interuentorum suffragijs preces: dum clamat, assequitur, nescio, an obtinisset tacens, & patronis fidens: aut dum sanctorum sortitur patrocina, & ipsa propria adiungere curat merita, tulit de daemone triumphum, & sortita est infirmitati remedium. Vt hinc noscamus, prodesse plurimum sanctorum patrocinijs iuari, si conemur mereri, & ad tuta penitentiae asyla confugere. Dauid Absalonis frustra conatum Chusai ope, & ad praesidia celeri pede. Angeli pro muliere depugnant, & versuti serpentis captiosos conatus tardant: *Michaël, & Angeli eius preliabuntur cum dracone.* Apoc. 12. v. 7. nihilominus prudens femina, etsi tantam sortita tutelam, celerem arripuit fugam: *Ecce mulier fugit in solitudinem.* Dissocabatur diabolus, tutela retardatus, & mulieris fuga delusus: & quidem ni mulier fugeret, tutela forsitan non prodesset. Audi Ricard. apud Glos. *In solitudinem, ubi solis diuinis intendat, persequente diabolo, recedit.* Nobis hac in imagine vincendi tentationes, serpentis versutos cludendi conatus forma praescripta est. Angeli pro nobis contra antiquum serpentem suscipiunt praelium, sed arripere nos oportet etiam volatum.

TEXTVS.

VERS. 17. Ionathas autem, & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nuntiauit eis, & illi profecti

sunt, vt referrent ad Regem Dauid nuntium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.

§. XLI.

Sæpè ancillæ ad seruilia mittuntur opera, vt ad deferenda expectantibus rendant nuntia.

Sæpè opus est aliena vti industria, vt expleri quierint vota; rerum arduitas alienis operis solet vinci, quæ proprijs non poterat actionibus superari. Seruilis ministerij specie famula excunt, cum reuera ad deferenda mittantur nuntia, & ad indicanda secreta. Occurrunt aliquando difficultates, quia solertia inuigilat, & cautela occurrere periculis adlaborat: cumque seruilia nequeant ministeria excusari, per famulas rectè res solet disponi, quin possit suspicio sagax rem odorari, aut prudentia conijcere. *Memorant, qui, equum cum pingeret (scribit Plutar, Comment. de fortu.) & reliquis quidem partibus, & coloribus successum habuisset, spuma verò, quæ ad frænum verberabatur, atque cum anhelitu excidebat, raritatem non probavit in pingendo, sæpius eam abstersisse, tandem iratum impigisse rabula spongiam, sicut coloribus erat infecta, quam iniectam miracè expressisse, & reddidisse, quod optauerat.* Varijs medijs utebatur industria, varia adlaborabat meditatione peritia, nec erat facile, quod desiderabat, assequi. Per spongiam impactam, & colotibus aptis imbutam assecutus est pictor, quod aliter absoluere nequiuisset: quod pictori dedit casus, alijs in materijs astutia comparare solet successus. Nequit ars, nequit industria difficultates euincere, sed spongiam, hoc est famulam sermonibus aptis imbutam mittit, & per illam rem absoluit. Certiorem oportebat Dauidem fieri de Absalonis animo: erat res difficultatibus plena, quia vias occluserat vigilantia. Quid tunc? Famula mittitur ad fontem, pannos lotura, & cum ad seruilia opera videtur exire, benè instructa negotium potuit absoluere. *Ionathas autem, & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nuntiauit eis.* Querunt Interpretes: Quomodo ancillæ permiserunt egressum, qui omni sollicitudine satagebant, ne quis vrbe exiret, & Dauidi, quæ tractabantur, nuntiaret? respondentque vt pannos lauatura, fontem petiuisset, & eo pretextu exire permessa, omnia denuntiasse secreta: videbatur exire ad seruilia opera, cum reuera expectantibus deferret nuntia. Audi Hugon. *Abiit ancilla, quasi pannos lauatura.* Itaque vt aperiret occulta, ad seruilia fingebat tendere ministeria. O quoties dominæ ancillarum vtuntur opera, & ad fluuium pannos mittunt lauare, vt ibi de industria expectantibus quierint nuntia deferre. Zelotypia, aut suspicio indicijs fundata domo vxorem continet, sed industria ancilla negotium perficit, & absoluit. Mulier impietate iubuta exire foras prohibetur, & qua sedet amphora, massa plumbea obstruitur: *Proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Zachar. 5. v. 8. Crederes mulierem profus impeditam, & retardatam; verum mulierem profus impeditam, & retardatam; verum muliercularum ope vsa, quod corde excogitarat, perfecit; & quantumuis clausa, absoluit: *Ecce due mulieres egredientes, & spiritus in alis earum: & habebant alas*

Mat. 15.
v. 23.

Apoc. 12.
v. 7.

Zachar. 5.
v. 8.

alas

alas quasi alas milui : & leuauerunt amphoram inter terram, & caelum. Existimabat solers cautela mulierem oclusam sedere, nec posse infans appetitibus inferuire; verum dum impedita muliercularum vsa suppetijs & operis, absoluit vota, quin clausuram fuerit egressa. Innuit Interlin. *Quibus portetur conclusa, sequens lectio docet.* Conclusa mansit, sed aliena industria, quod desiderabat, perfecit.

§. XLII.

Nihil adeo sic oculere potest solertia, ut aliqua non effluerit notitia.

Curiositas lynceos sortitur oculos, intima cordis rimatur; & ut venatici canes odoratu subterraneis foueis latitantia animalcula deprehendunt, ita, quæ abstrusa, & notitiam prorsus videbantur effugere, curiositatis odoratu inueniuntur prodi. *Vlysses* (scribit Plutar. de Curios.) *ne genitricem quidem prius sustinuit, quam didicisset ex vare, qua de causa ad inferos cõcessisset.* Curiositas vatis quodammodo exercet munus, & rem densis calatam tenebris indagat, & profert. Occulta erat *Vlyssi* matris causa, & ad inferna descensus, non tamen defuit fatidicus, aut fanaticus, qui proderet, aut sciret. Vnde aiebat *Eccles.* *In cogitatione tua Regi ne detrahās, & in secreto cubili tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* *Eccles.* 3. v. 20. Quid occultius, quàm cogitatio? Quid secretius, quàm parietibus contactum, & obseratum? nihilominus non defunt aues, qui abstrusa cordis conijciant, & cogitationes prodant. *Aues cæli* (inquit Hugo) *quia habitant in hoc aere caliginoso.* Ipsa in caligine volant aues damnabili perspicacia præditæ, quæ tenebris contexta videant, & referant. Iuxta fontem Rogel occultebantur ea cautela *Ionathas*, & *Achimaas*, ut videri nequirent: *Non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.* Latitabant suo videri abstrusi, & ab oculis prorsus remoti; nihilominus non defuit puer, qui latitare conspiceret, & *Absaloni* nuntiaret: *Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom.* Compose cum hac clausula *Vidit* clausulam illam. *Non poterant videri.* Si puer vidit, quomodo videri nequibant? & si deprehendi nequibant, quomodo puerulus & vidit, & protulit? Quia etsi omnium notitiam fugerent, inquit *N. Sanct.* opus erat ancillæ notum esse latibulum: hæc paruulum filium habebat, qui, fortè in scia matre, illam secutus, cum quibus loqueretur, notauit, & periculi ignarus, protulit. Audi eruditum Interpretem: *Hic puer filius esse creditur illius ancillæ, qua a duobus sacerdotibus ad duos illorum filios mandata pertulerat. Ita Hebræi ex Hieronymo in Trad. Heb. qui cum nesciret quantum & matri, & alijs periculum astrueret, aut certè quia aliquam gratiam inire ab Absalone voluit, ad illum retulit, quid vidisset ad fontem.* Non aduertit mater, viros allocuta, puerum spectare, aut audire: ille verò periculi materni ignarus, quod vidit, retulit, & eius relatione fuit manifestum, quod tanta fuerat cautela occultum. Nonne vides in historia veluti in speculo, quod sæpè sapius compertum est contigisse? Mater alloquitur virum, pueruli oculos, aut aures non verita, & sæpè periculi inscius redeunti parenti refert, vnde occulta præter omnem opinionem inueniuntur vulgata. *Moyse* adesse nullam intuitus, *Ægypti-*

tium percussit, & cadauer fabulo abscondit. *Cum circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussit Ægyptium abscondit fabulo.* *Exod.* 2. v. 12. *Credidit rem sine teste patratam, & nullatenus noscendam, cum in vilius notitiam deuenire non posset, & tamen sequenti die audiuit: Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Quærent Interpretes: Vnde homo ille hanc venatus fuerit notitiam? *Abulensis* innuere videtur, ipsum, in cuius gratiam *Ægyptius* fuerat occisus, familiaribus denuntiasse, & notitiam facti sparsisse: vnde, cum ipse, qui tenebatur tacere, non potuerit ora comprimere, res innotuit, & *Moyse* fugit. *Abulensem* audi: *Huius rei testis, aut publicator esse non posset præter illum Hebræum, qui affligebatur, coram quo non timuit Moyse occidere Ægyptium, quia satis credidit, illum nunquam dicturum, cum in fauorem eius ista fecisset.* Ut *Hebræo*, qui durè percutiebatur, subueniret, *Ægyptium* interfecit, interfectum abscondit, ratus homicidium prorsus celandum; ipse tamen *Hebræus*, in cuius gratiam mortem intulerat, publicauit. Non semel fœmina validis munerum arietibus imposita, aut blandis adulationibus prouocata pudicitiam prostituit, ea tamen cautela, ut nullus præter criminis consortem sciuerit; verum ille ipse criminis particeps alijs refert, triumphum ostentans, aut euanidam gloriam captans: vnde quod putabatur densissimis tenebris inuolutum, agnoscitur ad multorum aures perlatum.

§. XLIII.

Virtutem secuti, improborum odia, & pericula inueniuntur frequenter passi.

Virtus est, per quam & parua coalescunt, & potiora seruantur; verum, sic à plurium cordibus exulat, & eius affeclas auersentur, & odio iniquissimo persequantur. *Detestantur* (inquit sacra Scriptura) *Ægyptij omnes pastores ouium.* *Gen.* 46. v. 34. Si causam cæci odij, detestationisque inquiras, respondebit *Philo de Agricultura*, per pastores bruta continentes, & gubernantes denotari virtutis studiosos, qui brutas concupiscentias compefcunt, & rationi viuunt. Ipsum audi: *Anima potentias tum rationales, tum brutas considerare est propositum: merito se iactabunt, qui sibi sunt conscij, quod possint brutas compefcere, ascitis in auxilium rationalibus.* Non detestarentur *Ægyptij* caprarum, ouiumque curam agentes, ni improbitate pleni concupiscentijs habenas laxarent, & infans appetitionibus inferuirent: verum odio erant improbis, qui cicutabant cæcas passiones, & eximias sequebantur virtutes. Ob id opus fuit *Ionathæ*, & *Achimaas* latere, quia non licebat cum *Absaloni* partes sequentibus viuere. *Ionathas* autem, & *Achimaas* stabant iuxta fontem Rogel: rationem tradit. *S. Textus: Non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.* *Ionathas*, qui interpretatur columba, aut columbæ donum, & *Achimaas* *Dauidis*, hoc est *Christi* partes secuti, verebantur in aliorum conspectum deuenire, & ciuitatem introire: ut qui benè nouerant, graue sibi periculum imminere. *Huius* exilij causa erat, *Dauidis* partes agere, & conatibus improborum obniti. Audi *Abul.* q. 11. *Isti duo viri nominantur hic, quia erant cursores Dauid, & non audebant ingredi in vrbe, ne caperentur, & occiderentur.* Horum erat crimen, iniquam coniurationem auersari, *Absaloni* sequentes

Eccles. 3. v. 20.

Gen. 46. v. 34.

quentes exemplo confundere, & sacerdotum munus, prænuntiando pericula, absoluere. Nec mirum, cum libido auerfetur pudicitiam, iustitiam, capacitas, sanctitatem, improbitas. Opus est pro virtute stantibus ad latebras confugere: utque aiebat Paulus, in solitudinibus oberrare. Non capit adulantium urbs veridicos, non admittit moratos, non sustinet probos. En Absalom sceleribus diuenditus, honestatis persequitur studiosos: & quia Ionathas, Achimaalque conatibus impijs obfistunt, nec latebris degere tuti queunt: dum incautos admonent, dum ignorantes erudiunt, dum iniquas fraudes aperiant, odio sunt implacabili Absalom, & vexilla eius secutis. Grando, horrida que tempestas hordeum, linumque impetit, & adfultibus violentis prostermit. *Linum ergo & hordeum læsum est.* Exod. 9. v. 31. Huius tempestatis, læsionisque causam sacra Scriptura designans, ait: *Eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret.* Hordeum, linumque tempestatis patiuntur adfultus, quia florent gratis viroribus: hordeum læditur, quia viret, linum, quia fulget. Si hordeum marceret, inter Ægyptios violentiam grandinis non sentiret, si linura folliculos non produceret, tempestatis asperitatem vitaret; Ægypto verò flatibus ventorum læduntur, quia adaucta miris incrementis probantur. *Linum* (inquit Stephan. in Alleg. Thylm.) *est munditia carnis, sed ideo læsum est, quia folliculos germinabat.* Candens linum, dum nouis candoris pudicitiam adauget, dum pulchris virtutum germinibus viget, in Ægypti terra premitur, quia in Ægypto apis, bos tardigradus adoratur. Puritatis nequibant non odisse candorem, qui cæci sequebantur brutalitatem. Linum excusasset turbinem, ni seruasset puritatem; ast pudica castitas dum condemnat sordidissimam improborum luxuriam, nequit non pati duram malevolentia molestiam.

Exod. 9.
v. 31.

TEXTVS.

VERS. 18. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.

§. XLIV.

Pueri deteriores partem sequuntur, ni ab infantia bonis moribus expoliantur.

Redis pueritia viuit sensibus, non virtutibus, sequitur appetitui consona, refugit disciplina seuera. Ut plantæ, ni à tenera ætate dirigantur, flectuntur, & agrestes arbores ni generosis insitis meliorerentur, fructus asperos producere dignoscuntur; sic pueritia, & adolescentia inclinant ad deteriora, ni laboriosa exulta fuerint doctrina. *Nefas iudicauimus* (aiebat Cassiod. 9. Var. 21.) *doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum argumenta prouocandi.* Multa Respublica debet, adolescentiam bonis moribus informanti, & litteris rusticitatem comenti; nam si adolescentia, aut pueritia sibi permittantur, deteriora sequi naturali inclinatione noscuntur. Puer Absalonis patres referatur secutus, Dauidi aduersus. *Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom.* Cum sæpè iam Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

statuerimus Absalonem fuisse serpentis versuti umbram, puerulus sequitur, Dauidi Christi imagini aduersatur; nam puerilis ætas facilius ad appetitui conlona inclinat, quam seuerioris disciplina polituram exambiat. *Quia aliquam gratiam* (inquit N. Sanct.) *inire ab Absalone voluit, ad illum retulit, quid vidisset ad fontem.* Dauidi conatus est aduersari, & Absalonis gratiam inire, quia adolescentes malunt voluptatibus addici, quam cultis moribus studere. Ob id, qui iuuentutem instruit, qui virtutibus expolit, bellum dæmoni indicit, & Republicæ causam agit. Vbi sponsa regendi hædos curam suscepit, Dei æquitati contra Pharaonem scriptura comparauit. *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatum meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. v. 7. Id est, ut assimilatis equitatum meo contra Pharaonem, tibi hædos regendos commisi, & eorum suscipere curam monui. Bene: sed inquitendum est, in quo hæc similitudo consistat: nam cum equitatus Dei appelletur nubes, Pharaonis furorem iactis fulminibus reprimens, & vibratis fulgurum spiculis in fugam vertens. Non videtur similis, quæ petulcos agit, & regit. Quæ enim similitudo intercedit inter aduersarios demergentem, & petulcos curantem? Magna equidem (inquit N. Delr. in Mixta) nam dum petulcus ætatis ardore lasciuens, continetur vtili castigatione, & ad tuta pascua ducitur, indefessa sollicitudine, Pharaon, hoc est dæmon mirè torquetur, & arripere fugam cogitur. *Hædi sunt conseruendi, sanandi & paulatim in oues mutandi, & de sinistra in dexteram transferendi.* Hædi in sinistram erant collocandi, & Pharaoni tradendi, ni sponsa in mansuetas oues transferret, & bonis moribus expoliret; verum dum ad tuta ducit, dum casibus eripit, dum ad prudentiam componit, Pharaoni bellum indicit: utque olim nubes, vertere terga compellit. Redeat idem Delr. ad Litt. *Hostium robore exciso, & adepta victoria, simillimam esse decreui.* Dum pueri ad virtutem formantur, vires Pharaonis, hoc est dæmonis eliduntur. Adolescentiæ puerilisque ætatis periculum mirè expressit Christus, cum semel oues, & bis agnos accuratè pascere, Petro præcepit: *Dicit ei: Pasce agnos meos, Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam? Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.* De amore bis inquititur, cum agnorum cura demandatur, semel, cum ouium iniungitur: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. v. 16. Hinc oritur quæstio: Cur semel oues, & bis agnos commendat? Et cur feruidi erga Deum amoris clarissimum sit testimonium agnorum curam suscipere, & salubria illis pascua indefessa sollicitudine prouidere: Quia cum ouium ætas sit maturior (inquit Theophil.) & agnorum tenerior, difficilius est agnos continere, quam oues pascere. Profectò sine magno Dei amore nullus quiret rudes paruulos erudire, inquietos cogere, & ad virtutem instruere: ergo cum paruulorum institutio magnis sit laboribus plena, requirebatur viuidiior amoris flamma. Theophil. audi in Cat. *Potest quis assignare differentiam inter agnos, & oues. Agni sunt qui introducuntur, oues verò perfecti.* Gubernare oues iam maturas, & rationi parentes, non aded est arduum, agnos verò ad perfectionem ducere, cum ætas reluctetur, est laboriosum, & molestum: ergo bis repetitur circa agnos vigilantia, & circa oues semel præcipitur cura, ut nouerimus pueros, adolescentis que ad virtutem dirigere, esse valde arduum, mo-

lētūmque, ac difficultatibus plenum. Ardenter Deum amat, qui puerorum gregem gubernat; hæc namque ætas proclivis est ad pueriles ludos, difficilis ad morum profectus.

§. XLV.

Facile declinat periculum, humilia tenens; non facile celsis lucens.

Multiplices contra bonos viros tenduntur insidiæ, quas effugere non est arduum, si mediocribus simus contenti, nec culminis ambitiosi. Qui fulget, invidia quid auferret, ostendit: declinanda est hæc invidentiæ, & cupiditatis occasio; nam dum quod lucet non intuetur, sedatur, si quid, verò irritarit, adurit. Prudentes suspectam semper habuerunt felicitatem; vt pote discriminum occasionem. *Tulit te longè* (aiebat Sen. epist. 19.) *à conspectu vitæ salubris rapida felicitas, prouincia, & procuratio, & quidquid ab istis promittitur: maiora deinde officia te excipient, & ex alijs alia. Quis exitus erit? Adnectit: Quid enim ad rem pertinet, an tu quiescere velis? Fortuna tua non vult. Quid si illi etiam nunc permiseris crescere, quantum ad successum accesserit, accedet ad metum.* Mediocria, & humilia sectantes, discrimina eludunt, celsa occupantes, rarò non metuunt. Vt putauit Absalom, Ionatham, & achimaas fortunæ eius obuiare successibus, contra eos misit armatos. Illi periculum præfagientes, citato gressu inuolarunt, & in puteum descenderunt. *Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi verò concitato gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.* Si inquiras: Cur ad celsiora domus non inuolarint, sed ad profundiora descenderint? respondebit Abul. q. 13. imminenti pericula melius declinasse, tenendo humilia, quàm celsa: & quidè dum humilia eligunt, pericula effugiunt. *Latuerunt in puteo, quia non erat alius locus tam conueniens.* Locus humilis eos protexit, celsus fors traderet. Vt historiæ coloribus adumbratum nouerimus, quàm sint humilia, ad frustrandum periculum tuta, & quanta, qui celsa exambiunt, contra se excitent prælia. Ionathas, & Achimaas, ni descenderent, disperirent. Zachæus arboris cacumen incendit, sed iussus descendere, dereliquit: *Festinans descendit.* Luc. 19. v. 6. *Quid tunc? A Domino audit: Hodie salus domui huic facta est.* Et quare hodie? Quia hodie Zachæus didicit, Christo viuere, alta deserere, dū cæteris eminebat altior, & à salubri distabat securitate, vbi descendit, placida vsus est quiete. Dum quod ambitio, inuidiæque expeteret, nihil habuit, casum effugit: & fortè, ni statura pusillus arborem incendisset, tantam sibi inuidiam non conciliaisset; ast dum naturæ prærogatiuis non exornatus discupit præ alijs eminere culmine celsus, multis periculis inueniebatur obnoxius: ergo si salutem, pacemque exambit, sublimia deserat, humilia appetat. Graphicè Chrysol. ser. 54. *Si sapias, festinans descende: descende ante Dominum de Adamatica arbore.* Sublimitas affectata deiecit Adamum; ergo descendat, vt humilitas leuauit Zachæum, nam plana à periculis sunt remotiora, ardua præcipitijs probantur vicina.

§. XLVI.

Opus est nobis amicorum profugium, vt pernix inimicorum frustremus odium.

ET si sollicita inuigilarit industria, & industriosa prouideat sibi cautela, opus est alienis præfidijs, quia ambitiosa improbitas, & velox semper peruerfitas, iustitiæ studiosos perniciousis insequitur, & vt noceat, defatigatur. Multiplices in hoc sæculo contra bonos viros tenduntur insidiæ, quas difficilè effugiet, qui amicorum subsidia non habuerit: ni succurrat amicorum fauor, inimicorum nocebit furor. *Infatigabilis* (aiebat Cassiodor. 1. Var. 25.) *ambitus erit.* Ambitum putas laboribus dilassandum, reperies tamen ascitis semper viribus præualidum, & robustum, odium putes temporum lapsu medendum, sed ipsa inuenies diuturnitate validius: fatiscit aliquando propriæ salutis cura, inimicorum tamen infatigabilis gliscit furoris infania. Vt odorati sunt Ionathas, & Achimaas Absalonem contra ipsos truculentos emissarios destinaturum, cursores ex se velocissimi, & timoris assumptis alis fugam citissimo gradu arripiunt, seque in amici domo ab emissarijs defendunt. *Concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.* Ad sibi noti, amicique domum confugisse, tradit. N. Sanct. vt insequentium sollicitudinem cassam redderent: *Ingressi sunt domum viri sibi, vt apparet, noti, & amici, vt ibi tandiu laterent, donec nihil ab emissarijs illis foret periculi.* Abul. q. 12. inquit: Cur ad amici inuolarint profugium, cum ipsi velocissimi essent cursores, & non exiguo tempore antecederent emissarios? *Quare isti duo viri latuerunt in Bahurim, & non fugerunt; nam cum scirent se visos, poterunt fugere, cum essent cursores velocissimi, & dum nuntiabatur Absalom de illis, possent transire magnam partem itineris, ne quis consequeretur eos?* Non querendum videbatur latibulum, cum non exiguo tempore antequam emissarij destinarentur, viam arripuissent, & concito gradu inuolassent, ad amici tamen confugerunt præsidium, prudenter conijcientes velocius inuolaturum odium, & sine amici ope nullatenus effugiendum periculum, & infatigabile nocendi studium: veriti sunt, ne itineris labore iporum lassaretur animus, & perniciosior esset ad persequendum peruerfitas, quàm ad fugiendum periclitantis actiuitas: ergo ad amici confugerent tutamen, ne deprehensi subirent mortem. Audi Abul. *Si non laterent, persequerentur eos equites, & ipsi deficerent præ lassitudine.* Mirè, quod nobis accidit, adumbratum est: fugimus persequentes dæmones, importunissimas tentationes; sed ni ad Virginis, Sanctorumque confugiamus tutelam, inimici assequuntur victoriam; nam cum persequentes ignorent lassitudinem, & nos sentiamus laborem, deficiamus, & lassitudine retardamur: vnde, ni nobis adsit Sanctorum amicorum tutamentum, difficulter euademus naufragium. Assumptis velocissimis alis, aëra secabat mulier, serpentis dolos effugiens: hoc in conflictu sortita est telluris opem, qua elusit captiosam fraudem. *Adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit draco de ore suo.* Apoc. 12. v. 16. Otiosum satis videbatur tel-

Apoc. 12. v. 16.

tibus

tibus adlaborat : fortassis mulier volatu defatigata, lentius fugeret, & serpens defatigationis expers, victoriam reportaret; ast dum tellus turbidas vndas absorbit, securitatem mulieri attulit. *Adiuuit terra mulierem* (inquit Ansel. ad hunc locum) *scilicet Christus dedit vires Ecclesie patiendi aduersa, vel Sancti orando.* Sanctorum orationes effecerunt, ne deficerent volantis vires, & ne tumescerent à serpente ciaculati torrentes; nam cum serpentis sit infatigabile odium, opportunum fuit, ne mulier dilassaretur, auxilium. Hinc patet, quam utile sit peccatoribus, Sanctos habere patronos, & auxiliares, vt serpentis effugiant thecnas, & aduersitatum vndas.

T E X T V S.

VER. 19. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans pifanas, & sic latuit res.

§. XLVII.

Vbi Maria Sanctissima adest hominibus patrocinium, desperat de victoria demonium.

SVb sanctissimæ Virginis tutela salus munitur, & bellorum cum serpente periculum præcauetur. Ad Mariæ Sanctissimæ conspectum versutia dæmonis stultescit, efficacia fatiscit, ars nil proficit. Spem habet vincendi virtutibus expolitos, & moribus cultis præditos, si Mariæ non adfit tutela; si verò, etiam peccatori, adfit, quasi coluber excantatus, & effumigatus, in ima sua delitescit abstrusus, & desperatione victoriæ rabidus. Retiarum cura hostibus erat infausta, quia impetus retundebantur, & conatus frustrabantur. *Retia* (aiebat Cassiod. 7. Var. 4.) *munimina sunt Italiae, & claustra prouinciæ. Quæ non immerito sic appellata esse iudicamus, quando contra feras, & agrestissimas gentes velut quedam plagarum obstacula disponuntur; ibi enim impetus gentilis excipitur, & transmissis iaculis sauciatur furibunda præsumptio. Sic gentilis impetus vestra venatio est, & ludo geritis, quod vos assidue feliciter egisse sentitis.* In Retiarum præsidio degens, facile assequitur, quod alibi sine anxio certamine non assequeretur. Nec aliter contigisse videas sub Mariæ tutela, & patrocinio degenti: est namque validum contra feras obstaculum, contra gentes agrestissimas tutum profugium. Sauciatur dæmonis furibunda præsumptio, quia experitur Mariæ præsentia eius impetus eneruari, & conatus prorsus eludi. Armatur Absalom fortissimos emissarios, qui Ionatham, & Achimaas persequantur, & reducere captiuos conentur: non ignorabat esse cursu velocissimos, & satis à se distantia remotos; nec tamen furibunda desperauit præsumptio. Quid tunc? Ionatham, & Achimaas in puteo mulier abscondit, & velamine tegit: & iam tota insequentium sollicitudo frustrata est. *Tulit mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans pifanas, & sic latuit res.* Sic res latuit, vt emissarij irrito labore defatigati, & cõprehendi desperatione furiosi, pedem retulerint, & ab inquisitione cessarint. *Qui querebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem.* Si inquiras: Cur iter non prosequantur, sed ab inceptis desistant, confusique redeant? respondebit Abul. q. 13. *desperasse de successu, & irritò laborasse conatu.* Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

Abulensem audi. *Viri Absalonis tanquam desperantes iam posse consequi illos, redierunt in Ierusalem.* Sic eos res latuit, vt omni spe amissa, à persecutione cessarint, & abstinerint. En ad mulierem, Virginis umbram confugientes, emissariorum frustrarunt sollicitudinem, euaseruntque mortem. Vt veluti in speculo videas, quam sit sanctissima Virgo inexpugnabile castrum, & tutissimum munimentum. Sponsam equitatus contra Pharaonem vices gerere testatur Sponsus: *Pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum: equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te, amica mea.* Cant. 1. v. 7. *Ac si dicat: Hædi sub cura, tutelæque tua degentes, luporum non patientur ad sultus, quia ad eos protegendum es industrissimus equitatus.* Alludit ad Exod. 14. historiam: insequabatur Pharaon pertinacissimè Hebræos, spebus inductus, & iterum in captiuitatem reducendos suafusus; verum vbi sensit pro Hebræis columnam stare, iam animo excidit, & aufugit: *Fugiamus Ierusalem.* Exod. 14. v. 25. *Columna Dei equitatus fuit, cui assimilatur sponsa: nam sicut Pharaon Israëlitas persequi extimuit, sic diabolus sponsæ curam præsentiens, hædos attingere non audebit.* Pharaon equitatum intuitus, victoriam desperauit, & diabolus desperat, vbi adesse sentit Mariam. Audi Hailgrin. apud N. Delr. in Mixta: *In curribus Pharaonis conterendis assimilauit te equitatu meo. Currus Pharaonis malitia sunt Sathane.* Armatur Sathanas malitiæ currum quatuor rotis, id est, illecebris dolosis compactum, instructumque. Sponsa Dei equitatus occurrit, & iam timidus exhorrescit, & desperatus aufugit. Emissarij Absalonis desperant, quia fortis mulier ad se confugientes sic protegit, vt capere nequeat serpentina versutia, nec inuenire lagax peruicacia.

§. XLVIII.

Si carnis lasciuia per continentia rigorem firmetur, hostis conatus eliditur.

VBi queratur fortis animus, ni continentia rigore fuerit succinctus? Nos ipsi hostibus præbemus arma, dum insana carnis prosequimur desideria. Vbi Pharaonis cutrus rotæ conteruntur, eius vires omnimodis eneruantur: *Subuertit rotas currum, ferebanturque in profundum.* Exod. 14. v. 25. *Falcati Pharaonis currus rotæ, sunt vitia, quæ si digna fuerint castigatione subuersa, iam illi deficit animus, & Israëlitis aridet triumphus.* Audi Hailgrin. Card. apud N. Delr. ad. 1. Cant. in Mixta: *Contra fideles animas velut in quatuor rotis militat, in quatuor vitijs quatuor virtutibus cardinalibus oppositis.* Diaboli cutrus vitijs velut rotis innixus fertur: quæ rotæ si euertantur, iam ipse in profundum fertur, cumque inter vitia gliscat frequenter lasciuia, qui hanc digna castigatione repressit, inimici vires elisit. *Respondeant nobis* (aiebat Cassiod. 1. Var. 27.) *qui talibus studijs occupantur, si tranquillos oprant aduersarios suos: certè volunt eos esse victores.* Qui voluptatum occupatur studijs, aduersarios suos esse vult victores, dum illis ministrat vires. Lasciuia inter alia vitia excellit, & principatum detestandum præsumit. Audi Sen. de Breuitate vitæ cap. 6. *In primis & illos numero, qui nulli rei nisi vino, ac libidini vacant; nulli enim turpius occupari sunt: ceteri etiam si vana gloria imagine teneantur, speciosè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniustas;* Ec 2 vek

vel bella: omnes isti viriliter peccat. In venerem, ac libidinem projectorū inhonesta labes est. Cætera vitia, castigata, pressaque libidine, facilius edomantur, & corriguntur. Fugiebant Abfalonis arma Ionathas, & Achimaas: utque vrgens ad eò periculum declinarent, mulier velamine textit, & ptisanis desiccatis, solitudinem insequentium elusit. Tulit mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas; & sic latuit res. Angelomus apud Gloss. ptisanam iumentorum pabulum desiccare, idem esse, ait, ac lasciviam brutalitatis escam, disciplinæ feueritate reprimere, & rigore pœnitentiæ frænare: eius verba sunt: *Quasi siccans ptisanas, cum carnis lasciviam per continentia rigorem stringit, & sic rei latet transgressio, id est humana vitæ.* Et si alijs vitijs homo inficiatur, si lascivia non sordidetur, facilius abscondit, & pericula etiam eludit; ast libidinis flamma teterimum fumum exhalat, qui nec potest latere, nec intuentium oculos non ferire. Emissarij Abfalonis persequi desuerunt, vbi disciplinæ feueritate castigatam libidinem spectarunt, quasi alia vitia, si appareat castitas, facilius tegantur, & occultentur: *Sic latuit res.* Quomodo? Appetitum frænando, brutalem appetentiam continendo; nam qui apparet castus, defectus alios facile tegit, & pericula fugit. Iob sub generosi equi ænigmate depingens iustum, sic ait: *Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.* Iob. 39. v. 21. Nequitia milites multiplicibus armantur dolis, & pro armis captiosis pugnant infidijs: verum equus vngula terram effodiens, de victoria honestè præsumit, & in armatorum occursum pergit. Gregorius, terram vngula effodere, idem esse, ait, ac carnem terræ nomine designatam conculcare, & castitatis rigore comprimere. Ipsum audi lib. 31. Moral. cap. 17. *Vngula terram fodere est, districta abstinentia carnem edomare. Quo autem plus caro premitur, eò de cœlesti spe animus securius letatur. Vnde effossa terra aptè subnectitur, exultat audacter, quia enim valenter reprimat, quod impugnat, audacter exultat.* Subiicit Gregorius: *Nam qui adhuc secum eneruiter pugnat, frustra contra se bella extra posita suscitatur. Qui enim semetipsum carnalibus subiugat, quomodo spiritualibus vitijs resistat? aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui adhuc apud semetipsum domestico libidinis bello succumbit?* Non ignorat equus aliqua arrogantia inflati, aliqua ira succendi, aliquo torpore marcere; verum dum vngula humum effodit, in armatorum occursum pergit, quasi alij defectus castitatis splendore occultantur, & facilius adsultus inimicorum frustrentur. Timent dæmones castum, verentur pudicum, & quem castitatis baltheo præcinctum non ignorant, triumphum assecuturum coniectant. Proculcata carnis petulantia, repressa cordis lascivia affert de hoste prædicabilem triumphum, & victori honestissimum gaudium: *Exultat audacter.* Ptisana exsiccata latentes textit, & milites Abfalonis elusit.

§. XLIX.

Conatus demonum precibus iustorum tardantur, peccatores Sanctorum mortificationis meritis proteguntur.

Sicut vitæ coccinea (aiebat Sponsus Sponsam Salloquutus) labia sua & eloquium tuum dulce:

sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Cant. 4. v. 3. Cant. 4 v. 3. Dum sponsæ labia vitta coccineam referunt, animos pusillis infundunt; nam vt olim exploratores ab emissarijs vitta defendit coccinea, ita à dæmonum conatibus nos defendunt Sanctorum charitate rubentia labra. Repetamus historiam, vt vtilem eruamus doctrinam. Ad Raab domum Israëlita confugiunt: non latuit hostes peruvigiles, & astutos; ergo domum inuadunt, & exploratores ad supplicium tradi deposcunt. Raab vt à discrimine eriperet, stipula lini cooperuit, & non multo post rubeo fune per fenestram dimisit. *Dimisit ergo eos per funem de fenestra.* Iosue 2. v. 15. Ad hunc funem attulisse sponsum, testatur N. Delr. in litt. ad Cant. 4. *Notus est funiculus coccineus Raab... hic funiculus figura fuit fili coccinei, de quo nunc agimus.* Si inquiras vtriusque fili similitudinem, respondebit Delrius, sponsam labijs, hoc est oratione, non minùs inimicorum retardare studium, & afflictis exhibere solatium, quàm rubeus ille Raab funiculus inimicorum elusit industriam, & præstitit afflictis tutelam. Iterum audi in Anago. *Ideò quoque eloquium dulce, hoc est preces ad Deum pro hominibus fusæ.* Dum Sponsa fundit preces, peccatores abscondit, & conatus hostium eludit; ideòque Raab funiculo adæquantur sponsæ labia, peccatorum tutela. Ionathas, & Achimaas odorati ab Abfalonis satellitibus inquirendos, citato gressu confugiunt, & mulier, in quem descenderant, os putei velamine tegit, & insequentium conatus, ptisanas siccans, eludit. *Tulit mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res.* Angelomus apud Gloss. in virore ptisanarum siccato, carnis mortificationem, in velamine fusas ad Deum preces intelligit. Quòd si ab eo inquiras, quid mulieris mortificatio, oratioque conduxerit, vt emissarij indignationem non fuerint persecuti, & fugientes latuerint protecti? respondebit eam esse diuinam elementiam, vt aliorum meritis alios exemerit à periculis: eius verba sunt: *Expandit mulier velamen super os putei, cum Ecclesia precum assiduitate delicta iuuenturis, & ignorantia filiorum abscondit, quasi siccans ptisanas, cum carnis lasciviam per continentia rigorem stringit: & sic rei latet transgressio, id est humana vitæ, quia per assiduitatem precum in compunctione lachrymarum, & per castigationem corporis omnia delicta absconduntur, & homines à persecutione hostis protecti liberantur.* Sæpè diabolus peccatores persecutus prehenderet, ni iusti precum assiduitate, ni corporis castigatione eos protegerent, & ardorem insequentium tardarent; ast dum iustus pro peccatoris salute discruciat, dum in preces, & gemitus funditur, peccator protegatur, & conatus aduersariorum eluditur. En mulier ptisanarum exsiccatione, hoc est propriæ carnis afflictatione protegatur pauidos, & ardētissime insequentes fallit honestè inimicos. Dauid vt vrgentissima pericula euaderet, ad columbæ umbram confugit: *Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Psal. 16. Psal. 16. v. 8. Et cur Propheta specialiter desideret alarum umbram, vt securam assequatur tutelam? Quia columbæ gemitus pro cantu fundit (inquit Hierony.) & crucem refert, cum alas expandit: cumque Sanctorum gemitus, & cruciatus læpissimè sint contra hostiles dæmonum impetus tutamentum, Dauid, vt qui bene nouerat, columbæ alarum expetit patrocinium: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Audi Hierony. in Cat. ad Marc. 15. *Aues quando volant*
ad

Iob. 39.
v. 21.

Iosue. 2.
v. 15.

Psal. 16.
v. 8.

ad æthera, crucis formam sumunt. Extensæ alæ crucis formam referunt, & iusti, dum orant, dum se flagris cruciant, crucem assumunt: & ad æthera contendunt: hanc ergo desiderat umbram, ut consequatur securam contra hostiles conatus tutelam. En ptisanas siccans, emissarios tardat, afflictos, & velamine tectos liberat.

TEXTVS

VERS. 20. Cùmque venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas, & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi, qui quærebant, cùm non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem.

§. L.

Qui mulieri facile credit, fraudem sepius incurrit.

Mulieres mira pollent ingenij viuacitate ad concinnandas fraudes, ad eludendos oculos, ad persuadenda mendacia, & ad coloranda artificia. Qui sceminae facile credit, sibi ipsi imponit. Non ineptè quis mulieribus aptaret, quod Tertullianus de Fama scripsit in Apolog. cap. 7. *Velox, plurimum mendax, nec cum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate.* Sæpè scemina veritatem dicit, sed mendacio interpolatam, coloratâ fucis, argutijs deprauatam dolosis. Serpens (vt volunt) scemineam assumpsit faciem, cùm Euam fefellit, quasi non aded vt scemina, ad mentiendum fuerit industrius, & ingeniosus: *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* Gen. 3. v. 4. Speciosis promissis tegit dolum, & affectans curatorem, disponit necem. Audi Hugonem: *Mulierem primo aggressus in serpente, qui tunc erectus erat, habens vultum virgineum.* Mulieris faciem assumpsit, vt dolum meliùs componeret, quò ab exordio notum fuerit, sceminas, vt plurimum esse mendaciorum artifices, fraudum compositiores. Insequabantur Absalonis satellites Ionatham, & Achimaas, quos certò nouerant mulieris domum ingressos: illa in puteo abscondit, velamine texit, & siccare ptisanas simulauit. Satellites vrgent, vt latitantes prodiderit, illa verò non negauit ingressos, sed, vt gustarunt aquam, viam testatur arripuisse velocissimos: *Cum venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas, & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi, qui querebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem.* Eo mulier artificio latentes texerat, vt nihil satellitibus profuerit sollicita cura, aut solertissima vigilantia; nam dum afferenti, celeriter transiuisse, crediderunt, mendacio fidem præstarent. Prodest Abul. q. 14. *Crediderunt illos longè esse.* Ante oculos habebant, & mulier, sic longè esse, & inde transisse, testata est, vt satellitum solertiam frustrarit, & irritum conatum reddiderit. Sæpè pro certo sciunt satellites, virum alicuius sceminae non bonæ famæ domum intrasse;

fores pulsant, vt comprehendant: illa verò eo artificio abscondit, vt frustretur industria, & quærentium illudatur solertia. Saul satellites, Dauidem quem manifestè sciebant ad Micholis domum confugisse, perquirunt. Michol simulachrum lecto componit pellibus captinis contextum, & adspicientium frustratur intuitum: *Tulit Michol statuum, & posuit eam super lectum, & pellem pillosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* 1. Reg. 19. v. 19. Hanc stropham composuit mulier ipsum oculorum aspectum eludens, & satellites fallens. Notauit acutè fatis Basil. Seleuciens. Ora. 16. *Forma fictione videntes eludebat.* Ipsos satellitum oculos testes aduocabat, & ægrotum ostendendo, fallebat: sunt namque sæpè sceminae stropharum artifices, fraudis scholæ, doli cathedræ; vnde opus est magna cautela, & in fide præstanda prudenti astutia.

1. Reg. 19. v. 13.

TEXTVS.

VERS. 21. Cùmque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt Regi Dauid, & dixerunt: Surgite, transite citò fluuium, quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel.

§. LI.

Religiosè obsequentes vrgent sæpè pericula, sed cælestis abigit prouidentia.

EGo me saculo, non Deo liberum memini (aiebat Tertul. aduersus Psych. cap. 13.) sic meum est vtrò officium facere Domino, sic indicare illius. Dei est per parentes, prælatosque mandata promere, subiectorum promptè obedire; imò obsequij maturitate adulari. Sed oppones, sæpè mandata magnis esse difficultatibus implicata, discrimini-bus magnis obnoxia. Fateor: sed perfectè obediens laudabili cæcitate obtemperat, sciens suum esse, Domino obsequi, Dei pericula prouidenter abigere. Ipsa obedientia securitatis tessera est, si exactè adimpletur, quia executione periculum propulsatur. Sadoe, & Abiathar filijs imperant, Dauidi renuntiare, quod in Absalonis aula decretum: filij, vbi à parentibus acceperunt mandatum, accelerant gressum; sed cùm non defuerint, qui Absaloni rem denuntiarint. Emissarios, cursosque mittit velocissimos, vt non modicis ad Dauidem tendentes puniendos supplicijs afferant. Graue Ionatham, & Achimaas periculum vrget, verùm ad domum confugiunt, in cuius vestibulo siccus erat puteus: ibi pia mulier fugientes abscondit, & os putei expanso velamine tegit: emissarij ingrediuntur, omnia scrutantur; cùmque nullum inuenissent vestigium, ad suos desperati redeunt: & qui latebant, periculo crepti, mandata absoluunt. *Cum abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt Regi Dauid.* Si inquiras: Cur hi leui protecti velamine, circitorum effugerunt solertissimam diligentiam; cùm sæpè telluris visceribus veluti sepulti, non effugerint satellitum perspicaciam? Respondebit N. Sanct; incidisse in pericula, vt accepta exequerentur mandata, sed ipsa pericula frustraſte prompta obedientia. Audi Sanct. *Per filios, qui ex-*

tra ciuitatem parentum expectabant mandata. Dauidi renuntiarum. Chusai aperuit Sadoc, & abiathtar Sacerdotibus omnia, quæ in senatu acta fuerat; illi filijs præcipiunt vt citò Dauidi renuntient: & licet Ionathas, & Achimaas non ignorant, rem esse difficultatibus plenam, & laboriosam, maluerunt discriminibus exponi, quàm parentibus repugnare: ergo dum exactè obediunt, quæ inuitabilia videbantur pericula, effugiunt; nam illis domus patet, in cuius vestibulo siccus erat puteus, pia mulier velamina oppandit, & ptisanas exsiccare fingit: & totum hoc breui ad eò tempore, vt cum fugientes satellum intueretur aspectus, solers non potuerit inuenire scrutationis conatus. Notauit etiam Abul. q. 15. *Postquam recesserunt serui Absalonis de domo mulieris, que erat in Baburim, ascenderunt duo viri de puteo, scilicet quia mulier tunc eis dixit, quòd erant securi?* Exprompta ipsorum obedientia medijs in fluctibus inuenit portum, medijs in turbinibus tranquillitatis serenum. Cum populus de Ægypto egressus, lætus viam carperet, subitò pauido timore quatitur, & gelido discriminis stupore percellitur: hostis à tergo mucronibus fugientes infestat, maris vnda gressum retardat. Inter tot obices Israëlita stupefactus ingemiscit, & iusta sibi superstes facit: Verùm Deus per Moysen iubet, per marinos vortices iter arripere: *Loquere filijs Israël, vt profisciscantur:* Exod. 14. v. 15. Certè obsequentes se committere videbantur naufragio; verùm dum obtemperant, fluctus in murorum faciem indurantur, & persecutores merguntur, *Tu autem eleua virgam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij Israël in medio mari per siccum.* Inuertendum existimes ordinem: prius erat virga percussum mare diuidere, quàm vortices marinos calcare; ergo Moyses prius tumentes induret fluctus, & iam expedito itinere, præcipiat promouere populo gressus. O vtilem nobis eruditionem! Si obediat populus cæca, laudabilique promptitudine, maris inueniet dorsa indurata, & profunda puluerulenta; Dei namque erit, obedientibus iter explanare, & pericula propellere. Si prius Moyses mare scidisset, reluceret omnipotentis brachium, non obedientiæ resplenderet obsequium: vt ergo obedientiæ appareat ad periculum abigendum vis, populus obediens promoueat gressum, & obedientia indurabit vndarum lapsum: Audi Zænonem ser. 3. de Exod. *Cum Israëlis populus in ortu captiuitatis iugo depressus à Rege Pharaone duris conditionibus in Ægypto necaretur, miseratione Dei, Duce Moysse iussus est profiscisci.* Adnectit. *Inde maris vndis magno clausis obice premebatur. Etenim illi nulla inerat naues, nulla transfrandi præsidia, eum subito diuina providentia scinditur mare: aqua dextera, læuæque gelido stupore frangata vitreos diruntur in muros.* Dei erat, quos iusserat proficisci, à periculis liberare; & dum parent, despecto ad speciem naufragio, gradiuntur securi in pelago: obedientia namque vndas in muros digessit, & pericula propulsauit. Pharaonem virga miraculorum fecunda vena antea funditùs non euerit, & Israëlitarum obedientia confusis vndarum vorticibus tradidit. Senior Tobias filio iubet in Rages ciuitatem contendere, & mutuatà gaballo talentorum summam recipere. Quid tunc filius? *Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam, pater.* Tob. 5. v. 1. Viam alacriter carpebat, comite generoso associatus, cum immanis

piscis è fluuio profilit, & iuuenem hianti ore deuorare contendit, à comite suppetias requirit, & comes monet: *Apprehende branchiã eius & trahere eum ad te.* Tob. 6. v. 4. Si Angeli, ne serpens periculum deuoraret (Apoc. 12.) arma prænsarunt, & in campum profiluerunt, cur modò prælium iuuenis inire iubetur, nec periculum propulsatur? Vt fuerit (inquit Glossa) notum, filios parentibus obtemperantes, morigerosque redimiri victoria, & obuiantia propulsare pericula. Obedienti commisit Angelus prælium, vt reportauerit laurum: vicit Tobias exprompta obedientia armatus, & parentibus obsecutus. Prodest Glossa Interlinear. *Datur nobis exemplum, vt Sanctis Patribus obediamus.* Consonat Lira: *Exequitur filius patris imperium.* Tulit de periculo triumphum, qui expromptè exequatur patris mandatum, & licet facile fuerit Angelo piscem extrahere, maluit obedientiæ resplendere efficaciam, & reportare victoriam. Prodigus sub obedientia patris viuere noluit, & diuitijs spoliatus, criminibus opulentus ingemuit. Iunior Tobias patri obsequens, assequitur triumphum, fugat demonium, recuperat aurum; est namque obedientia securitatis tessera, vena prosperitatis, tutela salutis. Ionathas, & Achimaas, dum expromptè obediunt, obediendo pericula effugiunt.

§. LII.

Imminentia sibi inuenitur propulsare, qui pie adlaborat pericula proximorum auertere.

Plum auertendi à proximis pericula studium copiosis virtutibus resplendet ornatum: charitatis merita dignis clementis augmentur, dum à proximis auerti pericula procurantur. Quæ enim compensatione dignus non sit, qui studiosa sollicitudine alterius saluti consulit, & imminentem calamitatem propellit? Ille (aiebat Cassiod. 9. Var. 25.) *defensor propriè dicendus est, qui tuetur innoxie.* Aliæ virtutes varijs præmijs remunerantur: aliorum saluti consulere, & imminentia pericula auertere, est sibi prouidere, & discrimina propria prouidenter abigere. Ionathas, & Achimaas citato gressu inuolant, vt Dauidi vrgentissimum, quod minabatur, discrimen renuntiant. *Profecti sunt, vt referrent ad Regem Dauid nuntium.* Absalom rem odoratus, satellites mittit, & sollicitè Ionatham, & Achimaas persequi præcipit; & licet studiosa, infatigabilique diligentia quæsierint, vt Principi blandirentur, nec potuerunt capere, nec vestigium certum inuenire, casso labore ad castra redierunt: & qui latitabant, de latebris prodeuntes, quod Absalom decreuerat, denuntiarunt: *Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiarunt Regi Dauid.* Si quæras: Quomodo euadere poterint satellitum manus, cum nec labori, nec perscrutacioni, vt adularentur Principi, pepercerint? respondebit Textus, piam, sagacemque mulierem opem eis nauasse, & ab emissariorum furoribus eripuisse: *Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas; & sic latuit res.* Sic res latuit industriæ mulieris pietate, opportunaque ope. En dum adlaborant alienum auertere, probantur proprium periculum propulsare: nequiuerunt satellites inuenire, quos charitas curabat obtegere. *Insinuabat* (inquit Caietan.) *quòd scrutati fuerint domum illam, & non inuenien-*

Exod. 14. v. 15.

Tob. 5. v. 1.

tes reuerſi ſunt. Totam mulieris domum emiſſarij ſunt ſcrutati, ſed ſolers eorum non profuit diligentia, quia latitantes prouida charitatis tenuit industria: nec enim quibant non eludere propria, qui laudabiliter procurabant auertere pericula aliena. Laudatiſſimi illi pueri florida in ætate ſenes, & ad auſtera ieiunia iuuenes, Chaldaïs ſapientibus imminens periculum auerterunt. *Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conſpectu Regis, & ſolutionem Regi narrabo.* Dan. 2. v. 24. Nihil omiſerunt pueri, vt periclitantibus ſubuenirent, & Regis ardentiffimum furorem ſedarent: & iam à periculo exempti, præmium beneficij varias calumnias obtulerunt, & voracibus pueros flammis tradi accuſationibus procurarunt. Fornaci traditos Angelus ab ardore defendit, & vincula etiam exoluit. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Dan. 3. v. 49. Qui ab aliorum ceruicibus amouerant gladium, in fornacis æſtu rorificum inuenerunt ventum; aſſecuti ſunt decantatiſſimum triumphum, vbi miſerandum crederes paſſuros incendium: Angelus eorum prouidit vigilantiffimus ſoſpitati; quia ipſi aliorum conſuluerunt orando, & ieiunando ſaluti. Nec ſolum pueri charitatis experti ſunt præmium; ſed etiam Daniel truculentis deuorandus leonibus traditus, eſt conſecutus cœleſte ſubſidium: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit oſa leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me.* Dan. 6. v. 22. Ieiunauerunt leones, ne nocerent Danieli, quia ieiunarat Daniel, vt proximorum prouideret ſaluti: dum ſolicitus adlaborat, imminens ſapientibus propulſare periculum, qui frænaret leoninos rictus, inuenit Angelum. *Daniel* (inquit Lira ad Dan. 2.) *petiuit dilationem ad ſoluendum queſtionem Regis, & per hoc executio ſententiæ Regis de ſapientium interfectionem dilata eſt.* Per Danielis, ſociorumque feruidas orationes, per ieiuniorum afflictationes mors ſapientibus imminens eſt dilata: ergo ne pueros attingerent, cœleſti ſunt virtute ſopita incendia. Equabilis exigebat iuſtitia, ne paterentur incendium, qui auerterant proximorum periculum. Ionathas, & Achimaas opportunam inuenerunt tutelam, dum adlaborant à Dauide propulſare ruinam.

§. LIII.

Vt proficiat, neſciat religioſus dormire zelus, quia vt aduletur, non dormit ambitus.

Inglorium eſt, ſi laudabilis zelus ſomno indulgeat, cum deteſtabilis ambitus indefeſſis vigilijs ſeruiat. Qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratum, didicerunt cadentes, palpebras retinere, ſi poſſint gratiam Principum elucrari. *Adnoſcimus* (aiebat Terrul. de Coron. mil. cap. 15.) *ingenia diaboli, idcirco quedam de diuinis affectantibus, vt nos de ſuorum fide confundat, & iudicet.* Confundit dormitantem zelum inuigilans ambitus, quia vnus ſolicita vigilantia alterius eſt conſuſibilis nota. Achitophel, vt particidæ gratiam inuenerit, inſomnem noctem ducere non recuſat: *Conſurgens perſequar David hac nocte.* ſuprà v. 1. Ergo Ionathas, & Achimaas Dei ſacerdotes nocte etiam conſurgunt, & Dauidi ſuppetias

ferunt: *Pergentes nuntiauerunt Regi David, & dixerunt: Surgite, & tranſite cito fluiuium. Iter noctu peregiſſe & Textus indicat, & Noſter Sanctius aſſeuerat: Acceſſerunt, vt apparet, adoleſcentes illi ad Davidem, qui longius iam fuerat ab urbe progreſſus, de nocte, imò fortaſſe alta iam nocte.* Conſonat Abul. q. 14. *Iſti viri exeuntes de puteo, inierunt verſus Iordanem, & venerunt per noctem ad David, & monuerunt, vt tranſiret Iordanem.* Achitophel ambitus Ionatham, & Achimaas confunderet, ſi, vt Abſaloni complaceret, duceret indefeſſas vigilias, & ſacerdotes, vt periclitanti ſubuenirent, dormiendo neceſſent moras. O quàm eſſet indecorum, ſacerdotes proximis in periculo conſtitutis otari, & Achitophelem ambitu deteſtabili inſomnem cadentes palpebras detinere! Ergo per offuſas noctis tenebras viam carpunt, & periclitanti ſubueniunt, cum ambitu decertantes, & proximo prouidentes. Iacob tabernaculis innutritus, & à Solis æſtu otia batur proteſtus: *Habitabat in tabernaculis.* Gen. 25. v. 27. Gen. 25. v. 27. iter arripiens, feſſos itinere artus ſomno recreauit: *Dormiuit in eodem loco.* Gen. 28. v. 11. Tandem, quò tendebat, perueniens paſtoritiam vitam profeſſus eſt: & iam inſomnis ſolicitas vigilias agit. *Æſtu urebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Gen. 31. v. 49. Hinc oritur quaſtio: Cur ſcilicet Iacob inſomnes modò duxerit noctes, cum antea otio indulſerit, & ſomno? Sed ſolutio facilis eſt: ſuſceperat ouium curam, & erubeſceret, ni inuigilaret earum ſalutis zelus, cum notum ſit, diſcutere ſomnum ambitus (vt apparet 2. Reg. 4. v. 7.) Ibi Baana, & Rachab, vt Davidis inirent gratiam, per confragoſa deſerti tota nocte viam carpunt, & nec breuem ſibi morulam quietando permittunt: *Abierunt per viam deſerti tota nocte.* Nec deſerti aſpera, nec quaſtimeri poterant præcipitia, aut tenebrarum impedimenta retardarunt greſſum, aut quietare perſuaferunt. Ergo inuigilet Iacob, ne minùs laborarit ſolicitus, ac vigilare probatur ambitioſus. Erubeſceret, ſi dormiens ſuis non prouideret, quando ambitus inſomnes noctes ponere perſuaſit. Iniquorum vigilia eſſet Iacobi obſcuriſſima nota, cum non dormitaret ambitionis ſeruus, & dormiret gregis cuſtos. *Vt per hoc* (ſcribit Lira de Baana, & Rachab) *erga David gratiam, & munera impetrarent.* Fratres diuitiarum cupidi, & Regis beneuolentiæ ambitioſi, deſerti, & ſomni difficultates vicerunt, & excuſſo otio, inuolarunt: ergo Iacob gregis incolumitatis cupidus, & pericula propulſandi ſtudioſus, nocte etiam inuigilet; ne de impiorum vigilantia erubeſcat. Itaque animatum in ouibus adumbratarum zelus non dormit, quia ambitus non quietat, ne minor ſit proximorum ſolicitudo, quàm deteſtanda ambitus obſtinatio;

§. LIV.

Facilius referunt homines, quod audientis inflammata iram, quàm quod demeretur gratiam.

Innatus hominibus proritus eſt ea referendi, quæ audientis exaſperant iram, cum ſilentio prætereant, quæ demerentur beneuolentiæ. Si duo concurrant, quorum alter quem dilaudet, alter obmurmuret, deferetur obmurmuratio, tacebitur laus: affectata obliuio laudem præteribit, ob-

Dan. 2.
v. 24.

Dan. 3.
v. 49.

Dan. 6.
v. 22.

Gen. 25.
v. 27.

Gen. 28.
v. 11.

Gen. 31.
v. 49.

mutuationem malignitas proder, quia gestiunt
 susurriones iram inflammare, & inimicitias serere.
Erat (aiebat Cassiodor. 9. Var. 24.) *quod in te pra-*
dicaret eximium animum ad publicanda beneficia
paratum, & contra vitia cupiditatis obstructum. Sic
 nostræ thesi Cassiodorum accommo: Præfe-
 ctum Prætorianum dilaudat; quod referret Prin-
 cipi, quidquid ad impertienda beneficia conduce-
 ret, & quidquid inflammaret iram, taceret: quod
 cum esset insolitum, probabatur laude dignissi-
 mum. Et quidem frequens est, amara referre, &
 quæ gratiam demerentur, occulere. Achitophel
 consilium contra David dedit satis perniciosum;
 dedit & Chusai consilium Davidi saluti satis op-
 portunum: cumque Ionathas, & Achimaas, quid
 in senatu Absalonis actum fuisset, Davidi refer-
 rent; consilium Achitophel denuntiarunt, de
 Chusai consilio prorsus tacuerunt: *Pergentes nun-*
tiauerunt Regi David, & dixerunt: Surgite, & tran-
sicite citò fluiuium, quoniam huiuscemodi dedit consilium
contra vos Achitophel. Non solum dedit Achito-
 phel consilium, sed & Chusai: cur ergo vtrumque
 non referunt, sed solum Achitophelis produunt?
 an quia huiusmodi consilium Consiliarium de-
 nigrabat, & Dauidem offendebat? Chusai consi-
 lium virtutis eius erat testimonium, & Davidi exi-
 mium obsequium: ergo hoc ad nostram eruditio-
 nem silentio præteritur, & illud proditur. Nota-
 uit Abul. q. 15. *Non dixit Ionatham, vel Achimaas*
de consilio Chusai, quamquam ille dedisset consilium.
 Consilium Chusai eius testabatur beneuolen-
 tiam, & merebatur Davidis gratiam; ergo tacue-
 runt, Achitophel consilium eius denotabat im-
 probitatem, & accedebat Davidis indignationem,
 ergo hoc denuntiarunt; quia hominibus de mo-
 re est, referre, quæ alterius indicant culpam, &
 audientis iram inflammant. Deus homini in om-
 nes præter vnam paradisi plantas facultatem con-
 cesserat, quod generositatis erat clarissimum te-
 stimonium: *Ex omni ligno paradisi comede.* Gen. 2.
 v. 16. Vno ligno infulto, & mortifero interdixit:
De ligno scientia boni, & mali ne comedas. Ergo ser-
 pens prohibitionem exaggerat, liberalitatem cæ-
 lat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de*
omni ligno paradisi? Gen. 3. v. 1. Prohibitio poterat
 Equam exasperare, & prohibenti notam inurere:
 ergo serpens solum retulit, quod Numini afferre
 notam, & Euz alere poterat iracundiam. Prodest
 Basilii Seleuc. Ora. 3. *Non per amorem* (inquit)
sed per inuidiam arbore interdixit: priuauit esu, vt
diuinitatis aditu prohibeat: Præmiserat: Contra
Deum bellum constat. Vt bellum conflet, Deo ad-
scribit inuidiam, & muliebris indignationis ac-
cendit flammam; est namque veteris serpentis
disseminare discordias, vtrique parti obtendere
insidias. Et vrinam solius esset serpentis inge-
niium! sed plures imitantur eius malignitatis stu-
dium.

TEXTVS.

V E R S. 22. Surrexit ergo David, & om-
 nis populus, qui cum eo erat, & transie-
 runt Iordanem, donec dilucesceret, &
 ne vnus quidem residuus fuit, qui non
 transisset fluiuium.

§. LV.

Prudentis est, urgente periculo, moras non tra-
here, sed ad tutiora confugere.

NON debet pacisci cum tempore, qui immi-
 nenti vrgetur discrimine. Sæpè dum in op-
 portunius tempus salus differtur, euadendi occa-
 sio præciditur; & exigua mora lætuosa attulit
 detrimenta: dum plures de mora sibi adulantur,
 ipsa adulatione falluntur. Quid enim amplius esse
 possit incongruum, quàm, urgente periculo, tarda-
 re gressum: *Quarundam rerum initia* (aiebat Senec.
 lib. 1. de Ira cap. 7.) *in nostra potestate sunt, ulterio-*
ra nos sua vi rapiunt, nec gressum relinquunt. In no-
 stra potestate sæpè est, imminens periculum fugere:
 sed si proprius morosi permittamus accedere, ip-
 sa proximitas timore animum percellit; & vires
 præcidit. A Sacerdotibus admonetur Rex, graui-
 simum imminere periculum: nox tardabat gres-
 sum; verum; vt erat prudentissimus, nec per
 temporis instans distulit transire Iordanem, ne
 impetum experiretur hostilem. *Surrexit ergo Da-*
uid, & omnis populus, qui cum eo erat, & transierunt
Iordanem, donec dilucesceret. Nox impediabat, Ior-
 danis expeditum transitum denegabat: Verum
 vbi à Sacerdotibus imminere audiuit periculum,
Surgite & transite citò fluiuium, quoniam huiuscemodi
dedit consilium contra vos Achitophel: moras rupit,
 & securitati prospexit. Ad rem Abul. q. 15. *Audito*
illo per nuntios, parauerunt se velociter ad transeun-
dum, & transierunt Iordanem, id est, durauerunt in
transeundo vsque ad auroram. Adiecit: *Transitus Ior-*
danis erat difficilis, & morosus, etsi irrueret subito per
noctem exercitus Absalom, non haberent David, &
viri sui locum, ad quem fugerent, quia priusquam quis
eorum transiret, occiderentur, vel caperentur omnes.
 Mortis transitus difficilis est, & sæpè, dum quis
 de periculo moritus, moras trahit, ægritudinis re-
 pentinis aduultibus impeditur, & saluti animæ
 consulendi locus non datur. David vbi salubria à
 sacerdotibus accepit monita, Iordanis traiecit va-
 da, & peruenit ad tuta, suis nos factis edocens, vr-
 gentibus non irasci, sed grato vultu monenti, im-
 minere periculum credere. Audit Nabuchodono-
 sor imminere sibi periculum: *Succidite arborem.*
 Dan. 4. v. 11. Propheta admonet ad misericordiæ Dan. 4.
 v. 11.
 confugere asylum: *Peccata tua eleemosynis redime:*
 & tamen integrum annum elabi finit: fors sibi
 suadebat, non adeò citò arborem robustissimam
 excidendam, nec virore dispoliandam: *Post finem*
mensium duodecim in aula Babylonis ambulabat. Qui
 ad respiscendum annum habuit, horam non ha-
 buit: *Eadem hora sermo completus est super Nabu-*
chodonosor. Iam ab homine transit in bestiam, iam
 mens deficit, iam vinculum vrget, dum admonitus
 differt, incurrit: diuinam liberalitatem arbitra-
 tus est seruitutem, & nutui suo tempus credidit
 aptandum, sibi assentatus, transiit in brutum:
 temporis momento mens deficit impedita, & pru-
 dentia vinculis illigata. Huc voco Hugonem de
 S. Vict. in Alleg. Thylm. ad 33. Ezechia. *Valde*
difficile, vt vera sit penitentia, que tam sera venit
Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor sen-
sus oprimit, vix homo aliquid cogitare potest: ergo
si vis esse securus, age penitentiam, dum sanus es.
 Nabucho sibi auersatur, dum misericordiæ Dei
 præscribere tempus adnititur: phrenesi repenti-
 nâ correptus, & vinculis illigatus, moræ pœnam,
 &

& nobis vtilem reliquit doctrinam : Dauid admonitus non expectavit , & periculum elusit.

§. LVI.

Sacerdotis est etiam Magnates de periculo vitæ admonere, & prudentis Principis, statim, quod admonetur, perficere.

Monstrabo tibi (aiebat Senec. lib. 6. de Benef. c. 30.) cuius rei inopia laborēt magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat. Omnes ferè Magnatibus adulantur, nec admonent, quæ possint periclitanti prodesse, imò animum periculi oblitum in spes erigunt, & discrimina imminuunt: vrgentissimo in vitæ periculo dissimulantes blandiuntur, & periculum extenuare perniciofa adulatione conantur. Quod si in alijs indecorum, in sacerdotibus est fœdissimum, cùm eorum sit muneris, & vitæ periculum denunciare, & ad veram penitentiam ægotantem vrgere. Non inficiabor, Summates adedò hac in re desipere, vt admonentibus irascantur, & falsa spe salutis trahere moras conentur. Princeps prudens admonitionē gratis auribus excipiet, & periculo agnito, animam expiare non differet. Hac in re vterque, Ionathas scilicet, & Dauid rectè se gessit: Ionathas adesse admonuit periculum: *Surgite, & transite citò fluvium, quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel: Sacerdotes periclitantem testantur vrgeri, & expromptè Princeps aggreditur obedire: Surrexit ergo Dauid, & omnis populus, qui cum eo erat, & transferunt Iordanem.* Si Ionathas, & Achimaas inter dissimulantes fuissent, quod erat sui muneris non impleissent; & Dauid, si admonitionem non raperet, disperiret. Propheta Gad Dauidem de imminente periculo admonet, & Dauid, etsi se tutum existimaret, nec imminere periculum tunc præsumeret, admonenti paruit, nec admonitionem contempsit. *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda, & profectus est Dauid* 1. Reg. 22. v. 5. Nullus erat, qui Regi periculum denunciaret, Gad tamen, ne sibi deficeret, & admonuit, & vrsit: sibi videbatur Dauid præsidio contra hostes tactus, & tamen maluit obedire, quàm repugnare. Audi Glossam Mor. *Monuit Dauid recedere de loco, vbi securius erat corporaliter inter idololatrias, tamen periculosius spiritualiter.* Omnes de corporali tractabant præsidio, nullus curabat de spiritali detrimento: Propheta verò displicere contempsit, & animæ saluti prouidit, & Dauid vt religiosus Princeps maluit Prophetæ credere, quàm sibi fallacibus spebus blandiri. Hac in imagine delineatum est, quod Magnatibus contingit: graui correpti morbo decumbunt. Aulici, familiarésque non audent periculum denunciare, & solum curant medicamenta adhibere, imò spebus bonis ægotantem solantur, & discrimen imminuere adnituntur. Sacerdos verò debet Gad imitari exemplum, prænuntiare periculum; & Magnates, si sapiunt, admonitionem debent arripere, & blandientibus non credere.

1. Reg. 22.
v. 5.

T E X T V S.

VERS: 23. Porro Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & disposita domo sua suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui.

§. LVII.

Superbi malunt interire, quàm alios plausibus celebratos videre.

Alia vitia animam inficiunt, sed corpori inseruiunt: voluptas adulat sensibus, etsi animum obnoxium reddat cruciatibus; superbia verò inter cæteras pestes omnibus est odiosa, & superbientis animæ, & corporis inimica: si à gloria decidat, cor exedit, viscera arrodit: si alij honoribus fulgeant, eorum fulgoribus repercutitur, & cruciatur. *Est proprium superbia (aiebat Senec. 6. de Benefic. cap. 33.) magno estimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, vt ostio suo proprius assideas, vt gradum prior intra domum ponas.* Nequit superbus viuere, nisi ab omnibus adoretur, & humillimis obsequijs colatur. Statua ipsius simulachrum, Nabuchodonosor obijcitur, & stare contra ipsum refertur. *Statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te.* Dan. 2. v. 31. Et cur contra ipsum illa sublimitas, quando pro ipso videbatur stare celsitas? Quia dum à pueris non colitur, ipse Nabuchodofurore infano repletur, & dum exambit diuinitatis fastigium, si ab aliorum opinione cadat, sænum cogitur sustinere tormentum. *Proculdubio (inquit Richard. ad hunc locum in Allegoria Thylm.) contra vnumquemlibet huiusmodi statua erigitur, quando speculantis animi fœditas, infirmitas, calamitas oculis eius ingeritur.* Quid Nabuchodonofori sæuius, quàm à pueris contemni, quàm lapillo subrui? Huius veritatis Achitophel extat testimonium verissimum, & exemplum: eius consilium cœlesti ore existimabatur proferri, & veluti Numinis erat solitum celebrari. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi quis consuleret Deum.* Suprà. 16. v. 23. Consiliorum eiusmodi opinio cadere incœpit, dum populus Chusai consilium præposuit: *Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Et vbi audiuit eius consiliū despici, & Chusai à populo celebrari, infana adedò indignatione exarsit, vt sibi ipsi manus iniecerit, & perierit: Suspendio interiit.* Nimia superbia animæ attulit stragem, corpori necem. Notauit Abulen. quæst. 16. *Solebat consilium Achitophel haberi sicut consilium Dei, nunc autem, quamquàm esset verè vtile, abiecerunt illud, suscipientes insipientiam Chusai, ideo præ indignatione iudicauit sibi melius esse mori quàm viuere, & occidit se.* Seipsum non potuit sustinere, vbi ab opinione agnouit excidere. Carnifex superbia fuit, & Achitophel, dum non adoratur, aduritur. Cultum diabolus exambiuit, & impudens emere adorationem tentauit: *Hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. v. 9. Quod tunc Dominus? Quasi alapa percussum, despectumque repulit, & apud Gerasenos egregiè torfit, nam adorare coëgit: *Cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Fili Dei Altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Mar. 5. v. 6. Gehennæ expertus cruciatum, intolera-

Dan. 2.
v. 31.

Mat 4. v. 9.

Mar. 5. v. 6.

Ff randum

randum sibi infligi clamat tormentum. Ecqua est intolerabilis adeo pœna? adorationem ambijisse, & Christum adoratum videre: homo adorat Christum: *Cucurrit, & adoravit eum.* Ergo dum, quam sibi ambiebat, intuetur Christo adorationem impendi, distorquetur, cruciatur, vritur. Audi Chrysol. Serm. 17. *Vt te adoraret, subdolos ambiebas, nunc tremens, & miserandus prolaberis, & adoras.* Nequibat cœcum odium plausu celebratum videre, quem sui adoratorem ausus fuerat olim præsumere: ergo Christi plausus superbiæ erat intolerandum tormentum, & præ ipsa gehenna cruciamentum sæuissimum. En Achitophel eligit mortis angustias subire, ne Chusai videret repetitis acclamationibus celebrari.

§. LVIII.

Stultitia est, ne moriaris, mori.

Nonnullis odiosa est vita, quia fortuna aduersa: conijciunt minuendam pompam; incurrendam infamiam, subeundam ad hostis arbitrium pœnam; & incertis, infaustisque coniecturis ducti vitam sibi abscindunt, dolore oppressi, & in desperationem adacti. Non erigunt animum ad vincenda aspera, ad delinienda constanti animo dura: & dum mortem sibi conciscentes, putantur fortes, inveniuntur imbecilles. Rhodius ab aduersario in caueam coniecto, suadebat quidam, vt cibo abstineret, vitamque abscinderet; sed Rhodius apud Senec. epist. 70. respondit: *Omnia homini, dum vivit, speranda sunt: Volubilis fortuna vices variat, & mutat: & imminens aliquorum ceruicibus gladius sæpè reuocatus est. Etiam si ait Seneca iam datus) certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit pœna sua manum. Stultitia est, timore mortis mori. Venit qui occidat. Expecta. Quid occupas? Quare suspicis aliena crudelitatis procuracionem? Vesania est carnificis munus anteuertere, & mortem sibi conciscere.* Ex his stultis vnus fuit Achitophel, qui cum, repudiato, quod dederat, vtilissimo consilio, coniecisset Dauidem detriumphatarum, exacturumque ab eo prodicionis pœnas, non expectauit mortem, sed quaesuit: *Suspensio interiit.* Timore mortis se interemit, & fortem dubiam reddidit certam. Audi Liram: *Firmiter timebat, quod Dauid proualeret, & in regnum rediret; propter quod timebat ab eo occidi morte turpi, & dolorosa; ideo voluit magis prouenire mortem suam per aliam viam.* Non erat certum, Dauidem exacturum pœnas, cum alijs condonarit iniurias; imò probabilius erat clementia victoriam nobilitandam, & adaugendam; sic verò desipuit, vt timori crederet, & carnificis munus ageret. Iob suadenti sponsæ, sibi manus iniicere, & fortunam adeo miserandam euadere, cordatus respondit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Iob. 2. v. 10.* Ac si dicat: *Mones, vt iniquæ fortunæ tædio mihi iniiciam manus; sed stultitia est, commodare manus fortunæ: ex terribilibus terribilissimū mors est. Ergo infania erit, terribiliori terribilia redimere, & aspera asperioribus vitare.* Prodest Gregor. lib. 3. Moral. cap. 12. *Sancti viri sciunt foris aduersa tolerare, vt intus etiam nouerint peruersa corrigere, dicatur rectè. Quasi vna ex stultis mulieribus locuta es.* Fortis vir aduersus calamitatum ictus pectus opponit; ignauus, & imbecillus, quia molestijs cedit, per mortis aditum fugit. Itaque non est magnanimi, sed imbecillis

timori cedere, & mortem non expectare. Ergo Iob sponsæ, aut diabolo, ore eius loquenti, satis, ait, esse stultum, impatientiā calamitatem augere, & ærumnosam vitam clausula infelici concludere.

§. LIX.

Non semel morti proximus sibi non consulit, & commodis suorum attendit.

Fateor insitum à natura parentibus amorem erga filios, & posteros, qui est, si prudentiæ regatur legibus, dilaudandus; vt, si cæcis ducitur affectionibus, corrigendus. *Nurriuntur a paruulis (scribit Cassiodor. 2. Var. 14.) ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur: & cum sibi vnusquisque credat abundare, quod possidet, cum a patribus adhuc queritur, pro altera potius atate peccatur.* Maria sæuis tempestatibus agitata genitor trajcere non recusat, vt laboriose acquirat aurum, quod Ioboli derelinquat. Sed prohi dolor! Pro altera atate peccatur, & statim discessuræ animæ non consulitur. Reperies parentes morti vicinos, salutis animæ prorsus oblitos, & erga posterorum commoda penitus occupatos: quod debuissent tempus in eluendis conscientiæ maculis lucrosè insumere, malunt commodis posterorum impendere. Achitophel propriam animam spreuit, filijs facultates diuisit. *Disposita domo sua, suspensio interiit.* Quid est disposita domo sua? Consumpto (inquit Lira) quod vsque ad mortem restabat, spatium in facultatibus, hæredibus diuidendis, & rebus domesticis ordinandis. Liram audi: *Disposita domo sua, quia filijs suis diuisit bona sua.* Animæ non timuit exitium, & timuit, ne deesset posteris aurum: animam graui scelere defædatam exhalare non horruit, pro hæreditandis filijs testamentum confecit. *Non pauci nostro auro (verba sunt N. Sanctij) domui sua, ac filiorum commoditati impense inuigilant, imò & immoriuntur, & vt illis bene sit, omni ratione student, sibi verò nihil prouident nisi laqueum, dedecus, & mortem sempiternam.* Amalecites Dauidi offert Saulis diadema: *Tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.* 2. Reg. 1. v. 10. Interpretes existimant iuuenem hunc fuisse Doëg filium, cui pater regalia ornamenta tradidit, vt Dauidis gratiam iniret. Audi Rabban. apud Gloss. *Hunc, aiunt Hebraei, & filium fuisse Doëg.* Consonat Lira: *Dicunt Hebraei quod Doëg videns Saül mortuum, tradidit ista insignia regalia filio suo, vt portaret ad Dauid, ac per hoc iniret gratiam apud eum, & tunc seipsum interfecit.* Proprio gladio transfuerberatus, agebat animam: & cum exiguum post sibi inflatum vulnus temporis spatium impendere debuisset pœnitentiæ, impendere maluit proli: consuluit deferre nuntium, tradidit aurum; vt filius iniret gratiam; animæ nec prouidit, nec attendit: totus fuit in sollicitandis filio incrementis, non in eluendis conscientiæ maculis. Vt historiæ penicillo nos edoceat S. Scriptura, parentes morti proximos non semel exiguum vitæ spatium circa commoda filiorum insumere, cum fas esset, conscientiam gemitibus expiare. Doëg, & Achitophel morti proximi, quod restabat tempus, filiorum commodis impenderunt, & animas acti in desperationem efflarunt.

2. Reg. 1.
v. 10.

Iob. 2. v. 10.

§. LX.

Sæpè iniqui contra se mortis sententiam proferrunt, & carnificis munus agunt.

A Se ipsa vrgetur sæpè conscientia, non vt culpas vera pœnitundine deleat, sed vt à se ipsa meritas pœnas extorqueat: mavult semel perire, quàm sæuis terroribus agitari. *Profectò* (aiebat Philo de Confus. ling.) *Conscientia redarguit in pectore, & contemptores Dei stimulat, vt vel inuiti cogantur intelligere, humanas res administrari à natura præstantiore, & esse iustitiam, que implacabiliter scelera vindicet, insensam iniustis impiorum facinoribus.* Sæpè scelesti secum obluantur, & scelerum vindicem non esse, persuadere sibi admittuntur; verùm propria redarguti conscientia, vel nolentes intelligunt, durissima impios supplicia manere, nec fraudulentis artibus posse euadi: vnde Dei permisso ad mortem recurrere vrgerentur, & iudicis, ac carnificis munus fortiuntur. Ipsi contra se sententiam dicunt, ipsi carnificis vices agunt. Achitophel concubinas Dauid violari consuluit, filium impietatis terminos supergressum, auferre patri vitam, & coronam consuluit, cumque non ignoraret, se pœnas consiliorum aliquando daturum, propria redargutus conscientia, contra se iudex mortis sententiam protulit, & carnifex etiam executioni mandauit: *Suspendio interijt.* Hic fuit consiliorum fructus, hic improbitatis effectus. Notauit Caietanus: *Propria interiijt sententia, & ipse suimet carnifex fuit, actor tam prauarum consiliorum.* Prava, impiaque consilia omnem ad veniam viam Achitophel oclusam suaserunt: cumque nec conscientia sustinere mortem quiret, & de venia desperaret, quàm contra se protulerat iudex, est executus sententiam carnifex. Iudas etiam scelerum grauitate pressus, & de indulgentia diffusus, maluit desperare, quàm conscientia cruciatus ferre: sacerdotibus, & iudicibus iniquitatem confessus est: *Peccauit tradens sanguinem iustum.* Mat. 27. v. 4. Pontifices, sacerdotisque commiserunt ipsi causam, vt sceleri dignam proferret sententiam. *Quid ad nos? Tu videris.* Ipse sui ipsius constitutus Iudex, mortis sententiam dedit, & carnificem præoccupauit. *Abiens laqueo se suspendit.* Sæua præsumpsit præurbata conscientia, & à se pœnam expetens, se laqueo tradidit. Prodest Rabban. in Cat. *Suspendit se laqueo, vt se ostenderet cælo, terræque perosum.* Cælo, terræque detestandus, sceleribus prægrauatus, seipsum ferre non potuit, & miseranda morte vitæ infelicem cursum finiuit. Naturæ humanæ hostis, vt ad crimina impellat, scelerum fœditatem abscondit, sed semel perpetratis, exaggerat, & ostendit. Veniæ spe plures scelera sceleribus cumularunt, sed postea enormitate delictorum malè confusi, sunt in desperationem acti, & in seipsum munere carnificis vsi.

LXI.

Plures cadaueri honorabile sepulchrum disponunt, sed anima non attendunt.

ANxia Antiquis, & sollicita de sepulchris curata fuit, famæ vel post mortem exambiebant elogium, cum circa morum polituram lentius fuerit illis studium. *Significas* (inquit Plinius *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

lib. 9. epist. 19.) *le isse te in quadam epistola me inuisisse Verginium Rufum inscribi sepulchro suo:*

Hic situs est Rufus, pulso, qui, vindice quondam Imperium adseruit, non sibi, sed patriæ.

Addit disertè Plinius: *Victuri nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur.* Anxia erat eis de famæ diuturnitate cura, non tanta erga expoliendos mores solertia. Frontinus extrui monumentum vetuit, mallens famam sibi conquirere factis, quàm insculptis lapidi litteris. Audi eius verba apud datum Plin. *Impensa monumentis superuacua est, memoria nostri durabit, si vitam meruimus.* Maluit sibi conquirere memoriam virtutibus duraturam, quàm duobus versiculis in sepulchro angustare: sunt tamen pauci Frontini, Verginij plures. Sepulchra marmoribus extruunt superbissima, monumenta sequentibus miranda, cum mortem subeant infelicissimam. Achitophel laqueo se traditurus, in ciuitatem suam perrexit: *Abijt in domum suam, & in ciuitatem suam.* Cum suspendio opportuna arbores occurrissent, inquit Abul. q. 17. Cur tempus distulerit, nec statim decreta expleuerit? *Quare iuit in ciuitatem suam? nam cum intenderet se suspendere, nihil magis differebat hic, quàm ibi.* Dubio respondet doctissimus Interpres, ad sua scilicet contendisse, vt ibi maiori pompa funeraretur, & honorabili sepulchro reponeretur: *Ad hoc iuit in urbem suam, vt sepeliretur cum patribus suis... item forte fecit hoc propter honores funeris.* Funeris pompam ambiuit, & sepulchri Epitaphium curauit, cum animam dæmonibus traderet cauernis fœditissimis sepeliendam, & nunquam saturis flammis donandam. Occurrent plures animæ prorsus obliu, & operosis elaborandis sepulchris sollicitè intenti, cum parum incòmodet cadauer terra contegi, & plurimum animam vri: *Sepultus est in sepulchro patris sui.* Ad suos redijt, vt paterno tumularetur sepulchro, cum anima sepelienda fuerit inferno. Veterinosus ille senex flammis tradendus, operosum videtur construxisse sibi sepulchrum, quem fefellerat, Dei Prophetam sepulchro suo condidit: *Posuit cadauer eius in sepulchro suo.* 3. Reg. 13. v. 30. Præ alijs celsius, & elaboratius fuisse sepulchrum non obscure indicauit Iosias; nam cum fatidicorum sepulchra inquireret, vt eorum ossa succenderet, de hoc quasi præ alijs nobiliori rogauit: *Quis est titulus ille, quem video?* 4. Reg. 23. v. 17. Cum plures ibi essent tituli, quærunt Interpretes, cur de isto singulariter inquisierit? Notauit Lira: *Cum essent ibi multa sepulchra, queritur, quare ibi Iosias specialiter quæsivit de illo? Quæsito respondet: Fecerat ibi signum notabile, & scripturam.* Nobilium præ alijs senex sepulchrum struxit cadaueri sepeliendo, cum idololatra animæ nec prouiderit, nec attenderit: vt noueris, quanta hominibus animæ irrepit obliuio, quanta vel post mortem erga auanidam gloriam ambitiosa fuerit attentio.

§. LXII.

Sapientem dedecet sine testamento mori, & hæredibus iurgia relinquere.

Creditur vulgo (scribit Plin. lib. 8. epist. 18.) *Testamenta hominum speculum esse morum.* Testamentum pro speculo est ad agnoscendos testantis mores;

Mat. 27.
v. 4.

3. Reg. 13.
v. 30.

4. Reg. 23.
v. 17.

mores; nam si iuste, si prudenter, si piè dispositum, auctorem euulgat virtutibus expositum. Verùm, vt testamentum est morum speculum, sic vbi testamentum non est, morum remanet etiam indicium. Qui intestatus post longa ægritudinis spatia occubuit, sibi conquisiuit inuidiam, & obscurauit prudentiam: testamenta digna prudente sunt, si quæsiuit dignos, quibus animæ curam commiserit, & pauperes, quorum calamitatem leuarit. *Cum ipso vite in fine constitimus* (aiebat Senec. 4. de Benefic. cap. 11.) *cum testamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura diuidimus.* Benè collocatur tempus in testamento ordinando, & diuitias honestè diuidendo; nam qui sine testamento vitam finiuit, sibi, & suis plurimum obfuit. Achitophel prudentis opinione radiarat, & ne moriens, nebulas prudentiæ offunderet, ad suos redijt, & à tumultu secedens, testamentum disposuit: *Stravit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & disposita domo sua, suspendio interijt.* Quærent Interpretes: Cur, quam in se mortis ipse protulerat sententiam, distulerit? & cur ad suos, vt ordinaret testamentum, redierit? respondētque, suspendium distulisse, ne sine testamento discederet, ad suosque redijisse, vt testamentum à curia recedens meliùs ordinaret: & licet decreuerit suspendio interire, arbitratus est, dedecere prudentem sine testamento mori. Audi Abul. q. 17. *Noluit mori intestatus, sed diuidere substantiam suam hæredibus, & hoc conuenientius facere posset in vrbe sua, & domo, quàm extra, ideo iuit illuc.* Integra salute, impertubato iudicio testamentum ordinauit, & vt ordinaret, à negotijs alijs secessit: fortè nouerat, testamenta, adurgente morbo, non tam proprio, quàm alieno arbitrio disponi, & minus aptè ordinari; ergo sanus testatus est, & noluit prudens celebratus, in morte apparere stultus. Quidam morti proximus, longa vitæ spatia sibi promittebat, nec de testamento cogitabat: huic cœlestis vox stulti notam impexit, & cuius essent futuræ diuitiæ, rogauit. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: que autem paraſti, cuius erunt?* Luc. 12. v. 20. Geminata desipuit avarus hic stultitia, & quia morti vicinus, sibi videbatur æternus, & quia intestatus etiam defcessurus. Hoc innuit illa sigillatio. *Et que paraſti, cuius erunt?* Acſi dicat: Repentina correptus morte, facultates relinques litium semina, hæredum iurgia; nam dum nihil disponis, inter se hæredes committis. Notauit Chrysologus serm. 104. *Benè: stulte: quia ibi totum de carne fuerat, nihil de corde.* Adnectit illud Pauli: *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est inspiens cor eorum, existimantes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quid stultius, quàm nimis indulgere corpori, & tenebras offundere menti? Quid stultius, quàm migraturæ animæ non consulere, nec de cadauere cogitare? Quid stultius, quàm facultates relinquere auaritiæ manibus diripiendas, aut sine testamenti dispositione varijs litibus dissipandas? stultus erat, qui nec animæ prouidit, nec testamenta ordinauit.

§. LXIII.

Sibi aliquando apparet stultus, qui de ingenij perspicacitate ab omnibus celebratus.

Dignè à populis commendatur, qui ingenij perspicacitate reliquos præire cognoscitur.

Prudens utilis omnibus inuenitur, dum ab eo quæritur, quod generalitati profuturum non dubitatur: prudens est curarum solatium, fortunæ asperæ leuamentum, imminentium periculorum exilium. *A maturis in communi quæritur* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 9.) *quod pro omnium utilitate tractatur.* Prudentia bello conuenit, in pace resplendet. Inueniuntur tamen nonnulli, qui cum aliorum negotia prudentiæ luce, & ingenij perspicacia benè disponant, sibi ipsis desipiunt, & ad se spectantia nec bene ordinant, nec prudentiæ edictis attemperant: imò non semel in morte apparet stultus, qui prudens ab omnibus celebratus. In huius veritatis testimonium adest Achitophel: in præstandis consilijs habebatur diuinus, sibi verò stultissimus fuit, nam sibi manus iniicit, & tristitia oppressus occubuit. Suspendio interijt notauit Abulens. q. 17. *Eccce quam amara mors, & tantò viro indigna, vt qui ceteros sui temporis sensus perspicacitate, & consiliorum firmitudine, sicut Deus homines, excellebat, tam infanda premeretur calamitate, vt sibi ipsi manus iniiciens, per infamem mortem inglorius occumberet.* Sibi desipuit, alijs sapuit: apparuit in vita prudentissimus, in morte vesanus. Inuenies homines ad aliorum ordinanda negotia industrios, & perspicaces, erga familiam verò suam, & ad se spectantia prorsus imprudentes, & à rationis lumine extorres. Nabuchodonosor de ingenij perspicacitate laudatur, dum aquilæ emblemate pingitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum.* Ezechiel. 17. v. 3. Per aquilam Nabuchodonosor denotari, tradit Card. Hugo: *Hæc aquila est Nabuchodonosor.* Vides acuto visu, & perspicaciâ præditum? Transi ad Daniel. v. 30. & reperies bouem stultissimum, & tardigradum: *Fanum, vt bos, comedit.* Et quid commune boui cum aquila, aut aquilæ cum boue? Si aquilinum, perspicacissimumque sortitur aspectum, quomodo stupidum refert brutum? aut si, vt bos desipit, quomodo aquilina perspicaciâ ceteros vincit? Bouem retulit (inquit Hugo) quia cum sciret sibi periculum imminere, nec casum anteuerit, nec admonenti Prophetæ paruit. Urgebat illum Daniel, vt imminente discrimini misericors occurreret, vt calamitatem pœnitentia auerteret. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et sic audiuit, acſi non audiret, & prouidere sibi contempsit. Audi Hugonem: *Superbia excacatus discredidit.* Erga sua bos erat stultus, erga alia aquilinis oculis præditus.

§. LXIV.

Olim regij Consiliarij non utebantur florenti pompâ, nec famulitij cateruâ.

Sicut humani corporis pulchritudo ex decora membrorum connexionione dependet, ita politici corporis salus ex laudabili moderatione confurgit. Veteris sæculi status erat moderationis speculum, nec licebat arbitrio ostentasse pompæ superbia, quia laudanda moderaminis ab omnibus seruabatur mensura. *Humane mentis* (aiebat Cassiodor. 7. Var. 26.) *felix illa conditio est, que arbitrium prouectionis sue intra terminum moderationis includit, & sic peragit dignitatis breuissimum spatium, vt vniuersis temporibus reddatur acceptus.* Olim proceres, magnique ministri prouectionis suæ

cursum

Luc. 12.
v. 20.

Ezechiel:
17. v. 3.

cursum sic intra modestiæ terminos continuerunt, vt nec affectarent satellitij pompam, nec ornatus culturam. Achitophel vnus erat ex magnis Regis ministris, imò inter cæteros magnus. *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Suprà 16. v. 23. Hic regius consiliarius, & ab omnibus suspiciendus, iter fecisse refertur, non pretiosa lectica, aut quadriga affabrè facta, sed asino vectus, & feruorum turba non stipatus. *Stravit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam.* Non erat vsus equorum, nec copiosi satellitij erat vsus. Notauit Abul. q. 16. *Non equitabat Achitophel super equum, aut mulam, quanquam esset vir honorabilis nimis, quia erat rara consuetudo illius temporis ad mulas, & equos, sed equitauit super asinum secundum generalem consuetudinem.* Iuxta sententiam Abulensis apud Antiquos viri etiam honorabiles, & Reipublicæ Consules incedebant sine fastu, & exiguo viuebant sumptu. Delbora iudices, principesque dilaudans, aiebat: *Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio, & ambulatis in vias, loquimini.* Iudic. 5. v. 10. Audis, reportata de Sisara victoria, iudices iter agere; vectos asinis, non quadrigis: *Ascenditis super nitentes asinos: quàm alieni erant à vendenda iustitia, quibus angusta satis familia: Ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio: id est, cum iudiciaria potiamini potestate, vos intra modestiæ limites continetis, nec domo excedentes, aut agentes iter, puluerem sequentium vestigijs excitatis.* Ad iudices orationem directam testatur Lira: quos, ait, iam securè posse ad iudicium tendere, & super nitentes asinos equitare. Liram audi: *Antè iudices non audebant ire de loco ad locum ad indicandum, sed tunc poterant ire securè, & honorificè.* Totus Iudicis equitatus asinus erat, otiebatur auaritia, quia non permittebatur sumptuosa pompa. Itaque olim magna vtebantur moderatione ministri, nec licebat pratextatis, iudicibusque transilire moderationis mensuram, nec violare cultus modestiam.

Iudic. 5.
v. 10.

TEXTVS

VERS. 24. 25. & 26. Dauid autem venit in castra, & Absalom transiit Iordanem ipse, & omnes viri Israël cum eo, Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iesraëli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas sororem Saruix, quæ fuit mater Ioab. Et castrametatus est Israël cum Absalom in terra Galaad.

§. LXV.

Probi, improbi que similes subeunt dolores, dissimiles sortiuntur fines.

NON inficiabor, De virtutis que discipulos sæpè ad labores citari, duraque perpeti. *Labor* (aiebat Senec. de Proui. cap. 5.) *optimos citat.* Optimus vir laborat, impendit, impenditur, verum non trahitur à fortuna, imò supra ipsam elatus vincit calamitatum constantia, & erigitur ad constantiam bona conscientia. Qui vitia sequun-

tur, implacabili quassantur diffidio; & rationis cum appetitu continuo bello. *Nego* (aiebat Senec. de Vita Beata cap. 10.) *quemquam posse iucundè viuere, nisi simul & honestè viuat.* Vitium enerue est, voluptas salutis hostis, dolorum nutritrix. Mihi crede, qui à bona mente distat, à dolore distare nequit: momento vitium eius sectatoribus adulatur, sed salutem fauciat, vitam angustat; & quod horribilius est, infausam vitæ clausulam seruat. Dauid Christi umbram gerentem sequuntur nonnulli, & dum sequuntur, Iordanis rapidos fluctus trajciunt: *Surrexit ergo Dauid, & omnis populus, qui cum eo erat, & transierunt Iordanem.* Absalonem dæmonis, vitijque imaginem etiam sequuntur plures. Sed etiam Iordanis luctuosas vndas transmeare coguntur: *Absalom transiit Iordanem ipse, & omnes viri Israël cum eo.* Eundem fluiuium trajciunt omnes, & qui sequuntur Dauidem, & qui Absalonem sequuntur; eo tamen discrimine quòd Dauidem secuti, redimuntur tandem lauris; Absalonis sequaces saltu vorantur à feris: *Factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israël ad exercitum Dauid.* Infrà. 18. v. 7. Absalonis signa sequentes non solum occiduntur, sed à saltus feris deuorantur. *Mulò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi, quos vorauerat gladius in die illa.* Vna dies omnem lætitiã abstulit, & calamitatem æternam intulit. O miseros Absalonem secutos! Post vndas, gladij sustinent plagas, & post plagas in saltu leuandas numquam miserias: Dauidis milites cum vndis colluctati sunt, sed post pugnam triumphalem susceperunt coronam. *Saltus consumpserat bestia scilicet* (inquit Interlin.) *quæ in saltu erant.* In vita traiecerunt rapidas vndas, in morte passi sunt truculentissimas bestias. Vt noueris, quàm sit verum, improbos, dum viuunt, non dissimilem, ac iustos subire laborem & subire, dum obeunt, dissimilem satis finem. Iacob dormienti obijcitur scala, per quam, & qui ascendunt, & descendunt, discurrunt. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Gen. 28. v. 12. Angeli hac in visione, quod iustis, improbisque accidere solet, adumbrauerunt. Iustus per angustam inscendit scalam, sed ad Dominum scalæ innixum perueniens, laboris demittit fructum, ætetnum gaudium; improbus non ampliori, sed eadem scala descendit, & non Deum, sed mortem, Iacobi somno adumbratam inuenit. Itaque in mortem incurrunt non lato, & spatioso campo progressi, sed eadem scala, ac iusti angustiati, & afflicti. Iam scalam Christi esse crucem, tradit ex Cirillo cap. 8. sup. Ioannem. Lauretus Ceruar, in Alleg. *Designare potest crucem Christi.* Arcta via descendunt, & cum similes, ac ascendentes subeant labores, dissimiles sortiuntur fines. Coruus, & columba eandem arcam inhabitant, angusto cibo aliti, & veluti carcere inclusi: eadem die emittuntur. *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur. . . Emisit quoque columbam post eum.* Gen. 8. v. 8. Similem in arca clausuram, similem ieiuniorum patiuntur inedia: sed columba redijt florenti ramusculo diuitata: *Portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Coruus non redijt fluctibus naufragij absortus; aut certè floribus non legitur exornatus. Caruit coruus post clausuram solatio, perfruita est columba ramo fructifero: dissimiles stiterunt in exitu; similes, dum habitarent arcam, in victu.

Gen. 8. v. 8.

vt veluti in ænigmate probi, & improbi vitam, & mortem aspicias. Audi Isidor. apud Gloss. *Post quadraginta dies coruus non redijt, aut aquis interceptus, aut cadauere natante illectus.* Coruus nec excusauit arcam, nec inuenit oliuam; columba inuenit oliuam, etsi in arca fuerit perpeffa molestiam. O quàm est miserum ad religionis claustra confugere, vt diluuium vites, & post claustrum in morte sustinere diluuium! Coruus in arcam se receperat, vt naufragij euaderet vndas securus, & post labores vndis dicitur interceptus.

§. LXVI.

Amicus amico consentiat, dum virtus colitur; resiliat, si honestas leditur.

Plures dum amicitia legem ignorant, amicitiam violant: amicitia eximia est virtus, quæ amicorum associat animos, & delectabili vinculo vnit affectus. Verùm nequit ab honestate discedere, si velit amicitia elogium potiri. *Sincera, & non fucata amicitia planta* (scribit Philo de Planta Noë) *excussis, & dimissis huiusmodi rebus (noxii scilicet cupiditatibus) fructum feret suis cultoribus vtilissimū, nempe fidem nullis corrumpendam numeribus.* Adnectit. *Resecanda sunt igitur hæc prestigia simulationisque ab amicitia planta, vt agnata pestes noxia.* Laudanda sunt amicorum foedera, ni seruiant cupiditatibus concinnandis, & bellis contra honestatem mouendis; tunc enim amicus, si prudens, ab amico recedet, & foedus rumpet. Absalom ducem exercitus constituit Amasam, vt contra Dauidem adornauerit pugnam. *Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum*: id est, quia Ioab resiliuit ab amicitia, Amasæ tradidit castra. Ioab amicitiam cum Absalone ab initio professum, & in patris gratiam non sine labore reducere conatum, Textus exprimit, & Abulensis quæst. 22. tradit: eius verba sunt: *Ioab, & Absalom fuerunt à principio valde amici: post autem fugiente Absalom propter mortem Amnon, Ioab fecit eum reuocari in Ierusalem (suprà 14.) Iterum autem cum nollet Dauid quod Absalom videret faciem eius, fecit Ioab, quod veniret coram Rege, Eodem cap. Quam ab initio Ioab cum Absalone iniuerat amicitiam, inuiolatam adeo vsque ad istud tempus seruauit, vt nec aduersa Absalonis fortuna tepuerit, nec per Absalonem frugibus consumptis flamma, recesserit: occasionem tamen Textus præbet suscitandi: Cur modò Ioab non fuerit in militia magistratum electus, & Amasa fuerit ascitus? Abulensis iam datus ait, Ioabum stitisse militia normam, & vtilissimam amicis tradidisse doctrinam: Absaloni exuli, & aduersa fortuna presso adstitit fidelissimus, acceptum de Absalonis præcepto detrimentum dissimulauit magnanimus, modò verò amicum contra patrem insurgenti, & naturæ leges violanti adesse noluit, imò amicitiam dirupit. Audi Abulensem: *Absalom habuit Ioab in amicissimum, & voluit eum facere ducem belli, sed quia nunc noluit fauere parti eius, accepit Amasam in ducem loco eius.* Itaque noluit fauere Absaloni, etsi dignitatibus inuitatus, & commodis allectus, satius ducens ab amicitia resiliire, quàm contra honestatem amici partes tueri. Quod si imitarentur plures, amicorum iniqua non fouerent vota, nec veræ amicitia violarent iura; verùm dum igno-*

rant, quæ sit laudabilis amicitia, infanis amicorum cupiditatibus blandiuntur, & legitimæ amicitia aduersantur. Acab amicitia Iosaph, & familiaritate coniunctus, vt sibi depræliaturo adlit, obnixè rogat; *Veni sene mecum ad præliandum in Ramoth Galaad?* 3. Reg. 22. v. 4. Iosaph amicus, & ex se magnanimus, nullum se periculum offert recusaturum, nec ab amici sui latere vllis incommodis amouendum; si tamen prælium illud Deo placitum, nec rationi fuerit aduersum. *Sicut ego sum, ita & tu, populus meus, & populus tuus vnum sunt, & equites mei: & equites tui. . . quare, oro te, hodie sermonem Domini.* Acta dicat: Eâ tecum amicitia adstringor, vt tecum periculum adeam, & vt triumpho fruaris, quidquid habuero, libenter impendam, ea tamen lege, vt Deus annuat, & honestas non contradicat. Si inquiras: Cur Iosaph, qui amicitiam, & affinitatem contraxerat, & omnia communia futura asseruerat, Oraculum requisierit, & expectarit? Respondebit Lira, veræ amicitia noluisse leges violare, sed colere; cumque amicitia inter virtutes debeat recenferi, nequit ab honestate seiungi. Liberaliter se suaque amico offert, nec pro eo procedere in campum timet, dum æquitas non contradicat, nec ratio se opponat. *Iosaph* (inquit Lira) *erat fidelis*: id est, veræ erat religionis cultor, & æquitatis assertor, maualt ergo virtuti non deesse, quàm adesse familiari. Obseruauit Iosaph celebre illud dictum: *Amicus vsque ad aras.* Hinc nobis datur generosæ amicitia forma: non est ab amicitia semel contracta recedendum, dum æquitas non prohibet; verùm si æquitati, aut amico sit deficientium, amicitia est dirumpenda, & æquitas est inuiolata seruanda.

§. LXVII.

Qui calamitatibus iactatur, ad Angelorum confugere patrocinium conetur.

Libenter annuunt Angeli, quæ sine æquitatis iniuria postulantur, maximè cum postulatur auxilium, ad quorum inuigilant tutamentum. *Libenter annuimus* (aitbat Theoder. 5. Var. 37.) *quo sine legum iniuria postulantur, maximè cum pro seruanda ciuilitate nec illis sint neganda beneficia iustitie, qui cognoscuntur errare.* Etsi subiectus aliquando errauerit, Princeps suæ dignitatis lege tenetur calamitatem linire, & benignè auxilium impendere. Ergo cum Angeli ad hominum tutelam sint delegati, nequeunt non protegere, quos calamitate iactatos, in suam norunt protectionem confugere. Dauid cum à parricida grandi exercitu premeretur, confugit ad secreta castra, & contra hostiles aduultus tuta profugia. *Dauid autem venit in castra, & Absalom transiuit Iordanem ipse, & omnes viri Israël cum eo.* Insequabatur perfidus exercitu instructissimo patrem; verùm Dauid, vt mucronum scuitiam frustraret, se in castra contulit. Hebræus Textus pro castris habet: *Mahanain*, id est ad illum locum se contulit, in quo Iacob Angelos vidit in castrorum formam adesse, & ad eius tutelam aciem componere: *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanain, id est, castra.* Gen. 32. v. 1. Ad hæc ergo castra Dauid confugit, præsumens de angelorum tutela eludenda inimici vota; quod

3. Reg. 22.
v. 4.

Gen. 32. v. 1.

quod & accidit; nam ibi tutus deguit, & conatus inimici nocere non valuit. Audi N. Sanct. *Eligit autem, opinor, David locum illum, quia ibi Iacob cum fratrem timeret, angelos habuit adiutores, & ipse idem contra filium non dissimile sperabat auxilium. Tum etiam quia ciuitas illa iuxta nomen suum satis videbatur ad repugnandum munita.* Ad ciuitatem confugit, quæ appellabatur *Mahanaim* Hebraicè, *castra* Latine: nam ibi sub angelorum tutela insidias inimici sperabat vincere, tutoque degere, suis nos factis edocens in calamitatibus, afflictationibusque, angelorum opem implorare, & ad eorum umbram confugere. Saucium illum à grassatoribus dispoliatum Samaritanus in stabulum duxit, utque adefset agrotanti, precibus obnixis stabularium rogauit: *Curam illius habe.* Luc. 10. v. 35. Stabularium angelum fuisse, testatur Orig. in Cat. *Velut mercede donatur Ecclesie angelus, ut diligentius curet hominem sibi commendatum.* Precibus velut mercede allicitur, ut hominis salutem promoveat, & à grassatoribus alijs defendat: non ausus est grassator stabulo proximare, quia ibi nouit angelum præsidere, & dum saucius, calamitateque pressus, recurrit ad angeli patrociniū, fortitur opem, & pellit calamitatem. O quam non dispoliaretur, nec à latronibus feriretur, si antea ad stabulum peruenisset, & angelorum opem implorasset. Qui vult captiuas inimici fugere insidias, qui temporales discipit alleuare miseras, hominum custodes inuocet, & vigilantissimos tutores inueniet.

§. LXVIII.

Sapè, dum inexperius, quia cognatus, præficitur, Respublica periculis adurgeitur.

Tolerabile fit omne, quod æquabili ordinatione disponitur, ut periculosum est, quod à bona politica deuiare probatur. Latitia debet esse cunctorum prouida electio, quando fas est adimari quod constat prouidenter decerni. *Periclitarentur* (aiebat Cassiod. 6. Var. 10.) *grauiter boni mores, si aut solis diuitibus, aut corpore valentibus præstarentur tantummodo dignitates.* Boni mores, & Reipublicæ status periclitatur, si diuitiæ locum meriti teneant, aut affectus iudicij lucem extinguant. Vbi non ratio imperat, sed affectio, electi infauita eligentis, & Reipublicæ sunt præfagia. Non lego, Amasam certaminibus antea exercitum, hostium sanguine pulcherrimè defædatum, & lego ab Absalone exercitui præpositum. *Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum.* Cur Amasam Absalom præ alio elegerit: inquirunt Patres, respondentque Absalonis fuisse cognatum, & maluisse sanguini honorem præbere, & Amasam sibi cognatum reliquis militibus antepone. *Erant fratruelles* (inquit Abul. q. 23.) *ideo Absalom voluit potius hominem de genere suo constituere ducem exercitus sui, quam aliquem alium.* Quem exitum hæc electio sortita fuerit, Textus non tacuit: *Factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David.* Infra 18. v. 7. Dum inexperius cognatus eligitur, populus cæditur. Ferè immetatum exercitum ducebat Amasa, Davidis non aded armis erat instructus, nec militibus copiosus, vicit tamen David, forte quia Amasa in castris ordinandis non exercitatus, nec bellorum aded peritus: forsan si strenuum præfecisset in ducem, non aded magnam exercitus tulisset cladem. Isaii populi amator, cum ex eius

filijs vnus ad regimen quæreretur, & iam repudiat plurimis, fere consumpta esset vbertas, Davidis studiosè videtur oblitus, aut certe eius promotionis non studiosus. Samuel, his animaduersis, an filij prorsus defecerint, sciscitatur: *Nunquid iam completi sunt filij?* 1. Reg. 16. v. 11. Isaii Propheta interrogacione obligatus, restare paruulum pascendis ouibus dicatum, respondit: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oves.* Quærunt Patres: cur Isaii, qui repudiatos cæteros viderat, Dauidem non obtulerit inaugurandum, & ad culmen regimini promouendum? Profectò ipsa natura stimulabat, ut filium procuraret honoribus insigniri, & tantæ dignitatis infulis exornari: cur ergo naturalem affectum premit, nec Dauidem vngendum, fratribus repudiat, producit? Quia Isaii (respondet Basil. Seleuc. Or. 14.) videbat Dauidem bellorum experientia nudum, ætate paruulum, pastoritij ministerijs addictum: ergo licet naturali affectu ad filij promotionem excitaretur, maiori Reipublicæ vtilitatis studio tenebatur. David vnctus dignitate radiaret, sed pater verebatur, ne dignitas ingemisceret. Audi Basil. *Adhuc (inquit) reliquus est paruulus, & pascit oves. Quid eum, qui ne ad gregem pascendum sufficit, ad regnum flagitas? Quid, instituto cognito contentiosus ei tantum adiungere dignitatis adlaboras? Minor est, qui derelictus.* Isaii, & Propheta contentio Davidis virtutem euulgabat, & parentis etiam virtutem clarè promebat. Talis fuit David, ut patris non præualuerit ignoratio, talis fuit pater, ut naturæ non obcæcetur affectu: malebat Isaii dignitatem electo ornari, quam electum externæ solum dignitatis luce fulgere. Non persuasit parenti natura filium adducere, & inaugurandum offerre, imò natura affectu sopito laudabili erga generalitatem motus est zelo. *Quid eum, qui ne ad gregem pascendum sufficit, ad regnum flagitas? Se rectè gessit vterque: Samuel dum patris reluctantiæ præualere non finit, & Isaii dum, quod Reipublicæ videbatur vtilius, ambit: Absalom sibi, & Reipublicæ nocuit, dum muneri cognatum inexploratum præfecit.*

§. LXIX.

Qui iniustam defendendam suscipit causam, laedit conscientiam, & sibi conciliat etiam inuidiam.

Patroni munus, optimos requirit legum Interpretes: munus laudabiliter geritur, si patronus erudita fulgeat doctrina, & illa simul conscientia. Iniqua causa parit aliquando auri copiam, sed denigrata agnoscitur patroni famam; nec enim prudentis meretur elogium, qui solum respicit aurum. *Ab ipso* (aiebat Theoder. 5. Var. 4.) *legum peritia postulat: illuc vota confluunt supplicantium, & quod est omni thesauro pretiosius, penes ipsum ciuitatis nostræ fama reponitur. Quæstore iusto innocentium conscientia fit secunda, improborum tantum vota redduntur anxiosa, & cum malis surripiendis spes tollitur studium bonis moribus adhibetur. Vnicuique propria custodit, pecunia continens, æquitatis profusus, nescius decipere, promptissimus subuenire.* Quod de quæstore Cassiodorus, cuius patrono sine violentia applicatur, & conuenire dignoscitur. Qui iustam defendit causam, violentiæ contradicentis occurrit, & generalitati deseruit: E contra si litium defensor, causarum non discutit qualitatem, sed legibus anteponebat mercedem, propriam, & alienam conscientiam

conscientiam lædit, & inuidiam sibi conquirat. Amasa ab Absalome ascitus, & ingenti dignitatis præmio subornatus, eius defendendam suscepit causam, sed propriam læsisse comprobatur conscientiam. Patrocinium exhibet impijssimum, contra patrem controuersiam gerenti, & coronam coloratis ad speciem titulis subripere procuranti. *Amasam constituit Absalom pro Ioab super exercitum.* Oblata dignitas Amasæ persuasit Absalonis suscipere patrocinium, & contra Dauidem fouere bellum. Notauit Abulens. q. 24. *Videtur quod peccauerit, quia pugnavit contra Dauid, & fuit princeps belli, & erat bellum iniustum, quod ei notum erat.* Si belli iniustitia Amasæ non esset nota, quiret causam defendendam suscipere, & fas esset patrocinium offerre; verum reclamante conscientia, erat iniquissimum auxiliari. Nec solum Amasa læsit conscientiam, sed etiam obscurauit famam, & sibi conciliauit inuidiam, dum erubuit victus, & profligatus. *Factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid.* Amasa cessit inglorius, & malæ conscientia stimulo exagitatus: filij Israël Leuitæ, cui grauis illata iniuria, suscipiunt causam, nuntiosque mittunt, flagitiosos puniendos postulantes: *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt.* Iudic. 20. v. 13. Beniaminitæ pro scelestis steterunt, iniquam aded defendendam causam suscipiunt. *Conuenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium.* Acriter vtrinque decertatum est: tandem Beniamin Tribus est ferè consumpta, & ad solitudinem recipere se coacta. *Remanserunt itaque de omni numero Beniamin; qui euadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri.* En iniquæ tutores causæ propriam deturpauere conscientiam, & conciliauerunt inuidiam. *Pudoris* (verba sunt dati Cassiod.) *sustinere iacturam nesciunt, qui se prius iudice corriguntur.* Qui prius examinant causam, pudoris vitant iacturam qui verò, reclamante conscientia, vitandum suscipere non recusant patrocinium, duplex sibi probantur conquirere detrimentum. *Rectè* (inquit Greg. 24. Moral. cap. 13.) *iudicare aliena merita non valet, cui conscientia propria innocentia nullam iudicij regulam præbet.* Qui prius propriam non attendit conscientiam, malè alterius aut impugnare culpam, aut defendere potest causam, quandoquidem ipsa tuitione iniquum producit litigium, & auget protectione reatum. Amasa erubuit inglorius, quia iniquam defendere causam aggressus.

§. LXX.

Plures eligunt læsa conscientia fulgere, quam illa, dignitatibus viduari.

Ambitio pollet sagacissima perspicacia, sed conscientia despicit detrimenta: suspirat fastigium, non examinat ascensum. *Nec pudet* (aiebat Tertul. de Pœni. cap. 11.) *nec piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumelijs omnibus eniti in causa votorum suorum.* Vident per animæ incommoda incendenda fastigia, malunt tamen culminibus eminere, quam conscientia detrimenta vitare. Ex his videtur esse Amasa, cui Absalom militia obtulit magisterium, vt contra Dauidem exercitum ducat in campum: Amasa non ignorabat iniquissimum esse bellum, sed ambiuit magisterij fastigium, mallès dignitatis luminibus splendere, quam conscientiam tutam seruare. *Amasam verò constituit Absalom pro*

Ioab super exercitum. Exercitui præsidere, erat criminibus infici, ea tamen erat ambitionis cæcitas, vt animæ incommodum non attenderet, vt dignitatem adiret. *Peccauit* (inquit Abul. q. 24.) *quia pugnavit contra Dauid, & fuit princeps belli.* Principatus culpam habebat annexam, sed Amasa deglutiuit culpam, vt volaticam adiret gloriam. Leuitæ offert Michas copiosum aurum, & sacerdotium, ea conditione, vt idolo assistat, & colat: *Mane apud me, & esto mihi parens, ac sacerdos.* Iudic. 17. v. 10. Perpendit secum adolescens de Leuita in sacerdotem transire, & maiori dignitate fulgere: non ignorabat externis dignitatis fulgoribus animam inquinari, & improbus iudex, inuerecundusque ambitor animæ postposuit incommodum, & sitiuit dignitatis augmentum: *Acquieuit, & mansit apud hominem:* secum ratiocinabatur; si conscientiam illæsam seruo, dignitatis augmento careo, si dignitate fulgeo, conscientia nigresco; sed parum interest pollui offensa, dum dignitatis refulgeam pompa. *Acquieuit* (inquit Hugo) *victus amore pretij.* Acquiescens fastigium sortiebatur, & aurum, sed conscientia sustinebat detrimentum, & morsum, maluit tamen conscientiam pollui, quam dignitatis splendore carere.

§. LXXI.

Nonnulli affectant dignitatem, & dignitatis respuunt laborem.

Sicut cælum stellis redditur clarum, sic reuocet Reipublicæ corpus luminibus dignitatum: electus Reipublicæ probatur commodus, si in modum sideris debitis excubijs inuigilarit attentus. Deducet ignauia vituperanda marcere, qui debet Reipublicæ solertissimè inuigilare. *Illum* (aiebat Cassiod. 6. Var. 11.) *honores glorificant, quæ commendat & vita.* Probabilis actio laudem acquirit dignitatis culminibus celso: sed proh dolor! plures labores adnituntur vitare, & dignitatum commodis frui. Amasa exercitus obtinet magisterium, sed magisterio decoratus, nullis refertur præcipuis actionibus insignitus: *Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum.* Exercitus princeps vllis non legitur actionibus approbatus. *Egressus est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephraim.* Infrà. 18. v. 6. Amasa cum hostilibus mucronibus pectus deberet objicere, suosque protegere, inter fugientes innuitur fuisse, *Cecinit Ioab buccina, & retinuit populum, ne sequeretur fugientem Israël.* Dum totus Israël fugam arripuisse refertur, & Amasa à fugientium numero non excipitur, inter fugientes fuisse declaratur. Notauit Abul. q. 10. ad cap. 18. *Exercitus Dauid erat valdè ordinatus, & exercitus Absalom sine ordine, idèò faciliter dispersus est.* Iure muneris pertinebat ad Amasam, exercitum ordinare, & fugientes retinere; ipse verò, qui dignitatis sitiuerat gloriam, indecoram vt vitaret periculum, arripuit fugam: sunt namque plures, qui ament muneris splendore luminibus, & se sustrahant muneris sudatis laboribus. Somna templi præpositus amplo fruebatur honore, & alienus videbatur à munere: quod fugillans Dominus, aiebat: *Quid tu hic, aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelsu memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.* Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus *gallinaceus.* Isai. 22. v. 16. Gallus & cristam, & vocem

Iudic. 17.
v. 10.Iudic. 20.
v. 13.Isai 22.
v. 16.

vocem habet, nocte inuigilat, auroram sentit, illucescere diem prædicit: verum Somna cristam insigne honoris gestabat, & inertis somno dormiebat. Notauit Hugo Card. ad Iudic. 17. *Asportatur gallus gallinaceus, qui gallinas non fœcundat, sed se ipsum impugnat. Cristam habet galli, sed non habet vocem galli. Sic Prælati multi ecclesias non fœcundant nec germine boni exempli, nec semine prædicationis, sed tantum se ipsos voluptuose viuentes impingunt: myrram Episcopi habent, sed non verba Episcopi, imo potius militis, vel comitis. Dignitatis redditibus impinguntur, miseris elemosynas non dilargiuntur: gestant capite insigne dignitatis decorum, non tamen implent actionibus dignis officium; annexum muneri recusare laborem, ambierunt muneris lucem. Amasa ordinandi exercitum excusauit molestiam, ducatus ambiuit gloriam.*

§. LXXI.

Sapè quis, ne coequalibus obscurior videatur, vt exæquet, culpis inficitur.

Non raro origine, conditioneque æquales, fortunâ inueniuntur dissimiles. Resplendet alter ornatus cultu, & copioso ditescit censu; erubescit alter minus pretioso vestitu, sumptuosoque fastu; ergo ne minor videatur externa pompa, admissa exæquare adnititur culpa. Hoc probat historicum illud arcanum: Iacob, Esauque veterini fratres eodem momento effusi, & eisdem parentibus fuerant procreati: Esau ornatus pompâ fulgebat, & Iacob, ni benedictionem subriperet, veste æquali non resplenderet, ergo architectatus est sine dolo dolum; quia ibi totum fuit mysticum, & arcanum. *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Gen. 27. v. 15. Nemini splenderet, quam frater, vtque eodem ornatus nitesceret splendore, dolosam ad speciem recurrit ad fraudem, etsi reuera laudabilem exercuerit actionem. Notauit August. apud Gloss. *Iste dolus Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magna rei mysterium quæreretur, superius prædixit Scriptura: Erat autem Iacob homo simplex, habitans in tabernaculis. Iacob exequutus est sine crimine, quod sæpius criminosa accidere solet arte, adumbravit honestis factis quod contingit sæpè imperitis. Intuetur quis alium non defecatori sanguine exortum, ornatu cultiori nitere, & meliori fortuna vti, & nequit, ni interuenerit culpa, simili radiare cultus, & familiæ pompâ: ergo vt exæquet pompam, admittit culpam. Ioab, & Amasa cognationis vinculo erant coniuncti, Ioab militiæ Davidis magisterio resplendebat insignitus; Amasa ne haberetur inferior, quod crimine non carebat, militiæ Absalonis magister est designatus: *Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum.* Non tulit Amasa, Ioab fratruellem suam dignitate præponi, & luminibus dignitatis fulgere: ergo licet Absalonis militiæ magisterium æquitati, & pietati fuerit oppositum, Amasa admisit; paruipendens infici culpâ, dum æquaret cognatum. Prodest Abul. q. 24. *Amasa erat cognatus David in eodem gradu, in quo Ioab, Abisai, & Asael, & tamen David honorabat nimis istos tres fratres, & non legitur, quod aliquo modo honorasset Amasam ante hoc. Ideo ipse adhaeserat Absalom.* Non poterat Absalonis vexilla sine crimine sequi, sed ni sequeretur, dignitate Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

tis luminibus Ioab non poterat exæquare; ergo vt æquali vteretur magisterio, infici non recusauit reatu. Cum Aaronis virga virgæ Magorum concurrunt, non ignobiliore radice procreata, aut tellure orta: Aaronis virga ad meliorem formam transiit, & cœlesti virtute induit spiritus vitales, & oculis non ingratos colores: *Versa est in colubrum.* Exod. 7. v. 10. Magorum virgæ sine fraudulentis maleficijs, & diabolicis incantationibus similes nequibant spiritus induere, aut colores imitari, & ne minus Aaronis virgâ viderentur, draconum assumpserunt facies, & induerunt apparentes colores: *Versa sunt in dracones.* Nequibant sine magica fraude, sine illusoria incantatione eum ad statum ascendere, nec Aaronicæ virgæ ad speciem exæquari; contempserunt verò culpam, vt induerent similem pompam, ægrè ferentes virgam æquali, aut rudiore cespice prognatam spiritus vitales sortiri, & ipsas inferiores manere; ergo Magis inseruiunt & Aaronicæ virgæ assimilari discipiunt: *Virgæ Magorum (inquit Hugo) versa fuerunt in serpentes, non miraculosè, vt virga Aaron.* Virga Aaron sine crimine luxit fortunata, luxit maxica virga, sed incantamentis adiuta: vt hoc ænigmate nobis depinxerit Scriptura, plures ne coequalibus inferiores videantur fortuna, ad detestandas artes recurrere, & fraudes iniquissimas concinnare.

Exod. 7.
v. 10.

§. LXXIII.

In bene constituta Republica non magni habitus, qui ex concubitu illegitimo exorti.

Qui illegitimo sati concubitu, & indecoro pullulauerunt exortu, dum genialis thori restantur maculam, ipsa cum vita traxerunt notam, *Omne matrimonium, (aiebat Theoder. 5. Var. 32.) quod absit, incertum relinquitur, si in tanta reuerentia, sine aliquo terrore peccetur.* Procreabili, reuerendoque thoro sæpè inferitur iniuria, & libidinis gliccit insania: sed legibus cautum est, vt germen plectibili coniunctione procreatum, haberetur semper inglorium. Hinc apud omnes Antiquos mos solemnis fuit, vt illegitimo complexu parentum nati, honoribus multarentur exclusi. Amasa cum Dauide erat vinculo consanguinitatis coniunctus, cumque alios affines honore nobilitarit, quærunt Interpretes, cur Amasam fuerit oblitus, nec dignitatis insigni condecorare conatus? Absalonis partes secutus est, quia Apud Dauidem militiæ magisterium consequi desperauit: *Amasam constituit Absalom pro Ioab super exercitum.* Huius causam, vt dicebam, Interpretes scrutati, respondent, ex illegitimo concubitu fuisse natum, & ob id in Davidis republica forduisse despectum. Iam ex adulterio procreatum fuisse, colligunt ex illis Scripturæ verbis: *Amasa erat filius viri qui vocabatur Iethra de Iezraëli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas: sororem Saruie, qua fuit mater Ioab: dicendo parentem ad Abigail fuisse ingressum, illegitimum innuit fuisse conceptum, & Amasam fuisse spurium.* Notauit Noster Sanct. *Modus iste loquendi aliquid indicat non omnino legitimum. Quare aliqui existimant, Amasam ex furtiuo concubitu fuisse susceptum.* Itaque licet Amasa, Ioab, Abisai, & Asael fuerint in eodem gradu cum Dauide, cum essent sororum filij, omnèsque fratruelles, tamen tres Saruie filios ex legitimo concubitu procrea-

tos Dauid magni æstimabat, Amasam verò, vt apparet, non magni habebat; nam olim nothi, spurique à dignitatum luminibus probabantur exclusi, nec honoribus fulgebant decori. *O quam pulchra est* (aiebat Sapiens Sapient. 4. v. 1.) *casta generatio cum claritate!* Adnectit: *Spuria vitulamina non dabant radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt... ex iniquis enim somnis filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua.* Ipse filius illegitimo concubitu ortus parentes infamat, quia eorum scelus publicat: ergo fas est (inquit Sapiens) eiusmodi exortos altas radices non agere, nec inter legitimas plantas assurgere. Pro verbo illo: *Vitulamina*: legunt alij: *Adulterina plantationes.* Audi Liram: *Ex hoc enim quod sunt imitatores paternorum scelerum, testificantur malitiam ipsorum.* Castè geniti probantur honoribus apti; adulterinæ verò plantationes redolent generationis ignominiam, & parentum publicant cupiditatem infamam. Amasa etsi cognatus, à Dauide diù non est honoribus insignitus.

TEXTVS.

VERS. 27. 28. & 29. Cùmque venisset Dauid in castra Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum, cicer, & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos. Dederuntque Dauid & populo, qui cum eo erat, ad descendendum: suspicati enim sunt populum fame, & siti fatigari in deserto.

§. LXXIV.

Qui præ alijs constat fulgere, debet officijs ceteros antecire.

Politioribus debet fulgere moribus cultus, qui antecedit ceteros dignitate principatus; nec decet in reddendis officijs vltimum inueniri, qui acceptis fauoribus constat ceteros antecedere. *Maior sit* (aiebat Cassiod. 7. Var. 38.) *dum crescunt desideria premiorum.* Si ad maiorem morum cultum premium obligat speratum, potiori iure obligare poterit dilargitum. Vituperabile est beneficia potiora accepisse, & marcere reprehensibili sepe ignauia. Vbi Dauid ingressus est ciuitatem nomine *Castra*, plures accurrerunt, eius conditionem status miserati, vt tam ei, quàm eius signa sequentibus opportuna offerrent subsidia. Inter hos tamen primus refertur Sobi filius Ammonitarum Regis, fraterque Hanon. *Cùmque venisset Dauid in castra Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria, &c.* Si quæras: Cur Sobi primus occurrerit? respondebit Abul. q. 18. post stragem Hanon dignè illatam, Sobi minorem eius fratrem ad regnum fuisse à Dauide eleuatum, & coronâ redimitum; ergo cum alios acceptis fauoribus anteciret, pri-

mus occurrit, arbitratus graue esse crimen, si præirent officijs, quibus ipse fauoribus prælucebat acceptis. Abulensem audi: *Dauid pugnans magno tempore contra urbem Rabbath, cepit eam, & alias urbes Ammonitarum, cruciauitque eos (suprà 12.) & tunc erat alius filius Naas, nomine Sobi minor, qui non consenserat malo, quod fecit Hanon frater suus nuntijs Dauid. Ideo Dauid constituit eum in Regem Ammonitarum... Iste autem Sobi recepto tanto beneficio à Dauid voluit esse gratus.* Recepto tanto beneficio, arbitratus est Sobi odiosa ingratitude notam subire, ni in exhibendis obsequijs inueniretur ceteros antecedere; ergo primus occurrit, & Dauidis militibus regia liberalitate subsidia præbuit. Cùm Petrus, alijque Apostoli Christi Domini dignatione piscium multitudinem conclusissent, Petrus vel nauigium tardum existimans, se in mare misit, & ceteros antecessit: *Misit se in mare.* Alij autem discipuli nauigio venerunt. Ioan. 21. v. 8. Postcà cum Dominus afferre pisces iussisset, Petrus ascendit, & retè traxit. *Ascendit Simon Petrus, & traxit retè in terram.* Et cur Petrus non expectat cum ceteris litus appellere, & cum ceteris retia trahere? Quia cum Petrus (inquit Chrysol.) principatu, & fauoribus resplenderet prælatus, erubesceret, ni in exhibendis officijs præ ceteris esset primus: ergo honorabili ambitu, & laudabili gratitudine in ceterorum noluit esse numerò; qui præfulgebat imperio. Chrysologum audi serm. 79. *Misit se in mare, vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum.* Principatus compellebat, ne in Domini obsequio videretur alios secutus, cum fas esset præire ceteris officiosus. Vt hinc discant, qui à Domino maiora accepere dona, ad specialia impendenda teneti officia, & ad morum emendandum præ ceteris elegantia. Cùm vti primogenitus, Principis honore est ceteris antelatus. *Peperit Caim.* Gen. 4. v. 1. Abel naturæ ordine fuit secundus: *Rursumque peperit fratrem eius Abel.* In offendendis vero Deo sacrificijs Caim, qui præcedebat primogenituræ honore, obscuratus est lèitudine. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Caim de fructibus terra munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Abelis munera fuerunt grata, Caim obsequia despecta: & æquissimo quidem iure, nam ordine prior, in exhibendis obsequijs tenebatur præcedere generosior: Abel secundus assecutus est gratiam, dum extellentiorum altaribus offert hostiam. Ordine naturæ secundus, virtutum censu fuit primus; & primus degeneri sacrificio est in honore reiectus. *Duplex* (inquit Philo de Sacrif. Abelis, &c.) *se ipsum amanti crimen.* Vnum, quòd post aliquot dies non continuo gratus egit Deo: *alterum, quòd de fructu obtulit, non de primo fructu.* Caimi hostiam vilitas dehonestabat, & tarditas repellebat; nam accepto à Deo principatu, fratrem præcedere honorabili debuit cultu, non obscurari tardo, & despicabili obsequio. Quid sibi promittunt cælesti dignatione antelati, & diuitijs, ac prærogatiuis copiosi, dum nec tardam offerunt hostiam, imò inferunt Numini offensam?

Ioan. 21.
v. 8.

Gen. 4. v. 1.

§. LXXV.

Inflicta alijs pœna, est sapientibus pro doctrina.

Felicitas est ad dignitatem eligi post exaugurati supplicium, quandoquidem ad contrariam incundam morum formã est saluberrimum documentum. Prudens vitat scandalum, ubi alter offendit, & dirigit gressus miserandus alterius casus: prudentia de alienis etiam erroribus eruditur, & contraria sequi edocetur. *Grave est* (aiebat Cassiod. 8. Var. 20.) *sapienti offendere, ubi alterum reperit incidisse.* Præcedentis infortunium est sequentis documentum, dum vitare monet scandalum. *Sic nos* (verba sunt dati Cassiodori) *decessorem tuum summouimus amore generalitatis, ut tu saluberrimus aduenires. Contraria prioribus imitari, & laudanda peregisti.* Laudanda peragit, qui criminum mercedem considerat. Hanon Ammonitarum recenter Princeps vrbana Davidis officia compensauit iniurijs, & legatos affecit propudiosissimis contumelijs: verum impunè non tulit, nam David horribili supplicio puniuit. *Populum eius adducens, ferrauit.* Suprà 12. v. 31. Hanoni Sobi frater eius successit, & opportuno subsidio Davidis promeruit gratiam, & contrariam tenuit politicam. *Cum venisset David in castra, Sobi filius Naas de Rabbath, filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodaabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim obtulerunt ei stratoria, &c.* Quærun Interpres: Cur Sobi in exhibendis Davidi obsequijs antecesserit primus, & fratri fuerit oppositus? Respondentque Hanonis supplicium fratri fuisse vtilissimum documentum, vt contraria perageret, & laudem sibi contrarijs actionibus inueniret. Notauit Abul. q. 18. *Sobi, recepto tanto beneficio à David, voluit esse gratus, ne incidere in exemplum fratris sui Hanon.* Hanon ingratus se, & regnum perdidit: ergo Sobi fratris edoctus supplicio, Davidis gratiam promereri vrbano gestiuit obsequio. Satis obuia sunt improborum supplicia, si aduertere velit prudentia: verum sic prauitas mentes hominum obcecat, vt furis intuentes suspendium, exercere adnitantur furtum: & audientes genialis thori iniurium inflictis vulneribus deperijisse confossum, inhiant execrandum perpetrare adulterium: inspecta pœna, quæ futura erat pro doctrina, nutriti credas audaciam, & adaugeri insolentiam. Sobi prudentis meretur elogium, dum contrarium fratris sequi refertur exemplum. Agricolaæ fecundam vineam colendam accipiunt, fructus domino reddituri, maluerunt tamen insanis cupidinibus fructus impendere, quàm obligationem absolueret: longa expectauit patientia, sed ipsa supplicij dilatione succrescebat audacia; tandem pœnæ grauitas dilationem compensauit, & insolentes attriuit: *Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Mat. 21. v. 41. Improbos, rapacésque durissimis supplicijs punire, erat dilaudanda iustitia, sed alijs tradere, cauta non videbatur prudentia. Vnde conijcis novos colonos fructus reddituros? *Qui reddant ei fructus temporibus suis:* Certè non solum ex mitori sequentium ingenio, sed etiam ex duro prædecessorum supplicio: nam quis, ni mente cateret antecessoris sequeretur exempla, intuitus horribilia supplicia? Aliorum supplicium fuit efficax sequentibus hortamentum, & inflicta alijs pœna

Eman. de Navera in Reg. Tom. I V.

erat pro doctrina. Cupiditas frænabatur, rapacitas cohibebatur, audacia sopiebatur: nequibant desipere, qui aliorum strage probabantur admoneri. Huc voco, quod aiebat Philo de special. leg. *Si maneret indignatio, qualis est nostri legislatoris, piaculares, & patria probra tollerentur sine venia, vt eorum exemplo deterrerentur alijs. Supplicium enim representatum non mediocriter retundit audaciam simili morbo laborantium.* Simili morbo non laborarunt, qui inflictam alijs pœnam nouerunt: mihi crede, in pœnis repetendis ignauam desidiam, aut muneribus elaboratam indulgentiam Reipublicæ esse pestem, & afferre seueram indignationem salutis. Qui vineam ab alijs ablatam adcut, saporatos, & vberes fructus reddunt: & Sobi luctuosa fratris strage admonitus, Davidi officiosus occurrit, & eius beneuolentiam promeruit.

§. LXXVI.

Impendende misericordie sit taxa, facultatum mensura.

Non dare, sed reddere videtur, qui afflicto, & inopi impendisse misericordiam probatur: In lucrum cedunt, quæ egentibus conferuntur, & pauperis manus, dum stipem accipit, largitori multiplicandam promittit. Fecunda tellus granum concipit, & messim parit; & pauper pro accepto obolo reddit diuitiarum thesaurum. Hinc diuites magnam sibi possunt messim parare, si non recusauerint egentibus subuenire. Modum in inope subueniendo edocet accipientis miseria, & largitoris substantia. Decantandum conficiens testamentum Tobias, hoc ad filium mandatum dedit: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude.* Tob. 4. v. 9. Aberrabit à prudentia, si à largitoris facultatibus non desumatur largiendi taxa. Paupercula obtulit minuta: Salomon pretiosissima dicauit altari dona: Siba Davidi munera obtulit, sed exigua; Sobi plurima largitus est, & pretiosa. *Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fætilia, frumentum, & hordenum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oues & pingues vitulos.* Inquires, cur Siba largè remunerandus plura non obtulerit, & cur Sobi modum muneribus non taxarit? Quæstioni respondet Lira, Sibam è numero fuisse seruorum, Sobi verò fuisse Regis filium, & à Davide ad dignitatis culmen elatum. Indecorum esset diuitiarum copia exundanti, munera angustare, & auaritia fœda minuere. Copiosa obtulit Sobi munera, quia grandi ditescere substantia. Liram accipe: *David fugienti præbuit auxilium contra Absalom, & necessaria, prout potuit, ministravit.* Non consuluit auaritiam, sed attendit, qua utebatur fortuna, & ampla facultate; copiosus largi etiam egenti manu est munera dilargitus. Et nota, Sibam, dum minus offert, minus etiam accepisse: *Sint tua, quæ fuerunt domini tui:* & Sobi ad regiam dignitatem elatum, quia grande egentibus erat impertiturus subsidium. *Sobi* (inquit Lira ad. 2. Reg. 17.) *Rex pro Ammon constitutus.* Præmium respondit muneri, munus potentiæ. *Non est* (aiebat Paulus) *distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Ad Rom. 10. v. 12. Ac si dicat: Deus, siue Iudæus, siue Græcus accefferit, manum porrigit, & calamitosus leuamen præbet. Quòd si inquiras: Cur omnibus

subsidium præstiterit? Respondebit Anselmus, inexhaustum diuitiarum thesaurum habere, & ideo cunctis abundanter largiri. Itaque donationis modus non tam sumitur de indigentis meritis, quàm de inexhaustis donatoris diuitijs. *Dives in omnes* (inquit Anselm.) *non in quosdam, vel in paucos inuocatores suos.* Id est, non angustat dona, non imminuit beneficia, licet sæpè accedat indignus, cum ipse sit opulentus, factis edocens diuites elemosynam impendere pro facultatum copia, pro diuitiarum mensura: ergo Sobi, cum esset Regis filius, & diuitijs esset copiosus in alendis pauperibus deprædicatus est largus.

§. LXXVII.

*Vel exigua pauperibus dilargita afferunt ingen-
tia lucra, & æterna assequuntur præmia.*

IN lucrum cedunt (aiebat Cassiod. 4. Var. 24.) *que benemeritis conferuntur, & de ipso munere magis acquiritur, cum optimis digna præstantur.* Impensum Christi pauperibus aurum animæ, & corpori fit lucrosum, nam & exercetur debita agenti misericordia, & facultatum augetur donanti summa: nec potest donum esse infœcundum, quod fuerit pauperi commodatum. Sobi filius Naas Dauidis militibus offert fabam, & accipit à Dauide coronam: *Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem & frixum cicer.* Si inquiras: Cur lens, & faba numerentur in donis? Respondeo exigua etiam dignè largita apud Deum æterna mereri præmia, & conseruari memoriâ. Et expende Sobi accepisse coronam, & impendisse ad releuandum laborem summam. *Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir &c.* Sobi Regis erat filius, sed cum cæteris trucidandus, ni illum misericordia eripuisset, & sceptro regio nobilitasset. Audi Liram: *Sobi frater Hanon pro eo Rex constitutus.* Consonat Abul. q. 28. *Dauid constituit eum in Regem Ammonitarum ut seruaret misericordiam filijs Naas.* Quæ obtulit Sobi exigua, aded largè fuerant iam à Dauide remunerata, vt regali fulserit throno eleuatus, quia opportuna erat militibus indigentibus subsidia dilargiturus. Nam cum Dauid Christi Domini personam gesserit, anticipato præmio remunerauit, & satisfecit. Itaque nec faba irremunerata mansit, nec cicer. Contra Moabitas prælia Dominus prohibet, nec quidquam de eorum possessionibus auferri permittit. *Non dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filijs Lot tradidi Ar in possessionem.* Deut. 2. v. 9. Filij Lot tranquillitate fruuntur, & opulenta hæreditate donantur. Si inquiras, quomodo ad hanc fortunam deuenerint? respondeo, Lot humanè excepisse peregrinos, pauisse ad speciem angelos: *Coxit azyma, & comederunt.* Gen. 19. v. 3. Impensa misericordia non solum Lot eripuit à flamma, sed eius posteros diuitiarum ditauit copiâ. Aliæ gentes sustinent prælia, & nudantur hæreditate copiosa; ast Lot filij nec bella sustinent, nec facultatibus carent. Prodest Oleaster ad Mor. *Admonui frequenter, quid*

boni parentes valeant, etiam malis filiis. Bonus, & misericors pater exigua azyma pauperibus, peregrinisque dilargitus, probatur filijs suis possessiones ditissimas negotiatus: panis tortula, æterna memoria vixit, & Lot posteros à periculis, & prælijs defendit.

§. LXXVIII.

Liberali satis est alterius necessitatem conijcere, vt gestiuerit subleuare.

AVgetur beneficium silentiosè præstitum, & nullo accipientis rubore comparatum; illud tamen beneficentiæ genus nobilius est, si preces anteuertat, & quid opus indigenti, conijciat: sæpè namque ingenuus, & pretiosus cunabulis in-nutritus, mauult interna fame cruciari, quàm miserum statum fateri. *Nonnumquam magis nos obligat* (aiebat Senec. 1. de Benefic. cap. 7.) *qui dedit parua magnificè. . . qui non voluntatem tantum iuuan-di habuit, sed cupiditatem; qui occasionem, qua prodes-set, & occupauit, & quesuit.* Qui rogari expectant, non gratis donant; qui ostentant beneficium, ambitiosum emerunt plausum. Liberali, generosoque satis est alterius necessitatem conijcere, & odorari. Sobi, Machir, & Berzellai munificentiam suam adornarunt, dum illis satis fuit Dauidis suspicari necessitatem, quin expectarint egentis precem: *De-derunt Dauid, & populo, qui cum eo erat, ad ves-cendum: suspicati enim sunt populum fame, & siti fatiga-ri in deserto.* Non opus fuit Dauidi, vt olim ad Na-bal, milites delegare, non fuit necessum, qua premebantur, famem exponere; nam vbi Sobi coniecit, tot milites in deserto non posse non indigere, decreuit magnificè subuenire. Plus obligauit modo, quàm auro, subueniendi occasionem quaesuit, & sine accipientis rubore dedit. *Intellex-erunt* (inquit Abul. q. 28.) *isti tres benefactores Dauid, quod Dauid, & populus suus habuerunt in de-serto periculum moriendi fame, & siti, ideo illico oc-currerunt eis cum istis muneribus.* Rationabilis coniectura satis fuit ad necessitati subueniendum, & egestatis prudens suspicio decorè impulit ad donandum. Senex culturæ laboribus fatigatus, domum repetebat, cum peregrinos intuitus, accessit non curiositatis studio, sed subueniendi, opitulandique desiderio. *Vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea ciuitatis, & dixit ad eum: Vnde venis? & quò vadis?* Iudic. 19. v. 17. Cur se-^{Iudic. 19, v. 17.} nex cum peregrino colloquia miscuerit, rogant Interpretes, cum tempus domum petere, & ad otium lassitudo cogeret properare? respondent-que hospitio egere coniecisse, & subueniendi occasionem captasse. Hugonem Cardin. audi: *Ex compassione illius dixit hoc, & affectu hospitalitatis.* Non rogatus, non precibus repetitis illectus, peregrinis exhibuit hospitium, sed necessitatis satis fuit rationabilis coniectura, vt præstiterit neces-saria. Qui rogari expectat, qui benefacere tardat, beneficentiæ splendorem obscurat; qui occasionem quærit, qui petendi ruborem excusat, & adauget gratiam, & commendat.

Deut. 2.
v. 9.

Gen. 19.
v. 3.

CAPVT XVIII.

1. **G**ITVR considerato Dauid populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones. 2. Et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruia fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque Rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. 3. Et respondit populus: Non exhibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius est igitur, ut sis nobis in vrbe prasidio. 4. Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo Rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, & milleni. 5. Et precepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat precipientem Regem cunctis Principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israël, & factum est praelium in saltu Ephrain. 7. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi praelium dispersum super faciem terra, & multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi, quos vorauerat gladius in die illa. 9. Accidit autem, ut occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhesit caput eius quercui: & illo suspeso inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. 10. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum balteum? 12. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis: audientibus enim nobis, precepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed & si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc Regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso? 14. Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua: & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, 15. Cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Israël fugit in tabernacula sua. 18. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalom vsque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nuntiabo Regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius. 20. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim Regis est mortuus. 21. Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuntia Regi, quæ vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit. 22. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuntij baiulus. 23. Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, transiuit Chusi. 24. Dauid autem sedebat inter duas portas: speculator vero, qui erat in fastigio porte super murum, eleuans oculos vidit hominem currentem solum. 25. Et exclamans indicauit Regi: dixitque Rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propius. 26. Vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque Rex: Et iste bonus est nuntius. 27. Speculator autem, contemplator ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait Rex: Vir bonus est: & nuntium portans bonum, venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad Regem: Salue, Rex. Et adorans Regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum meum Regem. 29. Et ait Rex: estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab seruus tuus, ô Rex, me seruum tuum: nescio aliud. 30. Ad quem Rex: Transi, ait, & sta hic. Cumque ille transisset, & staret. 31. apparuit Chusi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi Rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui surrexerunt contra te. 32. Dixit autem Rex ad Chusi: estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer inimici domini mei Regis, & vniuersi, qui consurgunt aduersus eum in malum. 33. Contristatus itaque Rex, ascendit cenaculum porte, & fleuit. Et sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

T E X T V S.

V E R S. I. Igitur considerato David populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.

§. I.

Satius est, antequam vitia prodeant in campum, inferre cupiditatibus bellum.

Aliud est inimicorum adsultus pati, aliud anteuertere, & ne in campum prodierint, impedire. Sæpè à vitijs impetitus, & fallaciarum dulcedine illectus cedit, aut eneruiter agit: qui oppugnari non expectauit, sed communitus, armatulusque intulit bellum, prouido ausu deterruit sæpè inimicum. *Aballum* (aiebat Seneca. epistola. 110.) *memini cum magna admiratione omnium hac dicere: Diu mihi, inquit, imposuere diuitia.* Si accedat aurum, grato fulgore oculos oblectat, & per oculos animum auaritiæ vinculis illigat. Qui odium argento, aurique indixit, ab eius imposturis securior degit, & tranquillior viuit. Syrenas in miraculum cecinisse fabulosa prodebat Antiquitas. Earum dulcis concentus melodiæ erat nauigantium fallacia, nam noxia dulcedine illecti, ab itinere abducebantur, & ne tanta suauitate carerent aures, impingebant scrupulosas in firtes. Verùm Ithacus, antequam auditus sollicitaretur, salubrem sibi intulit surditatem, mallens ad tempus surdescere, quàm insidias cantus subire. *Se soliditati arboris constrictis nexibus illigauit, ut & famosos cantus liberis auribus probare potuisset* (scribit Cassiod. 2. Var. 40.) & *pericula dulcisonæ vocis rindarapiente vincitus euaderet.* Euasit prouidenter vincitus, quod fortè periculum incurreret, cantus suauitate oblectatus. Hinc est, quod David Martios disposuit exercitus, antequam Absalom armatorum produceret in campum manus, & dum prouidenter se munit, coniurationis studia euadit. *Igitur considerato David populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.* Bellica peritia ordinauit exercitum, anteuertens aduersariorum conatus; & dum refertur prouidus, victoriam est de inimicis potitus. Abul. q. 2. rogat: Cur in certamina David profuerit, cum hostis non vrgeret, sed otuari permitteret? *Quare David misit viros suos ad bellum, cum Absalom nondum pugnaret contra illum?* Quæsito respondet: *Respondendum, quod David sciebat bellum esse inuitabile, quia Absalom congregauerat totum Israël, transferatque Iordanem, ut pugnaret contra David.* Inuitabile erat bellum; ergo maluit prudentissimus dux aduersarium adoriri, eiusque vires debilitate, quàm improuisis adsultibus impeti. O vtilem nobis eruditionem! Inuitabile est cum carne, & dæmone bellum: si caro captiosos obtendat laqueos, & fallaciarum in campum producat exercitus, periculosum erit certamen; ast si animus salubri prius corporis castigatione obarmatus bellum inferat appetitibus, leuior erit pugna, & securior palma. En David tulit de Absalone triumphum, quia armis instructus processit in campum. Non facile vincet dulces lasciuæ insidias, qui corpus non edomuit, qui appetitus vires asperitate non fregit. *Delectabimur infans* (aiebat Isai. cap. 11. v. 8.) *ab vberibus*

per foramine aspidis, & in cauernam reguli, qui ablatatus fuerit, manum suam mitteret. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte Sancto meo. Si aspis cauernosis petrarum tecta scissuris otatur, si obscuro regulus latibulo absconditur, cur puer contra regulum extendit manum, & aspidibus infert bellum? & cur prius pingui lacte stipendiatus, & à gerulæ dorso suspensus: O vtilem eruditionem! Dum cum lacte, salubri etiam doctrinâ imbuitur, dum anteuertit reguli aspectum, & refert triumphum: *Non nocebunt*: quia lacte contemplationis armatus ad eorum vires edomandas, operationis manum extendit, & eorum venena sopit: *Non nocebunt.* Quare? Quia ipsis ab incunabilis edomare, impedireque aspidis conatur adsultus, & venenatos reguli fugere aspectus. Forsitan, si aspis in campum profuisset, morderet; forsitan si regulus cauernam deserens, pestiferum venenum euomeret, & difficilior esset victoria, & acrior vrgeret pugna; ast dum prouida cautela aspectus vitatur, regulus, & aspis vincitur. *Delectabitur infans ab vberibus* (inquit Glossa Moral.) *sugendo lac diuinæ contemplationis.* Feruenti oratione instructus, & cœlesti lacte potatus, dum non expectat voluptatibus terrenis impeti, sed adnititur valida mortificationis dextera superare, & ludit, & vincit. Disce cœlestium armari contemplatione, si vis reguli non debilitari aspectu, nec sauciari aspidis morfu.

§. II.

Plures dum recusant viriliter contra inimicos pugnare, solent, quia inertes, perire.

Clarior redditur virtus, quæ mauult certaminibus desudare, quàm obsessa ab aduersarijs vrgeri: hostium negotium fecit, qui ignauè timuit, nam dum iners ignauia detrectat pugnam, concedit hosti victoriam. Plures certaminis metu perierunt, qui certando vincerent. *Padarerus* (apud Plutarc. in Apotheg.) *dicenti multos esse hostes: Igitur decus, inquit, referemus maius, plures enim interficiemus.* Plus opinione, quàm re laboramus, timore impediti abijcimus arma, & grauiora cogimur sustinere pericula; nam hostis difficultatum ostentatione satagit metum incutere, vt nequieuis repugnare, sed compellaris infame iugum subire. Absalom totum contra David Israël coniuurat, si possit ostensa multitudine vires debilitare, & exanimatum opprimere. Verùm David caliditatem præsentens, milites ordinauit & in arma viriliter ruit. *Igitur considerato David populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.* Abul. q. 2. rogat: Cur non impetitus bellum fuerit David adortus? *Quare David misit viros suos ad bellum, cum Absalom nondum pugnaret contra illum?* Quæsito respondet, præcaluisse Absalonis dolum, differerebat namque pugnam, & ostentabat militum ingentem copiam, vt vincat terrore, qui terga vertit certamine. Abulensem audi: *Manendo in vberibus, viri Absalom obsiderent eam, & non permitterent quemquam introire, vel exire, & sic fame conficerent David, & seruos eius, etiamsi nunquam pugnarent.* Absalom, incusso Davidis militibus metu, cupiebat ad eas reducere angustias, vt arripere arma non auderent, sed inertes, exanimatque ad latebras fugerent; David tamen suos edocuit difficultatibus non deterreri, sed in campum audaciâ laudabili profilire. Vt hinc agnoscamus

agnoscamus diaboli ingenium : sæpè ostensione armorum vires debilitat , & dum pugnare timet ignauus , tradit hosti manus miserimus. O quot ad belli solum rumore concutiantur ignauo metu, & quia detrectarunt honestam pugnam , confusibilem sunt experti ruinam ! Inimicus sola certaminis ostentatione obtinere solitar palmam, quia imbellis refugit proflire in arenam. Si David ejusque milites ignaui latitarent, perirent. *Sic fame conficerent David , & seruos eius, etiamsi nunquam pugnarent.* Absalom tardè processit ad pugnam, quia iniecto metu sperabat victoriam. Redeat iterum David huius veritatis testis. Cum Gigas ille armorum ostensione , immetata corporis mole, vultus toruitate stationem deserere cogeret, David certamen arripuit, & hostem primo ictu deiecit. *Cecidit in faciem suam super terram.* 1. Reg. 17. v. 49. Israëlita metu vinciebantur, & propria ignauiâ superabatur. Totum Gigantis studium erat, terrore premere, nullaque ex parte posse effugium esse, ostentare ; ast vbi David arripuit fundam, est consecutus victoriam. Audi Basil. Seleuc. Or. 15. *Cum instar montis extaret, hostem ante confictum cogebat pugnam detrectare.* Plures eligebant subijci, non pugnare, alij expectatione seruitij stationem deserebant, & ignaui latitabant ; ast David satius esse censuit, honestè vitam finire , quam turpiter propagare ; & dum vires exerit, vincit.

§. III.

Parum est ab hoste non ladi, nitendum est expugnare.

Non nego felicem esse , qui sic peregit bellum , vt ab hoste nullum pateretur incommodum ; verum illa glorioſior est spoljſ diſſimis diuitatus, & triumphali lauro redimitus. *Apprehende arma, & scutum (aiebat Psaltes) & exsurge in adiutorium mihi.* Psalm. 34. v. 2. Scuto repelluntur ictus, armis infliguntur aduersario cruciatus. Ergo virtutum Summates , Domini exemplum secuti scuto armantur, & gladio : gladio, vt inflixerint hosti plagam ; scuto, vt retuderint aduersarij ferri violentiam. Contenti non sunt, protectam scuto animæ conseruare salutem, sed adnituntur heroïcarum virtutum gladio inferre aduersarijs necem. Ad rem Incognitus : *Armis hostem percudit, sed nos protegit scuto.* Vt nos edoceret pugnare scuto, & ense contra aduersarium, in certamina dicitur proflite : scutum, ne hostis noceat, retundit conatus ; gladius, ne euadat illaesus, infligit vulnus. Hinc est quod David licet in Mahanaim præſidiatus ciuitate, potuerit degere , in campum alacriter decreuit exire. *Igitur considerato David populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.* Abul. q. 2. inquit : Cur maluerit bella mouere, cum posset præſidijs tutissimis immorari ? *Quare David misit viros suos ad bellum, cum Absalom nondum pugnaret contra illum ?* Iam interrogationi respondet : *Si David maneret in vrbe, istud non erat pugnare, sed defendere se, & sic non posset nocere viris Absalom.* Mahanaim immoratus ab aduersario non acciperet plagam, in campum procedens intentabat illi ruinam : ergo vt nos suis erudiret factis, contentus non est incolumitate gaudere , sed aggressus hostem penitus subiugare ; nam virtute proceres contenti non sunt, si vitarint vulnera, quia opima de hoste reportare adnituntur trophæa. Virtute mediocris aliquali iracundiâ

excandescit, oculosque pulchritudine pascit , diuitias ſitit ; ast celsus , & generosus animus diuitias erogat, libidinis motus castigat, appetentias insanas domat. Ergo David etſi præſidio quieſcit manere illaesus, bellum aduersarijs intulit , vt virtutis triumphis fulgeret nobilitatus. *Si David maneret in vrbe, istud non erat pugnare, sed se defendere, & sic non posset nocere viris Absalom.* Nubes, quæ pro throno Deo erat , Pharaonis impediuit audaciam, repressit insolentiam, nec Israëlitis permisit inferre plagam. *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Exod. 14. v. 20. Israëlita nube protectus, viam carpebat, & Pharaonis conatibus accedere procurabat, verum vt promoterent ad virtutem gressus, iam non solum nube se tuebantur , sed Pharaonis vires accidere prorsus nituntur. *Ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas currum, ferebatque in profundum.* Modò victoria canitur : *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare.* Exod. 15. v. 1. Nam licet antea audaces Pharaonis mucrones eluserint Israëlita prouida fuga, non coronabantur accepta de hoste victoria. Iam illaesi , & victores exultant, quasi parum fuerit vitasse plagam , nisi decantandam reportarint etiam victoriam. *Ex illa columna nubis (inquit Caiet.) quæ erat in aere inter Israël, & Aegyptios sensibilis actio emanabat contra Aegyptios persequentes Israël.* Antea Israëlita fugiebat , & mucronibus Pharaonis instabat , modò Pharaonis arripit fugam, & Israëlita nubis ope reportauere decantandam de hoste victoriam. Ergo modò præcipua laude sunt digni , quasi parum fuerit retudisse hostis conatus, & gloriosum eueruisse penitus currus.

§. IV.

Magnis virtutibus stipatus in campum potest procedere, non adeò instructus conetur aufugere.

Prudentiæ congruit vires æqua lance pensare, nec caeca temeritate mensuram roboris transilire. Dum struthio raris ornatus pennis, equum cursu vincere adnititur, deridetur. *Prinauit eâ Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem eius.* Iob. 39. v. 17. Pulchris, sed raris pennis equi velocitatem volatu vincere, superbo tumore præsumit, sed citò corporis mole tardatus cadit. Notauit Gregor. lib. 31. Mor. cap. 5. *A terra eleuari non valet, & alas quasi ad volatum specie tenuis erigit.* Cum difficulter explicet gressum , celerem exambit volatum : ergo stultitiæ notam incurrit, quia virium mensuram non nouit, David inopina filij coniuratione imperitus, fugam inuit : *Surgite, fugiamus ; nec enim erit nobis effugium à facie Absalom : festinate egredi.* Sup. 15. v. 14. Quem modò vides fugitantem, hoc capite, videbis cordatè audentem : exercitum cogit , manus diuidit , & in campum contra aduersarium de victoria præsumens , prodit. *Igitur considerato David populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.* Cum Absalom idem fuerit vbique, inquirendum venit, cur David, qui prius arripuit fugam, modò inferre tentauit plagam ? Sed quæſtionis facilis solutio est. Prius paucis stipabatur militibus : ergo cum

Reg. 17. v. 49.

Psal. 34. v. 2.

Exod. 14. v. 20.

Exod. 15. v. 1.

Iob. 39. v. 17.

decesse

deessent ad repugnandum vires, quæ fuit fugæ profugium: sed cum iam aduictis armatorum copijs esset instructus, conferere gestit cum hoste manus: edocens suis factis vires expendere, aut ad arripiendam salubrem fugam, aut ad hosti intentandum inferre plagam. Notauit Noster Sanct. *Considerauit Dauid, & expendit, quid haberet virium, & cum se videret non omnino imparatum ad pugnam, tres ex suis copijs acies instruxit.* In certamen exiguis profilitate viribus, periculosa censetur audacia; bellum non inferre satis munitum, esset damnabilis negligentia: ergo ad nostram eruditionem inermis excusauit certamen, armis satis instructus adorsus est inimicum. Hugo Cardinalis internis bellis historiam adaptans, ait, vitasse certaminis occasionem, dum affectus experiebatur indomitos, iniuisse pugnam, cum sensit iam cicuratos. Hugonem audi: *Populus Dauid est congeries operum. Psalm. In populo graui laudabo te.* Expendit iam carnis appetitus penitentię asperitate repressos, deliciarum dolos orationis lumine abactos, virtutum ampliores contra hostem instructus: ergo noluit fugere, sed bellare. Non marceat inertia, sed profiliat contra vitiorum acies in campum, congerie virtutum armatus; timeat congressum, occasiones effugiat, eiusmodi armis nudus, & belli indoctus. Dauid fugit, dum populum secum non habuit! ast aciebus instructus, & pugnavit, & vicit: *Populus Dauid est congeries operum.* De equo generoso aiebat Iob: *Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.* Iob. 39. v. 21. Non prius in occursum pergit armatis, quam vngula terram presserit, & effoderit. Quod si scrutari velis mysterium, respondebit Gregor. Magn. optimo ordine processisse; nam si armatis obuiaret, antequam terram vngula foderet, disperiret; ast, calcatis iam terrenis, & occurrere, & victoriam potuit sperare. Iam idem esse terram fodere, ac terrena omnia despiciere, & proculcare, docet Gregorius lib. 31. Moral. cap. 13. Ipsum audi: *Terram vngula fodit, quando is, cui iam Dominus præsidet, quæ sibi moles congeritur, ex vetusta cogitatione considerat, seque ab illa flendo euacuare non cessat.* Adnectit cap. 14. *Exultat audacter, quia aduersis non frangitur, sicut nec prosperis eleuatur. Aduersa namque deiiciunt, quem prospera nulla corrumpunt. Equus itaque iste & fortis, & sub freno est. Ne ergo prematur aduersis, habet vim fortitudinis: ne eleuetur prosperis, habet pondus desuper insidentis.* Quousque omni virtute formaret animum, in effodienda tellure defudauit, sed, iam collectis viribus, audacter contra inimicum processit.

Iob. 39.
v. 21.

§. V.

Si animus ignauo timore contrahitur, audacia aduersariorum augetur.

Prudentiæ sale timor condiendus est, ne aut ridicula timeamus pauidi, aut magna despiciamus improuidi. Prodest timor, si rationi, & prudentiæ inseruit. *Homini timido* (aiebat Sophocel. in Acris.) *nihil non obstrepit.* Vt pueri laruam intuiti, pauore concutiuntur, vociferanturque, sic pauido corde, & animo pusillo homines in puerorum censum sunt redigendi, cum illis nihil non obstrepat, & inanis periculi larua deiiciat. *Viri timidi* (aiebat Euryp. in Meleagr.) *nulum habent in pugna numerum, sed presentes absint.* Præfens, & absens est stulto, & ignauo timore

perculsus; præfens est, qui à timore prosternitur; absens, quia animum erigere non adnititur. Dauid etsi præfidiatus, tantisper posset quiescere, maluit acies ordinare, & in campum contra inimicum prodire. *Igitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos, & centuriones.* Abul. q. 2. seiscitatur, cur maluerit Dauid, quam præfidio, hostem expectare, ei bellum indicere? *Quare Dauid misit viros suos ad bellum, cum Absalom nondum pugnaret contra illum?* Quæsito respondet, studuisse omne ignauæ timiditatis indicium propellere, ne contingeret insolentem audaciam aduersariorum nutrire; nam si Absalom dæmonis umbra arbitraretur Dauidem pauitare, acriori impetu curaret impetere; si verò cognouerit constanti animo, virilique fortitudine in statione persistere, non audebit bellum inferre. Abulensem audi: *Si Dauid, & viri sui mansissent in urbe, innuissent se timere, & ex hoc viri Absalom confortarentur, videntes se timere, & acrius pugnarent. Nunc autem cum viderent, quod pauci serui Dauid non formidabant exire obuiam toti Israël, pauerent Israëlita.* Constans, & honestè erectus animus timorem aduersarijs incutit; ignauus, & timiditate impeditus, erigit: nam hostis, quem timore videt deiectum, facillimè reputat subiugandum: quod in moralibus est certissimum; nam diabolus, quem fortem, virumque agnouit, timet, nimis timidum, & ignauum acrius adurget. Thimotheus commissurus cum Iuda Machabæo prælium, sic suos alloquitur: *Cum appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aqua: si transferit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit aduersum nos: si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfremus ad eos, & poterimus aduersus illum.* 1. Mach. 1. Mach. 5. v. 40. Ac si diceret Thimotheus: Antequam committatur prælium, plures difficultates occurrerent, quas si Iudas expauerit, facillè à nobis timidus conteretur, si verò ipsis difficultatibus acrius incitetur, honestè audax nos vincet, triumphumque reportabit. Itaque timor aduersariorum nutriebat audaciam, constans, virilisque fortitudo reprimebat insolentiam. Prodest Glossa, & apud illam Rabbanus: *Fiduciam, atque constantiam pertimescunt.* In Domino fidentes, & virtute constantes diabolus pertimescit, ignauos, & ad virtutis labores trepidos, & acrius urget, & premit. Ergo Dauid curæ fuit omnè ignauæ timiditatis vitare speciem, ne acrius inimicus insurgeret, & auderet.

§. VI.

Qui contra demonem ad pugnam accingitur, castitate, & fide Trinitatis muniatur.

Qui animæ suæ statum, & virtutum generale cupit stare fastigium, ad omnia debet esse sollicitus, & contra hostiles impetus prouidenter armatus. Fidei scuto aduersarij eluduntur tela, carnis mortificatione cupiditatum hebetantur spicula. *Nemo miles* (aiebat Tertul. ad Martyr. cap. 3.) *ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis: ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* Qui ad spirituales agonem statuit deuenire, seipsum prius debet cupiditatibus denudare; nam qui visceribus gerit venenum, hostis promouebit conatum. Vnde Hierony. ad Heliod. *Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum, ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus?* Nitidus, delicatissime

tusque miles non tam procedit ad pugnam, quam ad aduersariorum victoriam: omnia sudore constant; nec potest spirituales irruere in hostes, qui domesticas non subiugarit cupiditates, qui insidiosum corporis robur asperis non extenuarit ieiunium, qui insurgentes carnis motus pœnitentiæ non iugulauerit armis. Audi Senec. epist. 51. *Nobis militandum est, & quidem genere militia, quo nunquam quies, numquam otium datur: debellanda sunt in primis voluptates, que sana quoque ad se ingenia rapuerunt.* Vt Vrius epistolam contra se tulit, sic voluptuosus intra se, quo dispereat, fouet. Firmendus est animus Trinitatis fide, corpus muniendum est pœnitentiæ seueritate: qui sic processit in pugnam, sperare potest victoriam. Dauid dum contra libidinosum Absalonem, & impium parricidam adornaret bellum, attentè prius considerauit, quid illi esset opus: tripartito populo, Tribunos delegit, & Centuriones constituit. *Igitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos Tribunos, & Centuriones.* Hugo Card. corporalem militiam spirituali adaptans, ait, in bellum processurum indiuiduæ fide Trinitatis armandum, & corporis continentiam muniendum. *Super hunc pupulum debet Dauid constituere Tribunos, & Centuriones, id est fidem Trinitatis, & continentiam corporalem. Fides inuis mundat mentem: Actor. 15. Fide purificans corda eorum. Continentia exterius mundat corpus, que multum placet Deo. . . Tribunus propter ternarium Trinitatis ad fidem refertur. Centurio propter custodiam quinque sensuum ad continentiam corporalem.* Itaque de victoria iurè præsumpsit, dum hostibus castitatem, & Trinitatis fidem obiecit: sic disposita manus triumphauit, & Absalonem arbore suspensum tribus insictis telis traiecit. Est namque Trinitatis fides sagitta in dæmonem venenata. Qui Dei throno assidebant Seraphini, firmiter stabant, & trifagium incessanter proferebant: *Seraphin stabant super illud. . . & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Isai. 6. v. 2. Draco stellæ potuit trahere, nequiuit tamen Seraphin submouere: *Stabant: Nec solum Seraphini omnes propulsauerunt periculum, sed trifagium grauissimum Lucifero intulerunt nocumentum. Sed inquires: Cur throno assidentes Seraphini ignitum non præsaueant gladium, cum præsaueant Cherubin, vt defenderit paradysum? Collocauit ante paradysum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium.* Gen. 3. v. 24. Si flammeo gladio paradisi custos armatur, cur Dei throno assidens Seraphin gladio etiam non præmunitur? An quia apud sæculum potiora parui æstimantur, & magni viliora habentur? Certè erga corpus sollicita cura est, erga animam negligentior, & ignauior. Profectò (inquit Bernard.) validioribus armis instruuntur Seraphini ad throni custodiam, quam Cherubinus ad paradisi tutelam. Nam Cherubinus prænsat ardentem contra colubrum ignem, Seraphinus verò Trinitatis confessionem: Et quidem serpens acrius aduritur confessione, quam igne. Bernardum audi ser. 5. de verbis Isaiæ: *Quid æstimare vetat, deiecto Lucifero, ad pernigiles excubias Seraphin constitutos? sicut eiecto homine (teste Scriptura) Cherubin ad custodiam posuit Deus.* Non incongruè pro flammeo gladio Seraphinis Trinitatis datur confessio; nihil enim dæmoni terribilius, quam Trinitatem adorare, & repetitis acclamationibus confiteri. Et expende Seraphin alas in modum crucis conformasse. *Dua Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.*

*bus volabant: vt innuerent cum Trinitatis fide coniungendam esse sensuum custodiam, & honorabilis castitatis munditiam. In modum crucis volant, & nobis modum mortificationis insinuant. Triumphauit Dauid de parricida, dum Tribunum, hoc est, Trinitatis fidem, & Centurionem, hoc est corporis mortificationem operosuit. Abraham facillè hostes attriuit, quia trecentos decem & octo vernaculos contra aduersarios armauit: *Diuisis socijs, irruit super eos nocte, & percussit eos.* Gen. 14. v. 15. Si inquiras, cur adeò celeriter reportata fuerit victoria: Respondebit Isidor. apud Gloss. trecentos ad fidem Trinitatis pertinuisse, & carnis mortificationem designasse, ob idque accepisse decantandum sæculis triumphum, & deieuisse penitus, & attriuisse aduersarium. *Nos in Sacramento crucis, quam Thau littera significat, que trecentos significat, quinque sensus carnales nos antea varijs vitijs captiuantes, superamus. Decem & octo ex ternario, & senario multiplicatus, fidem Trinitatis, & perfectionem significat operis, quibus virtutum contra vitia plena victoria perficitur.* Deum Abrahamus Trinitatis fidei crucem adiungit, inimicum facillè proterit; nam aduersarius cedit, si fidelis Trinitatis fide protectus, & carnis mortificatione in campum prodit armatus.*

Gen. 14.
v. 15.

TEXTVS.

VER S. 2. Et dedit populi tertiam partem sub munu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruia, fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque Rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.

§. VII.

Languet exercitus, si Princeps substrahatur bello, vt inertis indulserit otio.

NEcessaria forte Princeps constringitur, vt bellicis laboribus fatigetur. Vt corpus sine anima operationis caret energia, sic exercitus sine Principe caret præliandi efficacia: Otiosus est miles, quem Principis non inflammat aspectus, & quem non instigat honestus placendi ambitus. *Stat* (aiebat Ennod. in Panegir. Principem allocutus) *ante oculos meos Bulgarrum ductor, libertatem dextera tua adserente, prostratus: nec extinctus, ne periret monumentis; nec intactus, ne viueret arrogantia.* Adnectit: *In campo hyems, & ingi pruinarum candore velata casaries, barbam stirijs implicuit crimine possesso.* Facile edomuit hostes Princeps imbonitati assuetus, & inter milites commoratus: vtque præsentia proficit, nocet distantia, præcipue si Martialem recusauerit campum, vt ignavum sectetur otium; nam tunc quisque detrectat ad fouendum Principis otium certaminis subire periculum. Vb Dauid contra parricidam acies ordinauit, campo interesse decreuit. *Dixitque Rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.* Commilito voluit laborem subire, non otio torpere. Notauit Abul. q. 5. *Hoc dicebat Dauid, ne putarent viri sui, quod alij sumerent labores pro eo, & ipse fugeret illos manendo in vrbe.* Similes existimaret, H h Dauid

Isai. 6. v. 2.

Gen. 3.
v. 24.

Marc. 4.
v. 38.

Dauid declinare belli pericula, & in vrbe otiosum sc̄ctari commodum, mallet propriam tueri vitam, quàm alterius fuso sanguine stabilire coronam: mallet Absaloni obtemperare, quàm vitam, vt Dauid extenderet ditionem, discrimini exponere. Ergo Princeps Martialis laboris decreuit esse participem, vt militem redderet honestè audacem. Cùm Apostoli nauigarent, experientia locum cedens, dormiebat Christus: *Erat ipse in puppi, super cervical dormiens.* Marc. 4. v. 38. Acris ventorum pugna contorquebat nauigium, & per momenta Apostolis imminere naufragium: Apostolorum ad remigandum fatiscebant manus: iam spes subibat naufragium, & qui in scapha erant, recurrerunt ad portum: dormientem excitant, & tempestatis extitisse occasionem somnum proclamant: *Excitant eum.* Et quid proderit dormientem excitare, quando conducibilius fuerit, exertis viribus cum fluctuanti mari prælium inire? Profectò totum hoc & arcanum, & egregium fuit etiam moribus documentum. Videbant, Principem somno indulgere, super cervical caput reclinare; ergo veluti enerues reperiabantur manus ad repugnandum, & fatiscebant vires ad acrem ventorum impetum repellendum. Equis hoc ait? Certè Basil. Seleucien. Or. 23. *Omnia nostra exhausta est industria: manus ad opem ferendam compariuntur inutiles.* Somnus audaciam addebat ventis, & vires quodammodo auferebat Discipulis: inutiles reperiabantur manus, vt defenderent nauigium, vbi Principis arcanum aduertunt otium, vbi adfuit sollicita Principis vigilantia, repugnantium ventorum vis reprimitur, & robur discipulis adaugetur. Ergo ne inutiles ad præliandum manus militum redderentur, statuit Dauid in campum procedere, ne dum desudabant prælia, putaretur ignaua sc̄ctari otia.

§. VIII.

Oratio, eleemosyna, & corporis afflictatio associata, tunc restaurarunt amissa, & optima de hoste reportauere trophæa.

VT ad Martiale certamè iuuat plurimum bona militum ordinatio, ita ad spirituales pugnam prudens proficit dispositio. Militibus imperant electi Duces; sic ad spirituale certamen præire debent virtutes. *Minus nobis,* (aiebat Senec. epist. 51.) *quàm illis Punica signa sequentibus, licet: plus periculi restat cedentibus, plus operis etiam perseverantibus.* Punica sequentibus signa, opus erat vigilijs insistere, sudore defatigari, vallum construere; ast Christi Domini signa sequentibus, opus est asperitatibus corpus edomare, largitionibus inopi subuenire, impigra oratione feruescere. Audi Ambrosium serm. 1. de Elisæo: *Ieiunium melius, quàm murus tuetur, misericordia facilius liberat, quàm rapina: oratio longius vulnerat, quàm sagitta.* Dauid, vt de iniquissimo hoste, paricidæque triumphum egerit, exercitum tripartitus est: *Dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruie fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth.* Hugo Cardinal. his in ducibus adumbratam, ait, orationem, eleemosynam, & castigationem corporis: eius verba sunt: *His significantur tria opera penitentium, scilicet eleemosyna, ieiunium, & oratio.* Vt amissam instaurauit coronam, eleemosynam produxit in campum, quia per elec-

mosynam instaurari nouit amissum: & quidem effectus orationis, eleemosynæque probauit virtutem; nam repressa est Absalonis audacia, & Dauid triumphauit, recuperata corona. *Casus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid.* Eleemosyna in pauperis sinum congesta, est contra Absalonem, hoc est dæmonem, velox & venenata sagitta. Quas amiserat Saül asinas, recuperare non potuit sollicita diligentia, & recuperauit eleemosyna Prophetæ oblata: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* 1. Reg. 9. v. 8. Argento oblato, iam audit inuentum gregem. *De asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuenta sunt.* Et cur vsque modò non adiuuentæ? Saül campis oberrat, scrutatur valles, inscendit montes, & nihilominus non instaurat amissum? Quia vsque modò non dilargitus fuerat argentum; ast Deo in Prophetæ oblato, & asinas, & regnum inuenit excusato laboris censu: quò notum fuerit, eleemosynam ad amissa recuperanda proficere, & ad noua adquirenda lucra prodesse. En oblato argento, inuenit asinam, & acquisiuit coronam. Adest Procopius apud Glossam: *Suspensus est autem Saül tanquam Prophetæ aliquid offerendum esse.* Prudenter existimauit, oblato Prophetæ argento, itineris laborem non fore inane, & recuperandum gregem; nam eleemosynis temporalia etiam augentur, & noua lucra acquiruntur. Eleemosynæ Dauid consociauit orationem, sunt namque, vt Ioab, & Abisai, fratres. Notauit idem Hugo: *Ioab, & Abisai fuerunt fratres, quia eleemosyna, & oratio tanta germanitate coniuncta sunt, vt neutrum sine altero sufficiat peccatori ad sui reconciliationem: oratio enim Deo, eleemosyna proximo reconciliat.* Oratio corporis asperitatibus adipata, & eleemosynis innutrita, vires Absalonis proisus agnoscebat eneruare, imò compellit aufugere, idè Absalom celerem arripuisse fugam refertur; vt orationis, ieiunij, eleemosynisque stipatæ vis agnoscat. Absente Dauid, Amalecitarum Siseleg anhelantibus flammis tradiderant, prædæque abegerant: Dauid dolore percussus, ad orationem recurrit: *Consuluit Dauid Dominum.* 1. Reg. 30. v. 8. Oraculo in spem erectus, latrunculos persequutus est, cùmque in hominem famelicum incidisset, misericorditer pauit. *Dederunt ei panem, vt comederet, & biberet aquam.* Hic pane, aquaque refectus, Dauid recto duxit itinere, & iam attritis hostibus, excussaque ingenti præda, decantanda sæculis est redimitus victoria. *Percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei.* Expende huius victoriæ non fuisse cursum perfectum, quousque eleemosyna cum oratione associata attulit Dauidi triumphum; ast vbi oratio, & misericordia in campum profuissent; attritis hostibus, amissa recuperarunt. Prodest N. Sanct. *Rogatus Aegyptius ille seruus, an deducere posset ignaros loci, ac via ad illum locum, vbi predones Amalecitarum constitissent, facturum se promisit.* Cibatus, panèque refectus promisit laurum, & adimpleuit promissum.

TEXTVS.

VERS. 3. Et respondit populus: non exhibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, siue media pars

pars ceciderit è nobis , non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris : melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio.

§. IX.

Victoria non minus sæpè iustorum orationibus acquiritur, quàm strenuis sudoribus militum obrinetur.

Iusti oratio longius vulnerat, quàm sagitta : & hostes, qui armatorum non cederent telis, orationis fauciantur iaculis. Oratio assidua cœlestes asciscit suppetias, & ferocientes hostium proster nit phalngas. *Oratio* (aiebat Ambros. ser. 1. de Elisæo) *longius vulnerat, quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum percussit aduersarium; oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum.* Hoc intelligentes Dauidis milites, arbitrati sunt, Dauid, si remaneret, dimicantibus tutius fore præsidium, quàm si sæuo cum hoste congressurus, prodiret in campum. *Melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio.* Et si nouerint Principis præsentiam militibus inspirare alacritatem ardoremque, maluerunt manere in vrbe, non minus sperantes ab eius oratione, quàm à certamine: *Tu vnus pro decem millibus computaris.* Abulensem audi q. 6. *Quia ipse manens in vrbe, tantum aeret orando, sicut decem millia de euntibus ad bellum pugnando.* Milites hostiles iruebant in copias, verùm oratio cœlestes afferebat suppetias: cùmque efficacius sit cœleste iaculum, quàm contortum ab hominibus in hostes telum, elegerunt Dauidis carere præsentia, vt fruerentur orationis energia. Tantum iuuat oratio ad assequendam victoriam, tantum prodest ad eneruandam aduersariorum valentiam. Cuncti bellatores Iericò ciuitatem circumeunt; multos eam armatorum Princeps cinxit agminibus; verùm faxeus, qui incolas murus tegebat, Israëlitarum vires frustrabat: sed quod militaris non obtinuit industria, assecuta est orationis efficacia. Omnis populus clamat, & iam qui cassa redderet tela, murum subruit orationis energia. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illicò corruerunt.* Iosue. 6. v. 20. Orig. Homil. 7. in Iosue notauit, sacerdotes tubarum clangore, vt potè acerrimo ariete muros subruisse, & veluti radicitus elocasse: vt notum omnibus esset, non minùs victoriam adscribendam sacerdoti, quàm militi. Originis verba sunt: *Iericò tubis sacerdotum subruitur, vt enim tubarum clangor increpuit, deieci sunt muri.* Armatorum phalangibus, sacerdotumque orationibus, & murus euersus, & triumphus est reportatus: nec profuerunt minùs sacerdotum ora, quàm armatorum spicula. Iurè ergo non minùs expectant Dauidis milites à Dauide orante, quàm ab armatorum copia in aduersarios ruente.

§. X.

Diabolus non magni estimat mediocres vincere, sed de proceribus sanctitatis triumphare.

Tantò Diuinitati plura virtutum summates probantur debere, quantò præ alijs maiora constat suscipere: & ob id acriùs dæmon bella

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

mouet in proceres, & auidius adnititur subiugate sanctitatis summates. Scit vnum esse pro milli. & idè in vno plures reputat se elucrare. Antiquus serpens etsi cum pluribus posset bellum inire, cum muliere masculi matre in arenam hiauit descendere: *Persecutus est mulierem, que peperit masculum.*

Apoc. 12. v. 13. Vbi spebus frustratus est, cùm reliquis aggreditur inire pugnam, si assequi possit victoriam. *Abijt facere prælium cum reliquis de semine eius.* A versipelli, innataque versutia videtur serpens degenerare, quando in vnã mulierem irascitur, & tot persequi populos obliuiscitur. Nonne fatius esset de pluribus triumphum agere, quàm singularem mulierem persequi? Sto de muliere reportarit victoriam, vincet singularem: si cùm alijs decertet, innumeram subiugabit multitudinem: ergo priùs in plures arma conuertat, quàm in vnãc fœminam bellum instruat. O expende, mulierem sole vestitam, sideribus coronatam, calceatam luna: ergo cùm cæteros longè donis cœlestibus antecedit, plus cæteris serpente discruciat: ergo maiorem victoriam reputat, excellentem subijcere, quàm plurimos mediocres atterere. Prodest Ambros. hîc: *Videns diabolus se maximam multitudinem electorum amisisse, & intra angustias cordium reproborum esse conclusum, persecutus est mulierem.* Non dubitabat grandem per mulierem amittere electorum summam, ergo licet vicisset reproborum ingentem copiam; hanc tandè victoriam paruipendebat, & excellentem mulieris obrebreare virtutem totis nisibus anhelabat, quasi plus in vna illa muliere perderet, quàm pluribus subiugatis, acquireret. Hinc est, quòd Dauidis milites cum periculo eripere sunt conati, vt qui benè nouerant præcipuum Absalonis studium esse, Dauidem capere, non alios subijcere: *Non exibis; siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris.* Et si Absalom mediam partem exercitus Dauidis prostrauerit, dum Dauidem non subijciat, nihil se fecisse putabit: Dauid miris cæteros virtutibus superabat; ergo in eum totus aduersariorum furor ardebat. Prodest Abul. q. 6. *Etiamsi occidant medietatem de nobis, non curabunt satis, scilicet quia putabunt modicum se egisse.* Non magna Absaloni videretur victoria mediocres vincere, & magna videretur, Dauidem vnicum subiugare. Hîc nouerint virtutum summates, quanta se debeant cautela communitè, cùm certum sit acriùs contra ipsos dæmonem captiosas obtendere infidias, & periculosas meditari semper fallacias.

TEXTVS.

VERS. 4. & 5. Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetic ergo Rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, & milleni. Et præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem Regem cunctis principibus pro Absalom.

§. XI.

Prudentis est propriam sententiam pertinaciter non tueri, sed iudicio plurium postponere.

Prudentis est mutare consilium, nec sua ita prudentia fidere, ut malit aures cæteris denegare. *Inumbrat famam publicam* (aiebat Cassiod. 3. Var. 39.) *in Consule tenacitatis obscuritas.* Odiosa auaritiæ tenacitas Consulibus famam obscurat. Quod si tenacitas in pecunia famam inumbrat, in iudicio tenacitas plus infamat. Infinitus est prudentiæ thesaurus, quem senes etiam debent requirere, nec omnem sibi prudentiam penitus vendicare. Deceuerat Dauid in campum contra Absalonem procedere: *Egre diar & ego vobiscum:* expendit populus magis è re esse, in vire remanere, quam in aduersarios irruere; nam cum ille vnicus quæreretur, certissimum erat, à pluribus impetendum, & per aperta etiam discrimina exitium eius audissimè procurandum. Ergo populi seniores censuerunt decretum demutandum, & quod imminabat periculum, effugiendum. *Not exiis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit &c. melius est igitur, ut sis nobis in vire presidio.* Dauid cessit, & sententiam demutauit: *Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.* Exire deceuerat, ne virtuti bellicæ notam conquiret; utque sua præsentia vires, & ardorem militibus inspiraret: verum vbi vidit econtrario senes stare, & ratione probabili inniti, prudenter consensit, & sententiam demutauit. Ita Abul. q. 6. *Vidit Dauid, quod serui sui loquebantur rectè, ided voluit assentire illis. Etiam & placaret eos, & redderet erga se beneuolos, locutus est sic humiliter.* Proterui sic adhærent semel decreto, ut nec multorum quantumvis prudentium cedant iudicio; ingentium verò, prudentiæque conspicui sapissimè demutauere consilium, ut sequerentur aliorum placitum. Cum allata ex Ægypto Iacobi familiæ alimenta deficerent, & fames vehementer vrgeret, Ruben opus esse aiebat in Ægyptum redire, & puerum Beniamin, ne de mendacio à Principe redarguerentur, deferre: *Trade illum in manu mea, & ego enim tibi restituum.* Gen. 42. v. 37. Audit senex, nec assentit: *Non descendet filius meus vobiscum.* Fratres etsi patrem audierint sententiam suam firmiter tuentem, allatis prudentibus rationibus, institerunt, & opus esse secum ducere puerum, asseuerarunt. Quid tunc? Iam pater sententiam demutat, & prudentiam suam mirè commendat. *Si sic necesse est, facite, quod vultis.* Gen. 43. v. 11. Inquit: Cur Iacob, quod iam deceuerat, non tueatur; aut cur Ruben sententiæ non assentitur? Ruben idem, ac fratres censuerat, ergo eius sententiæ annuat, aut fratrum placitis non assentiat. Profecto etsi eadem fuerit sententia, dum asseuerat Ruben esse è re, fratrem ducere, non erat tanto auctoritatis pondere confirmata: ergo suam senex tuebatur aduersus vnus singularis sententiam; ast vbi cæterorum accesserunt suffragia, prudenter decretum pater retractauit, quia à tot dissentire prudentiæ consentaneum non censuit. Prodest Oleast. ad Mor. *Acquiescendum est rationi, nec persistendum in re.* Adnectit. *Mira est huius senis prudentia.* Prudentiam suam commendauit, probabili plurium iudicio assentitus; & innubilaret forsan, si tueretur, quod semel deceuerat oblinatus.

Gen. 42.
v. 37.Gen. 43.
v. 11.

§. XII.

Æque molestum est aliquando in certamine vincere ac superari.

Nunquam potest existimari plene iucundum, quod infeliciter fuerit perfectum; nec grata est medicina, quæ alteri corporis parti subueniendo auxiliatur, si alteram non modicè læsisse sentitur: ad eas aliquando certamina reducuntur angustias, ut nescias, an sit acerbius reportare triumphum, aut pati casum. Amara est victoria, quæ de charis pignoribus ducitur, & de ipsis visceribus reportatur. Quid parentibus, quam filiorum vita; dulcius? Quid strage illorum acerbius? *Ipsis laboratur* (aiebat Cassiodor. 2. Var. 14.) *ipsis diuitiæ conquiruntur.* Hinc est, quod Dauid copias contra filium producturus, anxia sollicitudine Absalonis incolumitati prouidit, & ducibus reuerenter assensu regis auctoritate imperauit: *Seruate mihi puerum Absalom.* Cum ab Absalonis morte coronæ stabilitas penderet, cõque triumphatore, Dauidis vita lutaret, inquirunt Interpretes, cur adeo studiosè eius saluti prouiderit, & incolumitati studiosissimè inuigilarit? Chryl. apud Gloss. respondet, eò Dauid deuenisse, ut vinci esset amarum, vincere acerbum: occiso Absalone, esset æternus parenti luctus, non occiso, imminabat parenti casus: ergo Dauid vndique anhelis angustijs pressus ingemuit, & tanto dispendio triumphum exhorruit. *Suscipere bellum cogebatur, in quo & vincere, & vinci æque illi molestum erat.* Molestissimum erat contra filium ad pugnam cogi; acerbissimum vinci; emergunt enim aliquando amaræ adeo lites, ut nescias, quid tristius, an infelicem reportare victoriam, an miseram subire sententiam? Obstupuit Rebecca inter germanos lites versari, & ipsis ad confligendum visceribus pro studio vti. *Collidebantur in utero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25. v. 22. Anxio viscera Gen. 25. v. 22. distorquebantur dolore, & semper infelici dehonestabantur certamine; nam vnus fratris victoria de alterius immatura pullulabat ruina, & victor non tam redimebatur corona, quam impietate denigrabatur infanda. Ergo rationabiliter mater ingemuit, quia ex fraterna illa lucta nihil sperare potuit non triste, & infaustum; nam quidquid accideret, esse non poterat non amarum. *Dirumpitur* (inquit Hugo) *uterus Rebecca, filijs certantibus.* Miserandum erat, fratrem interfici & quidem à fratre, ut etiam erat luctuosum reportare victoriam fraterno sanguine defœdatam. Ergo Dauid audissimè exoptat, nec filium vincere, nec à filio superari, sed lites suspirabat prudenti industriæ componi: *Seruate mihi puerum Absalom.*

§. XIII.

Iniquus beneficijs obstrictus lædit, iustus ingratitude læsus parcit.

Iustus non solum alijs virtutibus expolitus, sed suauissima etiam clementia resplendere affuecit ornatus: ita proximi incalefcit amore, ut quid sibi detrahare eligat, si proximi incolumitati prouideat: eontra iniquus agrestibus moribus efferatus, suis etiam benefactoribus nocendi inuenitur sæpè studiosus. Beneficia alterum impellere

pellere videntur ad odia, & alterum iniuriæ, quæ nutrire possent odia, impellere videntur ad beneficia. *Amore clementia* (aiebat Cassiodor. 9. Var. 12.) *errores nolimus inuenire, ne coacti potius refecimus, quod salua iustitia, dissimulare non possumus.* Non patitur iustitia manifestos errores non punire, sed clementia satagit, ne puniat, obtegere: mirum inter iustum, & peccatorem certamen est: alter beneficiatus satagit lædere, alter iniurijs exasperatus iniurio adnititur parcere. Absalom à paruulo inuirtus, à parente magnis, & continuis beneficijs obligatus, delira, immaturaque ambitione, vt arripiat coronam, parenti auferre discupit vitam: armatorum exercitijs stipatus, suspirat impiissimam eadem, & eodem tempore Dauid tot offensis impetitus, tot iniurijs exasperatus, Absalonis satagit sollicitus sospitatem: *Seruate mihi puerum Absalom.* Puerum vocat, vt errorem imminuat, quasi coniurationis vesania potius imprudenti ætati sit applicanda, quàm exoculata ambitioni adscribenda: alter pientissimum bella mouet in patrem; alter amplectitur scelestum indulgentissimis visceribus filium. Notauit Chrysof. apud Gloss. *Inde dementia contra genitorem exsurgit, hinc clementia vt parricida parcat, exposcit: inde furor, hinc pietas operatur. Parricida non læsus insanit: Dauid laditur, & miserit.* Vtilior est iustus etiam læsus, quàm iniquus beneficijs obligatus; nam alter interna gliscit prauitate, alter admirandæ indulget virtuti. Dauid Absalonem sollicitat asseruari, Absalom genitorem discupit disperire: Saul dulcissimam cantus harmoniã sanitatem recipit, & abactio dæmone, tristitudinem internam euadit. *Dauid tollebat citharam, & percuriebat manus suas, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* 1. Reg. 16. v. 23. Allata salute meruit beneficiolentiam; abactio dæmone, gratiam: horum tamen beneficiorum merces fuit teli per insidias iactus, & odij delirantis pruritus. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans quod confingere posset Dauid cum pariete.* 1. Reg. 18. v. 11. Telo impetitus properat, tanquam benemerentem curaturus, nec lyrã segnius tractaturus. *Dauid psallebat manu sua. Nihil quo est Saul confingere Dauid lancã in pariete.* 1. Reg. 19. v. 10. En Saul munerebus obstrictus, saluti redditus, non quiescit, sed iterum insano furore gliscit, cum Dauid telo impetitus iterum properet, & tanquam benemerenti sospitatem sollicitet: alter plurimis beneficijs obstrictus furit, alter offensis ipsis ad speciem miserit. Notauit Basil. Seleuc. Or. 15. *O Prophetica clementiam! non succenset inuidenti, non odia in memoriam renocat, non punitus, male punitorem molitur. Quid hoc loquor? ne quidem segniter lyrã prebēdit, sed tanquam benemerentem curaturus, properabat.* Acti officijs esset illectus, & obsequijs prolectatus, properabat Sauli impertiri salutem, & sopire cordis furorem, quasi non esset iniuria indignationis occasio, imò esset charitatis incentiuum: charitatis inardescerat plus flamma, & prensabatur solerter lyra.

§. XIV.

Vera charitas non videt quo frigeat, videt quo ardeat.

DVæ qualitates facile in amore concurrunt, visus, & cæcitas: non videt, quæ exasperant, & videt, quæ prolectant. Cæcutit generosè ad of-

fenfam; intuetur, quæ generosam enutriunt flammam. Vndè diserte aiebat Chrysol. Serm. 3. *Delicta non videt vis amoris. Tardam misericordiam pater nescit.* Amor, quibus titulis inuametur nunquam ignorat, quibus interpefcatur, nunquam inspectat. Qui delicta discutit, iam à nobili ardore amoris degenerauit: hinc est, quòd Dauid ducibus imperaturus Absalonis salutem, non filium, sed puerum appellauit: *Serua, e mihi puerum Absalom.* Inquires, cur non dixerit: *Seruate mihi filium meum,* sed puerum, quando quidem filij nomen maiorem ducibus inferebat reuerentiam, & sollicitiorem suadebat curam: ergo appellet filium, non puerum. O generosi amoris laudabilem cæcitate! Filium contra genitorem arma conuertere, erat impium facinus, scelus execrandum; puerum a tantis febribus delirare, videbatur magis commiseratione dignum; ergo dixit puerum, non filium. Se non ignorauit parentem, vt indulgeret crimini, vt consuleret sospitati: ergo quòd amor inardesceret, vidit, & quòd tepesceret ignorauit. Notauit eleganter Ambros. *Tacebat impietatis scelus pietatis, autē gradū, & nomen necessitudinis præserebat.* Ne appellaret impium, filium tacuit, & puerum dixit: vidit, quo ad commiserationem alliceretur, titulum, non quo ad iracundiam exasperaretur, ius naturæ violatum. Redeat Ambros. in Psal. 118. *Vir iustus, quod religionis fuit, tacuit; quod infirmitatis, aspexit.* Puerum dixit, vt scelus leuaret, quia pueri non tam agunt prudentiæ delectu, quàm adoris impetu. Apostolis tota nocte piscatione defatigatis, necis victor Christus apparet, & an quid prehenderint præsciis interrogat: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Ioan. 21. v. 5. Inutiles duxisse vigilias, responderunt: *Non.* Eorum labores miseratus, in dexteram mitti rete præcepit: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Rete iam exuberat piscibus, & felicius pisces capiuntur retibus, quam lutosis enatarent gurgitibus. Chrysologus rogat: *Cur puetos vocarit, quos inuitabat ad mensam, & quibus tantam piscium dilargitus est copiam? Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Si vocat puetos, cur ad mensam vocat, vt filios, & si in mensa pascit vt filios, cur appellat rudes puetos? Quia ibi erat Petrus, respondet florido stylo Chrysologus, qui timidus negarat, Ioannes, qui aufugerat; Thomas, qui dubitara: ergo cum puerorū sit trepidare, & tremere, v ocauit puetos, non appellauit discipulos, quia puerum timere, ætati vertitur, à Discipulo Magistrum deferi, crimini ducitur: ergo vidit, quòd leuabat fugam, & quodammodo non vidit, quòd ingrauaabat offensam. Chrysologum audi serm. 78. *Ibi erat Petrus, qui negauerat: Thomas, qui dubitauerat: Ioannes, qui aufugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed puetos compellat, vt timidos: & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam.* Humanæ adscribit fragilitati timorem, idcò vocat puetos, & ne amor ingratitude tepesceret, appellare noluit Discipulos: & qui in discipulis non vidit, quòd amorem tepesciebat, in se vidit pastorem esse, & Magistrum, vt mensam explicaret, & labores deliniret. *Vt humanitas* (addit Chrysol.) *ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem.* In seipso quæsiuit ad humanitatem titulum, in discipulis quæsiuit, quo ingratitudinis aliquomodo diminueretur peccatum; nam vera charitas videt, quo incalescat ardentior, non videt, quo frigere possit tepidior.

§. XV.

*Vera charitas plùs horrescit proximi animam
disperire, quàm commodis omnibus
deudari.*

Dilectio (aiebat Cassiod. lib. de Amic. cap. de Dilect. prox.) *se transfundit in alium, quia esse solitaria dedignatur. Consortem diligit sua natura, & futura exambit, consors sit gloria. Scit charitas esurire, vt famelicum possit porrectis alimentis fouere; proprio frigore non vritur, & alieno durè cruciatur: proximi ærumnas propria gestit incommoditate redimere; sed tunc præcipuè angitur, cum proximi animæ videtur periculum imminere. Eligit regali dispoliari corona, ne proximus æterna crucietur flamma. Testis est huius veritatis Dauid, cui cum Absalom vitæ insidias obtenderet, & coronam rapere ambitet, totus fuit in eius vita asseruanda, & strage, quæ imminere poterat, auertenda: *Seruate mihi puerum Absalom.* Profectò à prudentia videtur desciscere, cum pueri salutem studiosè admittitur asseruare; si Absalom viuat, in patetis vitam militat, & coronam; si corruat, eius casus coronam stabilit, & vitam: ergo fatius erit, Absalonem perdere, quàm seruare. Cur ergo anxijs adedò votis asseruari præcipit, non occidi? Quia sciebat, inquit Lira, si in eo statu temporalem finiret vitam, immortalem passurum flammam, ergo maluit suam periclitari salutem, & coronam, quàm æternam Absalonis sustinere condemnationem. Liram audi: *Hoc dicebat Dauid, ne moreretur in peccato mortali, persequendo patrem proprium, & sic æternaliter damneretur.* Absalone superstitite, regia parentis nutabat corona, eo tempore occiso, dilecti filij peribat anima: adeoque horrendum est, animam æterna culpa infici, & à Dei amicitia separari, vt elegerit Dauid coronæ periculum, ne anima parricidæ inextinguibile pateretur incendium. Noë cataclysmum, quo omnis anima rapidis vorticibus deleteretur, imminere non dubitat, imò, denuntiante Deo, & credit, & timet: Arcam, quæ cum suis periculum eludat, compingit iussus, non tamen studiosa sollicitudine, sed laudanda tarditate. Itaque paulatim ædificat, & exornat. Constructa iam Arca, audit imminere per momenta naufragium, & tamen vsque ad diei vltimum differt ingressum. *In articulo diei illius ingressus est Noë, &c. Genes. 7. v. 13.* Si inquiras: Cur Noë vsque ad diei finem distulcrit confugere ad securum profugium, cum notum esset, appetere iam naufragium? Respondebit Zæno Veron. eleganti stylo, traxisse moras, si fortè quis ex tot peccatoribus respisceret, & vera pœnititudine culpam deleteret. Eximia charitate inflammatus, quodammodo differebat euadere, si posset quem ad pœnitentiam adducere: animaduertebat periculum, sed peccatorum dolebat irreparabile damnum: ergo non ignauus, sed animarum zelotypus, vitam quodammodo despexit, & salutem animarum sitienter ambiuit: non horruit diluuium, quia animarum horrebat incendium. Audi Zænonem Ser. de Pati. *Patienter expectat, dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere.* Si non festinet utam intrare profugium, rapidum forsitan sustinebit naufragium; verùm sic animarum zelus eius inflammabat præcordia, vt laudabili mora arcam ædificarit, mallens tempo-*

ralibus commodis denudari, quàm proximi animam disperire; & dum charitas periculum proprium contemnit, certius euadit. *Dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere.* Dauid etiam non festinat in tanto vitæ, & coronæ discrimine euadere, quia vehementer dolet Absalonis animam peccatis denigratam perire. *Seruate mihi puerum Absalom.*

TEXTVS.

VER. 6. & 7. Itaque egressus est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephrain. Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid, factaque est plaga magna in die illa viginti millium.

§. XVI.

*Vitium sequentes falsis sibi spebus blandiuntur,
sed durissimis prælijs urgentur.*

Fabulosa Antiquitas, dum contra veritatem vanissima confingit deliria, pro virtute præter opinionem salubria tradidit documenta. Lascium amorem puerili depinxit specie, quia eius lasciuia lubricitas senilibus etiam repuerescit in annis; instructum venenatis sagittis prodidit, & oculis captum, vt ostenderet alis sibi maturare casum, & inopinum sustinere periculum. Audi Zænonem eleganti stylo, Ser. de Fid. Spe, & char. *Ideo pennatus, quia in quacumque conceperit, velociter ruit, ideò telis, facibusque constructus, quia illucis ardoribus semper iunctus est gladius.* Infano ardori semper est proximus gladius, aut quia cæcus alta infligit vulnera, aut quia retorquentur in ipsum tela. Absalonem lubricum, ambitiosumque copiosa armatorum sequuntur agmina, & periculosa sustinere coguntur prælia. *Egressus populus in campum contra Israël, & factum prælium in saltu Ephrain.* Tranquilla vterentur pace, incolumitate salubri, ni Absalonis sequerentur vexilla, & imitarentur exempla: verùm dum lascium secuti, Dauidi, æquitatque inferunt bella, sibi maturare ingentissima detrimenta. *Cæsus est ibi populus Israël ab exercitu Dauid.* Non potuit dolor à lasciuis abesse, non potuit gladius ab appetentibus iniqua distare. Absalonem secuti, fugantur, vulnerantur, cæduntur; nam vitij addicti, inueniuntur etiam stragibus destinati. Prodest Chrysof. apud N. Sanct. *Disponitur properè bellum, acies dirigitur, pugna paratur, cognata classes in semet ardescunt.* Parricida suos contra pientissimum patrem inflammat, & dum insanis ardoribus aduruntur, telis contortis sauciantur. Promiserant sibi spolia, inhiauerant ad trophæa, sed dum mellitis falluntur spebus, amarissimis consumuntur stragibus. O quot iuuenes fruerentur salute, ni fœdarenrur lubricitate! ô quot longis annorum tractibus producerent vitam, ni vitiorum sectarentur insaniam! Ast contra se exacuunt gladios, aduocant morbos, asperos sollicitant calus, dum innutrient cæcissimos appetitus. Qui Pharaonis signa sequuntur, temerario ausu per profunda maris persequi iustos conantur, & dum insanis spebus dirissima sibi promiserunt spolia, miseranda subierunt naufragia: in medio

Exod. 14
v. 25.

dio mari agnouerunt deliria; sed iam nulla euadendi erat via, & urgebantur cœlesti sententia. *Dixerunt ergo Aegyptij: Fugiamus Israël; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14. v. 25. Israëlita violentiam passi, tacebant, sed pro tacentibus cœlū pugnabat: offerebant afflicti suam Numini patientiam; sed pro eis Numen accerrimam instruxerat pugnam. Pharaonem secuti, vndique premebantur; & qui vtrinque vitreos in muros fluctus, durati, iam præcipites contra impios ruebant horrifoni. Itaque supernè ei aculabatur cœlum durissima spicula, infernè premebantur etiam naufragia; & confusis rapiebantur vorticibus, qui se euanidis oblectarant spebus. Prodest Hugo: *Intolerabiles imbres, & graues tonitruos, & coruscantes lampades iniecit in eos: vnde exterriti dixerunt: Fugiamus Israël; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Vitijs inseruientes dura sustinuerunt bella, & post bella ad maris descendunt profunda: breuis lætitiæ insaniam longo compensauerunt dolore, & soluerunt semper trepida malæ conscientia anxietate.

T E X T V S.

VERS. 8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus consumpserrat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa.

§. XVII.

Peccatores sæpè, ut fugiant incommodum, in perniciosius incidunt detrimentum.

Philosophi beatum dixerunt, qui nihil bonum, aut malum reputat, nisi bonum, aut prauum animum; honesti cultorem, & virtute contentum nec fortuita frangunt, nec extollunt, quia nouit nullum maius bonum posse à fortuna expectere, quàm quod quisque sibi potest præstare. Certè ad summum peruenit, qui pro vera voluptate habet voluptatem contemnere & imperturbata constantia stare. Hanc animi libertatem protersus ignorat voluptatum, vitiorumque castra secutus. *Vides (aiebat Senec. de Vit. beat.) quàm malam, & noxiam seruitutem seruiturus sit, quem voluptates, doloresque incertissima dominia, impotentissimaque alternis possidebunt.* Fugere nequit voluptatis deditus inuisceratum voluptati dolorem, fugere auarus nequit furis metum, & comitem auri periculum, sed supra omnia ista ea est obturbati animi cæcitas, ea erroris infelicitas, vt plures perniciosius sibi maturauerint detrimentum, dum vitare anhelant incommodum. Absalonem impotentis ambitu æstantem, libidini exoculata indulgentem sequuntur plures; verum citò compulsi sunt terga vertere, si in gloria fuga possint saluti consulere. Ast dum ferrum sibi imminens conantur eludere, & discipiunt saltu latere, in ferarum dentes incidunt, & periculum grauiori discrimine redimunt: itaque dum cæcè quærunt profugia, in grauiora incidunt detrimenta, & saltu pereunt à truculentis feris discerpti, à leonibus carniuioris deuorati. *Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus consumpserrat de populo, quàm hi, quos vorauerat gla-*

dus in die illa. Absalonis signa secutos urgebant manifesta pericula, & deteriora erant, quæ existimabantur remedia, nam saltus feræ fugientibus occurrerunt; & saue dilacerarunt. Hunc esse sensum Scripturæ, tradit Abul. q. 11. *Postquam ceperunt fugere viri Absalom, introibant ad loca secretissima montium, ubi erant arbores condensæ, & ibi latebant animalia venenata, vel bestia magna sequestrata ab humano consortio, & occidebant fugientes.* Itaque, vt certaminis excusarent molestiam, condensam confugiebant ad syluam; sed ibi ab vrsis discerpebantur, à leonibus vorabantur. Quis dubitet hac imagine, quod peccatoribus accidit, Scripturam exprimere? Ne paupertatis sustineat molestias, infidiatur itineribus latro; sed dum plectibile re medium eligit, patibulo suspensus pœnas exsoluit. A venenatis feris voratur, qui peruersa via est fugere corporis incommoda adnititur. Leuites ne paupertatis cogeretur ærumnas molestissimas sustinere, decreuit peregrinari. *Peregrinari voluit vbi cumque sibi commodum reperisset.* Iudic. 17. v. 8. Peregrinus à Micha excipitur, & in idolorum sacerdotem initiatur. *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se.* Hugo Card. inopiam fugisse tradit: *Peregrinari voluit, quia pauper erat.* Itaque ne fame palleret vultus, idolorum factus est seruus, & animæ grauissimo detrimento est vsus lectiori cibo. Corporis vitauit incommoda, sed in grauiora incidit detrimenta, & infelicioi fuit quæsito remedio, quàm fuerat famis cruciatu.

Iudic. 17.
v. 8.

T E X T V S.

VERS. 9. Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspensio inter cœlum, & terram, mulus, cui infederat, petransiuit.

§. XVIII.

Adolescentes citò morti tradit luxuria, nec opus est inimicorum violentiâ.

Mala (aiebat Senec. de Vit. beat. cap. 6.) pro bonis legere, dementia est. *Nec sine sanitate quisquam beatus est: nec sanus, cui obfutura pro optimis appetuntur.* Habet hanc inter alias pestes adolescentia, quod obfutura appetit, nec ad sequenda oculos mentis extendit: ætas insanis ardoribus incalescit, nec reprimere se nouit, & dum profusè indulget libidini, approximat celerrimo curso morti; ipsis, quibus luxuria oblectat, & sauciat. Iam si iuuentutis insaniam diuitiarum exundet copia, celerrimè inuolat ad perniciem, & immaturam sollicitat sibi mortem. Bene Diogen. apud Stob. cap. 6. dicebat, *plerisque viuos quidem seipsos putrefacere, blancis humectantes, & re venerea tabescentes.* Lubrici dum vires debilitant, roburque eneruant; superstites pallefcunt putrefacti, & respirant mortui. Contra Absalonem armatorum insurgunt agmina; sed antequam ferri transuerberarit violentia, quercus pro carnifice fuit annosa. *Accidit autem, vt occurreret Absalom*

*Absalom seruis David, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhesit caput eius quercui, & illo suspensus inter celum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. In quercu porcis alimenta præbente, designari luxuriam, Card. testatur Hugo: ergo Absalom crinitus dum quercui, hoc est libidini, adhereret, viribus coporis destituitur, & miseris nexibus implicatur. Citiùs perijt luxuriæ traditus, quàm militibus obsessus; nec enim hostili opus erat violentia, quando celerem perniciem sollicitabat luxuria. Hugonem audi: *Quercui per casariam Absalom pender, quando peccator fomento diuitiarum luxuria inheret. Mulus transit, & ipse remanet suspensus, quia dum peccator in luxuria detinetur, caro paulatim declinat ad mortem.* Plures Absalom patiebatur hostes, sed ipse quercui adhærendo, fauor sui ipsius hostis fuit: sectatus luxuriam, antevertit inimicorum violentiam. O quot adolescentis luxuriæ gladio sibi vires absciderunt, & fœtulentos morbos aduocarunt! Locustas aspexit Ioannes de profundo putei subfidentes, ornatu videbantur mulieres, sed veneno euincebant scorpiones: *Habebant capillos, sicut capillos mulierum. Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Apoc. 9. v. 8. Locustæ pestiferæ scorpionibus comparantur; quia, vt inquit Anselmus ad hunc locum, scorpio ipsa, qua demulcet cauda, lædit. Eius verba sunt: *Scorpioni benè comparantur, quia ille blandus facie, cauda pungit occulte.* Locustæ ipsa voluptate læciabant, & quo vires eneruantur, venenum pestiferum diffundebant. Eleganter Tert. Aduersus Gnost. *Si plagam satiauerit, intimat virus, & properat in viscera. Statim omnes pristini sensus retorpescent, sanguis animi gelascit.* Vbi scorpio venenum intimat, mortem accelerat, corporis statim vires eneruantur, tabescunt oculi, doloribus interna cruciantur accerrimis; ergo comptæ, expolitæque locustæ pro scorpionibus sunt; nam voluptas veneni adinstat corporis robur consumit; nec opus est externa plaga, si interna viscera exurantur lasciuia. Absalom dum adhæret quercui, approximat casui.*

§. XIX.

Affueti voluptatibus indulgere, instante etiam morte, contingit spurcis cogitationibus oblectari.

Consuetudo altera natura est: vtque est arduum, denudare naturam, sic est difficile consuetudinem exuere prorsus inueteratam. *Quemadmodum* (aiebat Senec. epist. 85.) *rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum, & mire, natura enim illorum est surda suadenti: sic non sequuntur, non audiunt affectus quantumque sint.* Tigres, leonésque nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt: & cum minimè spectaueris, exasperabitur toruitas mitigata. Nunquam bona fide mansuescunt. . . si inuisa ratione cœperint, inuisa perseverabunt. Inueterata consuetudo rationi obsurdescit, non facile patet. Aliquando adurgebit vitæ periculum: & licet ratio suadeat culpam expungere, consuetudo calignem offundit, & animum plectendis imaginibus irretitum, oblectatumque tenet. Absalom Davidis seruis, qui in ipsum arma præstabant, occurrit, sed licet mortis immineret periculum, quercui adhæsit capillamentum,

Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis David sedens mulo. Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhesit caput eius quercui. Hugo Card. in quercu, quæ cibum immundis porcis ministrat, sensualitatem intelligit. Ipsum audi: *Quercus luxuria, Mira res: caput luxuriæ oblectamenti detinetur; & animus spurcis voluptatibus oblectatur, cum hostilis gladius imminet, & imminentis mortis pavor deterret.* Profectò mirum non esset, si Absalom inter delicias, lauitiâsque quercui adhæreret, & animum impuris cogitationibus pasceret; demirandum verò erat, mente fordida oblectamenta reuolueret, cum mors imminens suaderet pœnitentis amaris lachrymis animum expurgare. Iam si inquiras: Quomodo Absalom inter vrgentissima mortis pericula mente reuoluat spurcissima oblectamenta? Facilis solutio est; nam consuetudo inoleuit pro natura, & qui effrænis indulserat voluptati, citò occubiturus cogitatione adhærebat quercui. *Ingressus est ad concubinas patris sui.* Suprà. c. 16. v. 22. Plurium fœminarum amplexibus assuetus, in mortis etiam periculo proditur fœtidis cogitationibus oblectatus. Hugonem audi: *Mulus transit, & ipse remanet suspensus, quia dum peccator in luxuria detinetur, caro declinat ad mortem.* Caro ad mortem vrgebatur, & tamen mens in luxuria detinebatur: consuetudo rationi restitit surda, & viribus deficientibus, mens libidinosis detinebatur cogitationibus fordidata. O quàm est periculosum voluptatibus assuefieri! nam fatisciente corpore, morte instante, ardet animo fœda libidinis flamma, & mens antiqua reuoluit oblectamenta. Video Petrum, claudum erigentem, plantâsque reformantem, non tamen audio, fœcus febrim depulisse: *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4. v. 38. Si inquiras: Cur Petrus, qui plantas claudo procudit, febrim non abegit? Estne facilius claudi solidare plantas, quàm sopire febris angustias? Profectò (inquit Ambros. lib. 4. in Luc. cap. 4.) arduum ad eò erat fœminam illecebrosis ardoribus æstuantem sanitati reddere, vt Domino asseruatum fuerit miraculum; nam inueteratam, durâmq; consuetudinem depellere, est diuinitatis indicium. *Tenebatur magnis febribus.* Si febris non esset inueterata, nec diuturno tempore fota, fœcus Petrus expungeret: & fœcus occasui proxima periculo prouideret; Verùm sic febribus tenebatur, vt in naturam transisse videretur. Ambrosium audi: *Diuersarum cupiditatum immodicis studebat illecebris. Nec minorem febrim amoris dixerim, quàm caloris. Febris nostra libido est, febris nostra luxuria est.* Et si omnia vitia medicinam ægrè admittant, illa tamen veluti extra medicinæ artem sunt, quæ annorum processu, & diuturnæ consuetudinis vsu altissimas radices egerunt. Annosa vetula morti approximat, & tamen animus illecebris indulgebat. Eiusmodi febribus videbatur senectus medicina, sed æstuebat fœcus voluptatibus assueti. Plures, vt liberius turpitudini vacent, sibi imponunt, & in senectute, vel morbo graui, illecebris renuntiandum prorsus promittunt, ignorant tamen vires inueteratæ consuetudinis, quæ dum corde altas radices egit, auelli difficillimè sustinet.

§. XX.

*Diuitia uiuentem sollicitudinibus grauant,
morientem intricatis difficultatibus
ligant.*

AVri sacra fames hominibus persuasit nullum laborē fugere, & in secretiora telluris viscera penetrare. Verum sæpè, quæ videbantur allatura latitiam, inueniuntur multiplicare molestiam. Auarus sollicitas diu noctūque ducit vigilias, quia veretur, ne fur diuitiarum auferat copias: quouis strepitu perturbatur, quia rapaces manus veretur. Varijs, multiplicibusque sollicitudinibus fit obnoxius, qui ditescit opulentus. *Ambitio* (aiebat Cassiod. 9. Var. 3.) *nihil relinquit absconditum, nec ubi interdum sustinere possit extremum. Intran homines caligines profundas: viuunt sine supernis, exulant à sole: & dum sub terris compendia querunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. Est aliquando illis ruina via sua. Acquirendi fitis, auiditas adaugendi vitæ aufert gaudia, quia secum affert solliciti metus tormenta. Ut aurum* (aiebat Stobæus cap. 92.) *trementi manui impositum tremis; sic diuitia ab anima metu, curisque accumulata vnà concutiuntur. Auro anima concutitur, & anxia adurgeri sollicitudine cogitur. Diuitiæ non solum uiuentem grauant, sed è vita excedentem ligant, nec permittunt animæ prouacere, quia intricatis impedimentis se diues nescit expedire. Absalom dum vixit, proluxa cæsarie grauabatur: Grauabat eum cæsaries. sup. 14. v. 26. & in morte quercus ramis cæsaries implicabatur: Adhæsit caput eius quercui. Implicatus coma se in morte expedire nesciuit, in vita prægrauatus ingemuit. In cæsarie diuitias adumbrati tradidit Cardin. Hugo: Cæsaries Absalom diuitia sunt huius mundi. En diuitiarum ingenium, in vita grauare, & in morte inextricabilibus difficultatibus animam impedire. Vbi stulta diuitia potestatem nacta sunt (aiebat Menand. apud Stob.) illos etiam, qui sapere videntur, stolidos reddunt. Qui sapere videbantur, in morte stultescere sæpè inueniuntur; nam diuitias nec retinere possunt, nec à corde expungere sciūt. Qui volunt diuites fieri (aiebat Paul. 1. ad Thim. 6.) incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inuilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum. Diuitiæ laquei sunt, quibus homo in vita irretitur, & in morte irretitus mergitur: viuens premitur aureis catenis, & moriens confusionis mergitur vndis. Prodest Bern. apud Thylm. Ergone laqueus diaboli diuitiæ sunt huius sæculi? Heu quam paucos inuenimus, qui ab hoc laqueo liberari exultent! quam multos, qui dolent, quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt ipsi se inuoluere, & intricare laborent! Annuit Anselm. Ita nocent, ut mergant homines in interitum corporis, & perditionem animarum. Itaque frequenter diuites in vita inueniuntur laqueis implicati, & in interitu impedimentis constricti. Dum Christus Dominus, ut peccatum redimeret, peccatoris personam gessit, spinea corona est punctus: Imponunt ei plethentes spineam coronam. Marc. 15. v. 17. & occumbens eadem etiam corona cædatus: Exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, ut crucifigerent eum. Non ait: Exuerunt eum corona, sed purpura; ut intelligas, purpuram detractam, coronam relictam. Notauit Orig. in Caten. ad Matth. 27. De clamym. Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

1. ad Thim.
6.

Marc. 15.
v. 17.

de quidem scriptum est: Quoniam denuò expoliauerunt eum; de corona autem spinea nihil tale Euangeliste scripserunt. Iam in spinis diuitias designari, ipse Dominus nobis explicuit: Quod in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, &c. suffocantur. Luc. 8. v. 14. Vides in spinis diuitias denotari, expende modò peccatorum in vita spinis lacerari, & in morte eisdem spinis premi. Quam in vita spineam coronam habuit, in morte retinuit, ut nos edoceret Dominus, sæpè homines diuitijs in vita lacerari, & in morte eisdem durissimè pungi. Absalom viuens cæsarie aurea grauatur, & moriens irretiebatur, ut constet auaritiam viuentibus afferre molestiam, excessuris mœstitiam.

Luc. 8.
v. 14.

§. XXI.

Profusa luxuria sterilitate mulctatur, & posteritate interdicatur.

BEatus ille (aiebat Diogen. apud Stob.) qui felix prole fuit. Proles quandam parentibus immortalitatem affert; generis nomen protendit, & extingui nominis claritatem non finit. *Lacena quædam* (aiebat Anaximand. apud datum. Stob.) *mulieri, quæ ornatum Ionicum ei ostendebat, liberos suos vicissim monstrauit, inquiens: At meum ornamentum huiusmodi est. Eius gloria erat generosæ prolis multiplicitas, & bonis institutis formata puerilis ætas. Hac laude frequenter carent, qui luxuriæ nimium indulgent, nam luxuria probatur effæta, & virtute prolificandi priuata. Absalom improlem se dolet: Non habeo filium: cum ætas ad generationem videretur apta, & ad filios suscipiendos idonea: filios se non habere dolet; & quidem antea: Nati sunt Absalom filij tres, & filia vna. Sup. 14. v. 27. sed tunc sensualitati non indulgebat: at vbi luxuriæ vacauit, infœcundum se doluit: Filium non habeo. Nec mirum (inquit Hugo) nam infidebat mulo, libidini symbolo: temperans filios genuit, libidinosus filios non gignit: Accidit autem, ut occurreret Absalom seruis David sedens mulo: mulo vtens, filijs priuatur, nam sensualis improles esse inuenitur. Rectè per mulum (inquit Hugo) significatur sensualitas; Mulus enim sterilis est, & sensualitas sterilis est. Nimia libido extenuat vires, deprauat virtutem, generandi adulterat facultatem. Ergo dum Absalom temperantiæ non transiuit metam, est posterorum sortitus copiam; at dum sensualitati intemperanter vacauit, improles ingemuit. Inuenies plures filiorum felicitate carentes, cum ætas florida, & generationi sit opportuna. Quodsi inquiras causam, sterilitatem reperies naturæ culpam non esse, sed à nimio libidinis vsu oriri. Septem viri cum Sara nuptias celebrarunt, sed omnes improles, & breui tempore vitam finierunt. Audio quia tradita septem viris, & mortui sunt. Tob. 6. v. 14. ex Sara castitate ornata, pudicitiaque prædita nullus ex septem viris filios suscepit: quodsi causam inquiras, respondebit Angelus, omnes libidine defædatis, & idè celeri morte correptos, & posteritate priuatos. Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & sue libidini ita vacent sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem demonium super eos. Pudicam, pulchram, honestissimamque fœminam vxorem fortiti, pulchellarum amore capiebantur, & libidine*

I i dine

dine insatiabili adurebantur : ergo ad instar mulorum intemperantes citissime lucem amiserunt, & filios non procrearunt. Prodest Hugo : *Qui hanc habuerunt, tales fuerunt, qui per libidinem Deum à se excluderunt.* Procreabilem thorum despicientes, & inexplebili libidinis siti æstuant, vitæ tempus sibi breuiarunt, & improles discesserunt. Rationalis temperantia filios procreat, nimia libido facultatem generationis eneruat.

. XXII.

Qui gehennales penas nouit, nullum, ut vitaret, tormentum fugit.

Negotiatio est, aliquid sustinere, vt grauiora possis vitare: anxium est molestis angustijs premi, sed durius immortalibus flammis aduri. O si acerbissimos gehennæ cruciatus expenderent peccatores! profectò eligerent hîc duris laboribus diù cruciari, si patiendo quierint flammam immortales effugere. Inter supremas anhelantis ignis angustias vita, vt excrucietur, producit, cum fatius esset nigras in fauillas redigi, quàm durare. Prudens temporales dolorum tolerat patienter cruciatus, ne gehennales sustineat æstus. *Detestabilis sensus pœnarum* (aiebat Cassiod. 3. Var. 46.) *excludit dulcissimæ salutis affectum.* Dulcissimam salutem despiciere, & multiplicibus corpus tormentorum generibus distorquere edocuit immortalium pœnarum horror, & flammarum nunquam sopiendarum timor. Ecce Absalom capillis illigatus ex quercu pendet, nec prolixam comam præcidit: *Adhæsit caput eius quercui: & illo suspensio inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, petransiuit.* Inquires: cur arbore permaneat, cum non ignoret hostilibus mucronibus impetendum, & multiplicibus ictibus vulnerandum? Interpretes existimant: ex arbore vidisse immanem voraginem apertam, nigris crepitantium flammarum vorticibus æstuantem, maluissèque ex arbore pendere, quàm vri. Non deest, qui conijciat maluissè cæsarie non denudari, quàm saluti consulere. Verùm Rabbini apud Abul. q. 12. perseverasse testantur, quia sub se terram adspexit dirutam, & gehennæ flammam. Facile erat, fractis ramis, aut præcis capillis, illud tormentum vitare, maluit tamen pendere, quàm cadere. Audi Rabbi Sal. *Absalom pendens voluit sibi amputare capillos, ut cadens fugeret, sed vidit sub se apertam gehennam, & ne caderet in abyssos, voluit potius pendere in arbore.* Gehennæ vel à longè aspectus dulces suspensionis reddebat labores, & Absalom, ne in gehennam rueret, pendere elegit. Confer temporales ærumnas cum gehennalibus flammis, & cordatus censébis ingens esse lucrum, acerbos hîc labores pati, ne in gehenna contingat anhelantibus flammis exuri. Expetenda est laudabilis tolerantia, ne irreuocabilis vrgeat pœna. Præstantiores hac in re inueniuntur vel stupidæ creaturæ: patienter ferunt aspera, vt vitarent grauiora. Asina, cui Balaam insederat, flammeum aspicit gladium, & eligit repetitis verberibus percuti, ne contigerit dillecari. *Cernens asina Angelum stantem in via euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustijs diuarum maceriarum.* Num. 22. v. 23. Si quàm tenebat, insistat viæ, recognoscit asina flammeo gladio percutiendam, si aliam viam ineat, non ignorat repetitis ictibus

verberandam, elegit tamen dura pati verbera, ne asperiora sustineret excidia. Audi Petrum in. 2. Canon. cap. 2. v. 16. *Corruptionem habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Propheta insipientiam.* Insipiens profectò erat, qui, vt vanis adularetur spebus, irreparandis propinquabat stragibus. Sapiens erat asina, quæ viam demutando, malebat diuerberari, quàm ignito gladio exuri. O si plures asinæ sequerentur exemplum! Floridam, speciosamque ingrediuntur viam vanis spebus delusi, & cupiditatibus inescati; nec expendunt eiusmodi viam in præcipitia desinere, & æterna à tergo tormenta sequi. Alter, vt vitaret paupertatis ærumnas, delinquit; alter, vt euandis fruatur gaudijs, legibus contraire non erubescit; quia nullus cordatè expendit, quàm sit durum cum sempiternis ardoribus habitare, & satiandis nunquam flammis aduri.

§. XXIII.

In impios filios creaturæ obarmantur, & meritis supplicij distorquere nituntur.

Pietas erga parentes, quæ ab hominibus sæpè deseritur, in brutis animantibus inuenitur. *Ciconia* (aiebat Cassiod. 2. Var. 14.) *redeuntis anni iugiter nuntiatrix, eiciens tristitiam hyemis, lætitiæ verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum; nam cum parentes eorum pennas senio conueniente laxauerint, nec ad proprios cibos querendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitoris membra frigida resouentes, escis corpora lassa reficiunt, & donec in pristinum vigorem ales grandæua redierit, pia vicissitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt. Et ideò non immerito longa vita seruantur, qui pietatis officia non relinquunt.* Quid ergo homo tenetur facere, quando pietatem adspicit auiculas etiam colere? sed pro dolor! Eis beneficijs, quæ vel extraneam possent obligare naturam, parentes sæpè à se procreatam non obligant prolem: & si prolixa, patris filius fatigatur vita, vt hæres ingratus adire possit facultatum substantiam; profectò impietatem expertes etiam rationis creaturæ refugiunt, imò acerbis supplicij impios castigare contendunt. Absalom pietissimum in parentem coniurat, & plectibili ambitu abscindere vitam, rapere coronam anhelat: verùm vt puniuerit parricidam, annosa quercus ramos extendit, & carnificis vices gerens, pœnam infligit: *Adhæsit caput eius quercui.* Per comam fugitium arbor prehendit, & puniendum hostibus tradit: *Adhæsit caput eius quercui.* Notauit Chrysof. apud Gloss. *Iniuriam patris vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami descendunt.* Arbor impietatem exhorruit, & ramis pro manibus vsa, punire gestiuit: nam creaturæ sensu carentes contra ingrati prolem armantur, & fœdissimam punire impietatem nituntur. Ioannes radicitus euellendos Israëlitarum plures prædixit, dum viperarum ingenium sequutos nouit. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Iam securis ad radicem arborum posita est.* Mat. 3. v. 7. Cum Nabucho egregiè deliquerit, nec securis contenta fuerit luxuriantes ramos præcidere. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, &c. veruntamen germen radicem eius in terra sinite.* Dan. 4. v. 11, inquirendum venit, cur alibi radix conseruetur illæsa, & alibi penitus marcescat auulsa? Si Nabucho insana superbia

perbia tumidus, & tumore superbissimo inflatus in ramis solum patitur mulctam, cur Hebræus de radice euellenda penitus audit sententiam? Iam Baptista explicuit, dum progenies viperarum vocauit; nam viperæ vita mors est parentis: ipsa viscera, quibus halitum recepit, violenter dirumpit. Ergo qui viperea indole sordidati, prædicuntur penitus abolendi. *Iam securis ad radicem arboris posita est.* Chrysologum audi Serm. 137. *Exemplo corripit, comparatione notat, figura prodit, ut iam non mores solum, sed ipsam naturam possit venenosi germinis immutare. Progenies viperarum: quia quos Deus decreuerat homines, fecerat filios Abrahe, malitia peperit, & conuertit in viperas: & quos Conditor cælestis dulcedine pietatis infuderat, hos impietas amara fecit lethales vomitus, serpentium virus effundere; & infando crudelitatis auspicio de morte patris concipi, matris de morte generari.* Quam erat impietas in parentes amarum filijs auspiciū! Quam erat calamitatum præfagium! Nabuchodonosor protensa, & ramosa arbore designatus non euellitur, quia etsi plurimis referatur vitijs infectus, amara contra parentes impietate non legitur defædatus: at vipeream arborem securis eradicat, impietatemque omnimoda euersione castigat. Anhelabant creaturæ Absalonem punire, quia impium nequibant iam sustinere.

§. XXIV.

Sapè qui distulit pœnitentiæ opportunam arripere medicinam, instante morte, indu-ratur ad pœnam.

PRaui hominum mores dum mentem hebetant, dum prudentiam fascinant, dum respiscendi arripere occasionem non curant, sibi calamitosam mortem accelerant. Instante morte, & cælesti clementia inuitante pertinaci solent perseuerare in duritia. *Iterata valetudinis iteranda medicina est* (monebat Tertul. de Pœnit. c. 7.) *Gratus in Dominum extiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes, cui satisfacias, & quidem uolentem.* Deus hominis discupiens salutem, gratis oculis semper adspicit pœnitentem; sed homo mavult vitijs vacare quam pœnitere: vnde contigit desperire. Absalom fraterno sanguine se polluerat, fratricidium inter dolosas dapes perpetrarat; & tamen dum prudens mulier interuenit, dum Ioab excogitata ad impetrandam veniam verba componit, dum in parentis gratiam redire profugus discupit, & culpam delet, & indignationem iudicis sopit: patris clementia abusus, auferre vitam, & coronam adnuitur ambitiosus. Verum, dum immaturè exambit coronam, & vitam perdit, inter patulos annosæ quercus ramos implicatur, & ad supplicium implicatus tenetur: *Adhæsit caput eius quercui.* Clementiam patris expertus, veniam non rogauit, & ad petendam misericordiam indurauit. Si inquiras: Cur modò patrocina, vt olim, non quaesuerit, sed ora infelici silentio presserit? respondit Chrysof. apud Glos. horrote præsentis mortis perturbatum, & aduersariorum agminibus cinctum de petenda venia non cogitasse, & mortem infelicem obiisse. Chrysofostomum accipe: *Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterreretur. Obduratur in pœnam, in sup-*

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

placium cogitur. Præsentaneo interitu, rationali metu ad pœnitentiam adurgebatur, sed stupida duritie tenetur: *Obduratur in pœnam.* In cuius delicti pœnam? Certè cum proluxa cæsarie grauarietur, & facile esset præcidere, distulit, & ipsa modò contra irretitus, pœnitentiam non arripuit, sed comam conseruate decruit. Ergo coma comæ fuit pœna, & dum induratur, transfigitur. Plures vsque ad interitum vanis spebus pœnitentiæ protelauere medelam, & dilatione obstinatam peruenerunt ad duritiam, & extremam ob duritiam tulerunt pœnam. Pharaon quos in suam fidem receperat inquilinos, laboribus durissimis diuexabat. Monebat Moyse liberos, & ingenuos remittere. Pharaon verò obsurdesebat monitis, & impijs perseuerabat decretis. Quid tunc? Dum differt opportunam occasionem arripere, pertinax, & durus ad tenebrosa descendit: *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, vt ad seinuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Exod. 14. v. 20. Non valebat Pharaon sibi consulere, quia horribili pauore percussus, & tenebrosis nubis caliginibus implicatus, imo naufragio imminente, non respuit durus, quia antea opportunitatem respiscendi elabi sinerat cæcus. Eleganter Tertul. de Pœnit. cap. 12. *Reuolutis fluctibus perijt; pœnitentiam enim, & ministerium eius exhomologesim abiecerat.* Cum ad respiscentiam inuitaretur, contempsit: ergo periculi tempore tenebris impeditus, consulere sibi non valuit.

§. XXV.

Sapè qua natura beneficia, & ornamenta putantur, inauspicata, & insidiosa inuentuntur.

Nescio quid grande de se videtur promittere, qui eximjs naturæ dotibus constat ornari. Venustas, decorus animæ habitus amorem vi occulta conciliat, agilitas virium præstantiam commendat. Elegans corporis habitudo gratam sibi acquirit beneuolentiam; verum non semel, quæ videbantur ornamenta, non bono vsu, aut amara æmulatione calamitatis inueniuntur auxilia. Disertè Senec. epist. 8. *Munera ista fortune putatis? insidia sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam uolet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuinet, in quibus hoc quoque miserimi fallimur. Habere nos putamus, habemus.* Vt passerculus viridantis arboris visco illito insidens ramo, dum iucundè pascitur, tenetur; ita nonnulli viscatis naturæ beneficijs dum resplendere putantur, irretiti vinculis inueniuntur. Flaua, proluxaque comâ omnium sibi oculos Absalom alliciebat, & sceminis inuidiam ingenerabat: verum inauspicata fuit pulchritudo, nam subter condensam quercum ingressus, ipsa coma pro fune pendet irretitus: *Adhæsit caput eius quercui.* Ornamentum fuit insidiosum, & flaua, proluxaque coma, quæ adaugebat venustatem, attulit miserandam perniciem: ni esset aded comatus, non desperiret suspensus. Notauit hîc N. Sanct. *Attentè considera, quemadmodum illa, quæ hominum vulgus existimat maxima, aut ornamenta fortune, aut natura beneficia, esse hominibus insidiosum malum, & ab illis extremam prouenire perniciem.* A comâ est perniciem orta, quæ mira habebatur corporis gratia. O quot si eiusmodi insidiosis naturæ dotibus caruissent pericula deuitassent! Verum

2. Reg. 2.
v. 18.

(vt aiebat Seneca) quæ prærogatiuæ putantur, infidiæ sunt. Afaël cum capris de velocitate contendebat. Porro *Afaël cursor velocissimus, fuit quasi vnus de capreis, que morantur in syluis.* 2. Reg. 2. v. 18. Dum pedestri cursu Abnerum insequitur pertinaciter, & assecuturum se confidit audenter, hasta iacet transfuerberatus, & è vita excedit transfossus. *Percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est.* Agilitas fouit audaciam, audacia attulit inopinam, & miserandam ruinam. Huc voco datum iam Senecam: *In præcipitia cursus iste deducit. Huius eminentis vita exitus, cadere est.* Consonat Philosopho Noster Sanct. *Pedum velocitas, qua plurimum excellebat, & gloriabatur Afaël, illi fraudi fuit.* Ominosa erat velocitas, & habebatur felicitas. Plures perpeti cursu supra alios fortunæ fauor extulit, sed cursus desinit in lamentum, aut præcipitium. Si galea incederet Absalom testus, quercui non hæretet prolixâ comâ implicatus; ast dum abiicit galeam, ne præserit comam, suspenditur comâ, qui vitasset periculum galeâ.

T E X T V S.

VER S. 10. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiavit Ioab dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.

§. XXVI.

Ipsa peccatoris oblectamenta conuertuntur in supplicia.

NON solum à tergo pœna sequitur gaudium, sed etiam ipsis in delicijs inuiseratur tormentum. Illecebræ, dum blandiuntur appetitui, suppetias ferunt infirmitati. *Sceleris* (aiebat Sen. epist. 97.) *in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc, & illa secunda pœna premunt, ac sequuntur.* Ipsa voluptas fauciat, ipsa luxuria vires enervat, ipsa grauat pompa; & ad hæc, secunda sequitur pœna. Piscis aliquo oblectamento decipitur, & dum decipitur, vulneratur: itaque illecebroso oblectamento hamus tegitur & voratur, & hamus adducit captiuitatem, cum cara esca pisci promississet dulcedinem. Absalom adhærens quercui, grato, expolitòque denudatur comæ nitore, & anxia vrgetur solitudine. *Vidi Absalom pendere de quercu:* quàm studiosè complerat, & nutriuerat, comâ detineatur, & vulnere obijcitur. In quercu libidinofam sensualitatem designari, tradit Hugo. *Quercus luxuria, quercus enim cibus est porcorum, sicut legitur de filio Prodigio.* Dum Absalom sordidas carnis insequitur voluptates, pulcherrimos & prolixos amittit crines; nam ipsa voluptas infidiabatur venustati corporis, & saluti: primam sceleris pœnam secunda secuta est, mors scilicet violento ferro illata, & altissima visceribus plaga inflata. *Per capillos* (inquit Lira) *suos, qui multi erant (vt dictum est supra 14.) recentus est frondibus quercus.* Quercus, id est sensualitas crines abstulit, telis obiecit, stragem iuueni maturauit. Antequam ab hostibus oculis, à Dalila Sanfon priuatur viribus: *Rasit septem crines eius, & capit abigere, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* Iudic. 16. v. 19. Voluptati indulgens viribus viduatur, qui contra feram præualuit viribus. Nec hinc stetit calamitas: in hostium potestatem deueniens,

Iudic. 16.
v. 19.

pro bruto traxit molam; & quod ingenuo viro grauius, irrisionis passus est contumeliam. *Statim eruerunt oculos eius.* Qui ante terrori, ludibrio fuit, & infidiosas voluptatis, breuésque illecebras secuta est calignosa mentis obscuritas, & tenebrosa corporis cæcitas. *In tantum amasti* (aiebat Drogo de Sacram. Dom. pass.) *mulierem non amantem te, vt sapientia tua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur.* Infirmitas à voluptate exorta audaciam hostibus præbuit, & ludibrio ingenuum exposuit: vt noueris quàm vera sit nostra thesis, ipsa scilicet oblectamenta in dura verti supplicia, & post hæc temporalia supplicia duriora remanere tormenta.

§. XXVII.

Superiori culpa denuntianda est, non degeneri desiderio, sed honesto correctionis studio.

PROXIMI causa bene acta nobilitat, & criminis denuntiatio à laudabili zelo orta creditur, quando in solam culpam dirigi studium sentitur. *Per se honorabilis habeatur* (aiebat Cassiod. 7. Var. 12.) *qui vel minimam sollicitudinem ciuitati propria videtur impendere, & inter suos magna reuerentia perfruatur, qui ciues suos amare professus est.* Ille ciuem, aut proximum amare profitetur, qui eius odit vitium, nec affectione degeneri sordidatur. Plures charitatis armis charitatem impugnant, & dum videntur salubrem suspirare medelam, sordidare nituntur famam. Absalom pulcher, comatus quercui adhæsit, hoc est sensualitate se polluit, nam (vt §. præcedenti vidimus ex Hugone) in quercu denotatur sensualitas: *Quercus sensualitas.* Res non latuit militem, qui nulli ex commilitonibus apperuit, sed Superiori tantum denuntiavit: *Vidit hoc quispiam, & nuntiavit Ioab dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.* Et cur solum Ioab denuntias, & casum cæteros cælas? Quia nolo, inquit denigrare personam, nec lædere famam, sed opportunam solum apponere medicinam: cumque solum ad Superiores spectet mores subiectorum corrigere, ei debet culpa tantummodò denuntiari, qui potest autoritate mederi. Notauit Hugo Cardin. *Absalom pendente quercui videt, & Ioab nuntiat; qui luxuria deditos Prælato denuntiat.* Qui pio studio errorum proximi miseretur, sollicitè curat remedium, & refugit famæ nubilum; qui euulgat inutiliter culpam, infamiam discupit, non medelam. Videt Sara Ismaëlem cum Isaac ludentem, nec in ipsum inuehitur, aut publicare domesticis errorem pueruli adnuitur: patri soli defert, quia solus pater filij & errorem teget, & corrigeret. *Cum vidisset Sara filium Agar Egyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam banc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancilla cum filio meo Isaac.* Gen. 21. vers. 9. Puerilis ludus deprauatum Gen. 21. indicabat Ismaël ingenium, ambitiosum prodebat studium. Ergo Sara domesticos ludum cælat, patri denuntiat, quia legitimus, religiosusque zelus vt culpæ, ne grassetur, mederi, sic fatagit peccatorem non denigrare. Ludus, vt Hieronymo placet, erat maioratum sibi ex ambire; idola colere, voluptatem sectari; ergo cum satis esset ad propullandum periculum denuntiare parenti; Sara parentem admonuit, & cæteris rem occuluit, Hieronymum audi in quæst. in Hebraic. *Dupliciter hoc exponitur, vel quod idolis ludos fecerit, vel quod aduersum Isaac: quasi maioris ætatis loco sibi*

Abi primogenita vindicauerit. Ambitu naturæ natura satagebat violare, & tamen Sara soli correcturo culpam voluit aperire; vt omnibus fuerit notum, legitimum, & laudabilem zelum non ambire culpæ manifestationem, sed solum culpa ægrotantis salutem.

T E X T V S.

VERS. 11. Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum Baltheum.

§. XXVIII.

Frequenter Magnates corrigens non assequitur premium, frequentius subit periculum.

Frequenter luctuosam sibi conquirat inuidiam, qui Magnatum erroribus audet intentare medelam. Proceres nulla teneri lege arbitrantur, & correptionem, vt irrogatam magnitudini iniuriam vindicare inflictis pœnis nituntur. Rarus audet in Altum, quia sibi non dubitat imminere periculum. *Platonem* (scribit Plutar. Comment. ad Princip. indoct.) *Cyrenai rogauerunt leges, vt ipsi scriberet, traderetque, ac rempublicam ipsorum ordinaret. Id ille abnuuit, magna molis esse farus ita fortunatis leges sancire Cyrenais. Nihil enim aque est intractabile, asperum, & praesectum, vt homo, cui felicitatis opinio inhaeserit. Quapropter imperantibus operosum est consilium dare.* Magnatibus sic præcellentia, felicitatisque hæret opinio, vt correptionem tentare existiment contra sibi debitam reuerentiam plectendum esse delictum. Miles Absalonem è quercu pendentem vidit, Ioaboque nuntiauit: carpsit Ioabus denuntiantis inertiam, damnauit misericordiam, testatus est amisisse mercedem amplam: *Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum.* Hugo Card. hac in imagine depingi ait Magnatum vitia, in quæ nullus audet, quia sibi timet. *Confodere cum terra pendentem, nihil aliud est, quam duriter increpare luxuria inbiantem.* AdneEtit: *Hæ dantur confodienti Absalom.* Quercui, hoc est sensualitati vidit inhærere, sed confodere, hoc est corrigere extimuit. Correptionem remunerandam testatur Ioab, quod est insolitum, & perratum; nam qui Magnates reprehendit, frequenter sibi calamitatem asciscit. Aod Eglonem tentat corrigere, & quidquid in eo vitiosum est, prudenti gladio amputare, sed prius è throno descendat, cauta sagacitate sollicitat: *Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.* Iudic. 3. v. 20. Hinc oritur quæstio: Cur verbum Dei throno insidenti non manifestet, & relicto throno, denuntiet? Nonne Dei verbum magnis, & pusillis salubris est medicina? ergo proferat, siue fastigio emineat: siue Eglon altitudinem deserat. O vtilem nobis eruditionem! Magnates tumore elationis sic surdesunt, vt correptionis vocem non percipiant: opus est, vt dignentur salubria consilia audire, superbium fastum deponere. Hinc est, quod Aod celerem arripuit fugam, vbi

salubrem adhibuit ægrotanti medelam. *Aod autem, dum illi turbarentur, effugit.* Origenes apud Gloss. ait Aod laudem interpretari, dum egregium opus probatur aggressus, & mederi Principi meditatus. Origenem audi: *Fluxus, & dissolutio gentis quis est Princeps, vel dux nisi sermo illius Philosophia, quæ summum bonum indicat voluptatem, quam interficit Evangelicus sermo & Propheticus?* AdneEtit: *Omnis Ecclesia index fiat laudabilis Aod, cui dicitur à Domino: Ego es serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* A Domino Aod magnum assequitur premium, quia ingens non reculsit, Magnatem corrigendo, periculum: nam Summates ægrè ferunt corrigi, & mores confusibiles carpi. Hæc felicitium est infelicitas, non habere, qui à vitijs eos reuocet, & habere, qui eorum adulari conetur vitijs. Aod insidentis throno, Dei verbo amputare admittitur vitia, sed prius relinquere monet celsa: vt qui bene nouerat Altos non solum correctionis non admittere medicinam, sed corrigenti intentare seueram pœnam. Vbi Dei verbo adnifus est, mores deprauatos ferire, celeri gestiuo gressu inuolare; nam corrigendi Magnatem merces est varijs laboribus premi, & afflictationibus diuexari.

§. XXIX.

Reprehensibilis est, qui alterius vitia nec audet carpere, nec silentio patitur tegere.

Quisque prudenter curatoris implere debet officium, si queat proximi impedire peccatum: plures tamen negligunt adhibere correctionis medelam, & gestiunt denuntiare perpetrata cæteris culpam. Qui vera charitate ducuntur, errata, si corrigere nequeant, silentio premunt, si salutis spes effulgeat, salubri admonitione corripiunt. Quercui vilem cibum porcis ministranti, Absalom hæret, & factis indignis sordet. Non latuit militem; sed cum posset, ab arbore non est aggressus auellere, nec à se obtinuit nescientibus non nuntiare! Ioab in eiusmodi iure irascitur, & magnum amisisse premium fatetur: *Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum.* Iusta erat Ioabi ira, cum miles nec impedire periculum, nec voluerit custodire silentium. Notauit Card. Hugo: *Eccæ conqueritur Prælatus, quia vidit pendentem de quercu, & non confodit, id est quia vidit peccare, & non corripuit.* Capillos potuit extricare, à quercuque euellere, sed medelam noluit adhibere, nec silentio ora signare, obmurmurandi dulcedine illectus, visa retulit, quercus implicatum ramis non expediuit ignauus. Non paucos inuenias huius exempla secutos: adhibere detrectant correctionis medelam, & prodere gestiunt admissam cæteris culpam. Impius Doëg cum panes Dauidi sacerdotem dilargiri videret, & Saülis offensam existimaret, ora continuit; postea suo videri, publicauit erratum, in vtroque delinquens: & quia, quod existimauit delictum, admonendo non vetuit, & quia, cum debuisset tacere, intentione degeneri promulgauit. *Vidi, inquit, filium Isai in Noue apud Achimec filium Achitob Sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei.* 1. Reg. 22. v. 9. Dic mihi sceleste Doëg, si existimabas reprehensibilem

actionem, quare Achimelec admonendo non impedisti? & cur tuo videri, perpetratam secretò culpam execrabili proditis lingua? Profectò te arguunt taciturnitas, & loquacitas: taciturnitas, quia debuisses errorem prouida admonitione impedire: pleetibilis loquacitas, quia secretam fas non erat culpam vulgare. O quot de industria alios nolunt à culpa auertere, vt possint multare pœna, aut tetra infamare lingua. *Ponitur* (inquit Lira) *accusandi actus*. Actus ponitur accusandi, & actus non ponitur corripiendi: quia Doëg infamare studuit, corrigere non curauit.

TEXTVS.

VERS. 12. & 13. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis: audientibus enim nobis, præcepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom: sed etsi fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc Regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.

§. XXX.

Sapè, qui ad perpetranda crimina hortatur, postea accusatorem agere admittitur.

AD vitium nec comes, nec irritator deerit. Non solum insanis interiùs exagitamur concupiscentijs, sed impellimur etiam detestandis adhortantijs, & impellentium consilijs. Rarus est, qui è transuerso itinere ad rectam viam reuocare satagat, cum non desit, qui deuiare suaserit, aut impulerit. Horum voces audi apud Senec. epist. 7. *Occide, vix, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? Quare parum audacter occidit?* Insanis adhortationibus gladiatorum adurgebatur insania, & detestabili plausu cogebantur ad vulnera. Nunquam deest, qui malè suadeat, qui nutantem, dubiumque ad errores impellat: expendere tamen opus est irritatorem, exhortatoremque, perpetratis iam flagitijs, sæpè accusatorem, criminatoremque agere. Ipse, qui incitauit, accusat, vtque omnem à se suspicionem depulerit, exaggerare delicti audaciam exambit. Ioabus ignauiam militis fugillabat, quia Absaloniem hasta non transfoderat, nec eius cæde omnibus tranquillitatem attulerat. *Quare non confodisti eum cum terra?* Interroganti miles respondit: *Si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc Regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.* Acti dicat: Tu me ad facinus perpetrandum impellis, & adhortaris; verum si contra Regis præceptum necis perpetrarem delictum, tu ipse omnem in me reijceres culpam, & vitare satageres notam. Hunc esse horum verborum sensum, testatur Noster Sanct. *Si alij testes, aut accusatores abessent, Ioab ipse, quem nunc habebat hortatorem, postea haberet accusatorem, cum omnem culpam à se in interfectorem filij deriuaret.* Si res ad tribunal deferretur, ipse Ioab, vt omne à se amoueret periculum, proderet, & militis exaggeraret peccatum: ergo prudens miles, quem modò ad cædem expe- riebat adhortatorem, vortus est fore testem.

Sapè socius, qui inflamat socij iram, qui impellit ad necem infligendam, audaciam, perpetrato iam scelere, vt omnem à se depellat inuidiam, accusat, & criminatur delinquentis insolentiam. Serpens linguam dæmoni commodauit ad inuicendam confusionem, per serpentem mulieri suavitè pomum rapere, & diuinitatem ambire. *Nequaquam morte moriemini.* Gen. 3. v. 4. Mulier adhortanti paruit, pomum decerpit: cumque Adam, & Eua compellati iudici sisterentur, serpens non vocatus, nec interpellatus adfuit, iudicioque interfuit. *Ecquis hoc ait? Ipse, certè iudex.* *Et ait Dominus Deus ad serpentem, &c.* Si inquiras, cur serpens in conspectum venerit? respondebit Basil. Seleuc. Ora. 3. ab exhortatore in criminatorem transiisse, & versutiam dolosis artibus occultasse. Basilium audi: *Contra serpentem, qui in conspectum venerat, fertur sententia; sententia verò pœna in eum, qui contra stabat.* Diabolus contra stabat, & ipse, qui suaserat violare præceptum, perpetratum criminabatur delictum. In conspectum venerat serpens, vt cotrà staret, & delinquentes argueret: *Contra stabat* Fallaci, dolosòque Eua serpenti non credidisset, si ad futura oculos extendisset; accusatorem namque fore vereretur, & testem, quem ad facinus audiebat exhortatorem. Ioab exhortatur ad cædem Absaloni infligendam, sed semel inflicta, adhortamentum accusatione cælaret, & totum militi factum adscriberet.

§. XXXI.

Parum iuuas honoribus, & delicijs cumulari, si animam contingat perire.

HONORUM, diuitiarumque fulgor prudentiam transuersim agit, & caliginis multum offundit. Vident imprudentes speciosam, aureamque bracteam, sed quid sub breui illa, & fallaci bractea lateat, non diligenter explorant, imò non raro nescire affectant. *Mangones* (aciebat Senec. epist. 80.) *quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt.* Prudenter cauti fucis res denudant, & veritatem attentè examinant, vt qui norunt specioso plura regi mendacio, & imponere grato fucò. Sunt, qui se ipsos parui æstiment, cum exteriora magni taxent. Carpebat Ioab ignauum militis timorem, inertemque ignauiam, quia cum Absaloni necem infligere quiret, distulit, & honorabilem baltheum, siclosque, quos facile potuisset acquirere, maluerit perdere: *Quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos?* prudentissimus miles respondit se aqua lance pensasse acquirendam argenti copiam, perpetrandamque culpam, inuenissèque stultissimum esse, detrimento animæ, diuitijs, & honoribus inhiare, & rebus ludicris detineri: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Vt acquirerem, inquit, argentum, Regis erat opus violare mandatum; niterem aliquo tempore argento copiosus, sed grauissimo crimine sorderem reus: *Si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc Regem latere potuisset.* O vocem viro religioso, prudentique dignam! Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, & animæ detrimentum patiatur? En miles ingentem argenti despicit summam, ne læserit animam. *Dixit ille* (inquit Abul. q. 13.) *quod etiam pro*

pro mille scelis non fecisset hoc. Suadebat eadem balthei ornamentum, argentum adurgebat copiosum; maluit tamen disertissimus miles illam animam custodire, quam honoribus, & diuitijs nitere. Pauci sunt, qui huius militis sequantur exemplum, plures, qui Ioabi amplectantur consilium: malunt in diem lautè viuere, quam culpa non denigrari. Quæ corporis flore quæstum faciunt, contemnunt animam, vt deliciosam duxerint vitam: qui iniquis artibus ad dignitatum apices inuolarunt, carissimè splendorem fugacissimum coëmerunt. Cain anxio, pendentique semper timore veretur occidi: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Gen. 4. v. 14. Sponsa non timet vulnera, non veretur, vt ad Sponsum peruenire possit, dispendia. *Inuenerunt me custodes, qui circumueunt ciuitatem; percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Cant. 5. v. 7. Gillebertus in Alleg. Thylm. ad Gen. 4. confert laudabilem Sponsæ audaciam, & pauidam Caini conscientiam: Cain totus est in tuenda salute; Sponsa Sponsum suspirat perfusa sanguine, non solum ornamenta despicit, sed & vulnera: Cain animæ despicit vulnera, & corporis ambit commoda. *Quam dissimilis* (verba sunt Gilleberti) *Cain Sponsæ, quæ se inuentam gloriatur, & dicit: Inuenerunt me custodes &c. Nihil enim tam refugium fallaces, & ficti, quam ab his custodibus inueniri. Fallaces, imò seipsos fallentes, non dolent à facie Domini amoueri, sed timent à custodibus denudari. Vide Caini insolentem audaciam: A facie tua fugiam: timidam attende conscientiam: Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Totus erat in repellendo corporis detrimento, qui animam proditorio occiderat fratricidio: Sponsa econtra, dum ad Sponsum quierit peruenire, per intentos gladios non pauit inuolare. Ergo Sponsam imitare, quæ externa internis postposuit; non Cainum, qui externa, & volatica suspirans commoda, non æterna animæ expendit consideratione supplicia.

§. XXXII.

Perfectè obedienti satis est Superioris voluntatem conijcere, nec mandatis opus vrgeri.

EXimia relucet obedientia, si non expectat vrgeri, sed superiori satagit laudabiliter adulari. Qui terrore potestatis obsequitur, tantisper obedientiam obscurare dignoscitur: gratius est officium lubenti deuotione præstitum, quam vi iussionis extortum. *Sine regia iussione* (aiebat Cassiod. 9. Var. 9.) *eis debetis priorum memores obedire.* Seipsum vrget, qui iustus est, nec, terrore suadente, obsequitur, sed exprompta deuotione parere superiori conatur. Carpebat Ioab militem, quia Absalom è quercu pendentem audaci mucrone non transfodisset, cui miles ita respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis: audientibus enim nobis, præcepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.* Hinc oritur quæstio: Si militem non vrget Regis mandatum, & Absalonis cædes ingentissimum affert pretium, cur refugit ditari, & satagit obedire? Ducibus datur præceptum, ad militem non profertur editum: Ergo copiosum lucrum non amittat, sed parricidam confodiat. O imitandam obedientiam! ad militem Superior mandatum non protulerat, sed miles Superioris voluntatem coniecerat:

ergo satis fuit, voluntatem conijcere, vt gestiret obtemperare; nam perfecta obedientia non expectat mandato vrgeri, quia honestè Superiori discupit adulari. Prodest Abul. q. 13. *Non solum si dedisses mihi quinque argenteos, sed etiam si venisses ad appendendum mille super me, non fecissem hoc; audientibus enim nobis, præcepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai.* Ex præcepto, inquit, vobis imposito innotuit voluntas Regia: ergo non solum ei obsequi debeo, sed adulari; nec expecto mandatum, cum Superioris possim perficere desiderium. Perfectò plures militis obedientia confundit, dum illis satis non est, voluntatem præfigere, imò aliquando nec expressis iussionibus adurgeri. Isaias, quam Deus expressè non iniunxerat, obedientiam rapuit, & vltroneus sed obtulit. Dixerat Dominus: *Quem mittam: & Isaias respondit: Ecce ego, mitte me.* Isai. 6. v. 8. Si quæras, cur non expectet, sibi legationem iniungi? respondebit Textus, coniecisse Domini voluntatem, dum veluti consulentem audiuit: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Ergo Prophetæ satis fuit Superioris voluntatem conijcere, vt adnitus sit adimplere. Notauit Hieronym. apud Glos. *Non cogit, sed voluntatem querit; voluntas enim sola premium meretur; Isaias autem tanquam purgatus, offert se spontaneus.* Concinit ibi Procopius: *Hæc vox probantis est, & alacritatem illius prouocantis.* Cœlesti igni inflammatus, non expectauit mandatum, sed adimpleuit obsequium: & Deus, vt Prophetæ nobis imitandam proponeret obedientiam, mittendum non expressit, sed mittendi voluntatem declarauit. Et quidem non aded resplenderet Isaiæ obsequium, si expressum præcessisset mandatum: satis fuit perfectè obedienti voluntatem prænoscere, vt satageret adimplere. De obedientia vanè gloriantur, qui moras nectunt, qui extrahere iussionem exambiunt, qui alteri munus iungi laboriosum discipiunt. Miles obediuit iniussus, & voluntatis tantum Dauidis præsciis.

Isai 6. v. 8

§. XXXIII.

Etiam in improbo est dignitas suscipienda, & reuerentia præstanda.

IN indigno fordescit dignitas, in improbo obsecratur auctoritas; verum dignitati non est denegandum venerationis tributum, sed debitæ reuerentiæ est exhibendum obsequium. Ex ipsis fabulis utilis erui potest doctrina, & doctrinalis pro excolendis moribus forma. Dianam fabulosa finxit antiquitas, humano sanguine delectari: & licet truculentum non dubitarent ingenium, quia Dea habita, exhibere non detrectauerunt cultum. Audi Cassiod. 5. Var. 42. *Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat. O misera deceptionis errorem, illam desiderasse colere, quæ hominum morte placabatur!* Fabulosus error Dianam habebat Deam, & licet truculentissimis moribus agnosceret deceptam, misero decepti errore erigebant aras, & cruentas litabant victimas: dignitati pendebant cultum, etsi ingenium auerfarentur peruersum. Hinc est quod Dauidis signa secutus miles, nec pretio allicitur, nec Ioabi adhortationibus persuadetur, vt in Absalonem parricidam, libidinofumque ferum strixerit, aut telo, vt monebatur, transfoderet: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam*

nequaquam mitterem manum meam in filium Regis. Non ignorabat lubricum, fratricidam, ambitione delirum, sed Regis esse noscebat filium: & quamvis tot vitijs sordesceret denigratus, dignitas militis repressit audaciam, & consuluit reuerentiam. Innuat Caietanus: *Significatur, quod non solum propter spem decem argenteorum, sed nec etiam, si realiter in manibus meis ponderarem, hoc est recipere mille argenteos, ponerem manum in filium Regis.* Manum continuit, quia esse Regis filium confiderauit: & licet pueri mores acuerent iram, exigebat dignitas reuerentiam: *Non ponerem manum in filium Regis.* Sæpè sacerdotes moribus sordescunt degeneres, in eis tamen est dignitas suspicienda, consecratioque veneranda: continenda est manus, lingua frænanda, etsi protitarit occasio, quia non est attendenda morum enormitas, sed sacerdotalis dignitas. Saülis mores peruersi, cogitatio fraudulenta Dauidem, vt vindictam sumeret, exacuebant, de se benemerentem ingratis oculis adspiciebat, iniurijs verbis irritabat, necem dolosis artibus pratexebat; sed licet iniustus prædator præter opinionem in Dauidis manus incidit, osotis vitæ pepercit, & clamydis reuerenter oram abscidit. *Præcidit oram clamydis Saül.* 1. Reg. 24. v. 5. In tanta modestia aliquid Dauid inuenit, quod non probaret, & abscidisse oram ingemuit. *Post hæc percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram clamydis Saül.* Oram præcidendo, aliquam irreuerentiam fecisse arbitratus est (dignitatis) ergo doluit, quia licet Saül moribus esset peruersus, & ipsi Dauid satis insidiosus, venerationem dignitas exigebat, quam vel tantillum fas non erat violare, imò fas erat reuerenter suspicere. *In hoc* (inquit Lira) *fecerat irreuerentiam ipsi Saül, qui honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur à Deo.* Mores manum acuebant, sed regalia insignia tardabant: ergo Dauid cor suum percussit, & quanta debeat dignitatibus reuerentia, nos docuit.

1. Reg. 24.
v. 5.

TEXTVS.

VERS. 14. & 15. Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpigaret hærens in quercu, currebant decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.

§. XXXIV.

Miserum est ibi pati luctuosam stragem, vbi ceteri adinuenerunt salutem.

Miserandum est, ibi pati naufragium, vbi ceteri inuenerunt contra tempestates auxilium. Perniciosissima infirmitas est, medicinam ad se trahere, & in languoris augmentum vertere. *Quis ferat* (aiebat Cassiod. 2. Var. 19.) *ibi inueniam dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxilium?* Proh dolor! Arbor Domini crucem adumbrans, Absaloni fuit calamitosum naufragium, cum cæteris pœnarum extiterit lenamentum. Improbilas conuertit antidotum in venenum, & vnde cæteris dulcissima profluxit vita, amarissima Absaloni manauit pœna: Crux Dominica, quæ præbet contra insultus aduersa-

riorum præsidium, fuit parricidæ suspendium. *Adhæsit caput eius quercui.* Vides in quercu meritam Absalonem tulisse pœnam: transi ad Iudic. 6. videbisque Gedeoni è quercu promanasse victoriam: *Venit Angelus Domini, & sedit sub quercu.* Iudic. 6. v. 19. Quercum crucem Domini designare tradit Hugo Card. cuius verba sunt: *Hic sedit sub quercu, id est sub arbore crucis, quæ bene dicitur esse in Ephraim, quod interpretatur fructificans, quia crux affert fructus multiplices.* Sub quercu cœlestis nuntius sedit, vt Gedeon nosceret inde sibi non solum contra hostiles armatorum cuneos validum prouenturum auxilium, sed & trophæum. Miserandus Absalom de remedio parauit sibi tormentum, & conuertit medicinam in calamitatis auxilium. Quam erat pessimus, qui prauitatis ingenio amarissimam conuertit in pœnam profusam alijs misericordiam! Crux ipsa, quæ Gedeoni præstitit contra hostes auxilium, Absaloni parricidæ luctuosum fuit pœnarum exordium. Plures in confessione delinquent, & grauiorem inde reportauere reatum, vnde cæteris reatum profluit remedium. Angelus iuxta aream Arcana Iebusæi peste populum corripit, & stricto gladio affligit: *Erat autem Angelus Domini iuxta aream Arcana Iebusæi.* 2. Reg. 24. v. 16. Locus describitur, vt mysterium denotetur; ibi namque Iacob cœlestem est scalam intuitus, & Angelorum erga se sollicitam curam expertus: *Vidit in somnijs scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque ascendentes, & descendentes super eam.* Gen. 28. v. 12. En vbi Iacob intuetur Angelos, suppetias sibi ferentes, sustinet populus Angelum gladium vibrantem. *Dixit Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum, qui peccavi.* Eundem fuisse locum, in quo Iacob est expertus auxilium, & vnde populo profluxit contagium, tradit Lira ad hoc Reg. caput. *Iacob vidit ibi scalam: vt dictum fuit Gen. 28.* Iam si inquiras, quomodo profluxit supplicium ab area, vnde Iacob emanarat solatium, & cur ibi Angelus strixerit gladium, vbi præstabat auxilium? respondeo, diuersos morès effectus peperisse diuersos: Iacob motigero, & parentibus obsequenti cœlestis scala tutissimum fuit profugium; at populo grauius delinquenti conuersa fuit in tormentum. Domini crux iustis, pœnitentibusque est tutissimum profugium; qui verò Dei misericordiam, crucisque labores ad stultam torquent confidentiam, & confidentia exoculata fouent audaciam in cruce, inueniunt contra se crucem: & quanto plus è cruce vberior misericordia promanat, tanto plus contra abutentes durior indignatio tela collimat. Econtra etiam videas accidere: vbi culpa inuenit amarâ pœnam, virtus dulcissimam sortitur gratiam. Vir Dei à veterinoso sene seductus, ieiunium violauit, & ad sua tendens, leonis truculentiam sustinuit. *Inuenit eum leo in via, & occidit.* 3. Reg. 13. v. 24. In via leo aufert ieiunium violantis vitam: & in via Sanson de leone reportauit victoriam: Leo Sansoni ministrat fauum, alij infert supplicium. *Ecce examen apertum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Si inquiras: Cur leo alteri ministret fauorem, & contra alterum armet restrictum? Cur in ore leonis alter inueniat mortem, alter dulcedinem? Respondeo, fortiter pugnantem versus fuisse periculum in trophæum, fallaci credenti leonem intulisse supplicium. Decantandus fuit Sanson, dum in leonis ore dulcissimum reperit

Iudic. 6.
v. 19.

2. Reg. 24.
v. 16.

Gen. 28.
v. 11.

reperit

reperit alimentum; miserandus præcepti temerato-
tor, quia ore leonis occisus soluit reatum. O quam
est dolendus, qui culpa sua inuenit mortem, ubi
cæteri misericordiæ dulcedinem! Notauit Am-
brosius in Procem. ad Lib. de Spir. S. *Ibi nunc cibus
vitæ est, ubi erat antè misera fames mortis. In salutem
pericula, in suauitatem amaritudo conuertitur. Dulce-
do alteri est conuersa in amaritudinem, alteri
amaritudo in dulcedinem. Leo Iuda culpa infectis
est acerbus, virtutibus expolitis mellitus. Notatu
est dignum, ab ore leonis in alios defæuientis San-
sonis matri dulcissimum fluxisse fauum, nec im-
minuisse vnquam necis periculum. Veniens ad pa-
trem suum, & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi co-
mederunt.* Alijs à leone mors emanauit; Sansonis
matri dulcedo profluxit: in primo in stanti cæteris
cibus vetitus leoni obiecit, sed Mariæ triumphator
filius dulcedinem propinauit.

§. XXXV.

*Iusti zelotypique est facile propriam remittere,
& Dei offensam acriter vindicare.*

PRudens, magnanimusque facile sibi factam
remittit iniuriam, & in se commissam offen-
sam. *Lycurgi Lacedæmonij factum quis vestrum non
admiratur?* (aiebat Rufi. ex dictis Epict. de Ami.)
nam à ciue quoppiam inuene altero oculorum orbatu,
illum à populo accepit, ut quo liberet, modo puniret,
quod minimè fecit. Iuuenis delinquentis reatus
æternam attulit Lycurgo famam, & immortalem
famæ peperit gloriam. Quid enim augustius, quàm
delinquenti parcere, & celsitudinem animi osten-
dere? Materia gloriæ principalis est errantis of-
fensa, quia si culpam occasione non emergerent,
locum magnanimitas non haberet: verum
etsi propriam remittat magnanimus iniuriam, di-
uini honoris zelotypus vindicare ardebit offen-
sam. In huius veritatis exemplum Ioab adest, qui
repetitis telis Absalonis exoculatam temeritatem
puniuit. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & in-
fixit eas in corde Absalom.* Hic idem, cum de Absa-
lonis mandato fertilis eius ager, maturis iam ad
falce[m] messibus opulentus, ignibus sordesceret
vltus, blandam Absaloni dedit querelam, & repe-
tere noluit vindictam: *Quare succenderunt serui tui
segetem meam igni?* Suprà cap. 14. v. 31. Inquires:
Cur Ioab, qui accepto detrimento, ostentauit pa-
tientiam, modò acriter adèd Absalonis puniuerit
culpam? Si alterius mouetur detrimento, cur pro-
prio non irascitur damno? Expende David Christi
Domini imaginem gerere; ergo Ioab Regis non
potuit iniuriam non vindicare, etsi proprijs in of-
fensis à vindicta nouerit abstinere. Notauit Abul.
9. 13. *Quia Absalom proditorie insurrexit in David,
& conturbauit totum regnum, factus est ei Ioab valde
inimicus.* Honoris regis zelotypus, eius non tulit
iniuriam, contra se factam magnanimus remisit
offensam. Iurè viri Dei decoratur elogio, qui idola,
altariæque laudabili euerit ausu, iniuriam verò
propriam lubenter remisit. Quam contra eum Rex
miserat, dexteram sanitati restituit, quam crexerat
in Numinis dedecus, aram euerit. *Cum audisset
Rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra
altare in Bethel, extendit manum suam de altari di-
cens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam
extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad*

3. Reg. 13. se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de al-
tari. 3. Reg. 13. v. 4. Propheta Regi sanitatem resti-
Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

tuit, & manum redintegrait: *Oravit vir Dei fa-
ciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum.* Hinc
quærendum est, cur adèd blandus extiterit in Re-
gem, qui adèd durus extiterat in altare? Si aram
piè iratus destraxit, cur factam sibi offensam non
castigauit? Facilis solutio est: Altare erat Numi-
nis iniuria; extensa manus viri Dei offensa: *Exten-
derat contra eum:* Ergo contra Numinis iniuriam
exarsit zelotypus, & pepercit offensori benignus.
Prodest Theodor. hic: *Ostendit Propheta man-
suetudinem, & Deus clementiam; nam & Propheta
perijt, & Deus dedit medelam.* Iniuriam propriam
miraculoso beneficio remunerauit, Dei offensam
omnimoda altaris euerfione puniuit. Vt discas in
te admissa peccata facile remittere, perpetrata ve-
rò in Deum scelera rigidè vindicare.

§. XXXVI.

*Princeps sit clemens in humiliter subiectos, se-
uerus in duos.*

ÆQuè ad laudem Principis pertinere cognos-
citur seueritas rigida, & lenitas blanda. *De-
testabilis est quidem* (aiebat Cassiod. 4. Var. 27.) *om-
nis iniuria, & quidquid contra leges admittitur, iusta
execratione damnatur.* Iusta execratione damna-
tur quidquid contra fas, & iustitiam delinquitur;
verum si quis recurrat culpam passus ad indulgen-
tiam, ipsa culpæ agnitione inuenire meretur gra-
tiam. Qui pertinax induratur, districtam mereri se-
ueritatem dignoscitur. Ioab Absalonis partes sus-
cipit, causam agit, & in patris gratiam restituit.
*Ingressus Ioab ad Regem, nuntiavit ei omnia, vocatus-
que est Absalom, & intrauit ad Regem.* Suprà. 14.
v. 33. Idem Ioab in parentis gratiam restitutum
non multò post telis transiit, & è quercu pen-
dentem rigido supplicio afficit. *Tulit ergo tres lan-
ceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Ab
eodem beneficium suscipit, & tormentum. Iam si
quæras, cur adèd Ioab sibi dissimilis fuerit? res-
pondebit Chrystost. apud Glos. priùs Absalonem
iniquitatem suam agnouisse: *Si memor est iniqui-
tatis meæ, interficiat me:* postea verò in duritia
perseuerasse: ergo Ioab boni Principis, Prælati-
que formam referens, reatum suum agnoscenti,
est impertitus fauorem, pertinaci intulit necem.
*Parricida nec ratione frangitur, nec imminente inte-
ritu deterretur. Obduratur in penam, in supplicium
cogitur, nec salutem in aliquo iam meretur.* Contra
pertinacem rigidus stitit, pro crimen falso inter-
uentor rogauit; nam pertinacia exasperat iram,
agnitio criminis inclinat ad indulgentiam. Ionas
delegatus ad Niniuitarum salutem, dictionem ex-
trahere molitus est: nauim incendit, Tharsum
petiturus. Verum Deus horrifonam contra fugi-
tium seruum armat tempestatem: Propheta ter-
rore non flectitur, imò cepta prosequi adnititur.
Quid tunc? A ligneo ad natatile transfertur na-
uigium, & superstes intrat sepulchrum; nante
coclusus carcere agnouit culpam, & cœlestem re-
currit ad indulgentiam. *Oravit Ionas ad Dominum
Deum suum de ventre piscis.* Ion. 2. v. 2. Oratio in
pelago inuenit portum, si in naui somnus mi-
serum sustinuerat naufragium. *Et dixit Dominus
pisci, & euomit Ionam in aridam.* Inquires, cur modò
Prophetæ Deus curam agat, lucique restituat, cum
antèa immani belluæ deglutiendum tradiderit, &
confusa fluctuum volumina armarit? Sed si varios
Ionæ status expendas, discriminis inuenies fa-
cile

Ion. 2. v. 2.

cilè causam. Antèa Ionas suam adèd obstinatè tuebatur sententiam, adèd, quam iniuerat viam, durus prosequeretur, vt nec timori cederet, nec appetente morte, desisteret: iam verò errorem fatetur, iam indulgentiam precatur. Ergo Deus, vt bonam Prælati formam præscriberet, contra pertinaciter durum se terribilem præstitit, erga crimen falsum clementem se exhibuit. Innuit Basil. Seleuc. *Fuit ipsi nauigium audacia theatrum, & tribunal in naui constituebatur, necnon sortitio reum redarguebat.* Naui duram publicabat audaciam, ergo duram in naui tulit sententiam: in cæto culpam suam agnoscit, & pœnitet. Ergo qui Deum seuerum fuerat expertus iudicem, in cæto inuenit indulgentissimum curatorem. Nam bonus Princeps pertinaces, duròsque seuerè castigat, culpam humiliter fassis clementem indulgentiam non denegat. Ergo Ioab agnoscen-
ti culpam, exhibuit patrociniū, contra durum contorsit telum.

§. XXXVII.

Ingenuus, nobilisque cognationis leges ignorat, vt Principi fideliter seruiat.

Ingenuus, fidelisque seruus ignorat parentelam, vt principis agat causam: non est generis, vt sit Principis; vbi non contradicit exhibendum Principi obsequium, cognationis agnoscit vinculum; si verò cognatorum amor in regie maiestatis vertitur detrimentum, originis se affectabit oblitum. *Custodia legum ciuilitatis indicium, & reuerentia priorum Principum* (aiebat Cassiod. 4. Var. 33. *nostra quoque testatur deuotionis exemplum.* Honorabile exemplum est, Principi sic deuotè, fidelitèrque seruire, vt nullis possis cognatorum persuasionibus, aut necessitatibus flecti. Ioab contra Absalonem tela contorquet, vitamque abscondit: *Tulit ergo tres lanceas, & infixit eas in corde Absalom.* Cùm Ioab Saruie Dauidis sororis filius esset, & patruelis Absalonis, non videbatur illaturus necem, sed ambiturus salutem, & tamen Absalonem impugnavit auxilium suum, manu patruelis transfixus perijt, à qua debuissent salutis auxilia promanare, & vitæ detrimenta depelli. Cur ergo Ioab strictæ adèd cognationis oblitus, Absalonem percutit læuus? Quia Absalom (respondet Abul. quæst. 13.) proditionem in Principem moliebatur, & Ioab vbi Principis interuenit causa, ignorauit sanguinis vincula. Abulensem audi: *Quia Absalom proditorie insurrexit in Dauid, & conturbauit totum regnum, factus est ei Ioab valde inimicus, licet ambo essent patruelis, scilicet filij duorum fratrum.* Ioab fratrualem defenderet, ni proditio obstaret; ast vbi patruelis Principi inueniebatur contrarius, Ioab in patrualem arripuit arma, strictæ cognationis oblitus. Lasciuens populus, & nouæ regiminis formæ studiosus, vitulum crexit, arasque extruxit: *Fac nobis deos, qui nos precedant.* *Moyse enim huic viro, qui nos eduxit de terra Egypti, ignoramus, quid acciderit.* Exod. 32. v. 1. Res citissimè absoluta est. Lentè proficiunt virtutes, citissimè consumantur errores. Moyse Leuitis imperat fratrum cruore maculam abluere, & consanguineos pio ense de medio tollere: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moyse.* Præceptum moras videbatur consulere, dum cogna-

tionis memoriam probabatur refricare. *Æternam sibi Cain conciliauit inuidiam, cùm lethalem fratri intulit plagam: ergo Leuitæ, vt odiosam deuitent notam, lethalem fratribus non inferent pœnam: Ergo Moyse cognationis mentionem non faciat, vt Leuita facilius ultionem expetat.* Imò cognationis fecit mentionem, vt Leuitarum commendauerit fidem. Cognati, amici, fratres in Principem deliquerant, & offensam delendam fuso sanguine perpetrarant. Ergo fidelissimi Leuitæ ignorarunt cognationem, & cognatorum fuderunt sanguinem. *Videtur* (inquit Lira) *quòd aliqui de Leuitis fuerunt interfecti tunc, sicut transgressores in peccato vituli.* Qui vitulum inaugurarunt, contra Principem deliquerunt. Ergo Leuitæ Dei, qui temporalis Principis vices gerebant, & Moyse, qui Dei nomine populum gubernabat, honorem sunt tuiti, & fratribus necem intulerunt, cognationis non recordati; nam vbi iusta Principis intercedit causa, ignoranda est penitus parentela.

§. XXXVIII.

Peccatum iterum & iterum est expugnandum, etsi semel fuerit deletum.

De propitiato peccato (aiebat Eccles. cap. 5. v. 5.) *Ecc. 5. v. 5.* *noli esse sine metu* A prudentia deuiare videtur, qui, admissio semel piaculo, sæpius expungere non adnititur. Profectò Ecclesiasticus cœlesti sapientiâ illustratus, expuncti etiam peccati metum consulit, & ignaam securitatem depellit: est enim timor sollicitus veræ pœnitentis argumtū, vt otiosa securitas damnabilis stuporis indicium. Prudens pauor hostem aggrediatur etiam securus, & necem repetat, quantumuis de sceleris nece certus. Pluribus namque periculum attulit incauta fiducia, & ignaua confidentia. Hanc nos suis factis vtilem Ioab philosophiam edocuit, & præliandi scientiam ostendit. E quercu pendebat impijssimus parricida, in quem, vt deleret penitus, non vnā, sed triplicem Ioab hastam tulit: *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Apud omnes in comperto est, statim, ac cor semel admiserit plagam, finire vitam: cur ergo, qui primo telo Absalonis vulnerarat præcordia, infligere repetit tela? Profectò otiosa iterata videntur vulnera, si primo ictu scissa palpitarunt præcordia. Satis fuit (inquit Abul. q. 13.) ad inferendam mortem semel inflicta visceribus plaga, sed non nocebat repetita cautela. Ergo Ioab tres lanceas infixit, etsi vnica negotium absoluerit. Verba Abulensis sunt: *Ioab ad vindictam infixit ei tres lanceas in corde, quamquā vnā suffecisset.* Satis erat vnā lancea ad hostem lethaliter transfigendum, nihilominus triplex inflicta est, vt digna ira sibi repetito vulnerere blandiretur, & necis sollicita dubietas omnimodis tolleretur. Inflicta vnā plaga, Absalonis vita auferebatur, sed Ioabi indignatio non satiabatur: ergo iterauit vulnera, non solum vt hosti vitam auferret, sed vt iustam indignationem satiare. Dubium non est, vera confessione, dolorosaque pœnitentia criminis aboleri vitam & expungi penitus è corde maculam; ast qui laudabili odio in admissum scelus inflammantur, repetitis confessionibus, iteratis gemitibus iterum atque iterum delere nituntur: laudabilis odij ardor hostem repetit iugulare, & repetitione laudabili

laudabili indignationi blandiri. Moyses vitulum execrandum contriuit, flammis tradidit, in pulueremque minutissimum redegit, puluerem in aquam sparsit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combusit, & contriuit usque ad puluerem, quem sparsit in aquam.* Exod. 32. v. 20. Si Moyses vitulum desiderat abolere, & combustione assequitur votum, ad quid contritionis, & in pulueris reductione otiosum satis studium? Imò vtilissimum documentum (inquit Ambros.) edocebat abolere peccatum, & licet veri doloris igne fuerit combustum, iterum docuit atterere, & attritum in puluerem iterum ducere. Nec erat labor otiosus, cum esset laudabilis odij effectus: Ambrosium audi. epist. 56. *Comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia.* Prophetica ita contenta non est vrere, nisi contriuerit vstulatum, nisi vsque ad puluerem comminuerit contritum, nisi etiam in puluerem oblitterarit redactum; nam qui ardentem in peccatum stomachatur, expungere sæpè apius adnititur.

§. XXXIX.

Milites, Magnatesque affectant exoculatam audaciam, & legibus inferre violentiam.

Floret imperium, vbi semper colitur iustum: vbi iura violantur, omnia facile concutuntur. Verum inde emergere solet damnum, vnde emanaturum credebatur legum auxilium. Militum arma æquitatis sunt tutamenta; sed nulla sæpè militibus morum mensura, imò intrepida, & effrænis audacia. Egregiè Cassiodor. lib. 1. Var. 11. *Qui militaribus officijs assueti, ciuilitatem premere dicuntur armari, & ob hoc iustitia parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt.* Legis iniuria habetur fortitudinis testimonium, & insolens audaciæ temeritas celsi animi laudatur indidicium. Præceperat Dauid Ioab, alijsque ducibus Absalomem diligenter asseruare, nullumque eius in salutem audere: Principis præceptum transgredi non est ausus gregarius miles, eius tamen modestiam Ioabus iugillauit, & vti imbellem spreuit. Ipse multiplicia arripit tela, & in omnium oculis transfigere Absalonis ambit præcordia: *Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Ac si diceret: Tu non videris miles, sed fœmina; dum timore correptus, inimicum transfodere non es ausus, Mihi quod opponis obstaculum, est ad patranda cædem irritamentum. Audi Abul. q. 13. *Aggrediar eum coram te, id est ego occidam eum, te vidente, quod non propter timorem Re. is hoc facere desino.* Ipsa prohibitio quodammodo erat incitatio, tantumque aberat Ioabus à transgressionis metu; vt gloriaretur plectibili necis plausu; nam milites de legum iniuria detestabilem quærunt gloriam, & intrepidam insolentemque ostentare solent audaciam: æquitatem premunt armati, cum ad tuendam æquitatem militiæ fuerint adscripti. Centurio religiosus, ac timens Deum dicitur, & militem Deum timentem in Ioppem misisse proditur: *Vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.* Actor. 10. v. 7. Excentum, qui Martia sequebantur signa, vnus legis obseruasse fertur mandata. Notauit Interl. *Militem metuentem Dominum ex centum militibus* Eman. de Naxera Reg. Tom. IV.

subditis sibi. Inter centum adinstar miraculi fuit inueniri militem, Deum timentem, & virtutibus suffragantem. Et attende demissum è cælo lineum arcanum etiam attulisse mysterium. Venenatos serpentes, & rapaces Petrus conspicit aues. *In quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra, & volatilia cæli.* Horrore spectaculi ad spectu concutitur, sed feras in rationales homines transmutandas fore edocetur. *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris?* Vox è cælo ruens diuinam commendauit potentiam, dum serpentes, auesque ad meliorem reducendos testatur formam. Itaque vbi Centurio conuertitur, vbi miles virtutibus expoliri conatur, carniuoræ bestię, & rapaces aues videntur in homines transmutari, & Dei omnipotentiam ipsa in transmutatione constat lucere. Audi Bedam apud Gloss. *Opportune Petro ostensa sunt hæc, cum Cornelius gentilis ad eum misisset, ne dubitaret incircumciso tradere fidem; erat enim de animalibus in vase ostensis.* In vase Centurio ostendebatur, & miles videbatur, sed sub ferarum specie, & rapacium auium colore. Quid enim nonnullis ducibus, ac militibus familiaris, quam capere, & defœuire? Ergo fera in rationalem hominem vertitur, cum dux, aut miles expolitis moribus adornatur. Ioab militiæ princeps iuuenem telis repetitis transfodit, mandata regia continet.

§. XL.

Qui iniquis artibus sicut plausum, adauget sibi tormentum.

Plausus sitibundi, quibus assequantur medijs, non attendunt, quia celebrari solum discipiunt: eodem in pretio illis est meritum, & artificium, nec prænoscent peruersam vanitatis viam in præcipitium desinere, & inde indecorum promanare contemptum, vnde plausibile sperabatur elogium. *Nec tepidior vis* (aiebat Tert. de Pall. cap. 4.) *vana quoque gloria mutandis induijs, etiam viro saluo: Calor est omnis affectus; verum cum in affectationem flabellatur, iam de incendio gloria ardor est.* Induuiæ, gloriores scilicet vestes, sæpè affectantur, vt de ornatus nitore promicans fulgor oculos alliciat: artificiosus etiam sermo comitur, vt adulatione mendaci corda hominum trahat. Verum hic vanæ gloriæ ardor in incendium sæpè solet transire, & euanidæ gloriæ cupidum vstulare. Absalom non vnico, sed triplici trajicitur telo. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Si quæras: Cur confossus telis finierit vitam, cum satis fuerit vnum ad miseram clausulam? respondebunt Interpretes, contra se multiplicasse tela, dum iniquis artibus diuersorum ordinum traxit corda. Euanido gloriæ ardore sibi calamitatem elaborauit, quia confusibilem plausum ambiuit: Absalom cupiditatis vapotibus obscuratus, non præuidit, ad telum, suspendiūque properare, & falsus singularem gloriam præsumpsit. Vnicæ alij transfixi disperierunt sagittæ, verum Absalom tribus transuerberatus occubuit, quia multiplicibus artibus gloriam volaticam suspirauit. Audi Glossam: *Absalom primum furatus fuerat cor Regis: deinde cor Sanhedrin, id est ducentorum Senatorum, qui simplici corde iuerant cum eo: tertio totius Israël; ergo triplici ictu confossum est cor eius.* Patrem fecellit, Senatores blanda adulatione traxit, popu-

pulares mellitis verbis seduxit; verum dum iniquis artibus fugatur corda, triplicata elaborat contra se tela. Qui precis vitæ deliciosæ retinaculis ante mortem mortuus est, à vita non auellitur, sed leniter ad meliorem transmittitur; qui verò delicijs circumfusus, plausibus celebratus incurrit in mortem, sollicitissimam cordis patitur anxietatem. En Absalom dum futilem adaggerat sibi gloriam, in vitæ exitu multiplicat sibi pœnam. Nabucho gloriæ, plaususque ardore lucensus insanam construit statuam, & magnis sumptibus calamitosam sibi negotiatur fortunam. *Cadentes adorete statuam auream, quam contulit Nabuchodonosor Rex.* Dan. 3. v. 5. Euanidæ gloriæ sitis non vnica pœna punita est: cœlesti mandato plures contra ipsum armantur secures, & repetitis ictibus ingeminantur dolores. *Præcidite ramos eius.* Dan. 4. v. 11. Rami præciduntur, premit catena: *Alligetur vinculo ferreo, & areo:* & malè culta statua artulit durissima vincula: *Ex hominibus abiectus est.* Sibi conquirit, & multiplicauit præter opinionem miseras, dum euanditas sitiuit glorias. Innuit Theodor. Orat. 3. *Ab omnibus sibi subiectis eam iubet adorari: non simplex autem hic superbie modus fuit.* Multiplicem ambiuit plausum, & multiplicem tulit supplicium, exiguo tempore faustis acclamationibus celebratur, colitur, adoratur, sed septenio sordescit expulsus, & duris compedibus illigatus: tam amarus protulit fructus quæsitus iniquis artibus plausus. Absalom non simplici pœna punitur, dum ad inanem gloriam omnium corda furari sibi multiplicibus dolis conatur.

Dan. 3. v. 5.

Dan. 4.
v. 11.

§. XLI.

Sorores sunt pertinax cordis duritia, & mollis carnis illecebra.

Nescio quo pacto secum associantur, & conectuntur mollicies carnis, & durities cordis. Animus libidini addictus induratur, & ipsis corpus voluptatibus læditur, eneruèque efficitur. Audi Senec. Epist. 24. *Ipsa voluptates in tormenta vertuntur. Epula cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem, tremoremque, libidines pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes.* Vt lutum calore constringitur & duratur, ita cor libidinis in fornace decoquitur, in lapideumque vertitur. Absalom quercui adhærescens occumbit: *Adhæsit caput eius quercui.* Si inquiras, cur præ alijs arboribus quercui sit, vt carnifici traditus, & cur fuerit telis transfossus? Respondebit Chrysostomus, quercui traditum, vt ipsa arboris durities internam duritiem proderet, & signaret: triplici telo transfigitur, vt non carneum, sed lapideum cor denotetur. Audi Chrysost. apud Gloss. *Parricida nec ratione frangitur, nec imminente interitu deterretur in pœnam.* Mollis luxuriosusque iaculo admonitionis impetitur, sed ratione non frangitur, terrore iterum referitur, sed ad terrorem etiam induratur, supplicio afficitur, sed contumax reluctatur; nam salacitas homines non solum conuertit in bruta, sed efficit corda saxea. Absalom telis confossus, adhuc palpitat, quia à carnali, luxuriosaque vita recedere nec ratio suadet, nec metus obtinet, nec cruciatus oculos aperit. Hugo in Allegor. Thylm. ad hunc locum ait, pendentem è ramis fructum arboris respondisse radici, nam cum quercus ramus sit fragilis, radix tamen est

inflexibilis: eius verba sunt: *Quercus intus durior, exterius verò fragilior esse probatur. Cui Absalom suspensus inhæret; quia interius obstinationem mentis, exterius verò fragilitatem carnis comitatur.* Conueniebant pomum, & arbor; nam vt in arbore cum fragilitate externa interna associabatur durities; ita in Absalone copulabantur durities cordis, & mollicies carnis. In Sodomorum regione infamem halitum luxuriæ spirabant incendia, antequam confusa vlticium flammaram depascere cœlitus eiaculata volumina. Angeli Lothum, familiamque monent celeri vestigio euadere, & in Sodomam oculos non vertere; hæc namque pestifera lues aspectu hauritur, & semel hausta, puritatis nitor deperditur. *Noli respicere post tergum.* Gen. 19. v. 17. Fragilis mulier aut consuetudine deuicta, aut curiositate sua ceruicem flexit, & salis in statuam induruit: *Respicens vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Philo lib. de Profug. satis acutè expendit in muliere coniunctam cum fragilitate duritiem, cum duritia fragilitatem: aspectus pœna duritia fuit; nam quisquis sordidis oblectatur, quasi in salis statuam vertitur. Philonis verba sunt: *Sic ait, vxorem Lot retrorsum versam, mutatam in statuam, non fabulam fingens, sed rei proprietatem indicans.* Has luxuriæ proprietates in statua indicatas latius explicat ingeniosus Hebræus: *Quisquis enim, contempto præceptore, per innatam simul, & consuetam socordiam relinquit anteriora, per quæ posset videre, audire, alijsque vti potentijs ad res naturales diiudicandas: & circumacta retrorsum ceruice, ceca vita negotia pluris facit, quam partes sui corporis, infamis statua sit, nihil à surdo, inanimatoque lapide differens.* Qui oblectatur venere, in corpus suum peccat, quia sensus omnes deprauat, & veluti enormi fascino illigat. Non habet libidinosus cor, vt intelligat, nec oculos, vt videat, nec aures, vt audiat, sed cæcam, surdam, stupidamque reddit vitam. En Absalom excors rationi resistit, timori durissimum pectus opponit, & mortis proximæ percussus angustijs palpitat, & adhuc luxuriæ adhæret, & mores deprauatos expungere à corde non valet.

Gen. 19.
v. 17.

§. XLII.

Qui ad peccandum multiplex inuenitur, ad pœnas etiam soluendas multiplicatur.

Non vnus debet dici, à quo multa videntur impleri. Nam actionum videtur multiplex merito, qui apparebat vnicus numero: plures est, qui plurium aut virtutibus expolitur, aut piaculis denigratur. *Hanc triplicem Deam* (aiebat Cassiod. de Diana 5. Var. 42.) *falsa imaginatione finxerunt; ipsam in cœlo Lunam, ipsam in syluis Dianam, ipsam apud inferos Proserpinam esse affirmantes.* Fabulosa finxit antiquitas, Dianam & vnica esse, & triplicem reperiri, dum delusi putabant, venationibus sylua vacare, sidereo in cœlis lumine prælucere, & erebo tristissimo dominari: non vnâ existimabant, quam tot munia implere fingeant. Profectò aliquando vnus peccator est plures ad delinquendum, & prauitatis ingenio duplicasse videntur numerum; sed qui multiplex videtur ad culpam, multiplex etiam persoluit pœnam. Absalom non solum tribus lanceis transfigitur, sed etiam à decem iuuenibus vulneratur: *Currerunt decem iuuenes*

uenes armigeri Ioab, & percipientes interfecerunt eum. Cum indubium sit, quoduis cordi vulnus inflictum vitam præcidere, arduum videri potuit, tribus iam corde plagis receptis, palpitare. Rabbinus apud Glossam existimant, culpis pœnas respondisse, sicque Absalonem triplicem videri ad pœnas, quia multiplex videbatur ad culpas. Multiplicatis pœnis est interemptus, quia multiplicatis etiam delictis deliquerat defœdatus: multiplex visus est ad exercenda carnis negotia, ergo visus est multiplex ad corde excipienda vulnera. Vnus cum esset, decem patris concubinas vitiauit. Suprà. 16. Ergo qui pro multis sordidam inhiauerat ad libidinem, pro multis etiam tulit dolorem. Audi Dauid Babbi apud Gloss. *Triplici ictu confossum est cor eius: decem concubinas patris constuprauerat, igitur decem armigeri eum percutiunt.* Qui plures videbatur ad carnis spurcicias, plures etiam visus est ad soluendas pœnas. Non vno, sed triplici telo occubuit rransfossus, quia triplici corde ad fallendum vsus. *Nolite fieri* (aiebat Psalt.) *sicut*

Psal. 31. v. 9. equus, & mulus, quibus non est intellectus. Psal. 31. v. 9. Achi dicat: Si delinquis, vnitatis numerum serua, nec te ipsum multiplices, vt deliqueris, esto equo aut mulo similis, nec vnus cum sis, amborum ingenia referas, & libidinis excessu vincas. Innuit Euthym. ad hunc loc. *Nolite* (inquit) *amore mulierum furere, velut infranes equi, nec ad virtutem infructuosi fieri, vt muli.* Inutile censes consilium, quandoquidem vnus homo nequit plurium animalium vices gerere, & qualitates actionibus imitari. Verùm si rem attentius discutias, inuenies falacem ad libidinem multiplicem esse, & contradicente numero, indulgere pro multis vitio; verùm si se multiplicat ad delicta, multiplex etiam videbitur ad sustinenda flagella: ast vt eiusmodi ad delinquendum multiplicitas est plectibilis, sic est ad virtutes excolendas laudabilis. *Homo, & homo* (aiebat Psalt.) *natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Psal. 86. v. 5. Ipsa verba à se ipsis discordare videntur: nã si nascitur *homo, & homo*, quomodo *ipse, & si ipse* quomodo *homo, & homo*? Quia verbo illo *ipse*, designauit numerum, illis verbis *homo, & homo* innuit arcanum mysterium, quasi qui numero erat vnus, ad exercendas virtutes, mira fuerit industria multiplicatus. Innuit Euthym. *Homo, & homo Christus inquam, qui verus homo fuit.* Tot Egregia opera, tanta à Christo Domino in hominum vtilitatem sunt patrata miracula, vt videretur ad virtutes multiplex, qui erat numero singularis. Nam, vt improbus ad vitia augetur, sic iustus ad virtutes multiplicatur.

§. XLIII.

Vbi patitur scelestus supplicium, inde emanat cæteris refrigerium.

Constat felicem esse Rempublicam, in qua scelera sollicita æquitatis falce amputantur, & improbi de medio edictali sententia præciduntur, quia plurium probatur esse tranquillitas inflicta culpis pœnarum acerbitas. Phridiladum (aiebat Cassiodor. 4. Var. 49.) *locis vestris præesse censuimus, qui ablatores animalium legitima seueritate coërceat, homicidia refecer, furtâ condemnet, quietosque vos à sceleratis ausibus reddat, quos nunc presumptio iniqua dilacerat.* Scelerati supplicium cæteris est refrigerium, quia nequit amabilis tranquillitas efflorere, si constet, audacem insolentiam grassari.

Quercus patulis pro manibus vsa est ramis, vt impium parricidam Absalonem prehenderit, & morti prehensum tradiderit. *Tulit tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitarer, hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percipientes interfecerunt eum.* Vides quercum scelesti deseruisse supplicio: transi ad Gen. 18. v. 5. & ministraffe quercum inuenies plurimis refrigerium: *Requiescite sub arbore*

(monebat hospites Abrahamus.) Hanc arborem quercum fuisse, testatur Tertul. aduersus Praxeam cap. 16. *Apud Abraham sub quercu refrigerauerit.* Aliæ forsitan ibi erant arbores, sed sub quercu promisit Abrahamus hospitibus refrigerium: *Requiescite sub arbore.* Si inquiras causam, respondeo quercum intulisse scelesto supplicium, & inde promanare placidam cæteris quietem, vnde scelestis constat exoriri perniciem. Boni confundentur mores, si culpa fureret impunita, & Republica perturbaretur anxijis timoribus agitata. Securitas est soporantium effossor domorum cruce suspensus, & turpi morte punitus. Pulchrum erat Absalom arboris pomum lanceis transfossus; nam dum sceleris meritam tulit pœnam, alijs fuit hortamentum, ne similem perpetrauerint culpam. Maxilla Philisthæis dignam intulit cædem, & Sansonis crySTALLINIS vndis extinxit sitim. *Inuentam maxillam, id est mandibulam asini, qua iacebat, arripens, interfecit in ea mille viros.* Iud. 15. v. 15. Labore defatigatus, Sanson ardentissima sitis flamma estuabat, cum eadem maxilla limpidissima vndarum scaturigo fuit. *Apperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex ea aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit.* Cum facile Deo fuerit aquam aliunde præbere, & fontem ex lapide, aut tellure facere profilire, quærunt Interpretes, cur voluerit crySTALLINOS è maxilla latices promicare? Respondentque vltissimam miraculo tradidisse doctrinam, videlicet labores pro virtute susceptos vitam alere, & spiritum refouere. Dum Sanson pro religione in pugnam, vndarum negotiatur sibi copiam; & inde virium promanauit fomentum, vnde Numinis augebatur seruitium. Ex illo etiam dente non solum vnda, sed effluit etiam doctrina, scilicet vnde improbis promanauit supplicium, & profluere morigeris refrigerium: Vt compertum fuerit Republicæ securitatem prouenire, vnde constat sceleratis pœnam manare; nec enim modesti, æquitatisque studiosi imperturbata possent tranquillitate potiri, si improbis permissum, Rempublicam perturbare. Huc voco Ambros. in Procem. ad lib. 2. de Spir. S. *In salutem pericula, in suauitatem amaritudo conuertitur; gratia ex effensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte.* De Philistinorum morte Sansoni processit vita; & pessimorum amaritudo extitit proborum dulcedo; nam vt maximè Republicæ conuenit, benemeritos refouere, sic improbos castigare.

§. XLIV.

Peniciosa ambiuntur, si dulcia; salubria repudiantur, si amara.

PAUCI sunt qui salubria, si amata; non respuant; pauci qui dulcia, et si peniciosa, non ambiunt; Non curant homines quomodo honestius, sed quomodo vitati degant delectabilius. *Non id agunt* (aiebat Senec. epist. 108.) *vt aliqua vitia deponant;*

deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Ut infirmus hiat ad salutis venenum, & salubrem respuit antidotum, sic ferè omnes in Vanis concupiscentijs febrientes, sequuntur quod oblectat, refugiunt quod iuuat. Est & hac peruersitas hominum (aiebat Tertul. aduersus Gnost. c. 5.) salutaria excutere, exitiosa suscipere. Placent exitiosa, displicent salutaria. En Absalom mortis in limine palpitat, & tamen quercui prolixis implicatus crinibus perseverat. Cum adhuc palpiteret herens in quercu, &c. Quærent Interpretes: Quomodo Martio in certamine aream non tulerit galeam, qua defenderet vitam? respondētque galeæ pondus in periculo profuturum abiectis, & comæ oblectamentum in morte nociturum amasse: nam peccatori frequens est, si quid grauiamen afferat, abijcere, nec, an morte vitæ futurum, attendere. Galea coma premeretur, sed protensis quercus ramis non implicaretur; verum Absalom profuturam neglexit galeam, & nitidam curauit comam. Audi Liram: *Deposuerat galeam, & sic per capillos suos, qui multi erant (ut dictum est supra 14. cap.) retentus est frondibus quercus.* Galea tantisper grauariet, sed à quercu etiam defenderet: prolixa, flauaque Cæsaries afferebat oblectamentum, sed fugienti etiam periculum; Absalom verò, ne noceret comæ, galeam abiectit, & dum excusat pondus, sibi improuidus maturabit periculum. Pœnitentia affert incommodum, sed est morientibus tutamentum; voluptas insidiosâ offert lætitiâ, sed in morte affert amarissimam pœnam, & tamen homines ea cæcitate tenentur, ut pœnitentiam fastidiant, voluptatem exambiant. Audit Lot Sodomorum amœnitatem flammæ fore materiam: *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes; ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Gen. 19. v. 15. Non inquit cœlestes ministri: Ne & tu pereas sulphureo in flammæ imbre, sed fœdo in scelere, quia flamma in temporalem armabatur vitam, scelus militabat in animam: & totus homo temporalibus non perit pœnis, cum totus venenatis dispereat culpis. Quid tunc Lot. Surdescit ad salubre exilium, quia amabat periculosum oblectamentum: *Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius.* Diuitijs renuntiare, paradisiæ, & fertilem terram deserere, erat vitæ incommodum, inter delicias, lætitiâque degere, erat dulcissimum detrimentum, sed Lot à lumine rationis oculos auertebat, & egredi è ciuitate tardabat, opus fuit vi educi, ne contingeret cum cæteris disperire. Prodest Rupertus lib. 6. Gen. cap. 10. *Cum percelleretur nuntio instantis periculi dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine presenti.* Adnectit. *De spiritualibus instrui meruit adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi.* Insuaue est viuenti renuntiare delicijs, morienti renuntiasse iucundum: verum sic cecutiunt homines, ut fastidiant in morte profutura, si aspera, & amplectantur in morte amara, si in vita promittant oblectamenta. Ecce Lot recusat adire montem tutum profugium, & amat insidiosum sibi gaudium: Absalom etiam fastidit galeam satis periculo propellendo opportunam, & studiosè nutrit comam quercu implicandam.

§. XLV.

Ingratus omnibus habetur odiosus.

Nihil mirum, si ingratus benemerentis subeat ingratiâ, dolet enim beneficia amisisse, &

impensis hostem comparasse; ea tamen est huius criminis dissonantia, ut ingratus omnibus habeatur odiosus; & exasperat, quibus etiam iniuriam non irrogat. Audi Senec. lib. 1. de Benef. cap. 10. *Erunt homicida, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accreuit. Hoc in caue tanquam maximum crimen.* Ut à peste infectis omnes resiliunt, ita ab ingrato etiam recedunt. Decem armigeri Absalomem feriunt: Ioab repetitis aggreditur transfuerberare cuspidibus. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absaloni: cumque adhuc palpiteret, herens in quercu, accurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Si inquiras: cur armigeri contra Absalomem insurgant nulla offensa exasperati; imò Principis mandato prohibiti? respondeo, receptis à Ioab ingentissimis beneficijs, segetes ingrati flammis voracibus tradidisse; & licet armigeris nocumentum nullum intulerit, ipsa ingratitude offendit. Quisquis intuetur beneficijs obstrictum accepta beneficia ingratitude compensare, nequit naturali dissonantia non commoueri; & ad iram incitari; nam omnibus est molestus, ingratitude denigratus. *Nec salutem* (aiebat Chrysof. apud Glof. in aliquo iam meretur, qui patrem salute expoliare nititur. *Respice; scelestissime, respice, parricida, in te cuncta conuerti.* Cuncti contra Absalomem armabantur, ingratitude exasperati, & quodammodo impuls; nec solum erat Absalom Ioab iniectus, sed cæteris etiam molestus: nam ingratitude omnium subit ingratiam, & commouet iram. Redeunte iuniore filio, vitulus occiditur, & in totius familiæ opiparum epulum præparatur. *Adducite vitulum saginarum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Luc. 15. v. 23. Cum non vocasse seniore filium, non venerit de memoriâ lapsu, venisse creditur de mysterio. Et cur filium non vocat, qui deliciosam vel seruulis mensam explicat? Quia pater (inquit Chrysol. ser. 4.) cupiebat plenam seruulis exhibere lætitiâ, & idè omnem ab oculis amouere voluit molestiam. Senior filius nascendi beneficium genitori ingratitude compensauit, & omnes ingratitude offendit. Genialcm aduentans diem interrupit, querelis domum inquietauit: & satis fuit ab omnibus ingerendam molestiam, audire ingrati, querulum & in piensimum patrem indignatum. Chrysol. audi. *Fratri inuidus animus gratus esse non potuit patri, & paternæ largitatis memor non est.* Accepta à parente beneficia obliuioni tradens, cunctos exasperabat, & lætitiâ in iracundiam vertebat: non vocauit ad mensam pater ingrati, quia non ingorabat conuiui fore molestum. *Paternæ largitatis memor non est.* Ingratitude omnium criminum, & mater, & nutrix sic omnium exasperat animos, ut iuuenes non læsi contra ingrati arma verterint, & de medio auferre gestiuerint.

§. XLVI.

Execrandus conuincitur, quem durè punit amicus, & sententiam rigidam noscitur fulminare patronus.

Amicitia minuere probatur errata, benevolentia noscitur dissimulare delicta. Manifestum est consumatæ prauitatis indicium, si feruorem

Gen. 19.
v. 15.

Luc. 15.
v. 23.

ueram exigit mulctam, qui agere adnitebatur tutelam. Pessimus conuincitur, quem patronus ipse condemnat, & tolli de medio curat. *Malorum omnium* (aiebat Cassiod. 4. Var. 27.) *probatum extremum, inde detrimenta suscipere, unde credebantur auxilia prouenire. Exaggerat enim culpam in contrarium versa crudelitas.* Culparum exaggeratio est, si pietas, quæ antea adnitebatur tueri, cogatur durissimas pœnas exigere. Licet Absalom inter genialia conuiuia dolosam texerit fraudem, & intulerit fratri necem, nihilominus Ioab eius suscepit causam, egit tutelam. Beneficij merces segetum exstio fuit, & tamen Ioab immemor iniuriæ, Absalomem paternæ restituit gratiæ, modò verò in contrarium iam est patrociniū conuersum, & qui egerat sollicitam Absalonis tutelam, triplicem modò contorquet lanceam. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.* Manus infligens pœnam, exaggerabat puniti culpam. Quam erat Absalom execrandus, quando ipse patronus, quando patruelis ipse, qui eius agebat causam, acerbam intulit pœnam: Prodest Chrysof. apud Gloss. *Qui patri eum reconciliauit, ipse eum interfecit.* Infligens pœnam, Absalonis execrandam publicabat omnibus culpam, cum, qui adnitebatur defendere, quodammodo coactus sit repetitis telis transfigere. Dum coguntur parentes filium iudicibus offerre, & mortem inhonestam accelerare, qualis fuerit, ostendunt. *Apprehendent eum, & ducunt ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius noster iste proteruus, & contumax est: monita nostra audire contemnit, commestrationibus vacat, & luxuria, atque conuiujs.* Deut. 21. v. 19. Audita accusatione, causa non discutitur, sed mortis statim sententia fertur. *Lapidibus obruet eum populus ciuitatis.* Non ei conceditur pro se respondendi licentia, non discutitur iudiciali tenore causa. Et quare? Quia cum à paruulo pater nutriuerit, & sollicitam curam gesserit, ipsa accusatio erat peruersitatis satis euidens testimonium, & execrandæ nequitiae certissimum argumentum. Notauit Philo lib. de Temul. *Hoc natura docet absque præceptore, ut nati cura sint genitoribus, ipsorum saluti, diuturnitati que prospicientibus: hos tamen naturales protectores in hostium traducit ordinem, patrem, matremque accusatores à patronis faciens, ut qui soli seruare debuerant, perdant etiam.* Qualis erat erat filius, cuius pater à natura tutor, & patronus non solum non quibat defendere, sed cogebatur obruendum lapidibus tradere. Ex his erat Absalom, in quem ipse, qui studiosam gessit antea tutelam, contorsit lanceam.

§. XLVII.

Vitia non solum contra animam, sed contra temporalem etiam vitam sunt tela.

VT fera, & pisces fallaci aliquo oblectamento capiuntur, & dum auidius properant ad dulces fallacias, amaras citius experiuntur insidias; sic mortales obbrutescentes properant ad exitiosas fallacias, & merissimas sustinere coguntur pœnas. Voluptas ipsa fauciat, Venus ipsa vires eneruat, & quod quærebatur corporis commodum, inuenitur certissimum detrimentum. Athletæ ab aduersarijs minùs præcauent, quàm à delicijs, quasi vires corporis validius, quàm hostes labefactauerint voluptates. *Athleta* (aiebat Text. ad Martyr. cap. 3.) *segregantur in strictiorem discipli-*

nam, ut robori adificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu incundiore. Nouerunt Athletæ robor libidine deprauari, vires cibi, & potus nimietate languescere, & qui non verentur cum hoste congregari, se à luxuria fatagunt custodire. *Vt robori vacent, continentur à luxuria.* Absalom decem patris concubinas vitiarat, imbellis, ignauusque fugit, sed inutiliter, nam ramosa quercus, ne fugerit, veluti immissa manuprehendit: armatorum euaserat fuga gladium, sed mulo infidens carnificem tulit quercum. Tribus hastis pendeat transfixus, & durabat infelix vita, ut repetita abscinderent tela: *Cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Interpretes militum numerum concubinarum numero testantur respondisse, quasi decem concubinae ad offerendam mortem pro decem fuerint militibus, ut inde nosceretur promanasse animæ, vitæque excidium, unde luxuria quæ fuit oblectamentum. In tribus lanceis tria vitia agnoscit Hugo de Toilleto in Allegor. Thylm. *Tribus lanceis, id est avaritia, superbia, & luxuria cor eius perforatur.* Priusquam lancea percuteret viscera, luxuria vitiarat, & quodlibet vitium præpilatum contra salutem fuit telum. Consonat David Rabbi apud Gloss. *Decem concubinas patris constupraverat: igitur decem armigeri eum percutiunt.* Ni viribus fraudatus langueret, fors mortem euaderet; verum mulus ad mortem duxit, quia mulus luxuriam exoculata expressit. Hugonem audi: *Mulus sensualitas est, & rectè per mulum significatur sensualitas.* Prius mulus tradidit quercui, quàm militum obijceretur furori: ut notum fuerit, in vitam plus posse vitia, quàm arma. Decem armigeri palpitantem interfecerunt, quia concubinae decem vires eneruarunt. Saülis culpa fuit lancea contra benemerentem vibrata, & contra innocuum contorta: de medio David sublatus esset, nisi seruum gratia seruasset. *Tenebat Saül lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete.* 1. Reg. 18. v. 11. Postea sagittarum imber Saulem impetit, sed citius sua lancea confodit. *Saül incumbere super hastam suam.* Suprà 1. v. 16. Alienis telis transfigitur, sed durius cor hasta propria transuerberatur; infelicio, quàm de casu, fuit de stragis instrumento. Si inquiras, cur mortem accelerauerit lancea, quæ vitæ videbatur tutela? respondebit Basilus Seleuc. eius fuisse crimen, hastam iniuste contra David contortam, attulisseque acerbissimam mortis pœnam. *In Davidem* (inquit Basil. Or. 15.) *quem presentem cognouerat, hastam eiacularus, medicine pretium eadem obrulit.* Contorquentem transfodit hasta, minùs hostium vulnerauit sagitta; ut noueris vitia non solum animum sordidare, sed immaturam etiam vitam præcidere. Sua Saulem hasta interfecit, dum hostibus illudendum, & decapitandum tradidit.

TEXTVS.

VERS. 16. & 17. Cecinit autem Ioab buccinam, & retinuit populum ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini. Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: Omnis autem Israël fugit in tabernacula sua.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Vitia penitus interempto, contentio cessat certaminis, & timor etiam discriminis.

Asertio pacis est utilis vitiorum amputatio, nam dum vivit culpa, pax florere nequit statim. *Illa vita* (aiebat, Cassiodor. 5. Var. 39.) *verè hominum est, quæ iuris ordine continetur. Nam bellicarum ritus est sub casu vivere, quæ dum rapiendi ambitu feruntur, improvisa temeritate succumbunt.* Ni percant vitia, cessare interna nequibunt bella, nam in cordis stadio colluctantur conscientia, & culpa: nec conscientia potest quiescere, donec culpa constiterit respirare. Absalom, qui coniurationis fuit causa, periculosa novit diffidia: eo vivente, dura Ioab accingitur in certamina. Hæret Absalom quercui crinibus implicatus, & multiplice telo transfossus; nec tamen cessat molestissima concertatio. Palpitantem penitus extinguunt armigeri, & iam extincto, clangit buccina, & cessant bella. *Cecinit autem Ioab buccinâ, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël.* Inquires, cur Ioab à certamine non cessarit, dum Absalom pendebat arbori implicitus, dum tellurem rigabat sanguine, repetitis telis transfuerberatus, & cessaverit, dum à iuuenibus prorsus expiravit extinctus? Sed dubio facilis satisfaciet responsio, si expendaris circumstantias, & Absalonis ingrattissimas ineptias. Qui sequebantur Absalonem, ab æquitate defecerant, & erat Absalom eorum culpa, & certaminis causa: ergo quousque penitus est extinctus, dura bella eius sustinuit exercitus. *Cum adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Penitus iam extincto, præcepit receptum buccina, & cessare certamina. Ratio (inquit Caiet.) *reversionis populi à persecutione Israël redditur.* Vbi Absalom excessit è vita, quievit prælia, vt veluti hac in imagine conspiciamus sustinendum nobis prælium, si in corde foueatur vitium, & eo extincto, tranquillitatem redire, & laboriosa prorsus diffidia cessare. Deo præcipiente, ad propria Iacob redire contendit: Rachel etsi occultè fert secum idola. *Furata est idola patris sui.* Gen. 31. v. 19. Quid tunc Labanus manum cogit, & in campum contra fugientes procedit. *Persecutus est eum diebus septem.* Vides fugientem persecutionem pati? transi ad Gen. 35. videbisque in Bethel ascendentem nullis timoribus concuti, nullis armatorum manibus impeti: *Non sunt ausi persequi recedentes.* Gen. 35. v. 5. Ecqua discriminis causa est? Si prius fugienti imminet bellum, cur postea recedenti non refertur imminere periculum? Iam Textus expressit: Antea non fuerant sepulta, modo referuntur idola prorsus deleta. *Infodit ea subter therebintum.* Gen. 35. v. 4. Ergo idolis prorsus deletis, tranquillitas floruit, non sepultis, sed cautè tectis, bellum imminuit: nec enim poterat Iacob, dum idola secum ferebat, bella periculosa non sustinere, vt, eis sepultis, interna pace non frui. *Hec idola* (inquit Hugo Card.) *abijcienda sunt.* Dum retinetur idolum, sustinetur etiam & bellum; ast si superbia expungitur, si auaritia infoditur, si ambitio præciditur, iam anxius cor timoribus non percellitur, sed securitate tranquilla fruitur.

Gen. 31.
v. 19.

Gen. 35.
v. 5.

Gen. 35.
v. 4.

§. XLIX.

Sapè bona politica congruit generalitatis errori parcere, nec seuera distinctione scire.

Sapè culpa, quæ ob foeditatem cruentam fuisse debuisse pœnam, ob generalitatem euit mulctam, quia satius, prudentiusque censetur generale non punire seuera distinctione delictum, quàm rigidè castigare peccatum. *Non minus Principi turpia sunt multa supplicia* (aiebat Senec. lib. 1. de Clem. c. 24.) *quam medico multa funera.* Vni, aut alteri inflicta pœna cæteros continet, & æquitatis metas transilire non sinit; ast si pœna insequatur plures, facillimè vertet in hostes, & mallent certamine fortunam experiri, quàm in alterius deuenire potestatem. *Vnus æger* (aiebat datus Senec. cap. 25.) *nec domum quidem perturbat: at ubi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conclamatio ciuitatis, & fuga est, & dijs ipsis manus intendunt.* Id est dijs ipsis irantur, iurgioque de scuitia queruntur. Hinc est, quod Ioab etsi totum Israël populum prodicionis nosceret reum, sublato iam Absalone, maluit multitudini parcere, quàm delere. *Retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.* Errantium multitudo suavitatem indulgentiam, etsi error instigare ad mulctam. Prodest Noster Sanct. *Cum, Absalone sublato, cessasse viderentur inimicorum consilia, & extincta coniurationis semina, visum est Ioab non futurum ex usu tam regni, quàm regis, si ferrum fratres in cognita viscera distingerent.* Iam Absalone sublato, appositum erat coniurationi remedium: ergo censuit in tot homines capitales non decernendum supplicium. Nam si punire vnum aut alterum, utilis esset prudentia, tot occidere execranda videretur scuitia. Eadem omnes fratres culpa vendicionis infecerat, Ioseph tamen cum distincta omnes seueritate quiverit castigare, maluit salubriter deterere. Eorum in oculis Simeonem vinculis illigauit, cæteros abire permisit. *Tollens Simeon, & ligans, illis presentibus, iussit ministris, vt impleverent eorum saccos tritico.* Gen. 42. v. 25. Inquires, cur vni Simeoni imponatur pœna, cum eadem tenerentur cæteri culpa! S? Simeon dignus est supplicio, cæteri obnoxij reperiuntur etiam tormento, cur ergo vnum punit, cæteris parcat? Quia bona regiminis forma exigebat, nec in totum inultam culpam dissimulare, nec in tot culpæ participes desauire. Innuat Philo lib. de Ioseph. *Fortasè maxima pars culpæ in eo fuerat quasi auctore conspirationis nefarie, qui cohortem fratrum animauerit, & ad odium incitauerit.* Simeon inter alios audacior, & veluti coniurationis fuerat promotor; ergo hunc præ alijs afflixit, cæteris humanè pepercit; nam omnes premere videretur scuitia; omnes impunitos relinquere, esset audaciam insolentem fouere: ergo se prudenter gessit, vnum puniendo, vt eius pœna esset cæteris medicina, & boni regiminis etiam forma. Est enim sapè utilis politices generalitatis errori parcere, & in vnum, aut alterum desauire.

Gen. 42.
v. 25.

§. L.

Temperanda est ira, ne tibi ipsi afferas detrimentum, dum anhelas alijs inferre supplicium.

IRa, si rationis regulis dirigatur, optimus affectus est. Corrigendus est, qui peccat, aliquando molli admonitione, seuera aliquando asperitate, vt melior tam sibi, quàm alijs euadat castigatus, non vt amplius furat punitus: ad quod ira proficit, si rationis adiutrix castigationi deseruit. Verùm cum frequenter candens iracundia commoueat animum, & caligine prudentiæ suffundat aspectum, suspecta omnibus debet esse, nam sæpe dum in alios furit, sibi, & alijs non modicum detrimentum affert; & dum quis adnititur iracundiam satiare, sibi ipsi inuenitur calamitatem conquirere. Ille intulit iratus plagam, sed infamem exsoluit pœnam; ille exoleuit iram, sed amisit omnem substantiam; ille ira percitus perpetravit homicidium, sed tulit suspendium. Cohibenda est indignatio, ne tibi ipsi officias iracundiâ cæcus, & tardâ pœnitentiâ ingemueris afflictus. *Ira etiamsi aliquando (aiebat Senec. 1. de Ira cap. 12.) vt venenum, & præcipitatio, & naufragium ex inopinato profuit, non ideò salutaris omnino indicanda est, sæpe enim saluti fuerit pestifera.* Vt venena frequenter vitæ sunt insidiosa, etsi aliquando præter opinionem extiterint salutaria, ita ira, etsi aliquando sit rationis auxiliatrix, frequentius inuenitur pernicies; & ideò magna cura adhibenda est, vt ea mensura irascaris, quâ hîc affectus inueniatur honestus, non rationi, & æquitati contrarius. Ioab ab Israëlitis prouocatus, à Dauidéque ad infligendam coniuratis pœnam electus, de medio Absalom tulit, & sublato, cecinit receptui, & pepercit multitudini. *Cecinit Ioab buccinâ, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël.* Si inquiras, cur militarem frænarit iram, & properantem inhibuerit audaciam? respondebit Abul. q. 14. noluisse sibi, & Dauidi nocere, & ideò studuisse ardentem iram frænare; nam cum Israëlita ad Dauidis pertinerent imperium, illud angustasset, si tot intulisset supplicium: ergo repressit iram, ne Dauid infelicem assequeretur victoriam. Abulensem audi: *Nunc si Ioab vellet ultra pugnare, hoc esset in damnum Dauid, quia non pugnaret contra hostes eius, sed contra seruos suos.* Itaque illa ipsa ira, quæ contra Israëlitas gliscebat armata, ipsi Dauid attulisset non modica detrimenta: ergo prudens iram temperauit, & sibi, ac Dauidi consuluit. Baalam asinam ab itinere deuiantem nimis iratus diuerberabat, & cæcus contra animal ipsius vesaniam cohibere adnissum, furebat. *Iratus vehementius cadebat fuste latera eius.* Num. 22. v. 27. Quos effectus indignatio attulerit, Scriptura non tacuit: *Attriuit sedentis pedem.* Dum flammescit cæca ira correptus, pede ingemiscit attritus. Audi quid asina dicat: *Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti?* Si me, inquit, lædis, & tibi noces; tibi ab ira abstinendum erat, non tantum vt rationi pareas, sed vt tibi etiam prouideas. *Gratia maxima conditoris (aiebat Philo lib. Allegor.) qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tanquam furienti gladium.* Sic insaniebat iracundia, vt, ni enermis equitaret, animal ad equitandum sibi necessarium occideret: ergo conditoris fuit be-

Num. 22. v. 27.

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

neficium, quòd non duceret gladium; nam si brutum occideret, sibi ipsi detrimentum inferret. O quot, dam nimis in alios iracundiâ flammescunt, plagasque incutiunt, sibi, suisque calamitatem elaborarunt, & quibus commodè viuerent, facultates amiserunt! Inter cæteras animæ affectiones ira præcipuo studio est coërcenda, quia è mentis arce prudentiam præcipitat, & quem vehementius inflammat, prorsus obcecet. Si plures ab iræ furore temperassent, diù vixissent; sed vitam, honorem, diuitias amiserunt, quia exculata iracundia errarunt.

§. LI.

Superbus, & in ambiendis honoribus nimius, ab omnibus habetur despectus.

Partur hoc improuida mortalium plerumque conditio (aiebat Cassiod. 7. Var. 47.) vt cum ludere putatur, consular, & cum consulere videtur, affligat. Finis sapientis est amare, quod expedit: verum cum nimia superbia inflatus, & nimis honoris cupidus à prudentia desciscant, ardentius sibi honores exambunt, & ambitu impediunt; cum eligendum sit, quod expedit, isti probantur elegisse quod nocet, dumque supra cæteros gestiunt impudenter extolli, impudenter eleuari, ab omnibus probantur contemni. Absalom immatura ambitione suspirauit euanidam gloriam, & omnibus odiosus, passus est despicabilem sepulturam. *Proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum acervum lapidum magnum nimis.* Non iacuit honorificè conditus, sed ignominiosè proiectus. Quòd si inquiras, cur post mortem etiam ab omnibus iacuerit despectus, & bruti adinstar sepultus? Respondebunt Interpretes, nimio honoris ambitu conciliaffe sibi inuidiam, & despectus dedisse causam. Notauit Noster Sanct. *Non maiori honore sepultus est Absalom à tota multitudine, quàm canis mortuus, aut asinus, aut quodlibet animal odiosum, & vile, quod terra regimus, non ad honorem funeris, sed vt spectaculum fœdum substrahamus oculis.* Quò plus Absalom superbiebat fastu, maiori despiciebatur contemptu: omnibus sic molestus erat, & inuisus, vt à se proiecerint, & sepulchri honorem negarint. Ea sollicitudo, ea mentita vrbinitas, fucata ea comitas etsi exiguo tempore plures allegerit, tandem displicuit, & quam adorationem penderant, contemptu compensarunt, & in saltu proiecerunt. Nabucho aurea in statua exambuit ab omnibus adorari: suasit ardor æstuantis fornacis, quod lex dissuadebat rationis: non multo post sordet ab hominum consortio abactus, & frænetici adinstar nexibus catenarum vincitus. *Ex hominibus eiectus est.* Dan. 4. v. 30. Si inquiras, cur fuerit abiectus? respondebit Theodoretus, non potuisse homines ferre ambitus inquietum semper studium, honorisque immetatum desiderium. Theodoretum audi Or. 4. *Intuere mentis fastum, inspice arrogantis exuperantiam.* Addit post pauca: *Qui cælum rapere voluerat, è terra quoque expellitur.* Si honoris moderaretur appetentiam, si odiosam reprimeret arrogantiam, honor ei à cunctis impenderetur, & reuerenter suspiceretur, adeò tamen erat nimia honoris ambitio cunctis odiosa; insolens erat arrogantia molesta, vt à se quisque repellere, & quàm longè discupinerit amandare. Non itur per nimium ambitum vene-

Dan. 4. v. 30.

LI tabilem

rabilem ad honorem, non itur per tumoris exuperantiam adorationis ad reuerentiam. Superbi, arrogantisque, dum putant se tendere ad exoptatam honoris gloriam, ad probrosam inuolant ignominiam, quia omnes tumorem fastidiosum aggreduuntur frænare, aut saltem à se tumidum amouere. Si Nabucho intra modestiæ limites se contineret, expunctus ab humano conuictu non exularet; at dum diuinos honores exambit, à se abijcere, cunctos cogit. *Intuere mentis fastum, inspicere arrogantiam exuperantiam.* Absalom superbissimo, immaturoque ambitu hiauit ad coronam, & in foueam proiectus meritißimam patitur ignominiam. Econtrà: qui originis claritate conspicuus, qui miris naturæ dotibus exornatus, si decentem colat modestiam, ab omnibus tributariam accipit gloriam. Audit Ioannes, Leonem ex Iuda oriundum agni referre humilem mansuetudinem, mansuetam humilitatem: *Ecce vicit Leo de tribu Iudæ, radix David.* Apoc. 5. v. 5. Qui leo nuper, iam agnus. *Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Quid tunc? Repetitis, faustisque acclamationibus celebratur, reuerenti que cultu extollitur. *Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* Hinc oritur quæstio: Si coram leone non precipidunt, cur cadunt reuerenter coram agno? Agnus profectò parui videbatur habendus, & miris honoribus refertur cultus. Nec mirum (inquit Richardus Victorin. apud Gloss.) nam cum esset leo origine clarissima exortus, erat agnus humilitate modestus. Ergo vbi associata sunt morum facilitas, & generis claritas, omnium in se animos conuertit, & grata vi adorationem suasit. Richardum audi: *Leonem audiuit in promissione, agnum videt in exhibitione. Sed si utrumque consideramus, Christus ipse est leo magnus per diuinitatem, agnus per mansuetudinem.* Omnes gestiebant exhibere reuerentiam leoni agno, & quia celsitudo modestia, grata omnibus, ornabatur, miris laudibus colebatur; est enim in Magnatibus modestia grata, vt fastus arrogantia molesta.

§. LII.

Magnates pœnam à lege decretam sapè frustrantur, sed soluere post mortem noscuntur.

NVnquam confunderentur iura, si semper dominaretur iustitia, & maior esset cura legis, quam obsequium potestatis. *Quid enim proficit (aiebat Cassiod. 3. Var. 43.) barbaros remouisse confusos, nisi viuatur ex legibus?* Lex aut suadendo dirigit, aut deterrendo compellit, & ipsa, quam statuit delictis, pœna est bonæ politices disciplina. Verùm Magnates suâ se potentiâ sic protegent, vt videantur exleges, aut à legum pœnis saltem immunes; nouerint tamen, quam à lege decretam frustrarunt, pœnam post mortem soluendam, moramque doloris acerbitate pensandam. Lex proteruum, contumacemque filium lapidibus obrui decreuit. *Lapidibus eum obruet populus ciuitatis.* Deut. 21. v. 21. sed licet Absalom in parentem impius, & impietate proteruus debuisset à lege statutam pœnam subire, armatorum agminibus cinctus, potestatemque armatus legem contempfit, pœnam euasit; ast post mortem in saltu iacuit proiectus, & lapidibus obrutus. *Proiecerunt enim*

in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Si inquit, s, cur nobiliori tumulo non fuerit Regis filius conditus, cur honorifica non fuerit pompa sepultus? Respondebit Lira, Absalomem superstitem legis euasisse decretam pœnam, sed post mortem statutam soluisse mulctam. *Hoc fecerunt (inquit Lira) secundum legem Deut. 21. ubi precipitur filius contumax à populo lapidari. Iste autem non solum erat contumax, sed etiam manifestè persequebatur patrem, & ideò non solum erat dignus à gladio perimi, sed à populo lapidari.* Contumaciam à supplicio liberauit potentia, sed post mortem lex est seruata: vt nouerint Celsi, Potentisque legum esse cœlestem vindicem, æquitatisque incorruptum assertorem. Ex proceribus plurimi magnitudini suæ adulantur, iniuriam legibus irrogantes, iuræque euertentes; sed nouerint pœnam solum differre, sed non euadere. Exod. 21. v. 23. oculus pro oculo, dentem pro dente reddi precipitur: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Pœna respondebat culpæ, & illato damno supplicium. Transi ad 1. Reg. 22. v. 18. videbisque sacerdotes impio ferro decapitados (vt placet Lira) *Irrue in sacerdotes Domini. Conuersisque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit.* Impune sacerdotes, vt testatur Lira, iugulantur: *Apparet magna crudelitas in vastatione tot bonorum, & in iugulatione tot innocentium.* Verùm licet Saül immunis legem violarit, dum potestate fulgebat ornatus, soluit, postquam iacuit sagittis aduersariorum confossus. *Præciderunt caput Saül.* 1. Reg. 31. v. 9. O sæua Philistinorum crudelitas! In mortuum furor sauit, & in cadauer inanime furit! Imò ô cœlestis vindicta, legisque obseruantia! Debebat Saül, qui caput sacerdoti abstulerat, legi caput: lex non adimplebatur, quia Saül potentia defendebatur; verùm pœna quæ legi non est soluta, dum Saül viueret, est persoluta post mortem: vt notum omnibus fuerit, Celsos, Magnatesque pœnas legibus post mortem soluere, quas constat magnitudine sua, ac potestate frustrare. *Hic consequenter ponitur (inquit Lira) ipsius Saül occisi vituperatio, cum dicitur: Et præciderunt caput eius.* Nota illud consequenter: consequens erat, vt pro sacerdotis capite caput redderet; ergo iam mortuus legis pœnam persoluit, & Deus æquitatis vindex post mortem legem disposuit impleri, & Saülis supplicio cæteros crudiri. Non blandiantur sibi celsi, dum statutas à lege pœnas euadunt, imò timeant post mortem daturus pœnas, & aciores subituros angustias.

§. LIII.

Bona politices est, post inflictam mortem oculis scelestos obijcere, & alios horrore spectaculi præmonere.

Sæuitia detestanda videtur in mortuos furere, & supplicijs iteratis vexare. Cur in miseranda cadauera furor defæuiat, & sæuitia furat, quandoquidem dolorem nequit inferre, nec dolentis sensu delectari? *Abstineatis manus (aiebat Cassiod. 4. Var. 34.) à cineribus mortuorum.* Verùm et si cadauera pietas consulat sepelire, & tellure matre contegere, non est ligno suspendere, oculis obijcere, trucidare, sæuitia, si de pœnarum horrore quærantur cæteris hortamenta. Per oculos hauritur etiam doctrina, & conficitur salutis medela: qui videt hominem trucidatum, qui stipiti cadauera intuetur affixa, & volucrium rostris exposita, horrore

Apoc. 5. v. 5.

Exod. 21. v. 23. Deut. 21. v. 23.

1. Reg. 22. v. 18.

1. Reg. 31. v. 9.

Deut. 21. v. 21.

Gen. 4.
v. 11.

horrore spectaculi plus concutitur, & à consimili scelere metu auertitur. Vagus, & profugus cælesti decreto Cæinus exerrat. *Vagus, & profugus eris super terram.* Gen. 4. v. 12. Septuaginta legunt: *Gemens & tremens.* Deus spirantem columnam voluit alijs occurrere, vt ipsa luctus, trepidationisque pœna esset cæteris medicina. Notauit Basil. Seleuc. Or. 4. *Arumnis constrictus esto: tuique trepidatio posteris vertatur in legem. Tremens obambula, animata lex videntibus occurrens, spirans columna aueriat à pari pœna; lex inquam, atramenti vice, trepidationis nota conscripta, malum tacere nescium, inuentibus sit hortamentum.* Erat Cæin columna spirans, vt tacitus etiam cæteros admoneret, & similia scelera fugienda eiulatu demonstraret. Absalom post tela, post repetita ambitus vulnera in foueam proijcitur, & cadauer magno lapidum cumulo prægrauatur: *Comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* Quærent Interpretes, cur tellure non texerint, sed lapidibus prægrauarint? Respondentque voluisse lapidum cumulo supplicium oculis repræsentare; ne à memoria contingeret aboleri. Qui intuebantur magnam illam lapidum congeriem, recordabantur quanto supplicio punita fuerit in patrem impietas, ambitionis temeritas, libidinis profusa salacitas, & à consimili auertebat culpa, illata scelesto pœna. Prodest N. Sanct. *Proiecerunt impurum illud, & execrabile cadauer in foueam, illudque congestis magno cumulo saxi oppluerunt, vt quotquot illac transirent, haberent, quid execrarentur.* Vt execrarentur Absalonis culpam, lapidum congeries vulgabat transeuntibus pœnam. Ille lapidum cumulus non erat à sœuitia congestus, sed à bona politice structus. Isaias scelesti cadauer è sepulchro refert eductum, & oculis omnium obiectum: *Proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus.* Isai cap. 14. v. 19. Cùm tellure cadauera tegere, religiosa suadeat pietas, è sepulchro extrahere videri potuit sœua inhumanitas. Profecto qui parentis, aut aui cadauer extraxit, & vulturibus obiecit, ferarum induit truculentiam, & humanam exuit naturam. Verùm Deus filij, aut nepotis feritatem impiam, ambitionem furentem in aliorum conuertit documentum, vt noscentes etiam post mortem scelestos durissimam pœnam manere, culpam conarentur effugere. Dum à filio, aut nepote educitur, dum discerpitur, auibisque dilaniandus proijcitur, cæteris est pro adhortamento, & iam de mortua stirps profert cæteris fructum, dum edocet formidare peccatum. Audi Liram: *Dicunt Hebraei quòd ipso mortuo Eulmerodach, filius eius... fecit eum de sepulchro extrahi, & particulatim diuidi, & vulturibus dari.* Nabuchodonosoris post mortem refertur pœna, vt fuerit scientibus pro doctrina.

§. LIV.

Qui honore sepulture iure priuatur, magnis criminibus defædatus conuincitur.

Qui excommunicatus decessit, qui desperatus occubuit, sacra tellure non tegitur, sed digna Ecclesiæ sententia adhuc post mortem punitur: & dum eiusmodi censura punitur, peruersus proditur. *Edificia* (aiebat Cassiod. 4. Var. 34.) *regant cineres, columna vel marmora ornent sepulchra.* Honor est decenti pompa funerari, spectabili sepulchro quiescere, virtutem inscriptionibus euul-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

gari. Hunc sibi honorem denegarunt, qui se peruersis moribus tradiderunt, & dum hac pietate priuantur, publico testimonio arguuntur. Absalom arbore suspenditur, telis transfigitur, feri ulcerum manibus vulneratur. Crederes Principem honorificè speliendum, sed in foueam proiectus est. *Proiecerunt eum in saltu in foueam grandem.* Quæres, cur non fuerit in Ierusalem ductus, vt regio in sepulchro conderetur, aut cur saltem non fuerit repositus honorabili sepultura, sed proiectus computruerit in fouea? Si alij sceleribus infecti, culpis denigrati sepulchri non caruerunt honore, cur Absalom in saltu proijcitur, & congerie lapidum prægrauatur? Vt notum omnibus esset, impium sepultura non esse dignum, sed omnibus execrandum. Audi Hieronymum apud N. Sanct. *Proiectum eum in saltum Hebraei dicunt, eo quòd gladio peremptus lapidibus obrui deberet, quippe qui sceleratissimus erat.* Latere non sinebat tumulus mores, talesque fuerunt, vt hanc extremam erga defunctos non meruerint pietatem, sed ad seueram impulerint eiusmodi punitiorem. Dauid non solum giganti mortem prædixit, sed etiam insepultum à volucribus discerpendum asseruit. *Auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, & bestijs terre, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.* 1. Reg. 17. v. 46. Si roges, cur Dauid ultra mortem prænuñtauerit pœnam, & denegandam cadaueri euulgauerit sepulturam? respondebunt Interpretes, ipsam tellurem recusare post mortem sinu suo fouere blasphemum, & insolenti superbia tumidum. Audi Basil. Seleuc. Ora. 13. *Sternitur alienigenarum turris, hoc fidei spoliū est, tropheum gratiæ, auxiliij cælestis iudicium, blasphemie coërtio, columna index stinctæ audaciæ.* Immane, insepultumque cadauer columnæ erat adinstar, quæ euulgaret, fuisse gigantem in Deum blasphemum, impium, cælestique indignatione punitum, & sepultura priuatum; nam sepultura priuari, insepultum indicat non modicis criminibus scateri.

1. Reg. 17.
v. 46.

TEXTVS.

VERS. 18. Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit in monumentum nominis mei, vocauitque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalom vsque ad hanc diem.

§. LV.

A cadauere promanat honor sepulchro, non è sepulchro cadaueri.

VT tecta auro perfundimus, & specioso nitore nobis imponimus, cùm non ignoremus sub illa bractea vilia, & putrida ligna latere; sic operosa instruimus sepulchra, cùm non ignoremus reponenda ibi fœda cadauera. Sapiens fatagit egregijs moribus animum expolire, & virtutibus decantandis ornare, de sepulchro verò nulla, aut exigua cura illi est. Senecam audi epist. 92. *Modò æquo animo exit, modò magno profilit, nec quis deinde reliquijs eius futurus sit exitus, quarit.* Qui se ad sublimia extulit, corporis non solum non est

amator, sed prudenter contemptor. Nimia sollicitudo corporis, est argumentum indignissimæ frivolis, quandoquidem nequit multis non seruire, qui corpori satagit indulgere. Nec solum gerunt curam corporis, sed cadaveris. Quid sunt elaboratissima sepulchra, operosa mausolea, nisi euanidæ ambitionis clarissima testimonia? Mecænas apud datum Senecam disertè aiebat.

Nec tumulum cuius sepelitur natura relicto.

Nihil cadaveri refert, an iaceat terra contactum, an marmoribus inclusum. Sed heu! plures non curant, quale animæ futurum sit receptaculum, cum fœtido cadaveri insanum elaborarint sepulchrum. Absalom animum omnibus virtutibus denudavit, & cadaveri pretiosum, operosumque sepulchrum construxit. *Exererat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit in monumentum nominis.* Peregrinis, distinctisque marmoribus cadaver voluit recondi ad æternandam memoriam, non tamen providit, quomodo æternam vitarit flammam: cæca eius nesciebat ambitio à cadaverè sepulchrum nobilitandum, non ob sepulchrum magni cadaver habendum. *Reliquit* (verba sunt Abul. q. 17.) *quoddam manum edificium pulchre factum de lapidibus politis, & ibi erat sepulchrum pro Absalom.* A cælaturis affabrè factis, à superba ædificij mole, à lapidum pretiositate honorem excedendis reliquijs suspirabat, curam animæ non gerebat: vnde contigit, vt cadaver sepulchri caruerit honore, & anima inextinguibili sepulta sit igne. Sanctorum reliquiæ humilia etiam sic nobilitauere sepulchra, vt confluat quotidie venerationis causa peregrinorum frequentia: humilis sepultura reuerenter colitur, quia ibi eximia ornatum sanctitate cadaver tegitur. Improborum reliquiæ despiciuntur, etsi eorum sepulchra in admiratione aspicientibus habeantur. Iosias sepulchra, & elaborata fatidicorum mausolea destruxit, & ossa flammis anhelantibus tradidit; ast vbi ad viri Dei sepulturam peruenit, reliquijs honorem haberi iussit. *Vidit ibi sepulchra, que erant in monte: misitque, & tulit ossa de sepulchris, & combustit ea super altare.* 4. Reg. 23. v. 16. Elaboratis iacebant fatidicorum ossa sepulchris, verum adusta sunt flammis: è sancti viri loculo ea emanabat fragantia, vt ibi condita veneranda vulgaret ossa. Itaque cadaver reddidit venerandum sepulchrum, non exemit ab ignibus sacerdotes impios mausoleum. *Quis est titulus ille, quem video?* Scitatus est Rex: cui Senes: *Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda.* Rex sepulchrum est veneratus, non destruere aggressus: *Dimittite eum.* Expende fatidicorum ossa ob egregium sepulchrum nullatenus in veneratione habita, & ob reliquijs hominis Dei eius sepulchrum remansisse intactum, venerationeque reuerenti cultum. A sancti hominis reliquijs emanavit sepulchro splendor, à pretiosis sepulchris non profluxit fatidicorum ossibus honor. Audi Rabbi Salomon. apud Gloss. *Vidit herbas bonas, & suaviter redolentes, vt balsamum, & huiusmodi.* Spirans è reliquijs fragrantia sepulchro attulit reuerentiam, fatidicorum sublimis tituli ab ossibus non depulerunt infamiam. Viri Dei sepulchri æternavit memoriam, alia sepulchra ingentem subierunt ruinam. Elisæus moritur, sepeliturque. *Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum.* 4. Reg. 13. v. 20. Etsi nihil peculiare de

sepulchri splendore retulerit Scriptura, retulit cadaver ibi proiectum de reliquiarum contactu vita donatum. *Proiecerunt cadaver in sepulchro Elisæi.* Ibi mortuus contra latrunculos inuenit auxilium, ne aliquam pateretur iniuriam, aut experiretur sæuitiam. Si quæras, cur Elisæi, & non alterius delegerint, qui cadaver deferebant, sepulchrum? respondebit Abul. q. 18. ob Elisæi reliquias tantæ fuisse venerationis sepulturam, vt existimarint contra latronum audaciam securissimam esse tutelam. *Timebant quod latrunculi exercerent in eo aliqua ignominiosa: ideo, vt defenderetur ab his, posuerunt illud in sepulchro Elisæi, credentes quod propter virtutem Elisæi non possent hostes nocere illi cadaveri, quod fieret, si poneretur in aliquo alio sepulchro.* In Elisæi sepulchro non solum inuenit contra latrones tutelam, sed inuenit etiam vitam. *Renixit homo, & stetit super pedes suos.* Nonne vides humile Prophetæ sepulchrum ob reliquias magna æstimatione habitum; indeque miseris promanare vitam, cum elaborata aliorum sepulchra sustinuerint voracem flammam: ob Elisæi cineres in honore locus habebatur, & cadaver superbis pyramidibus inclusum horrendis ignis vorticibus tradebatur. Nam ob reliquias honor exhibetur, ob sepulchri elegantiam, pretiositatèque cadaver non honoratur.

§. LVI.

Homines detorquent ad vanitatem, qua promouere possent virtutem.

MORTIS memoria est efficax moribus componendis medela. Quis enim, si imperturbatis oculis contempletur sepulchrum, ab eo non accipiat saluberrimum documentum? Mors vitæ pedagogus est, nam, vt pedagogi timor componit puerum, ita mortis timor expolire probatur animum. Audi Epist. in Enchir. *Animum ad nauigium intentum habere conuenit, & sapè respicere, an gubernator vocet, & si vocet, omnia illa abijcere, ne vincetus eo conijciaris instar pecudum.* Cum nemo ad natandum cum sarcinis veniat, qui ad natandum cogitur, omnibus prius indumentis exiit. Ergo qui se ad mortem properare memorat, & hunc traijciendum torrentem amarissimum non ignorat, impedimentis exiit, & præcisus retinaculis præparatur. *Egregia res est* (aiebat Senec. Epist. 26.) *mortem condiscere. . . meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet; qui mori didicit, seruire didicit.* Dedit luxuriæ, auaritiæ, superbiæ seruire, qui meminit, mortem oppetere, & gressu celeri properare. Verum hanc memoriam, vitæ antidotum, lethale plures conuertere solent mortiferum in venenum; & vnde promanare debuit efficax virtuti auxilium, profluere inuenitur ingentissimum detrimentum. En Absalom erigit titulum, sepulchrum construit, non vt promoueat consideratione virtutem, sed vt fugiendam superba mole æternauerit vanitatem. *Exererat sibi, cum adhuc viveret titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei.* Monebat substructio esse splendorem dignitatum deciduum, vitæ spatium incertum, relinquendum plausum, & aurum. Verum Absalom vitæ medicamina detorsit ad euanidæ gloriæ augmenta; non ait: Hoc erit, quod peruenturus sum nudus, hic iacebo putridus, cæteris coæquatus, sed: *Hoc erit*

4. Reg. 23.
v. 16.

4. Reg. 13.
v. 20.

Isai. 22.
v. 16.

erit monumentum nominis mei : nam infana moles caulgabit potentiam , insculpta imago commendabit viucentibus formam , æternabitque famam. En ad plectibilem detorsit vanitatem , quod suadebat eloquenti silentio virtutem. Prodest Iosephus apud Glossam : *Iosephus dicit , eum hoc fecisse , quod filij non possent diu durare , ædificium autem posset eius conferuare memoriam.* Sepulchrum constructum est ad euaniidum pulchritudinis plausum , non ad vtile instantis finis documentum ; ea namque est hominum amentia , vt virtutum subsidia conuerterint in venena. Sobna carpitur , quia construxerit sibi sepulchrum. *Excidisti tibi hic sepulchrum.* Isai. 22. v. 16. Cùm sepulchrum instantis finis salubrem ingerat memoriam , non videbatur reprehensione dignum habere præ oculis monumentum : cur ergo Sobnam , qui debuit de structura laudari , videmus acriter reprehendi? Iam Isaias exprimit : *Excidisti in excelsio memoriale diligenter , in petra tabernaculum tibi.* Mausoleum regale sibi construxerat , non vt foueret mortis memoriam , sed vt inflatissimam nutriret structura operositate superbiam : ergo insanabili laborabat morbo , dum ægrotabat ipso remedio. Liram audi : *Ædificauerat sibi sepulchrum notabile in ciuitate Dauid inter sepulchra regia , vt post mortem esset in memoria celebris.* Sepulchrum dum ingerit mortis memoriam , efficacem offert curandis infanis appetitionibus medicinam , mentis reluminat adspectum , exuere edocet factum , diuitiarum perniciosum sopit studium ; Sobna tamen , elaborato monumento , enutriebat inflatorem superbiam , & futilem sitiebat ardentem gloriam. Ergo reprehensione fuit dignus , dum ipso laborabat remedio , & ægrotabat antidoto ; *Excidisti in excelsio memoriale diligenter.*

§. LVII.

Sapè homines affectant gloriari , de quibus fas erubescere.

Rationabiliter potitur laudem , qui perfectè sui muneris absoluit actionem , & iurè alijs videtur prælatus , qui mirandis eminent dotibus expolitus. *Iuste* (aiebat Cassiod. 11. Var. 22.) *potentiora consequitur , qui de commissa sibi negotij perfectione laudatur.* Honorabili credimus laude munerari , quem eximij dotibus prætulit alijs natura. Verùm est aliquorum aut impudens stultitia , aut cæca erga se ignorantia , vt ipsa , quæ illis afferunt verecundiam , ostentare affectent ad gloriam. *Ingenij fuit* (aiebat de Lentulo Senec. lib. 2. de Beneficijs cap. 27.) *tam sterilis , quàm pusilli : cum enim esset auarissimus , nummos citius emittebat , quàm verba : tanta illi inopia erat sermonis.* Adnectit. *Subinde de Augusto solebat queri , dicens : A studijs se abductum. Nihil tantum in se congestum esse , quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque Diuus Augustus præstiterat , quòd illum derisum , ac labore irritò liberauerat.* Lentulus gloriabatur de eloquentia cùm confusibili sermonis laboraret inopiã. Pluribus , quod Lentulo , frequens est : ingenio tardi ostentandi ingenij occasiones quærunt ; ignaui fortitudinis sitiunt famam , deformes ostentant cælendam formam. Duas species cæcitatatis concurrere simul in aliquibus compertum est : non vident quæ sunt , & videre existimant quæ non sunt. Absalom antecellebat cæteros eleganti corporis habitudine , & oris gra-

tissima venustate. Porro sicut Absalom , vir non erat pulcher in omni Israël , & decorus nimis. Sup. 14. v. 5. Excedebat oris nitore , sed carebat manus dexteritate : fratrem proditoriè occidit , & imbellis illatam sibi iniuriam non propria , sed aliena dextera vindicauit. Martiali in campo hostium conspectum fugit , & quo concuteretur metu , fugiendo prodidit , & tamen adæquè ignauus , & ambitiosus sepulchro pro epitaphio Manum insculpsit , & ostentauit : *Vocauit titulum nomine suo , & vocatur Manus Absalom.* Manum lapidi sculpsisse , tradit Hieron. apud Glos. *In hoc titulo manus dicitur defixisse , & figuram manus sue expressisse , & ob hoc titulum hoc modo vocari.* Consonat Abul. q. 17. *Erat quadam manus facta ad similitudinem manus Absalom.* En manum ad captandam gloriam nititur oculis intuentium obijcere , cùm fas esset , manum abscondere ; sic namque obbrutescunt nonnulli , vt quærant ex eis rebus famam , quæ illis afferunt ignominiam. Luteis operibus nomen sibi facere moliti sunt , qui turrim vsque ad cælum ædificare conati. *Faciãmus nobis ciuitatem , & turrim , cuius culmen pertingat ad cælum , & celebremus nomen nostrum.* Gen. 11. v. 4. Tentare vsque ad cælum turrim construere , erat manifesta infania , infaniens dementia , & tamen dementia quærabant nominis gloriam. Notauit Philo lib. de conf. ling. *Bella gloriatio captare celebritatem nominis ex his , quæ calari debuerat. Sunt tamen , qui valde sibi rebus talibus placet , putantes inde se lucrifacere præclaram existimationem apud homines.* Turris erat infania argumentum , superbiam clarissimum testimonium , insolentiam arrogantissimam confusibile indicium , & vnde meruerunt confundi , inde adnitebantur gloriari. *Quale tandem* (rogat datus Philo) *nomen cupitis ? Inest enim vobis petulantia cum impudentia , contemptus cum violentia , vis cum cade , stupra cum adulterijs , cum immoderatis voluptatibus immensa concupiscentia , cum temeritate insolentia , cum calliditate iniustitia , cum ferocitate rapacitas , cum mendacijs periuria , cum iniquitatibus impietas. Hæc sunt ista nomina , & his similia.* Alius temeritate fortis fitit famam , alius insipientia prudentis gloriam , alius rapacitate industria ostentat prærogatiuam : & quibus eorum nomina confusibili nota asperguntur , venari apud homines æstimationem conantur. Manus Absaloni pepererat ignominiam , & ostentarat manum ad sibi adquirendam famam : *Manus Absalom.*

§. LVIII.

Qui improles aurum deberet bene collocare , sumptibus non profuturis solet expendere.

Frequens est , parentes filijs diuitias conquirere , & vt acquisierint , non solum anxios labores , sed etiam pericula deuorare. *Maria ipsa* (aiebat. Cassiod. 2. Var. 14.) *sanis tempestatibus excitata genitoris cura non refugit , vt peregrinijs mercibus acquirat , quod propria soboli derelinquat.* Insitum est à natura , diuitias acquirere , quas ad filiorum splendorem genitor possit expendere : & licet profusè aliquando expendantur , aliqualem excusationem fortiuntur ; verùm improles sine excusatione est si pauperibus erogandas , aut honestis operibus insumendas , diuitias gestiat euaniidis rebus insumere , & operibus nulli profuturis expendere. Absalom , de mortuis (vt vide-

tur) quos acceperat, filijs, diuitias in construendo titulo nec sibi, nec alijs vnquam profuturo conlunt, & futilem gloriam quærit. Porro *Absalom exererat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium.* Cum eo in titulo non sit reconditus, sed in profundam foueam proiectus, quærant Interpretis, cur dum operis refertur infania, filiorum etiam referatur inopia? Et quidem cum omnia ad nostram eruditionem scripta sint, videtur Textus expensas sugillare, & improlem desumptibus male collatis arguere: Fas erat posterioribus carentem expendere aurum ad miserorum subsidium, ad religiosæ pietatis augmentum, ad defunctorum suffragium; at talis fuit Absalom, vt eis rebus diuitias insumpserit, quæ nec illi, nec alijs vllum attulerint commodum, imò inflatissimæ superbiæ extiterit argumentum. Audi Ambros. apud Gloss. *Parricida Absalom in Valle Regis titulum statuit, & in foueam proiectus est.* Titulus ingessit viuenti sollicitudinem, nullam attulit discedenti vtilitatem, & tamen maluit Absalom diuitias inutiliter profunderere, quàm benè in subleuandis pauperum calamitatibus collocare. Econtrà etiam accidit: diuitiæ non expenduntur, sed maiori errore amarissima tenacitate asseruantur. Audi Ecclesiastem cap. 4. v. 7. *Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole: vnus est, & secundum non habet; non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Laborare, vt succurras fratri, charitas est; laborare, vt delicijs perfruaris error tolerabilis est, laborare, vt diuitiarum recondas congeriem nec tibi, nec alijs profuturam, est auaritia sibi crudelis, & graui distinctione plectibilis. Prodest Hugo: *Est vanitas cupiditatis, & vanitas felicitatis.* Adnectit: *Hoc habet pessimum huiusmodi labor quoad malitiam penalitatis, quia cæcus est huius laborator nec videt quàm inutiliter laborat.* Pro eodè possunt reputari, inutiliter diuitias profunderere, & inutiliter facultates congerere; nam sicut nihil profunt inutiliter profusæ, ita nulli proficiunt amara tenacitate congestæ. Ergo auarus carpitur, & profusor diuitiarum arguitur, præcipuè si vt Absalom, inde mouetur ad diuitias profundendas, vnde moueri fas erat ad vtiliter collocandas.*

§. LIX.

Manus gloriosus est epitaphium, quàm lapidi pulchris litteris exaratum elogium.

Antiquus mos est, sepulchra insculptis epitaphijs nobilitare, & defuncti magnalia litteris prodere; exarati tamen pretioso marmore characteres non integram fidem faciunt: sæpè viuentibus adulantur, sæpè affectu subornato scribuntur. Opera indubiam euulgant laudem, quia certiozem exhibent fidem. *Cognouisse iam ex epistola mea debes* (aiebat Iunior Plinius 8. epist. 6.) *adnotasse me super monumentum Pallantis sub hac inscriptione: Huic Senatus ob fidem, pietatèque erga patronos, ornamenta pratoria decreuit, & sextertium centies quinquagies, cuius honore contentus fuit.* Irridet Plinius inscriptionem adulatione plenam, veritate prorsus nudatam; quandoquidem illi characteres adulandi Principi, qui in Pallantem benevolentiam suam contulerat, exararat studium, non Pallantis suaserat meritum. *Urbanos* (addit Plinius)

qui illa censuerunt, putem, an miseras? Characteres illos inoperat non virtutum remuneratio, sed blandiendi vilis ambitio. Opera egregia pro epitaphio sunt, sibi fidem adstruunt, & defuncti laudes silentio sepeliri non sinunt. Ob id Absalom, cum sibi æternare exambiuit famam, marmor non insculpsit pulchros characteres, sed manum, vt qui bene nouerat, ad defunctorum laudes plùs conducere egregia opera, quàm impressa ventustis apicibus epitaphia. Porro *Absalom exererat sibi, cum adhuc viueret, titulum. . . vocauitque eum nomine suo, & appellatur Manus Absalom.* Insculpta manus titulo nomen dedit, & Absalom à manu sumptuosius elogium disertè ambiuit. Notauit Lira: *Manus est organum organorum (vt habetur. 3. de Anim.) & ideò per eam signantur opera, & maxime solemnia, & memorià digna.* Defuncti æternatur fama, si manus memorià digna exercuerit opera: ergo titulus appellatur manus ad augustius præconium, & gloriosius epitaphium. Isaias de Christi Domini sepulchro loquens aiebat: *Et erit sepulchrum eius gloriosum, & erit in die illa: abiiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui.* Isai. 11. v. 10. Mortem passus, populum suum à nexibus culparum eripit, tenebrosam caliginem depulit, & verè libertati cunctos restituit; ergo hæc manus pro inscriptione erat, imò gloriosum aded epitaphium, vt insculpto elogio nullatenus indigeret sepulchrum. Hanc immortalem gloriam nec obliuio sepelire, nec tempora quibant delere. Notauit Hierony. apud Gloss. *Sepulchri gloria antequam excideretur à Ioseph, scimus Isaiæ vaticinium prophetatum dicens: Et erit requies eius honor.* A sepulchro emanabat hominibus requies; dæmonibus effluebat pernicies: ergo hæc erat inscriptio celebrior, & character pulchrior. Consonat Lira: *Adiiciet Dominus secundò manum suam, id est virtutem suam, predicationem istam confirmando miraculis.* In sepulchro virtus operabatur, & salus mundi reparabatur: ergo hæc manus præ characteribus nobilitabat sepulchrum, & sepulti sumptuosius erat elogium.

§. LX.

Omnia natura ornamenta morte delentur, sed honesta opera immortalitate donantur.

Hanc imaginem animo tuo propone: quidquid in cœtum mortalium sparsum est, diuitias, oris gratiam, roboris valentiam, originis gloriam cum tempore nasci, & tempore ipso consumi. Virtus immortalis est, cætera decidua, & labentia. *Illi spectent bona ista* (aiebat Sen. epist. 85.) *& ipsi magis pendeant. Quicumque beatus esse constituit, vnun esse bonum putet, quod honestum est.* Perit fortitudo annorum aduultibus expugnata, perit oris elegantia, quia varietati subiecta, disparet diuitiarum copia, quia vertitur citò fortuna: omnia ista minuta sunt, etsi pro magnis habeantur. Virtus nescit tempora; nam quæ omnia mors deuorat, virtutibus expolitur immortalitati consecrat. *Non est summa felicitatis nostra* (addit Stoicus) *in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem, aut minui: cætera opinione bona sunt.* Titulum ad immortalitatem sibi fulciendam Absalom operosum construxit: *Hoc erit monumentum nominis mei: vtque assequeretur votum, appellauit Manum: Appellatur Manus Absalom usque.*

que ad hanc diem. Profectò videtur appellatio discordare ab studio; nam cum Absalom longè alios antecelleret corporis elegantia, oris pulchritudine, & comæ prolixitate, magis è re erat ad captandam gloriam, insculpere vultum, quàm manum: cur ergo sic ambitiosus errat, vt suis conatibus contradicat? Imò, vt assequatur finem, insculpsit manum, non faciem? nam facies lucet fugaci pulchritudine, manus nobilitatur laudanda actione. Ergo cum honesta actio non sit mortalitati subiecta, & pulchritudo mutationi probeatur obnoxia, ad gloriam æternandam non insculpsit vultum, sed manum. Opportunè Lira: *Manus est organum organorum (vt habetur, de Anim.) & ideo per eam fiunt opera, & maxime solemnia, & memoriâ digna.* Virtus nec tempore perit, nec morte: ergo opportunè immortalitatis ambitiosus, in sepulchro non venustatem varietati insculpsit obnoxiam, sed virtutem nullo tempore obliterandam. Debora nutrix Rebecca subter quercum sepulta est: *Mortua est Debora nutrix Rebecca, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum.* Gen. 35. v. 8. Nutrice mortua, Rachel etiam moritur, sed in via sepelitur: *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via.* v. 19. locorum diuersitatem mysterio non caruisse, tradit Philo: & quidem Rachel non videbatur via sepelienda, nec Deboræ sepultura quercu signanda, nam pulchritudinem eximiam fas non erat incedentium proculcari vestigijs, nec opus erat Deboram annosam, & nutricem selectiori sepulchro condi: cur ergo nutrix vianum vestigijs non teritur, & Rachel sordidis pedibus proculcatur? Quercu æternitatis symbolo Deboræ sepulchrum insignitur, Rachelis monumentum excitato viatorum pedibus puluere sordidatur? Quia Debora (inquit datus Philo de Congressu quærendæ, &c.) aluit patientiam, Rachel expoliuit formam. Latine *patientia, Hebraicè Rebecca vocatur.* Debora patientiam, virtutem optimam & custodiuit, & aluit; Rachel oris venustate resplenduit: ergo, vt nobis facer Textus vilem doctrinam traderet, Deboram expressit sub quercu sepultam, & Rachel puluere conditam. Redeat Philo lib. de Migratione Abrahami: *Viden, vt quercus procerâ in Sichen excreuerit? per quam subindicatur firmum, & solidum, nulla vi flectendum, frangendumve robur, quod viro ad perfectionem tendenti necessarium est ferendis laboribus.* Debora solida laude fruitur, quia patientia immortalitate donatur: Rachel verò sepelitur in via, quia venustas citissimè transit, & sordet. Euanidum plausum, dignitatum splendorem, diuitiarum congeriem sitimus, & permansura putamus, sed de industria nobis imponimus, cum volatica non ignoremus. Virtus immortalis est. Debora post mortem viridi arbore redimitur, Rachel via puluere sordidatur.

§. LXI.

Nonnulli ex solo corpore videntur constare, & de solo corpore curam gerere.

Fateor, (aiebat Senec. epist. 14.) *instam esse nobis corporis nostri charitatem: fateor, nos huius gerere tutelam; nec nego indulgendum illi, seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nihil timet, qui ad illud omnia refert.* Quisque sui corporis tutor est; hanc tamen tutelam adeò sollicitè plures agunt, vt nihil aliud

agant: de potiori parte non curant, erga corporis commoda indefesso studio laborant. Ita nos debemus gerere, vt non viuamus propter corpus, etsi non possimus sine corpore viuere. Profectò cui corpus nimis charum est, honestas vilis est: urgente infirmitate, tota familia occupatur in remedijs parandis, in medicis consulendis; de anima aut nulla, aut exigua cura est. Absalom titulum sibi erigit reponendo corpori magna operositate elaboratum, & pretiosis marmoribus expositum. *Absalom exeret sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis.* Non solum de corpore curauit sanus, sed etiam in mortis limine constitutus; nam telis transfuerberatus, & præsentaneæ mortis angustijs pressus, totum eius studium fuit, inducias exorare, vt cadaveri posset honorabile sepulchrum extruere. Hieronymum audi apud Glos. *Tradunt Hebræi, quod depositus de quercu petierit sibi inducias, antequam perimeretur, vt faceret sibi titulum.* Eadem, quæ in vita, tractauit in morte: & cum opus erat animæ prouidere salutem, ac si solum constaret corpore, de corporis curauit honore. Honestum funus ambiuit, condiendo corpori titulum insignem erexit, & orco infelicem animam tradidit. Videas nonnullos inter amaras imminentis mortis angustias animam prorsus oblitos, sed de euanida funeris pompa, de posteritatis incrementis sollicitè studiosos, anxie sollicitos. Absalom telis confossus, morti vicinus, quæ antea, mente reuoluit, & corpori titulum erigere sitit. *Periit sibi inducias, vt faceret sibi titulum.* Isaac cæcus refertur, cum diem obitus adesse non dubitans, delicatas epulas expetiuit, & Esau diuitias impertiri curauit. *Cum venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Gen. 27. v. 3. Mortis proximitas consulebat conscientiam repurgare, & quid futurum, mente reuoluere, non delicatas, & bene conditas epulas exambire; & tamen Isaac, dum inducitur cæcus, refertur corporis studiosus. In Isaac totum erat arcantum, sed mysterij penicillo sacer Textus cæcorum delineauit errata, adumbravit studia. Sic cæcutiunt, vt morti etiam proximi corporis solum curam sollicitam gerant, nec animæ meliori parti prouideant. *Habent parentes* (aiebat Oleari. hic ad Mor.) *idola sua, que colant, nempe filios.* Adnectit: *Ecce de quibus sollicitantur parentes in hora mortis. Nam qui debent aliena restituere, propria pauperibus largiri, solum de ditandis filijs cogitant.* Proh hominum amentiam! Proh frequentissimam stultitiam! En Isaac insipientium vmbra gerens, morti proximus, palato discupit edulij saporatissimis adulari, & filium copiosis facultatibus adaugere. *Solum de ditandis filijs cogitant.*

§. LXII.

Tranquillitas Reipublicæ perturbatur, si ambitio debi:um virtuti honorem assequitur.

Detrimentum constat esse Reipublicæ, si honoribus fulgeant indigni, quibus post bellicos sudores refulgere debent armati. Equabilis præmiorum distributio nutrit pacem: & est calamitatis præsagium, si ignauia, aut ambitio præriperit virtuti præmium. Huc voco Cassiodorum 5. Var. 38. *Hoc est civilis euersio sine oppugnatione dissidium.* Tranquillus Reipublicæ sta-

tus eueritur, si quibus, accepta de hoste erat remuneranda victoria, potiatur præmijs ignavia. Vbi Textus retulit Israël prælium, aduenit & casum. *Omnis Israël fugit in tabernacula sua; porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in Valle Regis.* Ni tituli aliquomodo ad stragem pertineret erectio, importuna videri posset relatio: verum, vt latere aliquod nos edoceret arcanum, titulum coniunxit, & casum. Triumphalis fornix ad triumphantis de hoste præmium erigebatur. Saül, attritis Amalecitis, sibi fornix triumphalem erexit, antea non extruxit. *Nuntiatum est Samueli, eò quòd venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornix triumphalem.* 1. Reg. 15. v. 12. Itaque triumphatoribus, non ignavis fornix erigebatur, & tamen permixtus est Absalom sibi erigere, & ibi manum ostentare. Hugonem audi: *Hunc titulum putant quidam fuisse arcum triumphalem, qui dicitur fornix, in quo sculpta manus Absalom.* Vt hostium victrix, plaudebatur ignavia Absalonis manus. Et quæ ab hac manu opera grandia? Dolosa fratris cæde rubere, & prolixam comam muliebriter expolire. Ergo vbi ignavia ambitio eis honoribus utebatur, quibus deuictio hoste, reportatæque victoriæ, virtus strenua fruatur, nec pax diuturna potuit florere, nec dissidijs tranquillitas non turbati. En vbi tituli refertur erectio, populi etiam ruina proditur, quasi fuerit calamitatis prælagium, ignauo concessum præmium. Cum Samariam gentes possiderent, simul Deum, & idolum adorabant. *Cum Dominum colerent, dijs quoque suis seruebant iuxta consuetudinem gentium.* 4. Reg. 17. v. 33. Quid tunc? *Immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* Ecqua huius stragis causa? Profectò eundem honorem figmento pendere, & Numini dilargiri; vbi idolum contemptu dignum, resplendebat debitis Numini plausibus celebratum, non potuit Respublica non dilaniari, nec leonum voracitatem effugere. *Multiplicata fuerunt ibi bestie (inquit Lira) in pœnam suæ idololatriæ.* Timore concutiebantur, obnoxij discriminibus premebantur, dum indignis pendebant plausum, & cultum. Manus Absalonis fratris polluta sanguine, triumphali sculpta resplendebat in fornice, & populus miserabili succumbebat strage, quia si ambitio assequatur virtutis præmium, Respublica properat ad occasum.

§. LXIII.

Quia euandis insumimus, tempore ad vilia caremus.

Ireuoabilis est temporis iactura, & tamen non solum sinimus elabi, sed perdi; non consideramus aliarum rerum iacturam reparari posse, temporis nequire. *Fac mihi Lucile, (monebat Senec. epist. 1.) quod facere te scribis, omnes horas completere: sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris: dum differtur, vita transcurrit.* Ex crastino ad salubria pendemus, quia hodiernum euandis, ac futilibus tempus insumimus: dum differimus honestis admouere manum, elapso fraudamur tempore, nec licet reuocare, quod plectendis malimus impendere. Absalom in expolienda cæsarie, in erigenda sibi superba fornice prolixa temporis spatia consumpsit. *Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in Valle Regis.* Hunc titulum triumphalem fuisse fornix, tradit Hugo: *Hunc titulum putant*

quidam fuisse arcum triumphalem, qui dicitur fornix, in quo sculpta manus Absalom. Tempus profudit infanis fabricis erigendis, nec habuit, qua se ab arboris ramis extricaret, manum, quia construendo titulo addixerat, & constructo ambitiosè insculperat detornatam. Caruit necessatio tempore ad extricandam, præcidendamve comam, quia in expolienda insumpsit, & perdidit. *Vidi Absalom pendere de quercu,* nuntiauit miles, & celeriter Ioab repetitis iaculis vulnerauit. In mortis limine tradunt Hebræi anxie inducias sibi ad disponendum funus expetiuisse, nec impetrasse. Ita Hierony. apud Glof. *Tradunt Hebræi quòd depositus de quercu perierit sibi inducias, antequam perimeretur.* Tempore eguit, quod in construendo titulo inutiliter profudit, & perdidit. Titulum pulcherrimam sui fuisse imaginem, tradit Iosephus apud Glof. *Absalom constituerat sibi statuam regiam in valle, qua duobus stadijs ab Hierosolymis aberat, quam appellauit manum suam.* Itaque Absalonis studium fuit erigere pulchram statuam, magnis sumptibus euandam emere gloriam: ergo dum euandis, ac futilibus tempus insumpsit, quo sibi consulceret, tempus non habuit: inducias petiuit, nec impetrauit; fas enim erat, vt, quod malè collocarat, careret tempore, & infelici periret morte. Vita pluribus elabatur, dum ambiunt dignitates; dum terunt Magnatum limina, dum construunt sibi citò abituris palatia. Etiam cum iam mors vrgeret, tempore carent, seræque pœnitentiæ precantur inducias, vt salubres exerceant operas. O si aperirent homines oculos, dolerentque tot annos rebus inutilibus impendisse, & pro futuris ingemiscerent non dicasse! Ex crastino semper pendent, quia manum ad honesta non admouent. In futurum nostra mittimus, nec expendimus, quam celeriter fugacis, ac lubrici temporis possessione abufos expugnat morbus, aut casus. Ea est stultitia mortalium, vt tempus rem pretiosissimam, & cuius iactura reparari nequit, paruipendant, & fugiendis insumant: à tempore bene, aut malè collocato æterna pendet felicitas, aut calamitas; & negligimus honestis, serijsque rebus dicare, & prouidenter colligere. Video Sobnam eodem tempore otiosum, operosumque argui. *Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelsis memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.* Ecce Dominus asportari refaciet, sicut asportatur gallus gallinaceus. *Isai. 22. v. 16.* Mirares: otiosus illis verbis: *Quid tu hic?* arguitur, & simul actuosus in memoriali construendo refertur: *Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelsis memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.* Si tanta egit sollicitus, non quiescit otiosus, & si carpitur otiosus, quomodo laborauit sollicitus? O vtilem nobis eruditionem! Nihil egit, quia tempus volaticis, & fallacibus dicauit: *In petra tabernaculum tibi.* Duplex culpa, honestis non studuisse, & relinquendis citissimè laborasse. Tempus Sobnæ non solum elapsus est, sed amissum, & plectendis impensum: citò asportandus operosum tabernaculum sibi extruxit, & dum asportatur, nihil egisse cognouit. Audi datum Senecam: *Magna vite pars elabatur, malè agentibus; maxima, nihil agentibus; tota, aliud agentibus.* Aliud agunt, quam tenebantur, agere negligunt, & opportunum ad virtutem tempus nacti, vanissimis impendunt improuidi. *Sobnas (inquit Hieron. apud Glof.) superbus, lupus rapax, hic timore perturbatur.* Intentus erat rapinæ ad superba construenda ædificia, nul-

lus erat ad pauperum leuamenta : ergo quia defunctus fuerat virtuti, & operosissimus vanitati, acri timore concutitur : asportatus est, rationem temporis redditurus. *Lupus rapax timore perturbatur* : vt etiam Absalom impendente morte concutitur, & cum sibi tempore egebat, caruit, nec quas inducias petiuit temporis impetrauit.

TEXTVS.

VERS. 19. Achimaas autem filius Sadoc ait : Curram, & nuntiabo Regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.

§. LXIV.

Militi non licet quid sine Ducis licentia tentare, etsi præsumpserit plus seruire.

CAstrorum vtilissima disciplina floret exacta militis obedientia : alia errata facile Martem sequato dissimulantur ; ab obedientia vel tantisper resilire, fenerissima distractione punitur. *Assidue dimicantibus* (aiebat Cassiod. 1. Var. 11.) *difficile est morum custodire mensuram* ; Sed necessarium, nullatenus temerare obedientiam. Satis non est profutura tentare, si contingat ducem latere ; nam militi vel parva victoria imputatur ad pœnam, si proprio arbitrio aggrediatur pugnam. Achimaas cursus velocitate ceteros supergressus, facultatem à Ioabo petit, vt reportatam de hostibus Dauidi denuntiarit victoriam, & anticiparit lætitiã. *Achimaas autem filius Sadoc ait : Curram, & nuntiabo Regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.* Si accelerando nuntium, gratum Regi exhibendum putat obsequium, cur non inuolat, sed expectat ? Quia militaris disciplina non permittit sine Ducis placito quid tentare, etsi videatur vtile fore. Achimaas etiam ad Regis obsequium è castris noluit discedere, ne castrensem disciplinam videretur negligere. *Ab eo petiuit* (inquit Abul. q. 21.) *an deberet nunc ire ad Dauid ad nuntiandum ei.* Ausus non est sine ducis licentia abire, & quæ putabat læta Dauidi, nuntiare. *Chrysantam laudauit Cynus* (scribit Plutar. in Quæst. Centur.) *quod obruncaturus hostem, sublatumque tenens gladium, vt tubam audiuit receptui canentem, hominem missum fecisset, nec vt prohibitus percussisset.* Hoste iugulato triumpharet, sed tubæ non obediret : ergo amisit triumphum, ne temeraret præceptum. Cato maior filium admonuit, vt, si iam exauthoratus esset, domum repeteret, si verò in castris esset, duci exactissimè obtemperaret. Audi datum iam Plutarcum : *Cato maior in epistola quadam ostendit, scribens ad filium, cui præcepit, si exauthoratus esset, completis stipendijs, vt reuerteretur domum ; aut si remaneret, copiam à duce vulnerandi, & occidendi hostes pereret.* Itaque militi non licet quid aggredi sine licentia, etsi approbarit ausum fortuna. Occasionem occidendi Saulem nactus Abisai, manum continuit, & Dauidis licentiam expectauit. *Dixit Abisai ad Dauid : Conclussit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas : nunc ergo perfodiam eum lanceâ in terra semel, & secundo opus non erit.* 1. Reg. 26. v. 8. O inertem militem, tuæque obnitentem fortunæ ! Quid tibi gloriosius quàm sæuum hostem occidere, & expetendum

Principi triumphum offerre ? Imò, ô disciplinatum, & morigerum militem ! Si iniussus percuteret, victoriam gratam omnibus reportaret, sed contra disciplinam militarem delinqueret, ergo maluit parere, quàm proprio arbitrio triumpho coronari. Notauit Nost. Sanct. *Cum Abisai alter è duobus, quos sibi Dauid ad nocturnum illud opus socios assumpserat, cerneret in eo rem esse statum, vt facile res tota vno tantum ictu posset absolui, licere sibi peti à Dauid.* Sine ducis licentia, rem ad eò gloriolam aggredi non præsumpsit, sed magis parere voluit. Achimaas etiam ausus non est sine ducis facultate è castris abire, licet ambiret gratum Principi, vt putabat, nuntium deferre.

§. LXV.

Sic aliquando scelesti incidunt in supplicium, vt speciali prouidentia agnoscatur dispositum.

Svæ Deus iustitiæ præuaricator non est, diu vt pœnitentiæ spatia concesserit, differt pœnas exigere, sed tandem tarditatem seueritate compensat ; & ne suã sibi detraxisset patientiã videatur, sic punit, vt speciali prouidentia pœnas exegisse non dubitetur. *Quæ enim præsumptio* (aiebat Cassiod. 3. Var. 13.) *plectenda non audeat ; si sacre iussionis reuerenda contemnat ?* Plecti debet detestanda impietas, ambitiosa temeritas, rapax alienorum cupiditas ; aliter namque impunitas iura euerterent, & nihil inconcussum relinquerent. Quod si prauitas nimis gliscat, & audeat, non solum Deus pœnam decernit, sed speciali supplicium prouidentia disponit. Bene hoc nouerat Achimaas, inuolare gestiens, vt Deum iudicium fecisse contra Dauidis hostes, denuntiet. *Curram & nuntiabo Regi, quia iudicium ei fecerit Dominus de manu inimicorum eius.* In Absalonis supplicio specialem Dei agnouit prouidentiam, & id eò ei adscripsit vindictam : *Quia iudicium fecerit ei Dominus.* Et quidem non fuisset insolitum, Absalonem lanceis ab aduersario transfigi, à militibus vulnerari, erat tamen rarum, arbori crinibus illigari, & inter cœlum, terramque suspendi. Quod si inquiras, cur Deus arbori tradiderit, & suspensum hostili mucroni obiecerit ? Respondebit Abulensis, Deum auctorem supplicij videri voluisse, ne quis cœlestem æquitatem arroderet, prouidentiamque sugillaret. Iurè Achimaas illatam Absaloni pœnam Dei appellauit iudicium, quia non erat solito inflata, sed modo speciali illata : *Nuntiabo Regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.* Iudicij nomine denotauit, non solum eò in supplicio manum apparuisse humanam, sed diuinam, cum Absalom non solum fuerit telis transfixus, sed criminibus etiam suspensus. Audi Abul. q. 21. *Dicitur Deus dare iudicium, quando facit aliqua, quæ manifestè apparent venire ex ipso pro peccatis hominum.* Ea aliquando hominum sunt peccata, vt Deus sibi erroget inflatam pœnam, & cœlesti manui attribui velit vindictam. Addit Abul. *Absalom valde peccauerat, & Deus puniuit eos, qui erant de parte sua, trahendo in manus seruorum Dauid, & quia non poterant regulariter pauci de seruis Dauid resistere tanto exercitui Israëlitarum, apparuit hoc specialiter esse à Deo, id eò vocatur iudicium eius.* In Israëlitarum, Absalonisque deuastatione cœlestis apparuit mulcta, & præter humanam consuetudinem ipsum Deum

vindicem promulgauit illata pœna. Ad propria redeuntem Prophetam, Dei mandatum transgressum leo occidit, & occisum asseruauit. *Leo stabat iuxta cadaver.* 3. Reg. 13. v. 24. Inquires, cur carniuora fera corpus non deuorarit, aut cur se in syluam iterum non receperit: Perseuerauitne, vt ieiunans Prophetam confunderet, & homines ieiunare edoceret? Profectò cum ob ieiunium temeratum castigasset Prophetam, erubuit carniibus saginari, & sibi mensam apponere. Si deuorasset, mors leonis adscriberetur truculentia, non iustitia; ast dum intacto corpore perseuerat, supplicium à Deo prouenisse declarat. Sæpè namque Deus illatam pœnam vult sibi adscribi, non casibus assignari. Innuit Rabb. apud Glossam: *Leo, qui uiuentem presumpsit occidere, ausus contingere non est occisum.* Ipla leonis abstinentia, à quo fuerit pœna illata, ostendebat, & se iustum carnificem declarabat.

§. LXVI.

Magnatum scelera fouentes, aliquando statutam à lege frustrarunt pœnam, sed seueriorem soluerunt Numini multam.

INter humanos errores non infrequens est, Magnatum sceleribus suppetias ferentes, se præsumere prorsus immunes: & quidem statas humanis legibus sæpè eludunt pœnas, sed incurrunt cœlestes iras. Læsa contra præuaticatores clamat iustitia; cumque Deus suæ perspicaciæ præuicator non sit, inultum non patitur scelus intrepida, audacique præsumptione commissum. Plurès Magnatum assentatores, quia non extendunt ad futura prospectum, ad iniqua ferunt auxilium; nouerint tamen, satius illis esse illatam ab humano iudice pati pœnam, quam cœlestem experiri vindictam. *Illud maxime (aiebat Theod. 3. Var. 15.) inultum esse non patimur, quod in contemptum nostræ iussionis constat admissum. Quæ enim præsumptio plectenda non audeat, si sacra iussionis reuerenda contemnat.* In audacem, plectendamque præsumptionem sæpè iudices non protulere sententiam, quia Magnatum verentur ingratiæ: at cum potente potentior sit alius, seuerissima pœnâ punit, quos adulatio, aut metus absoluit. Abfalonis partes secuti, filij impietatem fouerunt, & audacem contra parentem pientissimum incitarunt. Quid tunc? Exigua manu profligantur attriti, qui ab omni pœna sibi videbantur exempti, humana non verebantur tribunalia, sed experti sunt cœlestia iudicia: *Curram (aiebat Achimaas) & nuntiabo Regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.* Quid nuntiabis? Non solum (ait) copiosum armatorum exercitum, exigua manu fugatum, sed Abfalonem crinibus profunde suspensum. Nuntiabo multò plures ferarum rictibus deuoratos, quam gladio occisos: *Multò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi, quos vorauerat gladius in die illa.* Sup. v. 8. In saltu à carniuoris, truculentissimisque bestijs plurimos deuoratos fuisse, tradit Caiet. *Sylua multiplicauit feras ad vorandum vagantes per syluam.* En Abfalonis comites, & fautores quique eius potentia tuti supplicium non verebantur humanum, iudicium incurrunt diuinum: *Iudicium fecerit ei Dominus.* Iudicibus non sistebantur puniendi, sed trucibus tradebantur feris vorandi, vt cœlestem

experirentur indignationem durè puniti, qui sibi impunitatem pronuierant, Abfalonis potentia, auctoritateque armati: pro sepulchro ventres ferarum habuerunt, qui impietati præbere suppetias non recularunt. *Dicitur Deus dare iudicium (verba sunt Abul. q. 21.) quando facit aliqua, quæ manifestè apparent venire ex ipso pro peccatis hominum.* Impietati fauentes, fœdis Abfalonis libidinibus patrocinant, existimabant euafuros se pœnam, sed ferarum truculentissimam sunt experti sauitiam: vt notum omnibus fuerit, Magnatum scelera fouentes, etsi euadant humanam, sustinere cœlestis Iudicis iram. Israëlita Regia fide, promissisque illecti, è pristinis sedibus se in Ægyptum conferunt, tanquam ad alteram patriam, ibi tamen acsi belli iure captiui, non ferendis iniurijs afficiebantur, & immetatis oneribus premebantur: nullum illis erat præter patientiam, lachrymasque contra Pharaonis ministrorum sauiam violentiam auxilium. Verùm Deus eorum calamitatis miseratus, bonis spebus fouit, & Moysem virga obarmatum delegauit. Moyse delegatus, & Pharaonis Deus constitutus populum depescebat exfolui: *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Exod. 5. v. 1. Pharaonis sauitia recrudescibat; cumque serui nihil à potestate verentur humana, eius fouebant, & promouebant consilia; tulerunt tamen cœlitus immissa flagella. Flumen virgâ percussus undas cum sanguine commutabat, undantia ranarum agmina aures importunis clamoribus referiebant, locustarum imbres fruges falcimaturas vastabant, sol intempestiuè radios retrahebat, & caligo offusis tenebris viuos sepeliebat. Si inquiras, cur adeò cruentis flagellis vapularint? respondebit Basilus Seleuc. Or. 9. hanc pœnam diuinitus fuisse immisam, vt qui Pharaonis tecti potentia nihil non audebant, eiusque cupiditatibus faces subdebant, noscerent cœlestem iustitiæ vindicem pœnas exigere, & vanè fidos torquere. Basilium audi: *Flagellis diuinitus immisis Ægyptus vapulabat.* Lex contemnebatur, & omni timore abacto, sauitia debacchabatur. Verùm Moyse Pharaonis Deus reëta, inflexibilique virga vsus, tot, tantisque plagas ingessit, vt duriora paterentur tormenta, qui euasisse arbitrabantur supplicia.

TEXTVS.

VERS. 10. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare; filius enim Regis est mortuus.

§. LXVII.

Verus amor amati cupiditatibus non blanditur, imò arcere à desiderijs noxijs conatur.

PAtitur hoc mortalium conditio, vt inhærit ad noxia, respuat salubria. Vt obarata moneta pro legitima non semel habetur, ita falsatus amor legitimus esse putatur: verè amantis est consuluisse, quod expedit. Qui alterius infana fouet vota, qui explendis cupiditatibus præstat auxilia, qui furoris flabellat incendia, putatur

tatur amicus, cum reuera nocentissimus sit aduersarius. *Euclydes Socraticus* (scribit Plutarc. de Amore, &c.) cum fratrem dicentem audiisset: *Dispeream, nisi te vltus fuero, respondit: & ego, nisi, ut nos ames, tibi persuaserim.* Amicus fidelis erat, qui ardentem restinguebat iram, & fraternam persuadebat concordiam. Non est amoris argumentum annuere, & ministrare furenti gladium, sed frænare delirium. Achimaas cum existimaret faustum, gestiebat deferre ad David amarissimum nuntium, scilicet Absalonis interitum: *Curram, & nuntiabo Regi*: Verum Ioab vetuit, & sententiam demutare consuluit: *Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare; filius enim Regis est mortuus.* Rogant Interpretes, cur anhelus Achimaas desiderio restiterit, nec licentiam, quam avidissime expectabat, concesserit? respondētque hoc à vero, & legitimo amore profectum; nam cum Achimaas rem tentaret prudentiæ non congruam, non erat amanti annuere, sed refragari. Audi Abul. quæst. 21. *Ioab diligebat Achimaam, ideò volebat ei euenire aduersa, si tamen ipse nuntiaret David mortem Absalom, erat aliquid aduersum sibi.* Achimaas, dum cupiebat nuntium deferre, ignorabat sibi periculum maturare; ergo Ioab, ut verum ostentaret amorem, non est eius votis blanditus, sed refragatus. Non est sincerus amor, noxijs cupiditatibus annuere, adulari votis, sed obfistere inutilibus desiderijs. Saülem, quem somno inuenerat illigatum, dum proximius imminebat periculum, tentauit Abisai hastam eius trajicere, & molestijs Dauidem liberare. *Perforaui eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.* 1. Reg. 26. v. 8. David repressit militarem audaciam, prohibuit dexteram: *Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* David patruelis, & amici videbatur approbaturus consilia, imò promoturus desideria, præcipue cum ab expleto desiderio penderet tranquillitas, & regnum adeundi commoditas. Cur ergo vetat? Quia Abisai verè diligebat, cupiditatibus restitit, ex quibus grauis emergebat culpa, etsi regalis proueniret corona, Abisai anhelabat grande Dauidis commodum, sed perpetraret peccatum: cumque legitimus esset Dauidis amor, propria commoda neglexit, & ne Abisai sordidaret culpam, ruentem iam in eadem dexteram impediuit. Saül (inquit Lira) *per David à morte protegitur, cum dicitur: Ne interficias eum.* Saüli largitus est vitam, Abisai impediuit, ne iniquam expleuerit appetentiam, nec minus erga Abisai amorem commendauit, desiderio refragatus, quam erga Saül, vitam dilargitus. Nam generosus amor non blanditur, sed prodesse semper conatur,

§. LXVIII.

Ardor merendi extinguitur, si spes remunerationis aufertur.

Tolle spem, & cuncta cessabunt, artes alit, ad labores cogit, pericula alacriter subit. *Spes effectus* (aiebat Cassiod. 8. Var. 17.) *tedium laboris excludit.* Præmij spes ad laborem suggerit vires, dura emollit, aspera mellit. Si spem abstuleris, humanitas tota torpebit. Achimaas victoriæ nuntium deferre ad David exambit, & Ioab obnixis delegari precibus petit: *Curram, & nuntiabo Regi.* Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

tiabo Regi. Verum Ioab victoriæ lætitiæ ob Absalonis mortem in mœstitudinem testatur verendam, nec gratiam Principis ineundam: *Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia.* Ut ab studio retraheret, nullas illi strenas dandas asseruit, ut qui bene nouerat deferendi nuntij ardorem sopiendum, si spes aut elanguet, aut effugiat. Nullum fore laboris præmium, aiebat Ioab, quia victoriæ Absalonis excidio infausta, ut qui bene nouerat, spe ablata, cessaturum legationis ambitum, & sopiendum desiderium: *Non eris nuntius in hac die*: quia labor, inquit Caietanus, manebit irremuneratus: *Non inuenies annuntiationis præmium.* Idem fuit testari præmium deesse, & currendi ardorem procurare sopire; nam vbi spes deficit, & velocitas cursus elanguet. Christus Dominus Hierosolymam tendens de Passione sua diserebat, cum mulier fœminea auiditate, & filiorum persuasione thronos efflagitabat, adoratione præmissa. Crux erat parata, passio appetebat, Iudæorum exercitus cogebatur; Dominus de morte sua sermocinabatur, & discipuli thronorum desiderio æstuantibus, accedunt. Christus non ignorans, sed ad nostram eruditionem examinans, an exhaurire quierint Passionis calicem, sciscitatur: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Mat. 20. v. 22. Illi virtutis constantiam, aut dignitatum appetentiam inuictas vires ostentant, & se intrepidè labores quantumuis arduos subituros affirmant: *Possumus.* Chrysostr. in Cat. ait, aliter responsuros, ni spes præmiorum allicerentur: *Hoc ex desiderio promittunt; nec enim hoc dixissent, nisi expectassent audire, quod petebant.* Hinc oritur quæstio: Vnde scilicet colligat Chrysostr. aliter responsuros spes fraudatos, ac responderunt illecti? nam cum virium robur ab ambitu non dependeat, easdem vires habebunt siue exclusi, siue admissi. Quia illa, inquit Chrysostr. ad labores audacia spe præmiorum fulciebatur, & nutriebatur, qua ablata, iam fatiscebant vires, iam animus languebat, iam robur euolabat. Poterant spe armati, non possent nudi; nam vbi deficit præmium, nec robur viget, nec seruiendi ambitus floret. Ergo Ioab præmiorum spem abscindat, ut Achimaas ab itinere auertat: *Non inuenies annuntiationis præmium. Non eris nuntius in hac die.* Adde: quod si cui ob originis claritatem, aut egregiarum dotum celsitudinem obsequij debeatur reuerentia, & venerationis sint pendenda tributa, spes præcisus, aut negantur, aut segniter satis penduntur. Cum Dei Arca ad Azotios transfingisset, Dagonem, quem delusi numen venerabantur, è throno eiecit: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* 1. Reg. 5. v. 3. Sacerdotes casum occultentes, antiquo loco restituerunt, & ruinam dissimularunt. *Tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.* Parum iuuat humanum auxilium, vbi contra Dagonem cœleste pugnabat brachium: grauior priorum ruina sequuta est. *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & due palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.* Hinc throno non restitutus, imò ramansisse videtur prostratus. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Hinc oritur quæstio: Cur scilicet qui prius, ut iterum thronum occuparet, præstiterunt auxilium, postea denegauere suffragium? Quem nuper Deum obsequioso cultu venerabantur, cui litare victi-

Mat. 20. v. 22.

1. Reg. 26. v. 8.

1. Reg. 5. v. 3.

mas nitebantur, modò non erigunt, sed iacere obliuiosi sinunt? Ecqua discriminis causa? Iam, ni fallor, sacra Scriptura innuit, dum caruisse, quibus largiretur, manibus retulit. Vbi præcis manibus, nihil poterat dilargiri, spes adorantium olim euauit, & cum spebus cessauerunt adorationis officia, & adstantium etiam frequentia: iam multitudo non confluebat, iam mensa muneribus non redundabat; cum manum habuit, & cultum sortitus est, cum non habuit, auxilio iacuit prorsus destitutus. Prodest Rabban. apud Glos. *Dorsum tantum inuenerunt, fractis manibus, omnibus membris, quod idololatria fugam exprimit.* Iam adorantium fuga refertur, iam obsequentium olim obliuio proditur, cum carere manu conspicitur: *Fractis membris idololatria fugam exprimit.*

TEXTVS.

VERS. 21. & 22. & 23. Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuntia Regi, quæ vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntij baiulus. Qui respondit: Quid enim, si cucurrero? & ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij transiit Chusi.

§. LXIX.

Perseuerans constantia assequitur, votisque fruitur.

Perseuerantia, dum constanter contra impedimentum militare dignoscitur, victoriam reportasse probatur: & quidem dum credit posse desiderata assequi, adnuitur inceptum prosequi, & inuictâ constantiâ solet nancisci. *Magnum genus incitamenti* (aiebat Cassiod. 5. Var. 17.) *credere posse desiderata compleri.* Magnum incitamenti genus est, bene de largitoris liberalitate præsumere, & præsumptione plausibili prolectare; nam iam ipsa in rogando constantia eximium transit in meritum, & grata vi extorquet optatum. Rogauit Chusi Ioab ad nuntium victoriæ deferendum, designari: *Curram, & nuntiabo Regi*: Ioab humanis verbis denegauit, in futurumque distulit: *Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia.* O imitandam politicem? Sic renuit, vt non tam videretur denegare, quàm in commodius tempus differre. Achimaas institit: *Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi?* Sed Ioab iterum restitit: *Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntij baiulus*: repulsus adhuc adorat, & perseuerat: *Quid enim, si cucurrero?* Quid tunc Ioab annuit, & quod rogabatur, concessit: *Et ait ei: Curre.* Nonne vides, perseuerantiam obtinuisse, & victoriam reportasse? Si Achimaas repulsus semel desisteret, fraudaretur votis; ast vbi deuorauit repulsam, vbi humiliter repetiuit instantiam, audiuit: *Curre*: vota complexus est, perseuerans, & instans. *Propter eius importunitatem* (scribit Lira) *permisit hoc Ioab.* Qui initio restiterat, iteratis precibus annuit, & perseuerantia, quod desiderabat obtinuit, Chananea

opportunitate nacta, Christum, vt filia impertiat sanitatem, exertis clamoribus deprecatur: *Miserere mei, Domine fili David.* Mat. 15. v. 22. Christus arcano silentio fidem examinat, & perseuerantiam expectat. *Non respondit ei verbum.* Apostoli mulieris calamitatem miserati, precatores accedunt, sed ad Israëlites oves se missum, Domino assente, ora continuerunt. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël.* Apostolis tacentibus, mulier, quam afflictio premebat, non tacuit: audit tandem filiorum panem canibus non proieciendum, & repulsam ingeniosè retorquet: *Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Acti dicat. Etsi filij optata fruuntur mensa, canibus debentur decida; ergo, cum canis sim, micis fruar, nec aliter hinc discedam. Quid tunc Dominus? *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Si Apostolorum chorus pro muliere interuentor existit, quomodo non assequitur, cum muliercula gratam Christo vim intulisse referatur? O perseuerantiæ efficaciam! Apostoli magnis relucebant virtutibus; at, vbi non obtinuerunt, cessarunt; mulier verò deuorauit repulsam, & perseueranter clamauit precum prosequuta imitandam instantiam. Ergo, vt nosceremus perseuerantiæ vim, Apostolis semel petentibus non concessit, mulieri perseueranti Christus Dominus quod petebat, non denegauit. Prodest Basil. Seleuc. Or. 20. *Fiat tibi, sicut vis, tu filia medere. Tecum circumfer curacionis pharmacum.* Optatis potita est ob perseuerantiæ meritum, ob fidei margaritam. Huc voco Bernardum in Alleg. Thylm. ad Mat. 10. *Perseuerantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque perseuerantia neque qui pugnat, victoriam, neque palmam victor consequitur. Vigor virinum, virtutis consumatio est: nutritrix ad meritum, mediatrix ad primum.* Apostolorum oratio dum perseuerantia non fulcitur, votis ad speciem fraudatur: ast vbi perseuerantia auxit meritum, mulier assecuta refertur votum. Achimaas perseuerantiâ Ioab ad annuendum flexit, & desiderata impetrauit.

§. LXX.

Nimia, importunaque instantia solet extorquere, quod sibi non conuenit impetrare.

Quanta dementia est hominum! (aiebat Senec. Epist. 10.) *turpissima vota dijs insurrant* Repetitis precibus sæpè sollicitant homines, quæ specie videntur vtilia, sed re ipsa accipientis sunt detrimenta. Roganda est bona mens, exambienda prudentia, morum est sollicitanda elegantia; cætera ancipitia, & ambigua sunt: alijs commodum, alijs afferunt detrimentum. Verùm plures instanter deposcunt, non quod expedit, sed quod placet. Differt Deus votis annuere benignus, sed aliquando concedit veluti iterata prece coactus. Achimaas nuntium ad David postulat designari: *Curram, & nuntiabo Regi.* Ioab cum Achimaam diligeret, & legationem fore infaustam non ignoraret, votis non annuit: *Non eris nuntius in hac die*: Achimaas institit, delegarique postulauit: *Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi?* Ioab Achimaæ consulit, dum resistit: *Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntij baiulus.* Adhuc preces iterat, & Ioab precibus importunis diuehat: *Quid enim, si cucurrero?* Dux importunitate iam dilassatus cessit, & annuit: *Et ait ei: Curre.* Rogane
Inter

Interpretes: Cur quod modò cōcedit, antea denegarit: & cur, cum antea denegarit, concesserit: respondētque denegasse, quia quod postulabatur, Achimaas non expediebat, & tandem concessisse quodammodo importunitate coactum, & precibus iteratis compulsum. Prodest Abul. q. 21. *Ioab diligebat Achimaam: ideò nolebat ei aduenire aduersum sibi, quia tristaretur Dauid nimis, & non responderet ei gratiam pro labore nuntiandi.* Amor rellitit; obstinatio instat: ergo pertinax instantia impetrauit, & Ioab, quod non expediebat, concessit. Redeat Abul. q. 24. *Illud non fuit verbum iussu mis, sed permissionis, scilicet quia tantū me inquiras, si vis currere, curre.* Ac si dicat: ego consulebam tibi, negando, sed tu instas, votis euanidis indulgendo. Ergo curre: nam ego dilassatus importunitate permitto, lubens non abnuo. Nōne vides hac in imagine mirè expressum, quod apud homines frequentissimum? Deum, & amicos solent rogare sibi nocitura: renuit amor, sed sic instat importuna imprudentia, & improuida pertinacia, vt infeliciter assequantur vota, & compleantur studia. Thamneata instanter Sansonem rogat, vt problema sibi aperiat. *Fundeat apud Sanson lachrymas, & querebatur.* Iud. 14. v. 16. Sanson, ne exigit, monet, & nec parentibus referasse arcanum affirmat: *Patri meo, & matri nolui dicere.* Fœmina à lachrymis non abstinuit, sed continuis precibus fatigauit: *Septem igitur diebus conuiuij stebat ante eum: tandēque die seprimo, cum ei esset molesta, exposuit.* Vbi accepit notitiam, prodidit, & Sansonem satis offendit. Quantas importunitas attulerit importunæ calamitates, Textus non tacuit. Sanson sacreti prodicione offensus discessit, mulier alio nupsit, & tandem adusta anhelantibus flammis perijt: *Combusierunt tam mulierem, quam patrem eius.* Iud. 15. v. 6. Quam erat vtilior mulieri ignorantia, quam scientia! Si abstrusa non nosceret, non delinqueret, nec flammam ardentissimas sustineret; ast vbi pertinax instantia, vbi importunitate molesta Sansonem coëgit, calamitates sibi præmaturauit. *Iis (inquit Ambr. lib. 3. epist. 23.) atque ceteris talibus inuictus certè animus, muliebribus emollitus blanditijs, aperuit dilectam propositam questionem, & illa ciuibus.* Pertinax molestia, quod deposcebat, obtinuit, sed dum obtinet, sibi nocet; nam dum arcani notitia abutitur, flammis ardentissimis vstulatur.

§. LXXI.

A Superiore non semel dilectis commendantur vtilia, alijs iniunguntur molesta.

OMnes laudabili æqualitate complecti debet Superioris affectus, cum prudenti, & debita æqualitate boni regiminis suffulciatur status. Non dico personas dissimiles, & diuersas naturæ, aut originis dotes omnimoda æqualitate censendas; nam tunc nihil est ipsa æqualitate inæqualius; sed assero: Superiorem ita se gerere debere, vt nec degeneri aduletur adfectui, nec seruiat odio. *Periclitarentur grauius (aiebat Cassiod. 6. Var. 10.) boni mores, si aut solis diuitibus, aut corpore valentibus præstarentur tantummodò dignitates: dum multos inuenias excubias palatii refugere, qui magis possunt laudabili conuersatione fulgere.* Tranquillitas viget, querelarum clamor discedit, si superioris affectus

merita non proccadat, sed ratio munia, aut occupationes impertiat. Videbis non rarò Superiori acceptos ad honores eligi, non ad eò acceptis acerba iniungi. Achimaas inter alios cursus velocitate præcipuus nuntius ad Dauid discupit delegari: *Curram, & nuntiabo Regi:* Ioab, oportuniore decernit occasione legandum, modòque retinendum: *Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare; filius enim Regis est mortuus.* Ac si dicat: Hæc legatio carebit præmio, & forsitan Principis remunerabitur supercilio: ergo tibi nuntium opportuniore tempore referuo, quod & Principis in eas gratiam, & laboris consequaris mercedem dignam. En Achimaam detinet, & Chusi deferre nuntium iniungit: *Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuntia Regi, quæ Vidisti.* Quærent interpretes: Cur Chusi hanc iniunxit legationem, & alterius retardauerit voluntatem? Respondētque, Achimaam esse Ioab amicum, non ad eò Chusai acceptum: ergo cum hæc legatio satis esset molesta, Chusai iniunxit, & amico vtiliorem, commodiorēque legationem seruauit: *Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia.* Et quare? Quia hæc denuntiatio est infructifera, & laboriosa, alia erit vtilior, & commodior. Notauit Abul. q. 21. *Vt non iret Achimaas ad nuntiandum, misit Ioab alium, scilicet Chusi, quem non diligebat, sicut Achimaam, ideò non curauit, an nuntiaret prospera, vel aduersa.* Nōne vides Chusi non dilectum ad munus eligi satis molestum, & laboriosum, & dilectum Achimaam reseruari ad gloriosiora, & vtilia? Profectò Ioab plurimi imitantur stylum, & sequuntur exemplum: amicis, familiaribusque commēdant, quæ lucrum afferunt & honorem, alijs laboriosam difficultatem. Noë vndanti adhuc diluuiio, coruo explorationis munus iniungit, postea columbam emisit. *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Gen. 8. v. 7. Placidiore tempore iterum columbam misit, quæ ramusculum virentem attulit. Circa arcam emissus reuolitabat coruus, nebulosis vaporibus impeditus; nec tamen Noë reduxit ad antiquum profugium, & manum misit, vt columbæ ferret auxilium. Si velitari ad mores liceat, inquirendum venit: Cur columba emissã tardius, & cur ad arcam fuerit introducta celerius? Cur munus difficultatibus plenum coruo fuerit iniunctum, & columba, ex quo afferre quibat commodum, demandatum? sed solutio facilis est: Columba est auis familiaris, & domestica; ergo columbæ iniungitur delegatio commoda, coruo ardua, & difficultatibus plena. *Dicunt aliqui (scribit Abul. q. 7.) quòd coruus fuit interceptus aquis, vt non posset redire in arcam.* Patitur coruus naufragium; columba assequitur lucrum, quia coruus non ad eò familiaris, columba domestica, & quæ ramum detulit grata.

§. LXXII.

Irreuerentia genus est sollicitè munus ambire, & tractis moris poste à differre.

ALacriter incumbendū est muneri, præcipuè si studiosa sollicitudo exambiuat, & Principis beneuolentia precationibus allecta concessit. Contemnit quodammodo præcipientis mandatum, qui tractis de industria moris commissum sibi absoluere moratur officium; nam tunc & munus non sine detrimento vacat, & electus Principis

Iud. 14.
v. 16.Iud. 15.
v. 6.Gen. 8.
v. 7.

ad speciem iussa depretiat. Perfectionem necessariam rerum nequit apponere, qui, impetrato munere, constat moras longissimas protelare. *Tu iudicio nostro* (aiebat Cassiod. 5. Var. 17.) *electionique respondens, ostēdisti, quam fuerit indubitata perfectio, efficacissimis imperasse, quod queritur. Renuntias illicō completum, quod vix credi poterat inchoatum.* Pro vno efficaciter iussa exequenti inuenies, plures aded morosos, & tardatos, vt, quod ab eis penitus crederes absolutum, vix reperias inchoatum: indefessa sollicitudine quousque assequantur, inuigilant ambitiosi, sed postea immorantur de industria tardi. Chusi obediendi exhibuit formam, imitandam posteris reliquit ideam: ad Dauidem nuntius designatus, alacriter viam arripuit, incunctanterque munus absoluere festinauit. *Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuntia Regi, que vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit.* Non petiuit ad itineris expensas subsidium, non iniunctum distulit explere mandatum, sed imperantem celeritate honorauit, & rem, prout expediebat, absoluit. Notauit Abul. q. 2. 2. *Velociter iuit ad nuntiandum.* Plecibile esset, si morosus aded differret munus explere, vt iam omnibus esset compertum, antequam ad Regem perueniat nuntium; aliquam excusationis speciem habet, si moras neccat, qui munus non expetiuit ambitiosus, sed suscepit inuitus; ast qui sollicitus impetrauit, dignus est censura, si differt. Coruus mittitur explorator, sed ritē legationem non obiuit: *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Gen. 8. v. 7. Citō non potuit reuerti, quia circa arcam reuolitans, viam recufabat artipere. Opportunē Lira: *Dixit Hieronymus in lib. Hebraic. Quest. quōd exponunt Hebrai dicentes quōd coruus emissus de arca non fecit legationem suam, prout Noē intendebat, sed magis extra arcam volitabat, quarens ingredi in arcam.* Videbatur ad explendum munus disponi, sed reuera studebat coruus immorari: volitabat circa arcam, legatione retenta, cunctatione ceteris nocitura. Quid tunc? Noē moram non dissimulauit, sed columbæ legationem obire iussit: *Emisit quoque columbam post eum.* Id est cū coruus reuolitarer, nec legationem expleret, pro coruo misit columbam, ne tota pateretur Respublica, si prolixa aded coruo permittitur mora. Si Principes, gubernatorēsque culpabilem tarditatem exaugurando electum, punirent, & alium eius loco explendo muneri destinarent, non immorarentur electi, nec viderentur Principum contemnere iussa tardati. Ad rem Lira: *Emisit columbam, quia coruus non fecerat legationem suam.* Demandatum coruo munus non explebatur, & tota animalium Respublica patiebatur: Ergo Noē columbæ legationem commisit, & morosum coruum legatione priuauit.

§. LXXIII.

Gratitudo non debet differri, sed beneficium ipsum comitari.

Plures, accepto beneficio, dilata gratitudine, sibi inuident; nam ingratus nec inhonestam effugere potest notam, nec non retardare largitoris munificentiam. Ingratitudo sui pœna est, dum omnium conquirat inuidiam, & publicam subit notam: gratus ad vltiora sibi conferenda allicit beneficia, imò vrget grata violentia. Beneficium bene collocatum delectat, amissum benefactorem exasperat: beneficium celeri gratitu-

dine soluendum est, curandūque ne mora officium deturpanerit, aut minuerit. Qui, cū statim possit gratias referre, distulit, absolutē non est ingratus, sed nec gratus absolutē. Chrysippus apud Senec. 2. de Benef. cap. 18. beneficium, & gratitudinem pilæ ludo aptissimè comparauit: eius verba sunt: *Tunc cursum suum seruat, vbi inter manus vtriusque apte ab vtroque & iactata, & excepta versatur.* Addit disertē Senec: *Eadem beneficij ratio est, nisi vtrique persona dantis, & accipientis apreitur, nec ab hoc exhibit, nec ad illum perueniet, vt debet.* Vbi beneficium accepit, gratitudo reddere satagat, vt decorus ordo inter dantem, & accipientem feruetur, nec cursus hīc tarditate rumpatur. Ioab, vt ad Dauidem victoriæ deferret nuntium, Chusai elegit: *Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuntia Regi, que vidisti.* Chusai electionem adoratione compensauit, & expleto ritē munere honorauit eligentem. *Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit.* Non adorationem distulit electus, nec ante electionem adorauit ambitiosus. Notauit. Abul. q. 22. *Humiliavit se coram eo, quasi gratias agens pro hoc beneficio. Nam quod mitteretur ad nuntiandum hoc, putabat, quod erat sibi prosperum, & quod reciperet munera magna à Dauid pro tam bona annuntiatione.* Euestigiō secuta est beneficium gratiarum actio, ne dilatio exasperaret beneficium, aut gratitudinis nubilaret officium: nam tardē gratus non videtur omnino ab ingratitude nota exemptus. Cain, cū ad reddendas benefactori gratias non ignoraret teneri, distulit, dilationēque offendit. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Gen. 4. v. 3. Duplex culpa, tardē offerre, & inanimata eligere. Quid tunc Deus? *Ad Cain, & ad munera illius non respexit.* Nouerat eiusmodi obsequium, vt iratum quiret delinire, imo vt humanissimum etiam largitorem exasperaret. Diū noluit, qui serō dedit, auaritiæ crimine denigratus est; qui eximij beneficijs obstrictus, ipsa compensatione largitorem depretiauit, & parum debentis argumentum quæsiuit. Notauit Philo. lib. de Sacrif. &c. *Duplex seipsum amantis crimen: Vnum quod post aliquot dies, non continuo gratias egit Deo, alterum quod de fructu obtulit, non de primo fructu.* Ipsa mora testabatur diū noluisse, & solatio ipsa, quod acceperat, suis meritis applicasse: ergo dignus fuit, qui reijceretur, & exinceps muneribus priuaretur. Deus eliquatis terræ facibus hominem efformat, & imaginis suæ honore nobilitat. *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. v. 7. Serpens vbi hominem vidit respirantem, & tacentem, vbi vidit regno donatum, & mutum, vbi vidit Euam sibi adscribentem: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* v. 23. ingratum coniecit, & casurum citō præsumpsit. *Serpens erat callidior cunctis animalibus terræ.* Gen. 3. v. 1. In quo callidior? In eo, quod gratias statim non referentem intuitus, est futuram ruinam coniectura non improbabili suspicatus. Audi Rupert. lib. 2. in Gen. cap. 39. *Non suspirauit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plasta sui faciem, vt eum glorificaret, & ei gratias ageret.* Expendit serpens, fas esse gratias euestigiō beneficium concitati, viditque ora silentio premis; ergo minū gratum aggressus est dolosē subruere, & per mulierem, quam sibi Adamus adscriperat, cunctis dotibus dispoliare. Itaque vbi prima Adami respiratio gratias non perfoluit, animos

Gen. 8. v. 7.

Gen. 4. v. 3.

Gen. 2. v. 7.

Gen. 3. v. 1.

mos serpenti iniecit, præsumpsitque facile subruendum, quem silentio credidit denigratum. Chusi benefactori statim gratiam reddendam factis edocuit, & formam beneficiatis præscripsit: *Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit.*

§. LX XIV.

Ferè semper Principibus prospera denuntiantur, & infausta reuocantur.

MORIS est, Principi grata celeri festinatione nuntiare, & infausta sagacitate prudenti occultare. Ad Principis, Superiorisque notitiam tardè perueniunt inauspicata, vt citissimè felicia. *Inde autem ultrò requirimus* (aiebat Cassiod. 6. Var. 22.) *unde ad nos difficile venire posse, sentimus.* Sollicitè inquirebat disertus Princeps, quæ suspicabatur cælanda, aut præsumebat minuenda: nam quisque exasperantem satagit impedire notitiam, & quæ afferre queit tædium, à Superioris oculis amouet causam. Vt econtrà quisque gestit grata nuntiare, & ad nuntiandum cæteros sollicitat anteire. Ni Princeps per seipsum inquirat veritatem, ad eius integram peruenit rarissimè cognitionem. Iam Ioab Chusi delegerat ad bellum exitum denuntiandum Dauidi, & tamen Achimaas sibi etiam dari mandatum contendit, & importunis precibus vrget: *Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi? Cùm victoria esset Absalonis strage defœdata, nuntium Ioab videbatur infaustum, & patri acerbum: ergo Achimaas ab ea cogitatione conatur auertere: Quare vis currere, fili mi? non eris boni nuntij baiulus.* Adhuc Achimaas non quiescit, sed licentiam à duce extorquet: *Quid enim, si cucurrero? & ait ei: Curre.* Quærit Abul. q. 23. Cur Achimaas gestiuit deferre nuntium, quod etsi ob reportatam victoriam videbatur lætum, ob Absalonis stragem non dubitatur parenti amarum? respondetque apud se decreuisse, mortem silentio premere, & victoriam solùm denuntiare. *Achimaas, qui erat vir prudens, intendebat referre saltem ea, quæ erant prospera Regi, per quæ mereretur gratiam apud Regem, aduersa autem subricere destinauerat: unde quando quaesuit Dauid, quid esset de Absalom, coloratè conuertit sermonem, vt non exponeret veritatem Regi, ne contristaret eum.* En quidquid molestum, decreuit Achimaas silentio tegere, & quidquid gratum exprimere, quod & fecit, & ni Dauid sollicita indagatione rem integram procurasset dignoscere, relator ambiguus, coloratisque verbis adniti: cur inquisitionem frustrare. Sacra Scriptura hac in imagine nobis delineauit, quàm sit frequens Principi læta nuntiare, & inauspicata tegere. Omnia possidentibus deesse, aiebat Seneca, qui veritatem diceret; nam reuerà adulandi certamen est, quis blandiùs fallat, & veritatem industriùs tegat. Vbi Iacob, amoto lapide, Laban aduocauit oues, Rachel festino gressu patri nuntiauit: *Festiuans nuntiauit patri suo.* Gen. 29. v. 12. Postea ad sua reuertitur, quidquid sudatis adquisierat laboribus deferens: & res vsque ad diem tertium omnino latuit: *Nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob.* Gen. 31. v. 22. Cur recessus adeò tardè, & aduentus nuntiatu fuerit celeriter? Et cur alibi nuntius non exprimitur, cùm alibi referatur? Sed facilis solutio est: nepotem aduentasse, qui greges aduocaret, qui Rachellem sponsam duceret, erat lætum Labano

Gen. 29.
v. 12.

Gen. 31.
v. 22.

nuntium, discessisse verò, secum filias, greges, & idola deferens, satis amarum. Ergo quisque reuebat referre amara, & cæteros Rachel celeritate anteuertit, vt denuntiaret iucunda: *Festiuans nuntiauit patri suo.* Nam quisque gestit denuntiando prospera inire gratiam, & timet incurrere, inauspicata referendo, iram. Huc voco Hugonem Card. *Maximè torquetur in hoc, & hoc est, quod tertio die nuntiatum est Laban, quòd fugeret Iacob.* Sine auctore & tardè fugæ ad Labanum peruenit fama, aduentus citò notitia. Vt noueris, quàm sit verum, citò ad maiores læta deferri, & amara diù cælari.

§. LX XV.

Humilitas itineris docet compendia, vt citò ad virtutem valeas deuenire fastigia.

QUI citò ad perfectionis apicem desiderat peruenire, per compendiarium humilitatis viam conetur incedere. Plures sunt semitæ, quæ expeditæ obicibus comprobantur, & rectè tendere ad optatum finem noscuntur. Misericordia dum miseris succurrit, celeri gressu procedit, patientia dum labore non tardatur, festinate dignoscitur: verùm humilitas est via compendiarium, & breuissima. *Humilitas* (aiebat Ildebert. epist. 71.) *nomine intelligitur iustitie tanquam caterarum consummatio, & clausula virtutum.* Qui vera humilitate exornatur, omni iustitia resplendere censetur: & quidem tardè ad virtutis perueniet fastigium, qui non graditur per humilitatis compendium. Humilis seipso est vacuus, & ideò plus de cælestibus capit, & securiùs possidet. Iam Chusi viam alacriter arripuerat, cùm Achimaas, obrenta currendi etiam facultate, vt ad Dauidem nuntium detulerit, præcedentis non solùm æquat cursum, sed anteuertit etiam volatum. Citius peruenit, qui se itineri dedit posterius: & ne solùm cursus velocitati adscriberes, Textus compendiosam viam elegisse, nobis expressit: *Currens ergo Achimaas per viam compendij, transiit Chusi.* Viam elegit, qua citissimè perueniret: & quæ hæc via est? Profectò humilitas, nam cùm hominem, seipso denudet, & omni impedimento dispoliet, celeriter ad perfectionem transmittit. In Hebræo habetur: *Per viam vallis.* Vallis humilis, compendiosa erat semita, & breuior via. Innuit Abul. q. 24. *Per viam vallis, scilicet quia compendium illud erat per aliquam vallem.* Quis nesciat valle ima humilitatem signari? ergo vbi Achimaas per humilitatem incessit, citius quàm Chusi, ad Dauid Christi imaginem aduentauit: Chusi etsi veloci cursu contenderit, per serupulosa montium iuga incedens, non potuit gressum non remorari, difficultatibus retardatus, & obicibus frequentibus impeditus. Vallis erat via expeditior, & breuior: ergo Achimaas citius peruenit, quia viam compendiosam arripuit. Elifæus viduam à vicinis vasa mutua accipere, vt valeat creditoribus satisfacere. *Pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.* 4. Reg. 4. v. 3. Vt copiosiori oleo redundauerint ditiora, vasa vacua mutuanda præcepit, & nihil sibi vidua arrogare voluit: vasa erant aliena, olei clementa ingenti miraculo parta. Olim aiebat Helias: *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* 3. Reg. 17. v. 14. Lecythus ille non deficiebat, sed mirandis incrementis non redun-

4. Reg. 4.
v. 3.

3. Reg. 17.
v. 14.

bat,

bat, hinc verò redundat plenus, & copiosis proventibus diuitatus. Et quæ huius discriminis causa est? Quia Sareptanæ lecythus omnino vacuus non erat, ipsa testante: *Nisi parum olei in lecytho: alterius verò prorsus erat vacuus: ergo ubi maior vacuitas, & maior reperiebatur olei vbertas.* In vasorum vacuitate humilitatem agnouit Nazianzenus Ora. in laudib. Basil. Eius verba sunt: *Vasa, id, quod vix humani sensus capiunt, inanitione ipsa replebantur.* Ipsa humilitatis inanitione cœlestis olei erat inundatio: plus olei habuit vidua, quæ omnimoda vacuitate superuenturo oleo exhibebat vasa, quàm Sareptana, quæ nec omninò vacua, nec plena. *Lecythus olei non minuetur.* Tempus nequibat absumere, quod misericordia meruit sine detrimento conseruare; ast alterius viduæ vasa oleo exundarunt ditiora, quia omnimoda vacuatione repleta. *Inanitione ipsa replebantur.* Humilitas dum hominem plus euacuat, ipsa inanitione ad virtutum acquirendas diuitias præparat. Ergo dum Achimaas viam humilitatis elegit, & Chusi interuallis longissimis anteiuit, & ad Dauidem citius peruenit.

TEXTVS.

VERS. 24 & 25. Dauid autem sedebat inter duas portas: speculator verò qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem solum. Et exclamans indicauit Regi: dixitque Rex: si solus est, bonus est nuntius in ore eius.

§. LXXVI.

Dum milites Martio certamine sanguinem fundunt, decet Principem à delicijs temperare, & sollicitis curis vrgeri.

Debita est æstimationis indicium, vt amoris argumentum, Principem, dum sui ancipiti congressu decertant, delicijs prorsus renuntiare, & sollicitis curis vrgeri. Decertantis periculum à bono Principe abigit somnum, quia nescit delicijs indulgere, dum suos non ignorat decertando sanguinem fundere. *Laudibus vestris* (aiebat Cassiod. 10. Var. 9. Principem alloquutus) *iurè proficit, quando videtur crescere, quod ad nostræ Reipublicæ potest gloriam pertinere.* Ad Reipublicæ incrementum, ad Principis spectat elogium, si miles se strenuè gerat, & hostili sanguine rubeat. Militis manus ad laborem fatiscit, si ducem, Principemve indulgere delicijs nouit; vt econtra: pectus mucronibus non recusabit obijcere, si constet, non solum depræliantis sollicitudinem gerere, sed curis prouidentissimis inquietari. Hanc vtilem politicem Dauid edocuit, regalia deserens palatia, dum suis certaminis imminebant pericula. *Dauid sedebat inter duas portas: speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem, & exclamans indicauit Regi.* Iuxta excubias erat Princeps satis sollicitus, vt suis subueniret, si acerbus casus vrgeret, Notauit Noster Sanct. *Sedebat Rex, nec fortassis à matutina luce inde discedit.* Rationem subdit: *Vt si quid in acie accideret aduersi, commodius suos, quo possit modo, consilio, aut subsidio iuuaret.* Non

vacabat venationibus, studebat nullatenus voluptatibus: in porta aderat antelucanus, vt suorum curam gereret, & iuuaret. Et quidem pro suis anxia sollicitudo testabatur prouidum Principem, delicia infamarent inertem. Cum populus certamen cum Philistinis iniret, & Dei Arca castris adesset, Heli describitur pauore percussus, & timore acriter diuexatus: *Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Eratenim cor eius pauens pro Arca Dei.* 1. Reg. 4. v. 13. Video Heli, accepto duro nuntio, non adedè pauidum, & perterritum: audierat: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Sup. 2. v. 31. & tamen nec somnus recesserat, nec cura adedè actis animum inquietarat: *Heli iacebat in loco suo.* Cap. 3. v. 2. Hinc oritur dubium, si dormit prædictæ filiorum stragis certus, cur proditur dubio timore suspensus, & calentibus curis distortus? *Erat cor eius pauens:* Quia prius (inquit Lira) domestica incommoda vrgebant patrem, modò Arca, & militum Martiali decertantium in campo pericula ad ipsum spectabant, vt sacerdotem, & Principem; & licet domesticis infortunijs constiterit sibi magnanimus, Dei Arca, & militum dubia sorte quiescere non poterat anxio pauore percussus: inglorium sibi existimauit, si inertem indulgeret somno, dum sui Martiali cum hoste congregiebantur in campo: *Erat cor eius pauens* (inquit Lira) *magis quàm pro filijs suis.* Arca periculum, incertus prælij euentus Principem non permittebant quiescere, sed suadebant sollicitis curis aduri. Vt hinc nouerint Superiores, Principesque, quàm sit fas, à delicijs abstinere, & prouidenter inuigilare, dum ardent bella, & suos adurgent pericula.

§. LXXVII.

Præ aliis laborare debent solliciti à vigilantia, qui pro Republica celsa occupauere fastigia.

Bene antiqua moderatione prouisum est (aiebat Cassiod. 11. Var. 37.) *vt laboris sui pretia recipiant, qui publicis utilitatibus obsecundant: ne quis haberetur præteritus, qui probabili fuerat actione laudandus.* Fas est, vt probabili actione laudandus non conqueratur præteritus, sed & fas est, vt qui non habetur præteritus inuigilet publicæ utilitati dicatus. Ad honestum aliorum otium inscendit Superior celsæ dignitatis fastigium, & vt tranquillam potiantur quietem, debet ipse gerere sollicitam anxietatem: qui generalitatis curam non vrgeretur, dignitatem obscurare probantur. In ciuitatis aditu Dauid sedere dicitur, cum speculator è fastigio absoluit munus refertur: *Dauid sedebat inter duas portas: speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem solum, & exclamans indicauit Regi.* Nequiret Respublica placido otio frui, si Dauid calentibus curis non vrgeretur, & speculatore vigilantissimo non vteretur. Portæ eminebat fastigio, vt prouida perspicientia res à longè positas specularetur sollicitus, & oppansis oculis semper attentus. Innuit Abul. q. 24. *Posuerat Dauid speculatorem, vt cerneret, si quis veniret, & nuntiaret ei: iste autem erat in fastigio portæ.* Rex speculatorem in fastigio collocarat, vt cerneret, non vt dormiret, ergo ad fastigium elatus extendit profectum, & prænuntiauit venientis cursum. Sobna Princeps, & templi præpositus constituitur,

Isai 22.
v. 17.

tur, sed splendore muneris nutriebat superbiam, & inertem sectabatur ignauiam. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Isai. 22. v. 17. Sibi exciderat memoriale, construxerat tabernaculum, & solum, ut sibi confuleret, adiuerat dignitatis fastigium. *Sicut gallus gallinaceus* (inquit Glossa. Mor.) *qui non facit opera galli, sed galline; sic malus prelarus non facit opera prelati, scilicet verbo, & exemplo, sed magis opus muliebre, viuendo deliciose.* Qui in fastigio collocatus aliorum inertiam debuit excutere, & galli adinstar adesse iam diem dormientibus denuntiare, delicijs indulgebat, & excitare ceteros recusabat. O quot imitantur Sobnam! Militaribus insignijs nobilitati, non galli, sed opera exercent gallinæ: ad prelarum dignitatem euecti, non inuigilant, nec prouida voce aliorum ignarum excutere soporem tentant. Vnde Respublica grauissimum inde sustinere cogit detrimentum, vnde sperabat opportunum sibi subsidium. David sollicita cura inuigilat, ut speculator non dormiat: & dum suo quisque muneri satisfacit, Respublica floret.

§. LXXVIII.

Pauci sunt, qui nuntiare gestiant prospera plures, qui prænuntiare admittantur infausta.

Nescio, qui hominibus insit pruritus ad inauspicata denuntianda, & amara prædicenda. Infausti coniectores, infelices augures, quæ suspicantur, prædicere conantur aduersa; & hoc non, ut ad solertem excitarint cautelam, sed ut amaram anticiparint tristitiam. Nescias, quis sapor sit in infausto nuntio, in augurio infortunato: ad denuntianda læta temperatior est ardor, quia sopit inuidus liuor. Ioseph animi sinceritatem ostendit, dum lætus pincernæ prædixit felicitatem, & tristis, indecoram pistori mortem: *Restituet te in gradum pristinum.* Gen. 40. v. 13. Pincernæ felicem calamitatis exitum prænouit, & prænuntiavit, pistori verò infortunium (si Philoni credimus) moestus prænuntiavit, & tardius: *Auferet Pharaon caput tuum.* Si alius Ioseph esset, citius denuntiaret aduersa, postea felicia; cum frequenter homines, nescias, quam voluptatem capiant, amara prædicendo, infortunatæque denuntiando. Prodest Philo lib. de Ioseph: *Piget me esse infelicitatis nuntium, quia compatio miseris.* Verus, & pius coniector doluit prædicere calamitosa: *Piget me esse infelicitatis nuntium.* cum nonnulli infausti coniectores gestiant tristitiam maturare, & quæ molestiam afferunt, præuidere. Vbi speculator Davidi singularem hominem currere denuntiavit, bonum esse nuntium coniecit. *Si solus est, bonus est nuntius in ore eius.* Si inquiras, cur David faustum de singularitate currentis nuntium præsumpserit? respondébunt Interpretes, ex numero coniecisse, nam si calamitosus fuisset euentus, non vnicus deferret, sed aligera fama prædixisset. Opportunè Caict. *Si in fugam versus fuisset exercitus, non vnus solus appareret, sed multitudo.* Aliena felicitas exacerbabat inuidiam (nescio quid iucundum affert æmulationi calamitas) Ergo cum ex tristibus læticia, ex lætis promanarit nuntijs molestia, pauci sunt, qui gestiant læta nuntiare, & plures qui admittantur tristia prædicere. Ioseph etsi polymitæ elegantique tunica resplenderet ornatus, plus micabat, moribus expolitus: fratres in

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

uidia turgentes, meditatam eadem venditione commutarunt, & Ismaelitibus tradiderunt, utque dolum tegant, tunicam in speciem cædis hædi sanguine cruentarunt, ut illa mortis umbra liuorem fatiaret, & dolorem parentis incenderet: *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide utrum tunica filij tui sit, an non.* Gen. 37. v. 31. Ad cruentam deferendam tunicam satis erat vnicus, & tamen plures tulerunt; non enim ait: *Qui deferret, sed: Qui deferrent ad patrem.* Cur ergo tot deferrerent, nec subire munus refugiunt? Forfitan quia indigna voluptas ab infaustis nuntijs promanar, quæ referentem delectat. Inest (ut aiebam) infausta denuntiandi quidam pruritus, & dolorem incendendi degener semper affectus. Innuit Basil. Seleuc. Or. 8. *In speciem cædis vestem compositam, quasi sine sanguine inuidiam nequeant extinguere, patris offerunt manibus, morte mentita, ad verum luctum senem incendentes.* Si gaudij esset materia, vnus forsan deferret, at plures detulerunt, senis dolorem incendentes, & ex ipso dolore detestandam voluptatem captantes. Prudenter ergo David esse lætum nuntium coniecit, cum singularem currere, speculator nuntiavit: *Si solus est, bonus est nuntius in ore eius.*

TEXTVS.

VER. 26. Properante autem illo, & accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque ei Rex: Et iste bonus est nuntius.

§. LXXIX.

Qui planâ, rectâque viâ probantur incedere, tardius ad laboris premium soluant peruenire.

Qui rectum, planumque iter ingressi, nec compendiaris semitis vsi, ad laboris premium deueniunt tardius: qui secretas, & compendiaris inueniunt semitas, ad præmia inuolauere celerius, ex legibus viuens, & fraudes nesciens, morosius: qui alijs industrijs vtitur, assequitur citius. *Nullo quippe, ut plerisque moris est* (aiebat Theodor. de Cassiod. r. Var. 4.) *favore fortuna in cothurnum se magna potestatis erexit, sed aquirate cuncta moderatus.* Citius in cothurnum magnæ se potestatis erigeret, si fortunam artibus iniquis auget. Præmiserat Theodor. *Non fragili felicitate prouectus fortuna ludo ad apicem fastium repentinis successibus enolauit, sed ut crescere virtutes solent.* Virtutibus frequens est, paulatim crescere, alijs artibus est solitum ad magna præmia celeriter peruenire. Chusi acceptæ de hostibus victoriæ nuntius non sine præmij spebus delegatur, viam arripuit sollicitus, sed Achimaas ad Principem petuenit celerius. *Properante autem illo, & accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine ait: Apparet mihi alter homo currens solus.* Inquires: si Chusi præcurrit prior, quomodo peruenit posterior, & quomodo Achimaas, qui viâ carpsit posterior, per-

N n

uenit

uenit prior? Fuitne, quia Chusi semel iam muniti destinatus, processit lentus? Fuitne cursus pernicitate ab Achimaas victus? Certè ne nobis ambigendi maneret occasio, Textus causam antelationis expressit: *Currens Achimaas per viam compendij, transiit Chusi.* Nouerat compendiarium viam Achimaas, Chusi via processit solita, & re-cta: & licet vterque sollicito muneris adimplendi studio, & præmiorum cucurrerit desiderio, Achimaas per viam compendiarium citius peruenit, & victoriam denuntiauit. Ad rem Abul. q. 24. *Nesciebat Chusi methodum ad ciuitatem, vt breuiter perueniret, sed viâ publicâ gressus est, Achimaas autem sciebat viam compendij, & iuit per eam: vnde in breui processit ipsum Chusi.* Sæpè citius ad dignitates perueniunt tempore, scientiâ, rerumque notitiâ posteriores, quia viam compendiarium nouerunt, & fauoris, aut pecuniæ alis inuolantur. Prior Esau in campum tendit, vt allata venatione obtineret primariam: Rebecca filio confulit hædos afferre, & benedictionem fratri arcano dolo subripere: *Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris imple-ret, dixit filio suo Iacob, &c.* Gen. 27. v. 5. Vides multo tempore post Esau in agrum tendentem, citius aduentasse, & fratri benedictionem præripuisse? *Egresso Iacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri.* Si inquiras, cur Esau natu prior, iure ad speciem potior, tempore in patri obsequendo antiquior, ad patris venerit conspectum tardior, & ad præmium inuentus fuerit posterior? respondebit Textus, Esau fuisse ope destitutum, & Iacob fauore prælatum. Esau in campum tetendit, attulit venationem, coxit, & conduit: *Coctos de venatione cibos attulit patri.* Longum temporis spatium consumpsit in venando, in condiendo, in cibos parando: Iacob habuit, qui condiret cibos, disponderet, & pararet: *Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius.* Ergo qui nullo patrocinio vsus, nec laborem recusauit, nec præmium laboris obtinuit; qui viam compendiarium inuenit, exiguo labore, & breui tempore assecutus est. Audi August. lib. 16. de Ciuit. cap. 37. *Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis? que factio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Vt historia coloribus, & mysterij penicillis sacer Textus, quod sæpè accidit, adumbraret, edocuit, Iacob compendiarium via deuenisse citius, & præmiatum fuisse cumulatiùs, Væ soli, quantumuis meritis expolito, & temporis suffragijs prælato, si compendiarium viam non inuenit! nam ad præmium deueniet lentiùs, & remuneratione potietur tardiùs.*

TEXTVS.

VER S. 27. Speculator autem Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait Rex: Vir bonus est: & nuntium portans bonum venit.

§. LXXX.

Quoduis Magnatum vestigium linceis oculis denotatur, & actionum tenor proditur.

Liberum non est eximijs naturæ dotibus exornatis, origine clara exortis, aut ad dignita-

tum culmina elatis, se abdere, & suarum actionum notitiam industriâ cautelâ tegere. Nam, vt qui lucem defert, tenebrarum caligine nequit abscondi, quia constat lumine publicari, ita natalium, aut dignitatum lumine splendens, nequit oculos effugere, quia constat secum, quo prodatur, deferre. *Viam per obscurum transmittere* (aiebat Sen. Lucill. alloquens epist. 19.) *tibi liberum non est. In medium te protulit ingenij vigor, scriptorum elegantia, clara, & nobiles amicitie. Tanta notitia te inuasit, vt si in extrema mergaris, ac penitus condaris, tamen priora te monstrabunt: tenebras habere non potes, sequetur pristina lucis multum, quocumque fugeris.* Qui in vallium latebris commoratur, se potest abdere, notitiâque fugere; in montium vertice degens, nequit abscondi, quia ipsa cellitudo ostendit, & prodit, dicente Domino:

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Mat. 5. v. 14. *Quisquis magnus est, in omnium oculis est, quia perspicax attendit inuidia, aut quia ingens adest semper comitantium circumstantia.* Achimaas, & Chusi viam celeriter carpunt, vt ad Dauidem triumpho detulerint nuntium: vtrumque speculator à longè prospexit, sed solum Achimaas currendi modum notauit: *Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc.* Inquires, cur prioris currendi modum notauerit, & prodiderit? Quia prior, inquit Abulensis, erat sacerdotali dignitate exornatus, & origine clara exortus, alter verò miles gregarius, & ex multis vnus. Ergo cum Achimaas summi sacerdotis filius longè Chusai antecesserit dignitatis splendore, & generis claritate, eius vestigia notabantur, & noscebantur. *Erat* (inquit Abul. q. 22.) *filius summi sacerdotis, successurus ei in sacerdotio.* Chusi priuati hominis, qualia essent, vestigia non attendebantur, sed Achimaas gressus notabantur: *Contemplor cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc.* Filij Sadoc speculator attentè contemplatus est cursum, alterius non adeò curiosè notauit gressum. Aaronis ornatus non sine arcano mysterio in mala punica, & tintinnabula desinebat: *Ad pedes eiusdem tunice per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.*

Exod. 18. v. 33. Si inquiras, ad quid tintinnabula fuerint inserta, cum necessaria non videantur ad elegantiam ornatus, splendoremve cultus? respondebit Oleaster, ad vtilissimam deseruisse doctrinam. Voluit Deus admonere, pontificem secum ferre gressum vocalem, & tot linguis eius incessum prodi, quot tintinnabula eius oram videbantur ornare. Audi Oleastrum hîc ad Mor. *Ad quid, Domine, vis, sacerdotem tintinnabulorum strepitu intrare, & exire, domum tuam? Iam respondet: Vt audiret populus eius ingressum, & egressum.* Nequibat pedem mouere, quin audiretur, & notaretur incessus, quia tintinnabulis excitabatur auditus. Et quidem quæuis Magnorum actio & scitur, & proditur. Achimaas cursus notatur, Chusi non noscitur, quia alter dignitatis lumine clarus, & alter aut obscurus, aut minùs notus.

TEXTVS.

VER S. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad Regem: Salue Rex. Et adorans Regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit

Gen. 27.
v. 5.

Mat. 5.
v. 14.

Exod. 18.
v. 33.

conclufit homines, qui leuauerunt manus suas contra dominum meum Regem.

§. LXXXI.

Magnatibus coram profunda penditur reuerentia, sed à tergo tetra obmurmurat sæpè lingua.

Nullus refugit Magnatibus coram humillimum pendere obsequium, & venerationis tributum, aut quia adulatio suadet, aut, quia timor cogit. Verùm sæpè ipsi qui magnis laudibus, & elogijs extulerunt præsentem, tetra, venenataque lingua vulnerauere distantem. Obsequium fortunæ penditur, murmurationis sugillatione persona vititur. *Ipsos Quirites* (aiebat Tertul. in Apol. cap. 35.) *ipsam vernaculam septem collium plebem conuenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana.* Coram Cæsare (inquit Tertullianus) clamatis: *De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos*: sed, eo absente, longas excitatis querelas, & sæuas armatis linguas. Hanc veritatem subindicare videtur sacra Scriptura, dum notanter expressit coram Dauide Achimaas profundam adorationem exhibuisse. *Adorans Regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus.* Si retulit cum Regeloquentem, & adorantem, quid opus erat, illam particulam *Coram eo* addere, quandoquidem superfluum videbatur exprimere adorasse præsentem, cum dixerit ad Dauidem loqui adorantem? O vtilem nobis eruditionem! Certè dum Textus exprimit Dauidis oculis impendisse Achimaam humile adorationis obsequium, reuerentiæ venerabundæ tributum, subindicat Magnatibus adstantes pendere obseruantissimam reuerentiam, cum armauerint contra ipsos, si distiterint, tetram linguam. *Achimaas* (scribit Abul. q. 24.) *quando locutus est, adorauit Regem.* Adorauit, quem alloquebatur, & in cuius erat præsentia, quia Altis, si adsint, humillima adoratio penditur, si absint, fama sæpissime abroditur. Quidam de Pharisæis humillimis precibus Christum exorat, vt eius domum dignetur intrare, cibumque sumere. *Rogabat illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo.* Luc. 7. v. 36. Pro ingenti beneficio se testabatur habiturum, si Christus Dominus acceptauerit conuiuium, & intrare dignetur domum: hic idem, quem exterius colebat obsequijs, in corde denigrabat calumnijs, & audacibus sugillabat cauillis. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic, si esset Propheta, sciret vique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum quia peccatrix est.* Inquires, quomodo Pharisæus sibi ipsi factis contradicat, dum interiùs sugillat, quem exterius reuerenter honorat? Si officijs exhibitis virtutem deprædicabat eximiam, quomodo interiùs carpit petulans ignorantiam? Quia quem Prophetam non credebat, interna cognoscere non putabat: mensæ videbat adstantem, sed à corde existimabat absentem: ergo vtrumque coniunxit, & in præsentia exhibere reuerentiam, & in absentia audacem armare linguam. *Offendiculum passus* (scribit Euthy.) *hec dicebat, ignorans quòd cum Deus esset, propter peccatores homo factus erat.* Si Prophetam interna agnoscentem crederet, à murmuratione cessaret; ast dum sibi peruasus est, non vide-

Luc. 7.
v. 36.

re cordis abstrusa, in secreto cordis ignorantis asperit nota: *Hic si esset Propheta, sciret &c.* Vbi à corde absentem credidit, murmurauit, & præfenti mensam explicuit: nam Magnatibus ipsorum in oculis exhibetur humillima reuerentia, sed absentibus inuritur sæpè nota. Ad Christum accedunt Pharisæorum discipuli, ab eis edocti, & obtendere captiosos laqueos conati. *Magister sciimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Mat. 21. v. 16. Audis integerrimum, & veracem Mat. 22. prædicantes, & elogijs magnificis extollentes? v. 16. transi ad Matt. 27. v. 63. videbisque appellitantes seductorem, & fallacem: *Seductor ille dixit adhuc viuens, &c.* Cum secum pugnent seducere, & veritatem docere, inquirendum est, quomodo quem venerati sunt, vt veracem, iam sugillant, vt seductorem? Sed solutio facilis: Alibi habebant præsentem, alibi longè distantem: ergo cum ipse non audit, seductor est, cum audit, verax, & integer est. Tanta est differentia inter adultores, si Proceribus adsint, aut si ab eis distent. *Pharisæi* (inquit Chrysoft. in Cat.) *blandiebantur.* Præsentem efferebant elogijs, vulnerabant absentem linguis. Vt Magnates suspectos habeant in præsentia laudatores, quia in absentia mordaces.

§. LXXXII.

Victoria non tam Ducis aut Principis viribus applicanda, quàm Numini est adscribenda.

Ovid quid in homine relucet eximium, quidquid prosperum, Deo Auctori debet adscribi, & eius fauore, compertum est dimanare. Adulatio Principibus omnia defert, & tumorem insanum fouet, prudentia verò, quo auctore felicitas descendat, agnoscit, & Numini semper adscribit. *Quamuis dignitatem tuam* (aiebat Cassiodor. 6. Var. 20.) *à Consulibus descendere, nominis ipsius videantur testimonia declarare, tamen & insignia tanta circumstant, vt nullus possit ambigere, te de illius lampadis claritate lucere.* A Principe claritas præcipue emanabat, etsi per Consules deueniebat. Plurima solent ad nos ope, aut fauore hominum deuenire, sed ab Auctore hominum indubium est promanare. Achimaas videatur cui non bene politicus, nam cum missis armatorum agminibus, de hostibus victricia Dauid reportarit trophæa, ei non adscripsit victoriam, sed Numini testatus est applicandum, quod coniuratorum attriuerit insolentiam: *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclufit homines, qui leuauerunt manus suas contra dominum meum Regem.* Si alius esset Principi blandiretur, & faustis, iteratisque acclamationibus victoriam extollere adniteretur. Verùm Achimaas (inquit Abul. q. 24.) quantò ab adulatione remotior, tantò bonæ politicæ inuenitur proximior. Nouit, quo auctore, triumphus prouenerit, & noluit laudem subripere Numini, vt applicaret Magnati. *Laudat Deum* (inquit Abulens.) *pro bonis impensis.* Vtinam plurimi sequerentur eiusmodi exemplum! sed sibi, aut alijs applicant, quod prouenire à Numine non ignorant. Cælestis spiritus inuidtas vires Sansoni contulit. *Irruit Spiritus Domini in eum.* Iudic. 15. v. 14. Hoc robore Indic. 15. armatus, & cum ingenti Philistinorum manu con- v. 14. gressus, facile decantandam reportauit victoriam. *Interfecit mille viros:* Sed sibi applicuit, nec vt fas erat, Numini triumphum dicauit: *In mandibu-*

la pulli asinarum deleuit eos, & percussit mille viros. Certamine defatigatum adeo ardens fitis adusit, vt appetere mortem existimaret. *En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.* Mira res: Qui incircumcisorum phalanges deleuit intrepidus, iam pauit timidus. Ecqua timoris est causa? Quia cum deberet (inquit Ambros.) quo auctore victoria obtenta fuisset, agnoscere, suam maluit dexteritati applicare: ergo iure timore concutitur, qui arrogantiae culpa denigratur. Ambrosium apud Glos. audi: *Insolens rerum secundarum animus, qui debuit euentum pugnae diuino fauori, & praesidio referre, sibi arrogauit, dicens: In maxilla asini deleuit mille viros. Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolauit, negligens sacrificij, assumptor gloriae.* Vbi victoriae sibi gloriam arrogauit, periculum ingens incurrit, & incircumcisos extimuit: *Incidam in manus incircumcisorum:* quasi iam vereatur sibi denegandum subsidium, quia gloriae praesumptor adscripsit sibi trophaum. Gratitude vires aleret; arrogantia robur imminuit.

§. LXXIII.

Deus pro illo aggreditur bellum, qui pro Deo intrepidus processit in campum.

Qui diuini honoris zelotypus non veretur in Martium campum profligare, & cum hostibus decertare, pro se Deum sortitur propugnatores, quia diuina bonitas plus semper alluescit largiri, si videatur dignis actionibus obligari. *Tributa quidem nobis annua deuotione persoluitis* (aiebat Cassiod. 6. Var. 24.) *sed nos maiori vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates: vt vos ab incurfantium prauitate defendant.* Sibi oblatum Princeps compensabat tributum, dum contra incurfantium audacissimam auaritiam efficax opponebat remedium. Dauid ingenti coniuratorum manu impetitur; sed, Deo eius causam suspiciente, facile aduersarius prostermitur, & concluditur: *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum meum Regem.* Eo verbo, *Conclusit,* declarauit Achimaas, speciali Dei auxilio victoriam partam, & audaciam inimicorum repressam. *Quamquam esset Deus omnium* (inquit Abul. q. 24.) *videbatur esse specialiter Deus Dauid, quia miserabatur eius.* Consonat Nost. Sanct. *Dauidis nunc appellatur Deus, eam ob causam, quia Dauidis videtur suscepisse causam, & pro illo contra perduelles, & infidos dimicasse.* Si inquiras, cur Deus Dauidis causam specialiter egerit, & inimicos concluderit? respondebit Basil. Seleuc. Orat. 15. Dauidem pro Deo specialiter certamen suscepisse, & contra giganteum pugnasse. Adstabat gigas terribilis ad spectu, voce terribilior, terrorem minis ingeminans, & ad certamen singulare Israelitas prouocans: Saül in tumultu erat, Israel pauitabat expectatione seruitij. Hoc in rerum statu Dauid pugnam ad se rapit, & cum hoste congreddi animosus non timet: *Pugnabo aduersus Philistaeum.* 1. Reg. 17. v. 31. Diuini honoris zelo profilit in campum, & deuorauit periculum. *Dauid actus in bellum cum tali habitu in alienigenarum fertur propugnatores.* Praemiserat: *Deo contumelia dicitur: ecquis in pugnam non armetur?* Prae caeteris, vt diuino honori consuleret, ambiuit pugnam: ergo Deus speciali ope partam obtulit illi victoriam: *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum*

1. Reg. 17.
v. 19.

meum Regem. Moyses pro Deo cum Pharaone contentiosè decertat, nec tot subire labores, vt populum exsoluat, recusat: *Hac dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Exod. 5. v. 1. Caeca Pharaonis obstinatio Exod. 5. reluctabatur, sed inuicta Moysis constantia cum v. 1. pertinacia congrediebatur: pro Deo stetit victoria; Verum Pharaon nec tot flagellis eruditus, nec tantis plagis diuexatus resipuit, imò cum maiorem contra Moysen delectum cogeret, & confusa fluctuum volumina armatus intraret, Deum pro Moysse, populoque in acie stare, etsi tardè agnouit, & terga vertendo ostendit: *Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Caietanus ait; de nube Deum pro Moysse depugnasse, & eius hostes vicisse: *Ex illa columna nubis, quae erat in aère inter Israel, & Aegyptios, sensibilis actio emanabat contra Aegyptios.* Peculiari, sensibilique actione Deus Moysis inimicos attriuit, quia pro Deo Moyses in campum egregius agonotheta processit. Vt nouerint, qui Deum speciali aliquo obligauerunt officio, speciali etiam à Deo remunerandos obsequio.

§. LXXXIV.

Non sunt filiorum crimina parentibus exaggeranda, sed sub generalitate prodenda.

Insitus est à natura parentibus erga filios amor; & licet saepe indignis factis degenerarint, nihilominus naturali affectu amplectuntur degeneres etiam parentes. *Ipsis laboratur* (aiebat Cassiod. 2. Var. 14.) *ipsis diuitia conquiruntur.* Nesciunt paternae viscera malis etiam filijs deesse, imò eorum crimina fatagunt sollicita studiositate caelare. Vbi vidit pater Prodigum turpi nuditate foedatum, iussit celeriter vestiri, honori que prouideri. *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Luc. 15. v. 22. Notauit Chrysol. serm. 3. *A seruis ante vestiri voluit filium, quàm videri, vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.* Citò accelerari iussit ornatum, vt tegeter crimina, vt dissimularet errata. Frater senior, vt duras à genitore poenas exigeret, crimina fratris vulgavit. *Deuorauit substantiam suam cum meretricibus.* Seruus regit, & frater prodit, cum fratri nuditatem tegere, esset decorum, & vernulis vulgare, non rarum. Si inquiras, cur, vt indignationem euomerit pientissimum in parentem, fratris errores exaggerarit? respondebit Chrysologus, nihil adeo patri asperum, quàm filij prauitatem, crimenque prodi. *Sic sapit* (inquit Chrysol. serm. 4.) *qui patris audet iudicare pietatem.* Vt patrem affligeret, filij vulgavit erratum, quia non ignorabat fore parenti molestum. Prudentior apparuit Achimaas, qui, cum posset referre Dauid in parricidam filium caelestem iram apertè militasse, maluit sub generalitate referre. *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum meum Regem.* Et cur non ait: *Qui conclusit Absalomem coniurationis artificem, impietatis auctorem?* Quia cum prudens esset Achimaas (inquit Abul.) & sciret, quantam parentibus molestiam ingerant, qui filiorum culpas exaggerant, maluit sub pluralitate concludere, quàm dolorem parenti ingerere. Verba Abulensis. quæst. 24. sunt: *Ecce quàm cauè respondit Achimaas, nam solum tetigit de Israelitis, & nihil de Absalom, cum nominet homines pluraliter.*

De

De generalitate peccantium aliquomodo Absalonis crimen imminuit, quia nouerat, quàm sit molestum parentibus audire culpas filiorum exaggerantes, & exaggeratione viscera paterna ferientes. Ea nonnulli imprudentia desipiunt, vt apud parentem filiorum errores graui censura condemnent, nec animaduertant ipsam censuram contortam esse in viscera paterna sagittam. Vir à Deo missus, filiorum errata referens, & parentis crudelem pietatem arguens, aiebat: *Quare calce abiicistis victimam meam, & munera mea, quae praecepi, vt offerrentur in templo: & magis honorastis filios tuos, quam me?* 1. Reg. 2. v. 29. Si Heli filij victimarum erant raptores, si libidinibus inservientes, cur solum munus non legitimè inculauerit absolutum, & errorem digna seueritate non castigatum? *Quare calce abiicistis?* O viri, vt à Deo missi, prudentiam! retulit patri filiorum errata, vt nosset opus esse seuera correctione, non exaggerauit offensam, vt imitandam edocuerit politicam. Nam qui parentibus filiorum culpas exaggerauerunt, discruciant, & in politicem peccant; nec tam videntur charitate moueri, quàm degeneri affectu aduri. *Quia Heli* (inquit Lira) *tenebatur filios suos corripere de contemptu diuino, ideo dicitur hic magis honorasse filios suos, quam Deum.* Quae satis erant, vt pater salubri seueritate corrigeret, retulit, & sic retulit, vt molestiam deliniret.

1. Reg. 2.
v. 29.

praesumptissimèque, si tegeter, assecuturum: ergo, vt citius assequeretur praemium, confugit callidus ad mendacium. Notauit Abul. q. 25. *Vt ipse haberet honorem apud Regem, illo non tristato, mentitus est.* Si diceret Absalonem telis confossum, tristaretur Dauid acerbo nuntio, nec cogitaret de largiendo Achimaas praemio: ergo veritatem texit, scalpsit, corrupit. Vt hac in historia voluit in speculo videamus, quantum apud Magnates valeant adulatoria mendacia, & quàm raro assequatur veritas praemia. Achimaas veritatem falsus, Dauidem contristaret, cumque ad dilargienda praemia non sit opportunus mœror, & latitia sit aptior, ea solum retulit, quae Regem possent exhilarare, silentio pressit, quae tristitiam possent adducere: *Vt ipse haberet honorem, mentitus est.* Doëg, vt Saülis iniret gratiam, & assequeretur beneuolentiam, ad mendacia confugit, & factiosis calumnijs sacerdotem denigrauit. *Vidi filium Isai in Noue apud Achimelec filium Achitob sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum.* 1. Reg. 22. v. 9. In Ionatham, qui à cæde iniusta parentem arce-re conatus est. *Quare morietur? Quid fecit?* 1. Reg. 20. v. 32. Saülis aded ira efferbuit, vt nisi maturam arripuisset fugam, contortam pectore exciperet lanceam. *Arripuit Saül lanceam, vt percuteret eum.* Vides, opus fuisse Ionathæ à mensa exulare: audi Doëg primatum inter Regis seruos obtinere: *Erat primus inter seruos Saül.* Si scisciteris, cur Ionathas iram tulerit, & Doëg gratiam inuenerit? respondebit (vt vidibus) Abulensis speciosis fraudibus, mendacijs gratis praemium obtinuisse, & Ionatham veritatis, innocentiaeque propugnatorem fuga periculum deuittasse. Eodem capite, quo refertur Doëg mentitus, refertur & primatu inter seruos honoratus. Itaque dum Ionathas veritatem profitetur, incurrit iram, dum Doëg mentitur, assequitur gratiam. Prodest Lira: *Iste mentitus fuit.* Certè in curia quisque blandissimè satagit adulari, & iniuria veracitatis placere, veritus, si nudam veritatem proferat, odia, & sperans, si interpolauerit, fucòque expinxerit, praemia.

1. Reg. 22.
v. 9.

1. Reg. 10.
v. 32.

T E X T V S.

VERS. 29. Et ait Rex: Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum cum mitteret Ioab seruus tuus, ô Rex, me seruum tuum; nescio aliud.

§. LXXXV.

In curia citius solent assequi praemium mentiti, quàm integram veritatem professi.

Compendium etsi periculosum ad diuitias adaugendas est, nummum scalpere, argentum adulterare, aurum sagaci dolositate minuere. *Qui venditant* (aiebat Tert. de Pœnit. cap. 6.) *prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne sculptus, nève rasus, ne adulter.* Sciunt qui paciscuntur plures erga monetam peccare, vt diuitias possint augere: ergo trutina nummum appendunt, lydio examinant, sonitu explorant. Hic celebris venditoribus mos circa veritatem rem pretiosiore in curia aut nescitur, aut depretiatur, aut de industria exulare cogitur: vnde fit, vt frequenter veritas moneta ad Reipublicæ salutem stabiliendam admodum necessaria, nec exploretur, nec trutina rationis pendatur. Achimaas delegatus nuntius, vt belli exitum Dauidi referret, sic denuntiavit, vt veritatem tegeter, aut minueret. Dauid de Absalone sollicitus, an esset sospes, requisit: *Estne pax puero Absalom? Quid tunc Achimaas? Vidi tumultum magnum... nescio aliud.* Cum Achimaas non ignoraret Absalonis interitum, dissimulat, & solum audisse lætum de reportata victoria clamorem, & tumultum congratulatorium declarat. Quærent Interpretes, cur veritatem non fuerit falsus, sed mentitus? respondentque timuisse, si veritatem diceret praemio fraudandum,

T E X T V S.

VERS. 30. & 31. Ad quem Rex, Transi, ait, & sta hic. Cumque ille transisset, & staret, apparuit Chusi, & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi Rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui surrexerunt contra te.

§. LXXXVI.

*Qui nobilior sit ciuilitate etiam cultior, & vrbani-
tate exornatior.*

Vrbani- decorum claræ originis est ornamentum, vt inurbanitas obscuræ originis est indicium. Qui mapalibus innutritus, qui vilibus cunabulis educatus, vrbani- probatur inscius; qui verò meliori institutione cultus, & politiori disciplina exornatus, dignis reuerentiæ exhibere didicit cultum, & pro qualitate personarum obsequium. Basilii Seleuc. Orat. 3. aiebat, vrbani- de cælo allatam: *De cælo allatam*

tam politiam. Nec mirum : nam cum superni Cives nobilitate resplendeant, etiam urbanitate fulgeant, necessum est. Imò ad nostram eruditionem, qui nobiliores, & urbaniores referuntur, & obsequentiores videntur. Regali throno insidentem animalia, seniorisque adorant; sed animalia in facies prouere non referuntur, seniores verò humillima adorasse veneratione probantur: *Quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt uiuentem in sacula seculorum.* Apoc. 5. v. 13. Inquires, cur animalia in faciem non dicantur prouisse, & seniores dicantur profunda demissione adorasse? Quia seniores (inquit Chrysol.) excellentiores dignitate, demissione, fas erat, reuerentiam pendere adoratione. Audi Chrysol. ser. 6. *In faciem celi prouunt seniores.* Seniores quia dignitate sublimes, urbanitatis etiam prerogatiua prouunt decori, nam urbanitas, humanitasque nobilitatis est argumentum, & ingenuitatis indicium. Achimaas, & Chusi ad Dauidem nuntij delegantur: Achimaas, ubi peruenit, venerabundus Regem adorauit: *Adorans Regem coram eo pronus in terram:* Chusi adorationis non refertur obsequium exhibuisse, sed veluti ex abrupto euentum bellicum denuntiasse: *Apparuit Chusi, & ueniens ait : Bonum apporto nuntium, domine mi Rex.* Et cur Chusi Achimaas non imitatur, nec ad terram pronus, ut adorarit, deicitur? Quia Chusi vnus erat ex gregarijs militibus, Achimaas ex clarissimis ortus parentibus: ergo origine clarior, apparuit etiam ciuilior. *Achimaas* (inquit Abul. q. 22.) *ipse erat filius summi sacerdotis.* Cum ipso lacte suxerit Achimaas urbanitatem, & à puero bene institutus reuerenter exhibuit Principi adorationem; Chusi parcendum fuit, ut potè minus ingenuo, & disciplina non exposito. Doëg de Dauid cum Saule loquens nomen suppressit, & impertiri honorem recusauit. *Vidi, inquit, filium Isai in Noue.* 1. Reg. 22. v. 9. Hoc ipso in capite Achimelec de Dauid etiam Saulem alloquens, honorificè nomen expressit, fidemque laudauit: *Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis, & gener Regis:* iam oritur dubium: Cur scilicet alter nomen honoris causa protulerit, & alter, ne honorem impertiretur, tacuerit? Sed, ni fallar, iam ipse sacer Textus dubitandi occasionem præcidit, dum Achimelec claris stemmatibus ortum retulit, & Doëg obscura prognatum origine explicuit: *Doëg Idumeus.* 1. Reg. 21. v. 7. Erat Doëg obscura origine exortus, Achimelec inter sacerdotes præcipuus: ergo nobilis fuit urbanior; ignobilis inciuilior. Audi Liram: *Vidi, inquit, filium Isai, non nominauit eum proprio nomine, tanquam indignum nominari.* Genere obscurus recusat sæpè honorem impertiri, cum origine clarus non recuset exhibere. Verum cum hæc ita sint, iam nonnulli Magnates, & Reipublicæ Proceres de vanitatis fastu, aut superbiæ supercilio stylum inuertunt, & peruersa via de despectu, inciuilitateque auctoritatem sibi adstruunt, & obscuram satis gloriam conquirunt. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrum,* aiebat Isai. 14. v. 29. De radice tellurem verrente procreatus, & ad reguli nomen euectus tetro halitu volucres volare non patitur, & visu nocere adnititur. *Absorbens* (inquit Interl.) *solo flatu, vel visu.* Nonnullis regulis ea de ipsis inest æstimatio, ut asperis, inurbanisque verbis lædant, & vultus supercilio cæteris noceant. *Regulus* (inquit Ailr. in Al-

leg. Thyl.) *Rex serpentum est, & contemptus.* Actiue, passiuèque verbum *Contemptus* potest intelligi; quasi regulus superbia inflatus volucres etiam despiciat, aut quia dum fastu turget, ab omnibus despicitur contemptus, & contemnitur depre-tiatus.

§. LXXXVII.

Cui minor debetur, aliquando reuerentia amplior, & cui maior, minor impenditur.

Valdè dignum est in eis, quos dignitas, aut originis claritas alijs anteculit, honorabili obseruantia dotes agnoscere, & reuerentiæ tributum pendere. *Dignus est* (aiebat Cassiod. 8. Var. 24.) *duplici pœna percelli, qui diuinam reuerentiam, & nostra iussa remerauerit.* Non est Proceribus reuerentia debita deneganda; nam de culpa videtur descendere, quidquid dignis agnoscitur denegari. Verum ipsa reuerentiæ exhibitio vituperabili delinquere potest excessu, aut scalpto, imminutòque modo. Sæpè videas, cui minor debebatur, honorem amplissimum exhiberi, & cui amplior, diminutione vituperabili angustam venerationem præstari. Chusi ad conspectum regium deueniens, nec adorationis pendit tributum, nec dignum allocutionis profert exordium. *Apparuit Chusi, & ueniens ait : Bonum apporto nuntium, Domine mi Rex.* Hic idem, cum præ alijs à Ioab nuntius delegaretur: *Vade, & nuntia Regi, que vidisti:* Duci adorationis reuerentiam impendit, & humillimæ officium urbanitatis exhibuit: *Adorauit Chusi Ioab.* Hinc oritur quæstio: Si Dauid regia dignitate antecellit, quomodo Chusi non prosternitur adoraturus, cum Ioab dignitate longè inferiorem adorationis fuerit demissione humillima veneratus? *Adorauit Chusi Ioab:* Duplex occurrit solutio: Dauid longè Ioabum antecellebat ordine dignitatis, & fastigio culminis, sed Chusi à Ioab fuerat muneri præfectus, & designatus: ergo ei adorationem pendit, à quo honorem accepisse se nouit. Secunda dubij solutio est: Frequenter ex creaturarum errore venire, ut, quæ minùs valent, plures habeantur, & quæ habenda plurimi, deprentur. Notauit Abul. q. 22. *Adorauit Chusi Ioab, scilicet humiliavit se coram eo, quasi gratias agens pro hoc beneficio.* Ob exiguum beneficium impendit humillimæ adorationis tributum; ob tot, tantæque sparsa in homines beneficia non lucratus est Dauid debitæ venerationis obsequium. Magdalena amoris cuspide icta sepulchro Domini laudabiliter audax accedit: Angeli doloris causam sciscitantes, dolorem accendunt: *Mulier, quid ploras?* Ioan. 20. v. 13. Illa inquisitionis anxietate aborta, aut curis sollicitis obturbata, respondit: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Non multò post hortulanum, ut putabat, alloquitur, & iam præmissi Domini elogio veneratur: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Si Angelos intuita, venerationem impendisse non proditur, cur hortulanum, inuerso ad speciem ordine, domini titulo honorasse refertur? *Domine, si tu sustulisti eum.* Ab hortulano corpus sperabat accipere, & ardentissimum votum assequi: ergo à quo sperat, dominum vocat, quia maiorem hortulano exhiberi reuerentiam, spes suasit, quàm dignitas angelica edocuit. Quis dubitet hac in historia hominum mores coloribus miris exprimi, & quod frequenter

1. Reg. 22
v. 9.

1. Reg. 21.
v. 7.

Isai. 14.
v. 29.

Ioan. 20.
v. 13.

frequenter accidit adumbrari? Audi Origen. hic: *Doctè errat*: Id est doctrinalis est error, ut in errore docto videamus, quam nostra thesis sit vera. Consonat Gregor. in Cat. *Forſitan nec errando hæc mulier errauit*. Plus hortulanum, quam angelos honorando, ad speciem videtur errasse, sed reuera inuenitur, mores hominum arcanis actionibus expressisse. Ob leue lucrum non recusat mercator confusum vorticibus mare trajcere; ob cælum vel gressum recusat promouere.

T E X T V S.

VERS. 32. Dixit autem Rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimici Domini mei Regis, & vniuersi, qui consurgunt aduersus eum in malum.

§. LXXXVIII.

Virtutum legitima progenies etiam inimicorum salutem curat sollicitus, sed Deus eius iniurias punit seuerus.

Miro modo (scribit Cassiod. 9. Var. 19.) momenta iustitiæ de iniquitatis occasione nascuntur. Magnanimitati, charitatique perfectæ opportunam præbet materiam, qui vituperabili excessu irrogare tentat iniuriam. Lucet eximie charitas, dum irritante, & vociferante iniuria, non solum offensori parcit, sed eius studiosè incalamitatem perquirat. O quam lucet virtus, dum mitescit repetitis offensionibus prouocata! Dauid à filio impetitur, vita, & corona pietissimum genitorem parricida execrandus priuare adnititur, & tamen Dauid eius salutem ardentè suspirat, & an superstes sit, rogat: *Estne pax puero Absalom?* Mirandam sæculis Dauid lenitatem ostendit, dum vitam proditori filio sollicitauit. Verùm Deus, qui iustitiæ præuicator non est, Dauidis suscepit causam, & iniurio dignissimam intulit multam. Audi Chusi: *Fiant sicut puer, inimici Domini mei Regis, & vniuersi, qui consurgunt aduersus eum in malum.* Ac si dicat: Puer, de cuius salute es sollicitus, iam arbori, ut carnifici, est traditus, iam telis confusus, iam profundam in foueam proiectus. En Dauid tot offensis exasperatus, offendentis ambit salutem; & Deus eius patientia delectatus, rigidè audentem punit impietatem: vterque rectè: Dauid dum ex animo parcit, & Deus dum supplicij seuerissimis punit. Prodest N. Sanct. *Estne pax puero Absalom? quasi dicat: Si Absalom pax est, pax erit etiam mihi.* De se actum putabat, si desperaret iniurius, quia eius salutem desiderabat ardentissimo charitatis igne inflammatum: Dauid eximius cœlestis patientiæ æmulator indulget, sed Deus iniuriam arbori, ut carnifici, tradit. Expendebat disertissimè Tertullianus, honestam esse vltionis artem, inimico indulgere, cum Deus indulgentis causam agat, vltionemque exigat. *Eos, qui nobis* (inquit de Pati. cap. 10.) *patientiam obtulerint suam, & memores humilitatis, seruitutis, ius dominici honoris diligentes non probamus modò, sed ampliorem, quam ipsi sibi præsumpserunt, satisfactionem facimus. Id nobis in Domino tam iusto ad estimandum, tam potenti ad perficiendum, periclitatur?* A minori arguit Septimiu ad maius: Si ob Domini honorem con-

feruo iniurio parcens, Domini non solum mereretur gratiam, sed ampliorem indulgendo accipere cogit multam, quid de Deo spectandum est? Certè indulgentis prouidebit honori, & dignas penas irrogabit audaci. Nonne vides Absaloni rigidum inflictum supplicium, cum Dauid sollicitus satagebat iniurio commodum? Core ambitione exæltuans, contra Moysen, & Aaronem linguam obarmat, & quam corde gerebat, indignationem vaporat: Moyses iniuriam passus, à Core auertere supplicium est nisus. *Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem.* Num. 16. v. 4. Non incanduit ira, vltionis non efferbuit appetentia, imò in faciem procidens, pro Core Numen exorat, & quod imminebat auertere periculum studiosissimè curat. *Proiecit se* (inquit Olear. ad Litt.) *ut oraret Deum, ne sibi illatam iniuriam vindicaret.* Ante Euangelium Euangelica præcepta secutus est, nec solum iniurio pepercit, sed pro illo orauit. Verùm Deus horribili, Moyses innocentiam puluereoque declarauit diluuiò, & viuum detrusit iniuriam orco: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos.* Nequiret Moyses illatam sibi insolita adeò, & horribili pœna iniuriam vleisci, & dum Numini offert patientiam, dum remittit iniuriam, Deus pro ipso armatur, & Core confusis flammarum vorticibus sepelitur.

Num. 16.
v. 4.

T E X T V S.

VERS. 33. Contristatus itaque Rex, ascendit canaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom.

§. LXXXIX.

Aspectus regius nullo casu debet immutari, sed idem semper aspicientibus apparere.

Princeps ad eum debet verticem peruenire, ut supra omnem fortunam videatur stare. Adeò (aiebat Senec. de Constan. Sap. cap. 1.) *extra omnem teli tactum surrexit, ut supra fortunam emineat.* Non dico sapientem, aut Principem infortunij; & doloribus non vrgeri, sed constanti fortitudine deglutire: eodem vultu respiciet aduersa, & prospera; nam prosperis immutare vultum, non est magnanimi, cadere fortunæ, est pusilli. Vir constans Olympi adinstar excellit nubes: in quacumque fortuna idem est, nec dissimilis sibi. Durissimo nuntio de Absalonis morte percussus Dauid, dolorem pressit, quousque à conspectibus submotus, in lachrymas fluere dolori permisit. *Ascendit canaculum portæ, & fleuit.* Et cur non se statim fletui permisit, sed erumpentes lachrymas pressit? Quia cum esset Rex, inquit Abul. q. 15, si vultum demutaret, quodammodo regiæ dignitati iniuriam inferret: ergo maluit dignitati prospicere, quam ploratu dolorem ardentissimum mitigare. *Plorantes immutant vultus suos, & afficiuntur modicæ reuerentiæ, imò deturpati: Regem autem semper oportet apparere cum magna grauitate, cum sit vir maxime auctoritatis, ideo noluit plorare in publico, sed ascendit ad cameram, ut solus ploraret.* Natura ius suum exigebat,

exigebat, auctoritas cedere naturæ vetabat: ergo David vt naturæ debitū redderet, est in lachrymas effusus, vt dignitati attendere, ab omniū oculis fleuit semotus. In publico idē erat vultus, in secreto deturpabatur anxijis gemitibus afflictatus, factis suis edocuit, Principes in quocumque euentu, conseruare vultus grauitatem, et si in secessu fletibus fatiatint dolorem. Ioseph angustiam fratrum intuitus, se auertit, & compatiens, faciem lachrymis irrorauit: *Auerit se parumper, & fleuit; & reuersus loquutus est ad eos.* Gen. 42. v. 24. Si quæras, cur compassione motus, erumpentes lachrymas retinuerit, & cur in secreto fleuerit? Respondebunt Interpretes, attendisse dignitatem, dissimulando, naturæ satisfecit desiendo. Itaque viros fortes dedecet pro fortuna vultum demutare, & sui dissimiles apparere. *Ascendit cameram, vt solus ploraret.*

§. XC.

Sic iustos charitas urget, vt temporali discrimini exponant vitam, ne proximus perdidit animam.

Mundialis amor seipsum respicit, vera charitas tendit in alium. Omnes isti, qui amorem ostentant, fallaci affectum fucō colorant. *Fraude, & dolis* (aiebat Mosch. apud Stobæ. cap. 63.) *puer fallax mendacia miscens.* Præmiserat: *Quod loquitur, non sentit.* Amantes pro re amata despicere vitam mentiuntur, adituros discrimina quæuis testantur, sed mentiuntur, donec votum fœdissimum assequantur: legitima Dei & proximi charitas falsati amoris promissa implet, & mortem subire libenter exambit. Si præsumpserit vitæ pretio posse impedire Dei offensam, proximi culpam, asperos labores non reuēt subire, imō vitam discrimini exponere. Rediuit Prodigus criminibus denigratus, culpīs obscurus, & pater accurrens amplectitur, sed frater liqore aduritur. *Adducite vitulum sagnitatum, & occidite:* Luc. 15. v. 23. Chrysologus solito lepore serm. 3. aiebat, hīc profundum latere mysterium: *Iam cogitamus*

arcantum nudare mysterium: mortuus filius, vitulus suscitatur ex morte. Impendio latabatur pater, vt gratiæ filius restitueretur: frater dolebat impensas quia non amabat, sed amare fingebat. Vitulum, pater immolat in Prodigii epulum, vt pellibus nudum vestiatur, & carnibus famelicum nutriatur, vt sanguine fœdas criminum abluatur, quia pater vrgetur charitatis incendio, senior frater turget fucato colore fraternitatis mendacio. David clamat libentissimè lucis se amissurum vsuram, si amittendo vitam, quierit Absalonis lucrari animam, & depellere admissam culpam: *Quis mihi tribuat vt ego moriar pro te.* Ac si dicat: Ego obuiopectore exciperem tela, vt tibi pœnitentiæ concederetur spatia: non tam pendo lachrymæ naturali amoris affectui, quam vrgentissimæ charitati: Notauit Ambrosius apud Gloss. *Ille crimina doluit, non exitum filiorum.* Miserandus animæ casus sic charitatem Davidis discruciat, vt si posset propria vita animæ salutem mercari, non dubitaret vsura lucis carere. Noë audit per momenta imminere naufragium, & differt se conferre ad securum arcæ profugium: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataraeta cæli aperta sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingressus est Noë.* Gen. 7. v. 11. Tonante iam cælo, & ingruente diluuiō, differt vsque ad diei extremum sibi consulere, & appetens diluuium euadere. Et quæ huius dilationis est causa? Iam Petrus refert: *Noë iustitiæ præconem custodiuit.* Petri. 2. v. 5. Intimo dolore tactus, & flammis charitatis adustus prædicabat iustitiam, et si alicuius posset lucrari animam: & licet vitæ immineret ad speciem periculum, prædicandi extendebat spatium, cupiens quodammodo temporalem vitam charitati sacrificare, vt periclitantium animabus medelam posset afferre. Notauit Zæno. serm. de Pati. *In tanto orbis metu non festinauit euadere.* Noë, qui omni iustitia refulgebat ornatus, non festinauit periculum vitæ euadere, si animabus posset consulere: & David temporalem vitam non dubitauit afferre, si Absalom à peccato posset eripere.

Gen. 42.
v. 24.Gen. 7.
v. 11.Luc. 15.
v. 23.

CAPVT XIX.

NUNTIATVM est autem Ioab, quod Rex fletet, & lugeret filium suum; 2. Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: *Dolet Rex super filio suo.* 3. Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio. 4. Porro Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi.* 5. Ingressus ergo Ioab ad Regem in domum dixit: *Confudisti hodie vultum omnium seruatorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.* 6. *Diligis odientes te & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis: & verè cognoui modò quia si Absalom viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.* 7. *Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua vsque in presens.* 8. Surrexit ergo Rex, & sedit in porta: & omni populo nuntiatum est, quod Rex sederet in porta: venitque vniuersa multitudo coram Rege: *Israël autem fugit in tabernacula sua.* 9. *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philistinorum; & nunc fugit*

fugit de terra propter Absalom. 10. Absalom autem, quem vniximus super nos, mortuus est in bello: vsquequò sileatis, & non reducit Regem? 11. Rex verò Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius.) 12. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducit Regem? 13. Et Amase dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnus: miseruntque ad Regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes serui tui. 15. Et reuersus est Rex, & venit vsque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vsque in Galgalam, ut occurreret Regi, & traduceret eum Iordanem. 16. Festinauit autem Semei filius Gera filij Temini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid. 17. cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saül: & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo: & irrumpentes Iordanem ante Regem. 18. transferunt vada, ut traducerent domum Regis, & facerent iuxta iussionem eius: Semei autem filius Gera prostratus coram Rege, cum iam transisset Iordanem. 19. dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die, qua egressus es domine mi Rex de Ierusalem, neque ponas Rex in corde tuo. 20. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei Regis. 21. Respondens verò Abisai filius Saruie, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini? 22. Et ait Dauid. Quid mihi, & vobis filij Saruie? cur efficimini mihi hodie in Satan? ergone hodie interficietur vir in Israël? an ignoro hodie me factum Regem super Israël? 23. Et ait Rex Semei: Non morieris. Iurauitque ei. 24. Miphiboseth quoque filius Saül descendit in occursum Regis, illotis pedibus, & intonsa barba: vestesque suas non lauerat à die, qua egressus fuerat Rex vsque ad diem reuersionis eius in pace. 25. Cùmque Ierusalem occurrisset Regi, dixit ei Rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth? 26. Et respondens ait: Domine mi Rex, seruus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum Rege: claudus enim sum seruus tuus. 27. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum Regem: tu autem domine mi Rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino Regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iuste querelle? aut quid possum ultra vociferari ad Regem? 29. Ait ergo ei Rex: Quid ultra loqueris? fixum est, quod locutus sum: tu, & Siba diuidite possessiones. 30. Responditque Miphiboseth Regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus Rex pacificè in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit Regem Iordanem, paratus etiam ultra fluuium prosequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, & ipse prebuit alimenta Regi, cum moraretur in castris: fuit quippè vir diues nimis. 33. Dixit itaque Rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Ierusalem. 34. Et ait Berzellai ad Regem: Quot sunt dies annorum vite meæ, ut ascendam cum Rege in Ierusalem? 35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suauem, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum ultra vocem cantorum, atque cantatricum? quare seruus tuus sit oneri domino meo Regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine. 37. Sed obsecro, ut reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi Rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei Rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis. 39. Cùmque transisset vniuersus populus, & Rex Iordanem, osculatus est Berzellai, & benedixit ei; & ille reuersus est in locum suum. 40. Transiit ergo Rex in Galgalam, & Chamaam cum eo: omnis autem populus Iuda traduxerat Regem, & media tantum pars adfuerat de populo Israël. 41. Itaque omnes viri Israël concurrentes ad Regem, dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt Regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo? 42. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israël: Quia mihi prior est Rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex Rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israël ad viros Iuda, & ait: Decem partibus maior ego sum apud Regem, magisque ad me pertinet Dauid, quàm ad te: cur fecisti mihi iniuriam, & non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem Regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israël.

TEXTVS.

VERS. I. & 2. Nuntiatum est autem Ioab quòd Rex fletet, & lugeret filium suum; Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

& versa est victoria in luctum in die illa omni populo; audiuit enim populus in die illa dici: Dolet Rex super filio suo.

§. I.

Deus dulcia amarum miscet, & amara dulcibus lenit.

VT vortices marinos secanti, inter duosque scopulos æstuantes fluctuum spumas trajicienti æquale periculum est, si vnum fugiens, impingat in alium. Vtque ita opus est scapham dirigere, vt imminetia vndique discrimina possit euadere, & ad firmam stationem littoris peruenire; ita, qui per humanam vitam varios casus discurret, necessum est, elationis, pusillanimitatisque syrtes vitare, ne in alterum scopulum contingat illidi. Vnde cœlestis nauclerus sic cursum temperat, vt prospera immisceat aduersitati, vt aduersitas felicitatis sapore temperetur, & prosperitas calamitatis amaritudine condiatur. Opportunè Chrysostr. Hom. 8. in Matth. *Misericors Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit. Quod cerè in Sanctis omnibus facit, quos ne tribulationes, nec incunditates finit habere continuas: sed tum de aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili veritate contexit.* Lætum, iucundumque nuntium affert Achimaas, reportatum scilicet de hostibus copijs trophæum: non multò post Chusi Absalonis refert excidium; & Dauid victoria non effertur, nec calamitate deiicitur. *Nuntiatum est autem Ioab quòd Rex steret, & lugeret filium suum, & versa est victoria in luctum in die illa.* En eodem die plautus miscentur, & luctus; accepti triumphii læticia minuitur Absalonis tragœdiâ, & mortis meror triumphii linitur gaudio. Vt noueris, quàm sit verum dulcia amarum misceri, & acerbam dulcibus temperari: nec tribulationes Deus, nec iucunditates finit habere continuas. Victoria dolorem leniebat, sed dolor triumphum amaricabat. Nescit rerum humanarum conditionem, qui sperat aliquid perfectè iucundum, & plenè lætum; nam perpetuis vicibus omnia voluntur, & læta tristibus, tristia iucundis miscentur. Elias ministerio coruorum pascitur, & copioso torrente fruitur: *Corui deferrebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* 3. Reg. 17. v. 6. Tranquillam vitam abundantem mensam secuta est torrentis siccitas, & famis ægestas. *Post dies autem siccatus est torrens: Sareptam adire cogitur; & à vidua humanissimè excipitur: Vidua, quæ mortem alimentorum inopia verebatur imminere, Eliam pascens, alimenti abundantia potuit timorem prorsus excutere: iam in hydria, quantum volebat, demetebat: Hydria farina non deficit.* Citò gaudium in mœrorem conuersum est; nam è vita filius excessit, & casus materna viscera torfit: *Factum est autem post hæc: agrotauit filius mulieris maritis familias.* Dum filius fruebatur vita, mater premebatur inopia, & dum exundat iam abundantia, filius priuatur lucis vsura. De filio luctam temperabat hydria, & hydriæ abundantiam mors obscurabat calamitosa: dum Sareptana habet filium, caret alimento, & cum exundat alimento, priuatur dilecto filio: vt Elias etiam, dum à coruis pascitur opi para mensa, angitur vndarum penuria: *Siccatus est torrens: vt constans fuerit nil hac in vita esse sine mixtura; miscentur namque aspera prosperis, prospera aduersis, ne insolescant homines prosperitatis tumore, & ne prorsus deiiciantur amarorum tristitudine.* Nunc (inquit Basil. Seleuc.

viduæ nomine Orat. 11. *cibo suggesto, ad hæc me spectacula reseruasti: Iam diues reseruatur ad mœrorem, filio superstite patitur famem; & dum vtrumque miscetur, viduæ & Eliæ vita mirabili varietate contextitur.*

§. II.

Aliquando qui videtur obsequiis obligare, dolorem constat incurere.

Patitur hoc (aiebat Cassiodor. 7. Var. 47.) *improuida mortalium plerumque conditio, vt cum lœdere putatur, consulat, & cum consulere videtur, affligat.* Finis sæpè obsequentis est, officijs præstitis obligare, & contigit ipsa seruitij exhibitione torquere. Dauidis exercitus Martialem tendit in campum, vt in vitam, coronamque coniuratos atterat, & Principis thronum defendat. Res è voto cessit; nam exigua fortium manus imbellem copiam aduersariorum attriuit: & ni plures sibi fugæ Præsidio consuluissent, sanguine inimicorum hastæ exundassent. Absalom interijt arbore suspensus, & repetitis telis transfuerberatus: & cum putabat populus, tyranno sublato, Dauidis fouisse gaudium, contigit, demortuo filio attulisse tormentum: *Versa est victoria in luctum in illa die omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: Doler Rex super filio suo.* Cum, Absalone superstite, vita Dauidis, & corona regia nutaret, qui vitam abstulerant, arbitrabantur præstitisse deuotum obsequium, sed reuera intulerant parèti cruciatum. Cum consulere videbantur, afflixerunt, cum Dauidis vota à salute Absalonis penderet, & corona, quàm filio tenerè sibi dilecta, carere mallet. Prodest Abul. q. 2. *Populus veniebat valdè gaudens de bello, obtentâ victoria, credens quòd Dauid faceret magnū gaudium, & lætarentur simul. Nunc autem cognito quòd Dauid doleret de morte filij, de qua illi gaudebant, inceperunt tristarri.* Putabant consulere, & contigit lœdere: vt econtra sæpè accidit: nam qui tentant lœdere, solent præter opinionem consulere. Saül captiosos dolos prætendens, & dolosas thecnas disponens, Dauidi promisit filiam, si de Philistinis arduam reportaret victoriam. *Saül cogitabat tradere Dauid in manus Phylistinorum.* 1. Reg. 18. v. 25. Dauid, accepta conditione, Philistæos percussit, & ducenta præputia Principi annumerauit: *Attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt esset gener eius. Dedit itaque Saül ei Michol filiam suam uxorem.* Suo ipse dolo captus est Saül. Arduam de hostibus, ne daret filiam, deposcebat victoriam, & coactus est dare filiam, & augere præter intentionem Dauidis famam: cogitabat lœdere, & est inuentus præter opinionem consulere. Notauit eleganter Basilus Seleuc. Orat. 16. *Inuiso Dauid filiam dare vult, non quòd exosum cohonestaret, sed vt filie nuptijs cadem emeret.* Arbitratus est eisad nuptias conditionibus, afferre excidium, & ipso dolo maturauit nuptialem thalamum. Vt noueris certissimum esse, mortales aliquando lœdendo proficere, & inseruendo etiam lœdere.

TEXTVS.

VERS. 3. Et declinavit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declina-

re solet populus versus, & fugiens de prælio.

§. III.

Durissimum est sustinere supercilium, qui amplissimum probatur merere præmium.

Tertius est (aiebat Senec. 2. de Benef. cap. 24.) quosdam offendere, quam demeruisse: argumentum nihil debentium odio quærunt. Sæpè qui dignitatem debet, qui se multis officijs obligatum agnoscit, ad iniquam dissimulationem recurrit, benemerentis affectat tædium, & ingratißimum supercilium; unde contigit, vt qui sperabat exhibitis obsequijs amplè remunerari, experiatur vultu feriri. Dauid exercitus post anxios certaminis labores, post laboriosas pugnae anxietates ei attulit triumphum, & stabiluit imperium; verum cum fama retulisset Regem ob filij mortem dolere, noluit ciuitatem intrare: *Declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem.* Profectò cum fas esset hilari vultu victores excipere, & præmijs debitis honorari, dilatus est triumphalis in ciuitatem ingressus, quia Dauidis exasperauerat tristis vultus: ergo veluti victi fugam capiunt, & videre Regem refugiunt, quia intolerandum illis visum fuit (inquit Caietanus) pro præmio inuenire durissimum supercilium, & pro læto vultu exasperatum aspectum: *Assimilantur furibus studentibus ad occultandum se, tam fugientes è prælio, quam isti victores.* Veluti victi erubescabant victores, & maluerunt optato otio carere, quam durum tot seruitiis obligari vultum spectare. Non erat Dauid ex eorum numero, qui argumentum nihil debentium odio quærunt, sed suis factis edocuit, quam sit acerbum benemerentibus, hilari vultu non recipi, & beneuolè minùs tractari: Vel bruto acerbissimum est pro exhibito fidelissimè obsequio feriri durissimo supercilio, & loco præmij, iniurijs indebitis munerari. Non potuit Baalam asina clamorem flebilem non emittere, cum expectans gratam beneuolentiam, experta est irrationabilem iram: *Cur percutis me? nonne animal tuum suum, cui semper sedere consueuisti usque in presentem diem?* Num. 22. v. 28. Ac si diceret: Et si modò in aliquo peccassem, dissimulare deberes, cum tot annis fidelissimum exhibuerim seruitium. Sed id est, Procerum præcipuè ingenium, vt multiplicibus obsequijs non reddant gratiam, & ob leuem defectum ardentissimam effundant iram. Declinans asina Propheta tuebatur salutem, & imminuentem auertebat calamitatem, testante Angelo; *Nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti te occidisset, & illa viueret.* Dū se ab itinere declinabat, Propheta periculum auertebat, & ingenti remuneranda mercede cædebatur durissimè fuste: nec solùm sustinebat verbera, sed rigidissima supercilia. Ergo non potuit non quæri, & clamore dolore proderet. Quid enim grauius, quam inde demerere ingratiam, unde sperabas beneuolentiam? *Baalam* (inquit Greg. apud Glos.) *peruenire ad propositum tendit, sed eius votum, animal, cui presidet, præpedit, quia Angelum asina vidit.* Impedire amens votum, erat ingentissimum beneficium, & beneficij merces fuit in benemerentem ardentem irasci, & toruo vultu ferire. Ergo populus, reportata victoria, non sustinuit limis adspicere, & vultu deiecto excipi: *Declinauit ingredi ciuitatem.*

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

§. IV.

Sæpè creaturis, deseruienti pro fructu est rubore confundi, & sera pœnitundine virgeri.

Qui ingratis seruit, qui omnibus placere exambit, qui nimium displicere timet, & omnia ad demerendos homines refert, sæpè rubore impræmiatus confunditur, & sera pœnitundine lamentatur: & iurè quidem quia honestum ei vtile est, cui nimia hominibus placendi cura est. *Timeatur* (aiebat Senec. epist. 14.) *inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eueniunt.* Contra hos timotes tutelam quærimus, & homines officijs nobis adstringere procuramus. Ille quærit, qui inopiam leuet, ille, qui manum porrigat, & afflicto morbis subueniat; verum cum hæc fiducia inani sæpè fundamento nitatur, confusibili rubore suffunditur, quia videt operas suas malè collocatas, & spes in contrarium versas. Dauidis serui, illius salutem proprio discrimine emere, & coniuatos atterere procurarunt, duos Martis non recusauere labores, nec victus, ac potus imbonitates: & cum, iam depulsis, fugatisque hostibus, victores redirent, & hilari vultu suscipi, præmijsque munerari sperarent, veluti victi erubuerunt, & triumphalem plausum amaritudine commutarunt. *Porro Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi.* Serui clamoribus obturbati, & ingratiâ Regis confusi, erubuerunt pericula deuorasse, & Martialis asperos campi labores tulisse, vt inuenirent pro præmio luctum, pro labore tristem aspectum. *Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio.* Qui imbellis, & pavidus ab statione defecit, & hostilem impetum fugit, quærit latebras, veretur lucem, confusibilem induit ruborem: ergo eodem modo Dauidis serui confusi lucem fugiebant, & apparere coram hominibus detrectabant. Textus Hebræus habet: *Et furatus est se populus in die illo ad veniendum in ciuitatem, sicut se furabitur populus erubescens fugiendo è prælio.* Vt miles prælium deserens, & à sacramento militari deficiens, rubore confunditur, ita nunc victor populus verecundiâ confundebatur. Audi Ioab: *Confudisti hodie vultus omnium seruatorum tuorum.* In Textu Hebræo habetur: *Erubescere fecisti.* Quòd si inquiras unde rubor? respondebit Caietanus, diuersis causis idem victis, & victoribus accidisse: nam, vt qui è prælio fugiens oculis notatur, ignauusque habetur, sic modò victores malè operas suas collocasse erubescabant, & errorem suum sera pœnitundine condemnabant, quandoquidem pro mercede supercilium experiebantur, & à ciuitatis ingressu quodammodo multabantur. Caietanus audi: *Assimilantur furibus ad occultandum se, tam fugientes è prælio, quam isti victores.* Non incutimus Dauidi ingratiudinis notam, sed ex historiæ arcanis eruimus ad componendos mores doctrinam. En populus erubescit post reportatam laurum, vt fur post commissum furtum; nam experitur operas suas quodammodo perijisse, & spes, quas fouerat, auolasse, quandoquidem pro gaudio inuenit exilium, & pro hilari vultu tristem, & fastidiosum aspectum. *Erubescet* (aiebat Isai. cap. 24. v. 25.) *luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion.* Luna non solùm splendido nitore non denudabitur,

tur, sed cumulatius augebitur, teste ipso Propheta cap. 30. v. 26. *Et erit lux luna sicut lux solis: & lux solis erit sicut lux septem dierum.* Hinc oritur quaestio: Si luna splendidis luminibus cumulatur, cur rubore confusibili tegitur, & si sol radiorum adauget censum, cur rubore suffundit vultum? O expende, haec lumina Dei obtemperasse iussis, obediisse praecipis, & simul fouisse homines, adiuisse mortales; ergo confusibili rubore tabuerunt, dum percunte homine, suas operas spectarunt amissas, quando Numini obtemperantes luminum incrementis praemiatas. Agnouit luna hominibus deseruendo incurrisse notam, & pro mercede iugem tulisse molestiam; ergo erubuit amisisse laborem, & deseruendo confusibilem recepisse mercedem. Notauit Interl. ad Isai. 30. *Propter hominem facta, in eius lapsu peiorata sunt; sol, & luna suo lumine minorata.* In sole, lunaque homines methaphoricè intelligi, tradit August. q. 105. ex vtroque Testamento: ergo foemina, quae lucri spe luce sua hominibus placuit, & eorum insaniam inferuivit, erubescet de errore suo, cum agnoscat, potuisse, virtuti inferuendo, lucem sibi adaugere, & videt hominibus placendo, notam, & famae diminutionem incurtere. O si spes nostras ad veritatis examen expenderemus! agnosceremus profectò post multa officia creaturis exhibita, post multa adorationis tributa impensa, post praestita obsequia multa, demersuisse solum famae nubilum, animae excidium, & amarum ingratitude pendium.

TEXTVS.

VERS. 4. & 5. Porro Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi. Ingressus ergo Ioab ad Regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium seruatorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.

§. V.

Magnatum defectus secretò sunt corrigendi, non in populum euulgandi.

ORiginis, dignitatisque claritas etsi plura tortiri dignoscatur eximia, ab errorum lapsu non solet esse remota. Conscientiae laude non solent praelucere, quos constat conspicuis naturae dotibus anteire; verum si scandalum non exigat, aut muneris obligatio non vrgeat, ita Proceribus est adhibenda medela, vt confusibilis abigatur omnino nota. *Medicum, aiunt (scribit Sen. 3. de Ira cap. 39.) cum Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto.* Si medicus scalpellum ostentaret, dum ipsa ostentatione aegritudinem prodit, aegrotam exasperaret, & medicinam exasperata respiceret; tectè verò medicinam adhibens, ruborem excusauit, & medelam prudentissimè adhibuit. Hic curationis modus in Magnatum

morbis tenendus est, nam si publicè arguantur, dignitati suae existimant illatam iniuriam, violatam reputant reuerentiam; & indignationis furor in morbi augmentum, salutis conuertere solet subsidium. Agnouit Ioab Dauidem importuno luctu, & doloris ostentatione suorum animos exacerbare, & opus esse à clamoribus abstinere; ergo vt corrigat, secessum intrat. *Ingressus ergo Ioab ad Regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium seruatorum tuorum.* Domum petiuit, id est eam cameram, ad quam, remotis arbitris, Dauid, vt lugeret, secesserat, ne, si publicè argueret, exasperaret. Prodest. Abul. q. 2. *Ingressus est in ciuitatem, & in domum Regis, dimisso toto exercitu extra urbem, vt ipse immutaret Regem.* Secretò admonuit, & admonitio secreta, quod desiderabat, obtinuit. Ioab antequam cubiculum Regis ingrederetur, labra laudabili silentio compressit, nec verbum, quo Regis factum sugillaret, deprompsit, edocens Magnatum errores nullatenus euulgandos, sed cauta, secretaque correctione medendos. Thomas caeteris Apostolis Magistrum rediuuium & redimitum gloriam asserentibus, fidem non adhibuit. Quid tunc Dominus? Vt Apostoli incredulitatem sanaret, clausis foribus, remotis arbitris, solis adstantibus condiscipulis, qui defectum nouerant, Thomam conuenit, & arguit: *Venit Iesus, ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum hoc, & vide manus meas.* Ioan. 20. v. 26. Et cur clausis ianuis, Thomae medelam adhibuit, & eius vulnera persanauit? Certè vt nos curationis modum edoceret. Non reperies, Apostolos alijs incredulitatem Thomae denuntiasse, silentio socij defectum presserunt, nec mulieribus euulgarunt: & Dominus, ne discipulo inureret notam, adhibuit, foribus clausis, medelam. Non querebat corrigendo sibi plausum, non in publicum effundebat defectum, sed vt prudens medicus silentiosè adhibebat medicinam, quia Apostoli incredulitatis sanare cupiebat plagam. *Vt arrogantis iactantiam (inquit Chrysol. serm. 84.) tumorèmq; resicaret, & eius, qui infirmatus fuerat, sanaret, & excluderet passiones.* In publicum Thomam arguens, sanaret vulnera, sed famae attulisset detrimenta, ianuis clausis, carpens, medendi praescripsit formam, & caeteris imitandam reliquit ideam. Plures sunt imprudentes, plures indiscreto zelo audaces, & dum putant vulneribus mederi, inueniuntur exacerbare. In corrigendo is modus tenendus est, vt in communi culpa reprehendatur, nec persona denotetur, nam si subierit notam, non admittet medelam, sed furet ob laesam famam.

Ioan. 20.
v. 26.

§. VI.

Sapè, veluti legitimam consequentiã, cogitur plures committere, qui vnicum errorem decreuerat perpetrare.

ERror semper inuenitur esse fecundus, & emergentibus denud erroribus associatus. *Possumus (aiebat Tertul. de Pudicit. cap. 4.) demandata penitentiae distinctione, ad ipsorum iam delictorum regredi censum.* Sic Tertulliani verba moribus adaptarem, vt scilicet, quoduis delictum censum inducere, & semel admissò, de soluendo censu admittentem teneri; nam vt qui fundum, donumve emit, soluendi census grauamine, ad soluendum compellitur, & adigitur, sic qui errorem admi-

sit,

fit, ad alium quodammodo trahitur, & soluere cogitur. Iosephi fratres, peracta venditione, tunicam in speciem cædis componunt, & mendacio delictum tegunt: venditionis census erat mendacium, quia cum opus eis esset facinus patrum calare, opus sibi visum est, ad coloratam fraudem recurrere. *In speciem cædis vestem compositam* (aiebat Seleuc. Orat. 8.) *patrijs offerunt manibus, morte mentia.* Venditio consuluit mendacium, ne parenti innotescere quiret delictum. Has delicti consequentias bene caluit Ioab, dum interempto Absalome, plurium vitas asseruit asseruatas, & discrimini ereptas: *Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum.* Cum Absalom solius patris animam quæreret: *Vnum virum tu quæris.* Sup. 17. v. 3. inquirendum est cur Ioab tot animas attestetur Absalonis morte asseruatas, & manifesto periculo ereptas? Quia licet ad obtinendum regnum (inquit Abul.) discuperet Absalom, solum Dauidem de medio auferre, opus illi erat, fratrum etiam vitam, ne contra ipsum insurgerent, amputare. Occiso parente, remanebat Cealeab Absalone maior, & ad regnum iure potior: remanebat Salomon cælesti Oraculo dignior. Ergo ad obtinendum tyrannicè regnum, satis non erat patrem occidisse, ni fratres etiam de medio tollerent: erat fratrum interitus error detestabilis, sed parentis cædi annexus legitima consequentiâ, si Absalom regali tempora discupibat redimire corona: ergo qui Absalonem interemit, non solum Dauidis, sed filiorum etiam vitam seruauit; nam ex patricidio per legitimam consequentiam procurandus erat fratrum interitus, & miserandus familiæ casus. Notauit Abul. q. 3. *Quomodo dicitur hic, quod liberauerunt animas filiorum David? quia ille dicitur liberari à morte, qui aliàs moriturus esset, nisi prouideretur ei, sed filij David non erant morituri; nam supra 17. dicitur: Vnum virum tu quæris.* Audisti dubium? audi responsum: *Vt nullus maneret, ad quem regnum deuolui possit, vellet occidere omnes.* Prius solum patrem tentabat occidere; sed cum ad obtinendum finem fratres possent impedimentum afferre, iam ei erat opus, fratres etiam cæteros iugulare: vnde bene Ioab intulit non solum Dauidis, sed filiorum animas morte ereptas, quia perpetrata parentis morte, consequens erat, fratricidium committere, vt coronam posset firmare. Hinc clarè nosces, quàm infelices consequentiæ ex fædo illo antecedenti, scilicet Dauidis cæde, sequerentur, cum impiæ Absalonis manus ad fratrum excidia quodammodo compellerentur. Error ad errorem inducebat, & ex primo error plurimus pullulabat: bene ergo Ioab inquit, plurimas animas discrimini ereptas, & custoditas. Isaias colubrum testatur non infœcundum, imò deterioris serpentis patrem. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Isai. 14. v. 29. Coluber, qui arcuatâ caudâ nocet spiculo, producit Regulum, qui interimit pestifero aspectu, & Regulus generat prolem, quæ nocet halitu. Ita ista associata sunt, & complexa: serpens generat regulum, regulus detestabili prole inuenitur fœcundus; vnde qui serpentem fouit, & regulum enutriuit. Glossa Moral. in colubro vini intelligit nimietatem; nam qui caprioribus scyphis vititur, vini ardore ad libidinè pro-uocatur, & vt aduletur libidini, homicidium perpetrasse dignoscitur. Glossam audi: *De radice colubri, id est vini, eò quòd de ipso scribitur Prouerbr. 2.*

Ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber: egredietur regulus peccatum grauius, vt adulterium, vel homicidium, & semen eius absorbens volucrum, id est intellectum. Qui se tradidit ebrietati, adulterio, homicidioque inuenitur obnoxius, cum crassis vini vaporibus intellectus innubiletur, & rectore mente sopita, libidinibus laxantur fræna, & libidinis furore perpetrantur homicidia. Itaque culpa parit culpam, & infelici fœcunditate ad errorum venit copiam: initio solum indulgetur intemperantiæ, sed ex intemperantia pullulat ebrietas, & ex ebrietate salacitas; nam delicta frequenter sunt consociata, & vinculo infelici connexa. O quot se tradiderunt vni delicto, arbitrati, eo perpetrato, sistendum, & immorandum, falsi tamen sunt; nam culpa fœcunda est, aliam parit, & citò culparum ingentem summam producit. Ergo licet Absalom vnum virum quæreret, illo occiso, etiam sanguinem fratrum sitiret.

§. VII.

Prudentia est iniuriæ dolorem premere, & maiora damna serena facie vitare.

Offendit superbus fastidioso contemptu, diues pungitiuis verbis exasperat, potens offensis irritat; sed bene politicus dissimulatione grauiora redimet detrimenta, & imminetia expendet pericula. Rogatus quidam, quomodo in curia se gessisset, respondit, gratias agendo, & offensas dissimulando. Et Præxaspes Cambyfis Regis amicus censuit se amicitia iniuriam irrogare, ni Cambyfi consuleret, vt à vino, quo immoderate utebatur, abstineret, admonitus, vt manum, oculos, mentem in officio esse, ostenderet: intento arcu cor filij monitoris transuerberauit. Pater dolorem pressit, nec acerbo aded spectaculo gemitum emisit, ratus, ni dolorem tegeret, se etiam iaculo transigendum. Audi Senecam 3. de Ira cap. 14. *Potest dici merito deuorasse verba, nam si quid tanquam iratus dixisset, nihil tanquam pater facere potuisset.* Iusta filio facere nequiret, ni dolorem dissimularet; nam experiretur etiam ipse infelicem manus dexteritatem, & violentam oppeteret mortem; itaque prudentia fuit, dolorem premere, & secundum ictum vitare. Hanc politicem Ioab videtur secutus, nam cum videret, Dauidem accerrimo dolore ob Absalonis mortem aduri, & doloris ostentatione nouam populi coniurationem accendere, consuluit, vt à lachrymis temperaret, & hilari vultu milites exciperet; nam si aliter fecerit, totus populus exasperatus recedet, & de alio Rege eligendo cogitabit. *Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum.* Opus esse, ait, dolorem tegere, ne milites vultu tristissimo exasperati discedant: *Iuro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac, & peius erit hoc tibi.* Itaque opus erat, vt maiora damna vitaret, sereno vultu milites alloqui, & dolorem deglutire: Dauid consilio assensit, nec contra filij homicidas asperum verbum emisit, suis factis edocens prudenti opus aliquando esse, corde dolorem tegere, & dissimulatione maiori periculo occurrere. Prodest N. Sanct. *Iuramento euenturum esse confirmat illo ipso die, nisi egredietur ad populum, illique se gratum, & beneuolum ostendet, futurum esse neminem, qui cum ipso velit vivere.* Vt possit regnare, necessarium esse, ait Ioabus,

Iudic. 18.
v. 23.

sereno, imò grato vultu populum excipere, & al-
loqui. Et quidem aliquando prudentia est, pa-
tientiam sibi prospicere, & cordis dolorem tegere.
Grauem hospites Michæ, ablatis idolis, intulerunt
iniuriam: ille dolore ictus clamores flebiles emit-
tebat; & qui intulerant iniuriam, veluti ignari
clamoris sciscitabantur causam: *Cur clamas?* Iud.
18. v. 23. Ille tulisse Deos suos obiecit, & rapinam
ingenuis hominibus esse indignam affirmavit:
*Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, &
omnia, que habeo, & dicitis: Quid tibi est?* Itaque
clamore prodebat fures, accusabat raptores. Quid
tunc? Monuerunt, vt clausis, pressisque labijs
clamorem comprimeret, ni vitam etiam cum
rapto auro amittere velit: *Caue ne ultra loquaris
ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse
cum omni domo tua pereas.* Rapina, illataque iniu-
ria dolorem incendebat, & lachrymas excitabat;
verum opus fuit dolorem deglutire, lachrymas
premere, labia silentio signare, ne iniurij clamo-
ribus exasperati, nouam inferre calamitatem fue-
rint admissi. Prodest. Abul. q. 16. *Caue, ne ultra
loquaris ad nos clamando super hac re, & veniant
viri ad te animo concitati, id est irati nimis, & non
miserentur tibi.* Mortem violentam minantur, si
iniuriam non dissimularit, sed clamore dolorem
cordis protulerit. Eo in articulo prudentia erat,
læto vultu dolorem tegere, & fures vrbani ver-
bis tractare. Ergo Iacobus ait, etsi Absalonis mise-
randus interitus Dauidem sæuo stragis dolore
adurat, è re esse, dissimulare anxietatem, ne mili-
tes, qui sibi factum remunerandum putabant, of-
fensi doloris ostentatione discederent, & de inau-
gurando alio Principe cogitent.

§. VIII.

*Sapè non licet Magnatibus se miseros prodere,
sed opus est felicitatem mentiri.*

Aliquale doloris leuamentum est, emittere
lachrymas, & de fortuna dare querelas: hoc
solatio carent Summates, & dignitatum culmini-
bus eminentes, nam aduersam experti sortem,
opus est animo constare, & doloris signa exte-
rius non prodere. Priuatus miseriam ostentans,
ad sui commiserationem trahit, & ipsa commi-
seratio pro solatio est: congeminata calamitas
est, interius premi, & ad dolorem regendum cogi.
Egregia Senec. epist. 80. *Horum, qui felices vocan-
tur, hilaritas facta est, aut grauis, aut suppurata tri-
stitia: & quidem grauior, quia interdum non licet
palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum ex-
cedentes, necesse est agere felicem.* In scena agit Re-
gem, qui interius sustinet nuditatem: sic etiam
extra scenam contingit, inopia presso non licet
palam esse inopem, sed ornatu felicem agere, &
prosperam fortunam mentiri. Dauid, ob filij di-
lectissimi stragem viuiddissimo adurgebatur dolo-
re, & aliquale illi solatium erat in lachrymas, &
clamores effundi, & sordido squalore dolorem
prodere. *Porro Rex operuit caput suum, & clama-
bat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi.*
Ioab arbitratus eam doloris ostentationem & di-
gnitati indecoram, & eo in rerum articulo mili-
tibus satis ingratam, compulit lugubrem orna-
tum nudare, & ob reportatam victoriam lætum
militibus vultum ostendere. *Ingressus ergo Ioab ad
Re: em in domum dixit: Confudisti hodie vultus om-
nium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam*

tuam. Hac oratione Dauid suauis, lætorem ha-
bitum induit, & in porta veluti militibus gratu-
labundus confedit: *Surrexit ergo Rex, & sedit in
porta.* Opus illi fuit agere felicem, cum viscera
interno dissumperentur dolore: Externus habi-
tus indicabat lætum, sed interior angor testabatur
afflictum. Non conueniebant externa cum inte-
rioribus, imò internam anxietatem externa hi-
laritas adaugebat, & ærumnas multiplicabat. Ita-
que Magnatibus non permittitur aliquando do-
loris leuamentum, sed opus est agere fortuna-
tum, & sustinere nouum hilaritatis tormentum.
Imminebat periculum (inquit Lira) *ne populus in-
di: natus contra Dauid faceret sibi alium Regem, quod
aduertens Ioab, reprehendit eum acriter.* Ioab non
congruere tempori testabatur lugubrem habitum,
sed lætum assumendum: & Dauid opus fuit inte-
rius acrem sustinere dolorem, exteriùs ostentare
felicitatem. Hoc Magnatum infortunium figuratè
Baruch expressit, de idolis agens: *Lucernæ accen-
dunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam vi-
dere possunt: sunt autem sicut trabes in domo. Corda
vero eorum, dicunt, elingere serpentes.* Baruch. 6. Baruch. 6.
v. 18. Eiusmodi Magnates interius serpentum v. 18.
diseruciantur moribus, exteriùs micant lumini-
bus, se felices mentiuntur, cum infelices pro-
bentur. Liram accipe: *Aliqua idola erant interius
terrea, & exteriùs ærea, vel eiusmodi; & sic serpen-
tes, qui terram comedunt, interiora idolorum, qua
erant quasi corda ipsorum, consumebant.* Itaque ido-
la internis moribus cruciabantur, & externis lu-
minibus ornabantur, acribus serpentum moribus
laniabantur, & se felices externa fulgoris pompa
mentiebantur. Et quidem mirè hac imagine de-
lineauit Propheta, quod Altis, & Potentibus ac-
cidit: interius suspicionibus, ruinæ timoribus,
præsumptis inuidentium, æmulatiùmque tectis
fraudibus premuntur, dilaniantur, torquentur, &
opus est, amicitiam ostentare, & hilaritatem osten-
dere.

§. IX.

*Verus amicus prodesse satagit, displicere, cum
oportet, non metuit.*

Nihil nocentius est, quàm verus adulator
Namici facie contactus; nihil salubrius,
quàm verus, sincerusque amicus; nam hic non
amici attendit votum, sed ipsum amicum; adu-
lator, quia amicitia caret, placere solum studet.
Venera ipsa (aiebat Cassiod. 7. Var. 47.) *si inuare
probantur, accepta sunt. Contra refugienda est sua-
uitas mellis, qua inferre dignoscitur læsiones. Finis er-
go sapientis est, amare, quod expedit: sic nec igitur
votum respicit, qui prodesse contendit.* Medicus et si
amaris potionibus sollicitarit salutem, remunera-
tione probatur dignus; qui nocuit, suauia lar-
giendo, seueritate est carpendus. Itaque non res-
picienda sunt vota, sed curandum desideranti pro-
ficere, & amico prouidere. Dauid luctui permit-
tebat habenas, & copiosas fudebat lachrymas; sed
Ioab, cum esset verus amicus, cohibuit planotum, vt
auertere quiret periculum. *Dixit: confudisti hodie vul-
tus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt ani-
mam tuam.* Acti dicat: Dum luctui indulges ob
Absalonis luctuosam stragem, populum exaspe-
ras, & periculum grauius tibi maturas: ergo de-
bes vim tibi inferre, & stylum demutare. Si in-
quiras, cur Ioab Dauidis non foueat votum, sed
contrarium

contrarium votis præstet consilium? respondebit Lira, maluisse amico consulere, quam amici votis adulari. Liram accipe: *Imminebat periculum, ne populus indignatus contra David faceret sibi alium Regem, quod aduertens Ioab, reprehendit eum acriter.* Veri, sincerique amici Ioab legem impleuit, dum non attendit, quid eo tempore David optaret, sed quid conduceret. Et quidem si alius esset, adulationis suauitate demulceret, periculum non abigeret. O quot sociorum, amicorumque fouent insana vota, & fouendo ducunt ad præcipitia! Ille perpetratum laudat adulterium, ille superbiam commendat factum; & amicus, qui bonis consilij vitaret ruinam, melleis adulationibus celerius inuolat ad miseriam. Deus Moysen amici elogio nobilitauit, postquam populus vituli reatu deliquit: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Exod. 33. v. 11. Si inquiras: cur modò ad arctioris gradum amicitiam fuerit admissus, & veri amici elogio nobilitatus? respondeo, sancta, & fidelis amicitiam legem impleuisse, & sequentibus imitandum exemplum demandasse; nam cum iratus Dominus in perduellem, ingrattissimumque populum delere decerneret, Moysen consiliorum effecit participem, & ne votis resisteret, amplissimam promisit mercedem: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Exod. 32. v. 9. Quid tunc Moyses? suspicatus vltionem illam posse apud Aegyptios vltori aliquam afferre notam, nec fouit votum, nec proprium attendit lucrum, imò augmentum generose spreuit, & Domini honori consuluit. *Ne, quæso, dicant Aegyptij: Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra: quiescat ira tua.* Et si rationabilis esset ira, veritus est, fore allaturam apud Aegyptios aliquam notam: ergo non est consentiendo adulatus, nec ingenti mercede illectus, sed maluit amici honori prospicere, quam magnis commodis adaugeri: ergo non fucato, sed vero amore oblectatus Deus in amicum recepit, & amicitiam veram legentibus formam exhibuit. Opportunè Caietanus: *Supplicauit ex parte diuini honoris.* In amicum admitti meruit, qui dilecti honori solum studuit: nam qui sectantur luera, qui amicorum solum attendunt vota, ab amicitiam laude deberent excludi, & inter adultores recenferi, cum vera, sinceramque amicitiam vtilitatem nesciat, & animum amici honori, & saluti prospiciat. Ergo Ioab amicus esse probatur, dum non attendit amici votum, & auertere conatur periculum,

§. X.

Idem esse videtur mori, & splendenti pompa nudari.

Acerbissimum est à dignitate deponi, splendenti carere satellicio, & ambitioso nudari factu. Et quidem homines imperare, fulgerique soliti, nescio, an malint vitali aura carere, quam ad statum eiusmodi deuenire. Augustus à Reipublicæ negotijs affectabat discupere vacationem, omnis eius sermo tranquillum suspirabat otium, sed omnis eius sermo suspirabat etiam mendacium. Bene Senec. de Breui. vitæ cap. 5. *Hoc labores suos etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi.* Verum dixit, solatium illud esse falsum, nam frui otio, & à dignitatibus vacare verissimum esset tormentum: nec solum

viris tormentum est dignitatibus exui, sed pro morte est etiam fœminis splendenti carere cultu, & auctoritatis factu. Ioab Regina, filiarumque vitas Absalonis morte, ait esse assèruatas, vt etiam filiorum vitas ab impendenti periculo ereptas: *Saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum.* Non esse recipiendos, ait, Absalonis interfectores tristi vultu, sed placido, & hilari aspectu, cum vnus morte pluri vitas redemerint, & strages imminentes prouidenter vitarint. Dubium non est, Absalonem parenti inferre mortem suspirasse, & satis verò simile est, interempto patre, ad fratres impietatem extensurum, ne anxio quateretur timore, manente hærede. Verum cum vxores Dauidis, nec Absalonis sorores tyranno ad possidendum regnum impedimento essent, non videbantur discrimini obnoxia, nec à morte reseruatæ. Quomodo ergo ait Ioab eodem modo eripuisse vxores, ac filios? *Saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum.* Quia licet solum fratres, qui adspirare possent ad regnum, mortis subituri essent periculum (inquit Abul.) Dauidis filia, & quæ habebatur inter vxores Regina, priuandæ erant splendenti cultu, & maiestatis ornatu. Ergo cum idem sit fœminis plausu, ornatuque priuari, ac mortem subire, iurè testatus est Ioab filias, vxoresque à morte ereptas, vitæque restitutas. Abulensem audi. q. 5. *Cum fœmina non essent peritura, cur liberata dicantur?* Quæstionem audis? solutionem ausculta: *Respondendum, quod fœmina non erant occidenda, idè non liberabantur à morte, sed liberabantur à miseria, & seruitute, quia si Absalom occidisset David, tota familia David fuisset abacta, & essent vxores, & concubina eius sine honore.* Fratres amitterent lucis vsuram, sorores regalem pompam: ergo cum pro eodem sit carere dignitate, ac priuari luce, rectè ait, filiarum animas liberatas, mortisque ereptas: *Tota familia David fuisset abacta.* Sub mortis pœna prohibiti sunt primi parentes vitæ arboris fructum degustare. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. v. 17. Mulier dum serpentinis adulationibus præbet aures, dum fraudulentis credit blanditijs, salubrem temerat obedientiam, & interminatam meretur multam. Existimares eo die adimplendam sententiam, soluendam multam. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris:* & tamen è vita non excefferunt, imò longissimis temporis spatij durarunt. Quod si inquiras: cur mortem non oppetiuerunt? respondebunt Interpretes, vita non caruisse, sed non minori ad speciem multatos pœna, dum habitu sordidi, & exilio damnati. *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Et iterum: *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram.* Adam regia illa maiestate, imperioque priuatur, Eua peryzomatis floridis, & artificiosè contextis exuitur. Ergo vterque mortem civilem sustinuit, Adam dum caret imperio, Eua cum denudatur ornatu. Audi Interlinear. *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus significatur mors.* Iam erat illa vita mortalis, imò morte acerbior, cum Adam à throno vsque ad ligonem forederet deiectus, & Eux pelliceus pro pompatico esset ornatus,

T E X T V S.

VERS. 6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis: & verè cognoui modò quia si Absalom viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.

§. XI.

Frequenter domini de seruis non habent sollicitam curam, ab eis tamen exactissimam exigunt obedientiam.

SUPERBISSIMA Heroibus, Magnatibusque consuetudo est, adstantium seruatorum copia circumdari, & reuerentia humillima coli; quòd si seruus minus diligens fuit, graui vultu punitur, aut pœnis asperis castigatur. Exprimunt domini à seruis exactissimam obedientiam, sed ad eorum augenda commoda exiguam, aut nullam impendunt curam: habent seruos, & quidem plurimos, sed vt durè imperauerint, non vt studiosè eorum vtilitati, aut saluti prouiderint. *Nec tanquam hominibus quidem* (aiebat Senec. epist. 47.) *sed tanquam iumentis abutimur.* Parum dixit: nam erga equos sollicitam gerunt curam, sed erga seruos aut exiguam, aut nullam. Ioab hanc Dauidi erga suos culpam obiecit: *Ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis.* In Hebræo habetur: *Ostendisti hodie, quòd non tibi duces, nec serui.* Id est ita duces, seruosque paruipendis, ac si tibi nec obsequium exhiberent, nec pro te pericula deuorarent. Opportunè Abul. q. 5. *Ita habes eos abiectos, & non curas de eis, quasi non haberes illos.* Duces habebat, vt præciperet Martiales sustinere labores, vt cum hoste congregarentur, vt mucronibus obijcerentur, non tamen videbatur habere duces, vt debitis præmijs remuneraret, & dignis honoribus adaugeret. Profectò data à Ioab Dauidi querela, non tam nitebatur veritate, quàm Magnatum consuetudine, cum sit frequens post prolixos seruitutis annos irremuneratos pelli, & inutiles iam expungi. Dominus, quos martyrio designauit, assimilari seruientibus voluit. *Et vos, similes hominibus expectantibus dominum suum.* Luc. 12. v. 36. Seruorum iuges labores, infomnes vigiliæ, sollicitas curas florido stylo expressit Chrysol. Serm. 161. Ipsum audi: *Seruus post vigiliæ antelucanas, post totius diei varios, & duros labores, post trepidantes, & anxios concursus, & parat domino suo cœnam, & cinctus, quod parauerat, ministrat.* Adnectit. *Ipse autè semicoctam, nec saliam forsitan cœnam gustaturus.* Tolerabile esset cœna carere, ni verbera cogeret subire. *Fessus, indefessus manicauit ad verbera: ad presentem pœnam nihil hesterno ei subuenit de labore.* Seruorum præmium asper sermo, toruum supercilium, arduum, sed exactè perficiendum mandatum: bene ergo Dominus, quos aptabat in martyres, seruis iussit esse consimiles. Verùm cum amplissimum promiserit præmium, reddideritque, existimat Chrysologus, politicam expressisse cœlicam, non humanam. *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere.* Hoc Christo Domino bene aptatur; alijs dominis contrarium

accidisse videtur, nam cæteri infomnes, vigiles, indefessos, præcinctos seruos cogunt ad stare, non tamen curant quiescendi, aut comedendi spatium tribuere. Chrysologum audi Serm. 24. *Ministris suis ministerium facit Christus & facit in patris iam gloria constitutus.* Christus cœlestis Dominus seruis suis quiescendi, cœnandique tribuit temporis spatium, imò exhibet ipse ministerium: nam alij domini, cum non tribuant necessarias vitæ alendæ impensas, ad sollicitas cogunt vigiliæ. Habent seruos, & non habent: habent, vt durè imperarint; non habent, vt eis prouiderint. Prodigus post hero exhibitam laboriosam satis seruitutem famelicus redit, & nudus, luto defatigabatur cursu, non habebat filiquas, vt vel agresti solaretur laborem victu. *Nemo illi dabit.* Luc. 15. v. 16. *Luc. 15. Vt iurè exclamet Chrysologus serm. 1. Quàm v. 16. erudele ministerium, quia nec conuiuit porcis, qui viuunt porcis!* Ad curandos porcos cogebatur, sed ei, quo viueret, non dabatur; nam Dominus habebat seruum, vt porcos curaret: *Misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: & non habebat, vt alimenta præberet: & nemo illi dabit.* Quid verius, & vilitius?

§. XII.

Premium reputant milites, si Princeps eos benigne alloquatur, & grato vultu soletur.

DECEt (aiebat Theodor. 3. Var. 19.) *vt palatio nostro seruientibus iustis commodis consulamus, qui fructuosus debet esse labor publicus, vt quamuis obsequia nobis gratuita debeantur, seruitia tamen per moderata compendia prouocemus.* Seruientes ad magna prouocat Princeps seruitia per moderata compendia. Ingenuis, strenuisque maius præmium est gratum Principis vultum videre, & humano affatu honorari: exiguo sumptu possunt Principes ad vltiora seruitia accendere, si benigno dignentur seruientes vultu respicere. Animos ad seruiendum præcidit, qui substraxit ad spectum, aut laborantibus denegauit affatum. Ioab, parta victoria, non queritur Dauidem ampla præmia non prestittisse, sed gratum vultum negasse: *Ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis.* Id est, non curas habere duces, aut milites. Et quæ huius negligentiae ratio? Quia illos (inquit Abul.) hilari vultu non exceptit, nec affabili sermone honorauit: cur enim adniterentur seruire, quem non licebat videre, aut alloqui? Audi Abulens. q. 5. *Dicit Ioab quòd Dauid non curabat de his, quia venientibus eis de bello, obtenta victoria, non allocutus est gratè.* Promittebant sibi duces, militesque post reportatam tot periculis, & laboribus victoriam humanè à Principe fore excipiendos, & affatibus honorandos; cumque viderent, Principem affatum substraxisse, & aspectum: *Operuit caput suum:* veluti in desperationem adacti, detrectabant seruire queruli. O quàm sibi nocent Principes, Diuinitatem affectantes, & accessum non permittentes! *Nihil sub nobis* (aiebat Vitigis Princeps 10. Var. 31.) *asperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui bella sæpè peregrimus.* Qui non peregriti bella, nescit quanta patiantur Martem sequuti, & mucronibus aduersariorum expositi: vnde seuerò vultu solitat exasperare, quos debuisset affabili humanitate mulcere. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis* (aiebat Principum Princeps)

Mat. II.
v. 29.

& ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos. Mat. II. v. 29. *Sperabas leuamentum: Reficiam vos.* & inuenis iugum: *Tollite iugum meum.* Profectò non videtur allicere, sed fugare. Si venire cupit, alliciat, promissionibus, non pressuris; nam qui laboribus lassescunt attriti, nouos non sustinebunt labores læti. O vtilem Principibus eruditionem! Sic milites reficiuntur grato humanòque affatu Principis, vt nouos labores exambiant, & iugum lubenter subeant: *Tollite iugum meum:* nam de grata regentis præsentia promanat efficax seruiens energia, & ad labores iuuenilis tolerantia. *Ad quid ergo dicit: Venite ad me* (verba sunt Aug. in Cat.) *omnes, qui laboratis, nisi vt non laboretis?* Labores iam obliuisciebantur, quia affabili præsentia Principis fruebantur: & quibus ante aspectum labor erat durus, iam iugo colla subdere, dulcissimus erat ambitus. Est enim præmium labores mellis, Principis faciem videre, & eius humanitate honorari.

§. XIII.

Alienos defectus semper praua extendit suspicionis audacia, minuere virtutes peruersa solitat æmulationis inuidia.

Inter humanos, frequentésque errores audax recenseri debet suspicio, quæ inanibus, futilibusque sæpè coniecturis innixa, nec veretur aliena facta prædamnare, nec tetram, qua obscurentur gloriosa facta, caliginem fundere. *Plurimum mali* (aiebat Senec. 2. de Ira cap. 23.) *credulitas facit: sæpè ne audiendum quidem est, quoniam in quibusdam rebus satius est decipi.* E re potius est aliquando veritatem nescire, quàm fidem temerariè præstare. Nec solùm leuiter credentis fides, est culpa referenti applicanda, sed suspicio quam ingenerat est adscribenda. Leuissimis coniecturis maligni potius ingenij peruersitate confictis, quàm ex alienis actionibus ortis assentit temeritas, & insufurrat pro indubijs facillimè audacitas: Dauid naturali ob Absalonis stragem dolore ictus, amaras fundebatur in lachrymas, nec enim pius pater filio etiam malo quibat deesse, aut contra naturam obstinata duritia armari. Ioab ex lachrymis legitimè coniecit amorem erga filium: sed nescias vnde coniecerit odium in seruum: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis.* Abul. q. 5. ait, non bona consequentia ex erga Absalonem amore collegisse in morigeros odio inflammari, & pro dilectione tædium respondere: *Odio habes diligentes te.* Et vnde conijcis? Ex nullo certè, inquit Abulensis, aut leuissimo fundamento, ex lachrymis scilicet pro Absalone fufis, quasi idem fuerit parricidam adamasse, & eius interemptores odisse. Abulensem audi: *Dixit hoc Ioab sub hac intentione, scilicet quòd Dauid habebat exosos seruos suos, qui diligebant eum; sed hoc falsum est. Modus etiam probandi hoc non erat conueniens, quia ex eo quòd Dauid plorabat, mortuo Absalone, arguebat Ioab, quòd non diligeret Dauid milites suos.* Dauid milites suos impensè diligebat, sed naturali dolore filij stragem miserrimam deplorabat: Verùm fallacibus satis coniecturis innixus Ioab odium coniecit, & prodidit: *Odio habes diligentes te.* Plurimi Ioabi imitantur exemplum, & vti certissima produnt, quæ nulla veritatis specie innixa, sed solùm peruersitatis chimæ-
Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V,

ris achitectata. Filium infelici casu interemptum dolere, existimat Ioab esse delictum: nec satis illi fuit, hanc Dauidi adscribere culpam, sed addidit etiam obscurissimam ingratitude notam: *Et odio habes diligentes te:* Est enim hominibus frequens error, leuiter coniecta, vt indubia credere, & vt aliorum famam innubilent, publicare. Moyse splendissimis virtutum radijs fulgebat, Aaron prophetiæ luminibus longè ceteros anteibat, & quam venerari debuisset sanctitatem; Core infamauit superbissimam elationem: *Cur eleuamini super populum Domini?* Num. 16. v. 3. Ex Num. 16. v. 3. Moyse facie, quos humilitas modesta tegere adlaborabat, radij prodibant, qui solares radios vincerent. *Videntes Aaron, & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Exod. 34. v. 30. Fulgentissimi radij internam testabantur lucem; sed Core in ipsa luce caligans esse coniecit gloriæ ambitionem. Oculi cum liuore pugnabant, & vnde erat conijcienda sanctitas, conijciebatur iniquitas; nec solùm Core suspitione blandiebatur inuidiæ, sed tetra lingua offundebat nebulas famæ. *Fera pessima* (aiebat Oleast. ad Mor. ad Num. 12.) *inuidia est, quæ omnium beneficiorum obliuionem affert, nec solum in detractionem, sed sapius in apertam iniuriam prorumpit.* Docuit æmulatio malè præsumere, & in contrarium, quæ oculis ingerebantur, torquere, & ausa est de peruersitatis ingenio tetræ nebulis obscurare.

§. XIV.

Aliquando eximia virtus arguitur, & apud sæculum carpitur.

Vuidum lucis splendorem sustinere non possunt oculi tenebris deturpati, aut pestilentii humore suffusi. Candens sol aquilinis solùm oculis queit videri, à noctuis non contigit spectari. Hinc est, quòd eximijs, perfectissimisque virtutibus expoliti, lingua sæpè denigrentur audaci, quia non capit tantum splendorem, qui liuidis, & suffusis aspicit oculis. *Rideo istos* (aiebat Senec. epist. 47.) *qui turpe existimant cum seruo suo cœnare: quare? nisi quia superbissima consuetudo cœnanti domino stantium seruorum turbam circumdedit.* Immetata superbia, tumidissima arrogancia non meminit, Christum Dominum cum seruis suis cœnasse, imò & maculas eorum abluendo, pedes deterfisse: quidquid in virtute eximium, eximièque perfectum, à vanitulis, & inflatis despicitur vt splendoris nubilum, & abroditur, vt animi turpiter demissi argumentum. *Non est* (monet amicum datus Seneca) *quod fastidiosi te deterreant, quominus seruis tuis hilarare te præstes, & non superbe superiorem.* Displicet fastidiosis erga seruos humanitas, erga errantes benignitas, erga audaces oris serenitas, quia plectibili fastu inanem ostentant gloriam, & futilem exambiant magnitudinis famam. Dauid ante Euangelicam legem Euangelicam secutus est perfectionem, depromens acceptis iniurijs erga iniurios flagrantissimam charitatem; ergo à Ioab arguitur, & de perfectione carpitur: *Diligis odientes te.* Adèd insolitum, adèd rarum est potentibus, & incenditibus altè, se quam vltionem non respirare, & leuem etiam offensionculà graui supplicio non punire, vt veluti de crimine arguatur Dauid, quia iniurios parcat, & iniurios vera charitate complectens diligit. Prodest Lira: *Id est tu ostendis hoc per signum, lugendo Absalom aduersarium tuum.*

De aduersarij dilectione arguebatur, de iniuria venia increpabatur, quia apud sæculum virtute eximij oculis notantur, vt rei. Paupertatis amatores irridentur, fastus contemptores ludibrijs fugillantur, & vnde vera laus debuit oriri, inde opprobrium contigit emanare. Ioseph manipuli adumbratus imagine, in Ægypto osoribus, & belluina in eum rabie furentibus mensam prænuntiabat explicaturum, & vrgentissimæ famis tempore fratres alturum: ob impensam humanitatem stellarum adoratione fruitus est: *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* Gen. 37. v. 9. Et ob adoratione à fratribus est diuenditus; nam cum inuidia turgent, confurgentem manipulum diuendere cogitarunt, & cogitata impleuerunt. Fratrum inopiæ subuenire, famem depellere, necessaria ministrare, erat eximia charitas, & dilaudanda benignitas, sed fratres gloriæ fugillabant ambitum, & ambitionis delirium: *Numquid Rex noster eris?* Virtutem demerari debuissent, carpunt, & somniatorem irrident; nam qui perfectis, eximijque refulere virtutibus, nugatores sæpè habentur, & hypocritæ denotantur. *Iosephi fratres* (inquit Basilus Seleuc. Ora. 8.) *vsque ad sanguinem contra somnia pugnant.* Contra somnia pugnant, nec certa præsentia futurorum credebant. Contingit adolescentem maiorum stemmatibus nobilitatum, diuitijs circumfusum sæculo renuntiare, religionem ingredi velle, & Christo humiliter inseruire; cumque eius parentelam fas esset dilaudare, & approbando desideria fouere, duris increpationibus feriunt, vtque retractarit sententiam, cogunt. Accipit quis iniuriam, & Dominici præcepti memor, indulgit, & iam ignauus, aut stupidus habetur, & oculis denotatur; nam consummatæ virtutis splendore caligans hominum intuitus repercutitur, & ignorantia tenebras patitur. Quid gloriosius Davidi, quam humanum affectum erga iniuriam Absalonem depromere, & tamen à Ioab carpitur: *Diligis odientes te*: quasi amando inimicum delinquat, & suis cæteros factis offendat.

§. XV.

Sic peccatores errant, vt contrariam antecedentibus consequentiam deducant.

Quam sapiens argumentatrix (aiebat Tertul. de spect. cap. 2.) *sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudijs, & de fructibus sæculi metuit amittere.* Quod potius ignorant homines est, se ignorare, & dum stultitiam sapientiam arbitrantur, expungere omnia ignorantia medicamenta adnituntur. Plures inuenies, qui cum ex præiactis fundamentis contrariam deberent deducere consequentiam, eisdem suffulcire suam aggressi sunt ignorantiam. Diligere inimicum, iniurio benefacere, argumentum est animi generosi, & virtutibus expoliti: bene colligitur fore erga obsequiosos, & morigeros humanum, quem constat erga improbos, & iniurios esse benignum: & tamen Ioab contrarium collegit, & sibi bonam esse consequentiam suadet: *Verè cognoui modò, quia si Absalom viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.* Et vnde hoc colligis? Iam dicit. *Diligis odientes te.* Contrarium videbatur deducendum, scilicet: Nunc cognoui, quòd si quis ex tibi seruientibus occubuisset, agrè doleres, cum osores adeò impensè

diligas, vt pro eis pereuntibus doleas. Profectò ex dolore hæc legitimè deducebatur consequentia, & contrariam vides deduxisse ignorantiam: *Si nos omnes occubuissemus, placeret tibi.* Prodest Abul. q. 5. *Ergo cum lugeas, illo succumbente, videtur, quòd non luxisses, si nos mortui fuissetus.* In hoc tamen falsum dicebat Ioab. Si diceret: Cum pro iniurio, parricidaque lugeas, inde colligo, grauiori te dolore vrendum, si quis ex morigeris, & tibi obsequentibus occubuisset; nam qui dolet inimici interitum, plus amici dolebit casum. Hæc erat rationalis, & legitima consequentia; & Ioab deducit oppositam: *Verè cognoui modò:* nam peccatores sic errant, vt contrariam antecedentibus consequentiam sæpè deducant. Christo Domino obijciunt emuli Samaritanum esse: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes?* Ioan. 8. v. 48. Inuidia originem infamare tentabat, etsi Nazarenum esse clarissimè dignoscebat: Crucifixum Nazarenum publicauerunt: *Iesus Nazarenus.* Ioan. 19. v. 19. In vtroque peruersi: dum de obscura origine resplendentis obscurant gloriam, & de honesta origine Crucifixi adaugeant infamiam. Iam si examines, vnde Samaritanum esse collegerint, inuenies ex æmulatione tantum; nam contrarium deducendum erat ex doctrina: cum enim Samaritani resurrectionem negarent, Christus sæpè asseruit. Origenem audi in Cat. *Dignum est querere, quomodo, cum Samaritani sæcula futura denequent, nec animæ durabilitatem acciperent, ausi sunt Samaritanum dicere Saluatorem, qui de resurrectione, & iudicio tot, & tanta edocuit. Sed forsitan velut impropertantes illi, hoc dicunt, dum quæ sentiunt ipsi, non docet.* Ex Christi Domini doctrina legitimè colligebatur non esse Samaritanum, & esse Samaritanum ex eius dictis colligebat humana astutia, imò affectata ignorantia. Certè dum aiebant: *Samaritanus es tu*: propositionem illam non proferebat iudicij prudentia, sed inuidia, & æmulationis insania. Vtque clariùs videas, audi ipsos sibi plaudentes, quòd sapientia sua habere rectum demonium deprehenderint, & calluerint: *Nonne bene dicimus nos, quia demonium habes?* Et vnde hoc colligitis? Quia eorum (inquit Theophil. in Cat.) agnoscebat corda, & manifestabat arcana: *Ex hoc quòd eorum cogitationes reuelabat, demonium ipsum habere suspicabantur.* Abstrusa cordis agnoscere, est proprium diuinitatis, non dæmonis: ergo cum ex agnitione arcanorum colligere debuissent prophetia ornatum, aut diuinitate præditum, esse dæmoniacum deducebant, & pessimi Logici sapientiam ructabant. Vt hinc pateat, quàm exerent à veritate, rationeque peccatores, cum colligant ad vitiorum fomentum consequentiam principijs prorsus oppositam, & contrariam.

TEXTVS.

VERS. 7. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac, & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt super te ab adolescentia tua vsque in præsens.

§. XVI.

Princeps si utilem remunerationis omittat curam, angustat sibi coronam.

Propositum Principē dignum est, morigeri, & laudabiliter deseruentis sublegare fortunam, & bonis spebus vltioris obsequij honestam refouere appetentiam. *Emolumenta deesse laborantibus non oportet* (vt aiebat Theod. 4. Var. 13.) *vt & bone spei aditus aperiatur, & desudantium querela iusta compensatione claudatur.* Iusta compensatio, dum impedit deseruentium querelam, Principis adauget famam, & dum spei aperiatur aditus, ad plus seruiendum generosus inardescit affectus. Reportata victoria, Dauid triumphatoribus subtrahebat aspectum, & hilari facie non remunerabat seruitium: ergo Ioab testatur sic omnes animo casuros, & contristandos, vt Dauidis signis renuntiare satagant, & ad vexilla alterius transire discipiant: *Alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac.* Vt hilaris Principis facies laborantibus est pro præmio, ita denegata, aut torua est benemeritis pro supplicio. Ergo si spei aditus claudatur, numerus deseruentium minuitur. Notauit Hugo: *Satisfac, id est ostende eis faciem hilarem, sic satisfacies eis.* Facies hilaris, gratus Principis aspectus, exambita est laborum compensatio, & ad vltiores labores efficax satis inductio. Consonat Lira: *Procede ad recipiendos bellatores tuos honorifice, & alloquens satisfac promittendo eis honores, & premia pro victoria:* Bonis spebus, iustis compensationibus innutritur vigor & exiguus videtur deseruentibus labor: quod si desit, ferè omnes detrectauerunt militiam, & regentis angustauerunt coronam. Econtrà: dominationis terminos prolatat, qui seruietes citò remunerat. Christus Dominus Rex Iudæorum titulo proditur, imò & gentium Græcis, & Latinis caracteribus promulgatur. *Erat autem & superscripto scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum.* Luc. 23. v. 38. Qui antè Iudæorum, iam Latino- rum, Græcorumque Rex. Non potuit æmulatio, quæ abstulit vitam, angustare coronam: & Christus Dominus imitandam Principibus præbuit ideam. Vbi latro vera pœnitentia retractauit delicta, & cœlesti luce perfusus dilaudanda exhibuit obsequia, sine interuentore, sine dilatione ab ipso Principe accepit præmium: *Hodie mecum eris in paradiso:* & digna meriti expromptaque compensatio, tituli veritatem stabiliiuit, & regni amplitudinem prænuntiauit. *Significabatur.* (scribit Theophil. in Cat.) *potentissimas gentes, quales erant Romani, prudentissimas, quales Græci, maxime Deum colentes, quale fuit Iudæorum genus, subiici debere imperio Christi.* Vbi meritorum remuneratio legitur, & regni dilatio prædicatur. *Erat* (scribit Chrysost. in Cat.) *videre Saluatorem in medio latronum trutinam iustitiæ.* Inuiolata iustitia, compensatio meritis reddita coronam fulcit: & regni limites prolatandos ostendit: nam vt denegatum seruientibus præmium cæterorum vires eneruat, sic sine tormento suspensionis exhibitum vires ad laborandum inspirat.

Luc. 23.
v. 38.

§. XVII.

Superior non est durè increpandus, sed comiter admonendus.

Quid morigeris seruis, & subditis deuotis tam proprium, quàm Principis gloriam cogitare, & quidquid denigrare quauerit, impedire. Hinc est, quòd admonitio prouida recenteri debet inter præcipua seruitia; sic tamen est adhibenda, vt debitam dignitati obseruantiam custodiat, & se intra terminos seruitutis obsequiosæ contineat. *Periti scientesque medici* (aiebat Basil. Seleuc. orat. 30.) *tunc plus de arte cient admirationis, non cum ferro, & igni in belli modum, vim mali domant, sed cum leuibus pharmacis affectu parti adu- lantes, ægrum scire persanant, & artis seueriora præcepta cohibent.* Docta chirurgi manus sæpè blanditur, vt vulnus se tractari patiat: duras, & asperas medicinas recusare ægrotus semper adnititur. Ioab monet Dauid à luctu temperare, & se humanum militibus exhibere; verùm sic admonet, vt potius videatur inferiorem corrigere, quàm Principem admonere: *Surge, & procede & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum.* Dum minas fulminat, dum imperans adnotet, venerationis probatur limites transilire, & insultantis personam agere. Notauit Abul. q. 6. *Durè se habuit erga Regem, nam cum maiori reuerentia debuisset ei loqui, & admonere, sed loquebatur ei tamquam minori, vel æquali, & per modum comminationis.* Admonitio erat necessaria, sed esse debuit reuerenter submissa, & verbis vrbantate diffluentibus pronuntiata. Grauitè delinquit, Principem, Magnatèsve superbè admonens, aut minùs reuerenter instituens. Petrus, quem paulò antè Dei filium confessus est: *Tu es Christus filius Dei viui.* Mat. 16. v. 16. vt vidit mortem pro hominibus exambire, audacter increpuit: *Assumens eum Petrus, cepit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Vocat Dominum, & increpans admonet, cum fas esset reuerenti admonitionis modo morem gerere maiestati. Quid tunc Dominus? Audacem monitorem repellit, stultitiàmque corrigit: *Vade post me Sathana.* Quærunt Interpretes: Cur Petrum aspero feriat Dominus supercilio, cum Petri verba ex sincero, & amanti promanarint affectu? respondentque veluti imperiosè admonuisse, & minùs consideratè sententiam demutandam fore tentasse. Prodest Orig. in Cat. *Petrus indigna hæc Filio Dei viui arbitrabatur; & quasi oblitus, quoniam Filius Dei viui, nihil dignum increpatione facit, aut agit, cepit increpare.* Et si mysteriorum inscius, oppetere crucis mortem, Christo indignum fuerit arbitratus, & eius consulere famæ admissus, debuisset humili reuerentia admonere: ergo duplici culpa Petrus deliquit, dum à Christo decreta voluit corrigere, & dum correctionibus modo maiestati debitam reuerentiam est ausus violare. Et quidem Principes, Superioresque admonendi sunt, cum delinquant, sed eo modo, vt non videantur iniuri nota, sed profunda suspici reuerentia. Ergo licèt Ioab Dauidem admonuerit sincero amoris affectu, teneri agnoscutur irreuerentiæ reatu.

Mat. 16.
v. 16.

§. XVIII.

Magnates, si debitam eis quis violauerit reuerentiam, nunquam obliuioni tradent iniuriam.

P Rincipes, Magnatesque officia sibi præstita facile obliuioni tradunt, sed æterna conseruare memoria, si quid minus adorationis exhibitum, aut in magnitudinem suam existimarint peccatum: solent pro tempore indignationem te gere, & exterius dissimulare. Sed, vt ignis cinere contactus, si exsuffletur, incandet, sic indignatio, accedente opportunitate, se prodit. Ioab amanti affectu, sed irreuerenti ad speciem ausu comminatus est Dauidi, ni demutarit sententiam, ab eius imperio omnem discessuram militiam: *Iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac.* Dauid tacuit, & latiori adsumpto habitu, hilarem militibus vultum ostendit: *Surrexit ergo Rex, & sedit in porta.* Verùm irreuerentis increpationis offensam, non vltionis auidus, sed iustitiæ studiosus, tenaci ad eò memoria retinuit, vt ipso in mortis limine Salomonis prudentiæ castigandam commiserit, & veluti testamento mandarit: *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab.* 3. Reg. 2. v. 5. De irreuerentia, duræque increpatione hæc verba intelligi, notauit Abul. q. 6. *Dauid quamquam assensit verbis Ioab ex necessitate, tamen doluit de ista persuasione, quia sic acriter feret, & postea dixit filio suo Salomoni: Tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab, id est quomodo afflixerit me: patet ergo quod Ioab aliquomodo peccauit in ista redargutione.* Contra debitam maiestati reuerentiam acri reprehensione deliquit; ergo ad eò tenaci memoria conseruatur offensa, vt nec prolixus annorum tractus expunxerit, nec præsentia mortis obliterarit. Et quidam Dauid honestis factis expressit, quod Altis, & Proceribus accidit. Si arbitrentur, quem minus vrbane se gessisse, cruento vlciscuntur ferro, aut si intersit impedimentum, pertinaci memoriam conseruant odio. Si liceat ad instruendos mores velitari, quod Arca apud Azocios accidit, sacra retulit Scriptura. Dagon plectibili adoratione cultus, Arcam compulsus est adorare: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* 1. Reg. 5. v. 3. Hanc adorationem grauius supplicium secutum est; nam sequenti die & iacuit, è throno pulsus, & capite, ac manibus detruncatus. *Caput Dagon, & dua palma manuum eius abscessa erant per limen.* Influxit seueræ ad eò pœnæ causam scrutantur Interpretes. Nam cum primo die non fuerit decapitatus, aliquid videtur interuenisse, vt sequenti die apparet capite, & manibus mutilus. Si primo die caput non est amputatum, cur die sequenti præcisum? aut si sequenti præcisum, cur primo die non amputatum? Interpretes aiunt, dæmonem, qui in Dagonate latebat, olim cum Christo Domino, in Arca figurato, æqualitatem, aut similitudinem affectasse, & ob id animi reluctantiæ ipsa adoratione ostendisse: itaque cum inuitus, & coactus adorationis reuerentiam penderet, adorandi modo peccauit, quando quidem nec caput dimisit, nec manus, vt oportebat, leuauit. Et licet Philistinorum culpa lenioribus fuerit pœnis mulctata, rigidiùs Dagonis est irreuerentia punita. Audi Abul. q. 13. *Abscessa sunt ille partes, quæ ad adorationem pertinent,*

scilicet caput, quia illud non bene curuauit, & manus, quia illas non bene eleuauit. Ipsa reuerentia offendit, quia minus, quàm fas erat, honoris exhibuit. Hæc historia arcanis noscitur exundare mysterijs, quam si Altis, & Sublimibus adaptaueris, eorum mores adumbratos penicillo eleganti inuenies. Agrè ferunt, quid de eorum adoratione præcidi, aut minus reuerenter præstari. Et licet alia in materia se exorabiles præbeant, in hac pertinaci indignatione inflammantur, & punire irreuerentiam, etiam instante morte, adnituntur.

TEXTVS.

VER S. 8. Surrexit ergo Rex, & sedit in porta: venitque vniuersa multitudo coram Rege: Israël autem fugit in tabernacula sua.

§. XIX.

Magnitudine celsi ad plurima coguntur inuiti.

M Ihi crede, alijs imperare, & præ cæteris meminere speciosa seruitus est. Non est sui iuris, qui alijs præest: pro reuerentia sibi exhibita multis cogitur parere, & quæ auerfaretur, agere. *Cæsari ipsi, cui omnia licent* (aiebat Senec. de Const. ad Polib. cap. 26.) *propter hoc ipsum multa non licent.* Non licet Altis diem, quibus vellent, expendere; non licet, alto sole, dormire, quia ipsa dignitas ad labores cogit, & otio renuntiare compellit. Ecce Dauid etsi dolore ictus, cogitur lætorem habitum sumere, & omnibus liberum aditum exhibere. *Surrexit ergo Dauid, & sedit in porta, & omni populo nuntiarum est, quod Rex sederet in porta.* Vellet Dauid à conspectu remotus profusus lachrymis intimum, quo vrgebatur, fatiare dolorem, vellet pullatus cordis manifestare anxietatem; verùm tempus exigebat, vt omnibus se præberet conspiciendum, & latorem indueret habitum: ergo paruit tempori, & dignitati, nec illi licuit pro arbitrio actiones disponere, sed opus fuit populi votis parere. Prodest Abul. q. 6. *Ecce quanta calamitas Dauid: nam filium suum ex magna amaritudine lugebat, & à seruis suis coactus est contra naturalem inclinationem in ipsa amaritudine ridere, & alloqui illos, vultum hilarem ostendendo, cum nequaquam lætum cor posset habere.* Sæpè iudex, superiorque domesticis infortunijs pressus, dignitatis lege aduentantes vrbane cogitur alloqui, expedire negotia compellitur, cum interna mœstitia vratur; non tam sui ipsius est, quàm muneris. Dauid coactus est, ne muneri desit, vultum hilarem populo ostendere, cum comperit esset, dolorem læuum intima viscera discruciare. Sponsa pastoriciam vitam agens, discupiebat curas aliquantulum intermittere, & honesto otio indulgere. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. v. 6. *Placidam exambiebat requiem ardentissimo solis æstu defatigata, & ouium iugi sollicitudine oppressa. Quid tunc? Iubetur in campum egredi, petulcòsque pascere: Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pascè hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.*

3. Reg. 2.
v. 5.

1. Reg. 5.
v. 3.

Cant. 1.
v. 6.

rum. Ac si dicat: Si ignoras munus, scito, te gregibus alendis præpositam, & iniunctam tibi sollicitam custodiæ curam: ergo licet exoptes meridie quiescere, &, amandatis negotijs, cibum sumere, non est tibi liberum, pro arbitrio actiones disponere, quia muneri cogere satisfacere: ergo quod putabas placidæ quieti tempus dicandum, scito curis molestissimis impendendum. Audi Allan. apud N. Delr. in Litt. *Egredere pro egredieris; accipit imperatium pro futuro.* Itaque Sponsus meridie in campum exire non imperat; sed explicat quid minus requirat, ut nouerit officio potius attendendum, quam voto. Volebat David luctui indulgere, nec potuit, quia opus erat venientes è prælio sereno vultu recipere: *Cum nequaquam letum cor posset habere.*

§. XX.

Peccatores à Deo celeri gradu fugiunt; iusti gressu non admodum concito veniunt.

Incrementa virtutum lentè exeunt: properatur in damnum: noxia cupiditas volucres sortitur alas, virtus suas patitur morulas. Non facilè mihi dabis, qui ad arripiendam honestatis occasionem celeri gradu contendat; nec dabis, qui inuitante voluptate, aut alliciente lucro, lento gressu iter arripiat. Nescio, quo pruritu ad inhonesta impellimur, nescio, qua ad honesta lentitudine adstringimur. *Non differtur in diem* (aiebat Seneca aliorum Epist. 8.) *qui se illi subiecit, & tradidit, statim circumagitur.* Quod Seneca de Philosophia, ego de noxia appetentia. Qui propofuit voluptati indulgere, ignorat crastinum, qui virtuti seruire propofuit, sæpè distulit in futurum. Ut hanc nos veritatem edoceat Sacer Textus, de Dauidis seruis dixit aduentasse, de aduersarijs fugisse: *Omni populo nuntiarum est, quod Rex sederet in porta: venitque vniuersa multitudo coram Rege. Israël autem fugit in tabernacula sua.* Si inquiras: cur Israël ita celerem arripuerint volatum, & Dauidis serui lentiore cursu? ratio in promptu est: Israël sua repetebat tabernacula, Iuda aduentabat, ut Dauidi exhiberet officia. Ergo alij fugientium celeritate inuolarunt, alij uti prælij laboribus dilassati, lentiùs gressum promouerunt. Itaque Israël ad otia, ad tabernacula, ad larium commoda fugit, Iuda ad præstanda Dauidi salutationis obsequia venit. Nullus ignorat Dauidem Christi imaginem gerere, & accedentes, recedentèsque, iustos, iniustosque designare. Ergo recedentes fugerunt, accedentes non properarunt. Nonne attendis historiarum penicillo delineatum, quàm lento passu ad virtutem accedamus, & quàm pernici volatu ad humana vitia, aut commoda properemus? *Israël* (inquit Abul. q. 6.) *fugit de bello, & inuit ad tabernacula sua.* Non repetebant commoda lento gradu, sed celeri gressu: Dauidi non accedebant celeri gressu, sed morosissimo gradu. Cælesti iugo animalia video colla feliciter subdidisse, & in carpando itinere ingenia quodammodo demutasse. *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Ezech. i. v. 7. Quis crederet validiorem fuisse bouem, ut alia animalia traheret ad eius imitandum gressum, quàm aquilam, leonem, hominem, ad persuadendum volatum? Et quidem aquila adinstar bouis hinc incedens, Ezech. cap. 17. v. 3. occyffima celeritate aërem tranat, & intentos oculos frustrat. *Aquila grandis magnarum alarum*

longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate veniit ad Libanum, & tulit medullam Cedri. Iam se se offert difficultas: Si aquila inuolat celerrima ad Libanum, cur bouis gressu refertur ducere plaustrum? aut si lentè ducit plaustrum, cur lentè non contendit ad Libanum? Quia alibi aquila negotium agit virtutis, alibi ambitiosæ causam cupiditatis. Ut medullam auferat, aquilinas sortitur alas, ut legis inferuiat iugo, bouis imitatur lentissimas moras. Ut his arcanis symbolis nos edoceat Scriptura sacra, quàm sumus erga virtutem pigri, & ad commoda futilia celerrimi. *Tulit medullam cedri* (inquit Lira) *id est quidquid erat in Ierusalem pretiosum.* Ad rapinam, ad augendam diuitiarum copiam boues conuertuntur in aquilas, ad legis iugum aquilæ transmutantur in boues: quia lentè ad virtutem procedimus, ad delicias, & euandas vtilitates, pernicipiter inuolamus.

TEXTVS.

VER S. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philistinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom.

§. XXI.

Quisque adnititur à perpetrata culpa immunitatem se asserere, & alteris applicare.

Peccantis studium est, alteri perpetratam adscribere culpam, ut suam asserere quiuerit innocentiam; sed dum putat coloratis fallacijs crimen euadere, probatur nouis incrementis augere: nam impositio menda errorem non releuat, sed criminofum, & fraudulentum nouis culparum nexibus illigat. Adam admissam culpam mulieri adscribit, mulier applicat serpenti, ut ab ipso capite, hic error agnoscat ad posteros veluti hæreditaria infelicitate transmissus, & damnabili imitatione obseruatus. Audi Basilium Seleuc. Or. 3. *Hic responsionis egere, herere, in mulierem audax facinus transferre, vita societatem causari, & criminari: illa in serpentem prolapsionis culpam deriuare.* Parentum quisque alteri errorem adscribebat, & sibi imprudenter providere curabat. Idem Israëlitarum populus imitatus est, nam cum, accepta clade, tantisper resiperent, cladis occasionem quisque in alium deriuabat, & propriam culpam deriuatione tegebat. *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum.* Quo certaminis genere inter se contenderint Israëlita, quarunt Interpretes. Abul. q. 6. inter eos, existimat, id certamen fuisse, quod quisque alteri adscribebat coniurationis causam, & culpam; nam cum alio esset fœdum, legitimum, & à quo tanta acceperat beneficia, Principem deseruisse, & ad perduellem, ac fratricidam inuolasse, quisque infamem admodum notam à se adnitebatur expungere, & alteri, ut expungeret, applicare. Abulensis verba sunt: *Contendebant inter se super malo, quod fecerant, excludentes Dauid, & accipientes Absalonem in Regem, & imponebant sibi in alterutrum culpam, scilicet qua tribus magis incitauerat alias, vel fuerat principium, ut vngeretur Absalom, cum esset Dauid Rex.* Non deplorabat quisque

Psal. 140.
v. 3.

quisque perpetratam offensam, sed inurebat alteri notam. Sic insitum est hominibus, fraudibus innocentiam mentiri, & culpam à se perpetratam audacter cæteris applicare. Psaltes Deum humiliter deprecatur, & eius labia impolluta custodiat, nec alteri à se perpetratam adscribere permittat culpam. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis, non declines cor meum in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis.* Psal. 140. v. 3. Euthymius legit: *Ne declines cor meum in verba malitia, ut prætexam prætextus in peccatis.* Nouerat Dauid ferè omnes peccata sua colorare, & alijs adscribendo pœnam, vel culpam, minuere, ergo ab hoc generali errore liberari desiderat. Euthymium audi: *Adam in Euam, & Eua in serpentem, peccati causam prætexendo reiecere: pari modo homicida ira tyrannidem prætexit: adulter concupiscentia vires, fur inopiam, & necessitatem.* Adnectit: *Sciens diabolus, quòd confessione Deus placatur, & negatione magis irritatur, persuadet peccatoribus prætexere, quòd ipsi non peccauerint, sed quòd aliquid peccati causam eis extiterit.* Iracundus alium testatur eum compulisse, libidinosus queritur, alium occasionem concinnasse, & ita quisque se releuat, & alios onerat. Ergo Dauid Deum precatur, hoc liberari errore desiderans, & communem esse plurimis non ignorans. Ecce quæuis tribus coniurationis occasionem alteri applicabat, & se erroris immunem prætextu colorato asserbat.

§. XXII.

Si accepta à Deo beneficia subeant memoriam, suadent ingratitude pœnitentiam.

Confido. P. C. (aiebat Athalar. 8. Var. 11.) quòd *ad agendas optimo Regi gratias, omnium vestrum studia debeant concitari, quando prouectum meum excogitatum noscitis pro utilitate cunctorum.* Cunctorum utilitas, generalis commoditas eximium beneficium est, quod, si obliuioni ingratisimè non tradatur, omnium erga Principem beneuolos animos proleatere dignoscitur. Verùm eà est hominum ingratitude, ut periculosa res sit, magna in eos beneficia conferre, nam argumentum nihil debentium odio quærunt, aut vanis spebus ad alium amicum transeunt. Dauidi debebat populus sospitatem, salutem, quietem; verùm vexilla Absalonis secuti, Dauidem deseruerunt ingrati: postea eorum memoriam subit, quanta à Dauide accepissent beneficia, quanta, eo rectore, promanauerint commoda, & iam ipsa recordatione percussi, amarissimam agunt pœnitentiam, & satagunt dolore expungere culpam, & demutare sententiam. *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum: ipse saluauit nos de manu Philistinorum, & nunc fugit de terra propter Absalom.* Hæc vox dolentium est. Quòd si inquiras, quid modò acrem suscitauit dolorem, & dolorosam attulerit anxietatem? respondebit Hugo Card. beneficiorum fuisse recordatione compunctos, & ad arripiendam pœnitentiam expromptos. Hugonis verba sunt: *Omnis quoque populus, qui fuerat cum Absalom hortabatur se mutuo, ut reduceret Dauid, recolens eius beneficia.* Saniore menti redditi perpendebant, quàm fuisset stultum, Absalonis, à quo nullum acceperant beneficium, imò per quem tot strages fuerant experti, vexilla sequi, & quàm erat

dolendum, Dauidem, per quem libertatem, salutemque acceperant, deseruisse. Ergo ipsa beneficiorum memoria ingratos adurebat, utque ad Dauidem redirent, stimulabat. O si homines expenderent, quid à sæculo acceperint, ejus secuti castra, & quid Christi Domini professi vexilla! Profectò ipsa memoria salubrem dolorem gigneret, & ad pœnitentiam ingratitude adurgeret. Vbi populus stultè decreuit deos fufiles detestabili adoratione percolere, decreuit etiam accepta à Numine beneficia denegare: *Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Exod. 32. v. 4. Si roges, cur libertatem vitulo adscribant, & acceptam à Numine libertatem denegarint? respondebit Oleaster, sua ipsa imprudentia fuisse prouidos, & astutos. Decreuerant auream illam adorare vituli statuam; ergo beneficiorum & Numine acceptorum expunxerunt prorsus memoriam, quasi nequient duo hæc associare, scilicet beneficiorum Dei conferuare memoriam, & exhibere vitulo reuerentiam. Audi Oleastrum ad Mores: *Parum illis fuit idolum suum summis honoribus, & laudibus attollere, nisi potissimum Dei beneficium, quod illis impenderat, in eum collocarent.* Accepta à Deo beneficia, ni obliuioni traderentur ad benefactorem colendum adurgebantur: cumque insanirent, ad præferendum idolum beneficia denegarunt, & à memoria expunxerunt. *Potissimum beneficium, quod eis impenderat, in eum collocarunt:* secum pugnant accepti beneficij memoria, & ingratitude pertinacia.

§. XXIII.

Qua imminet temporalium iactura, præcauetur sollicità diligentia.

Volaticæ felicitatis magnis sollicitudinibus procuratur semper augmentum, & inquietat animos, si imminere possit periculum. Quod denigrat animam, quod exulcerat conscientiam, quod sordibus inficit vitam, stulto despectu præteritur, nec incommodare videtur. Auri adurit fitis, dignitatum diuexat fames: tota circa corporis utilitates impenditur cura, cum mores expolire; honestè agere obliuioni tradidit negligentia. *Nunc age* (aiebat Euryp. in Ione) *ô improbi homines! captate honores, & diuitias undeque venantes, vobis acquirite, siue per fas, siue per nefas id fiat.* Quia aurum magna æstimatione habetur, iacturæ periculum corda sollicitare cognoscitur. Israëlita Absalonis signa secuti, decertasse secum referuntur studiosi, cumque ante acceptam cladem nulla eis fuerit admissi criminis cura, iam de placando Dauide sollicita inter se dicuntur contendere diligentia: *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum.* Certamen inter Israëlitas erat, quis alteri præiret ad placandam Dauidis iram, & ad eius incundam beneuolentiam. Quærunt Interpretes, cur qui, superstite Absalone, Dauidem depulerunt ingrati, secum modò decertarint solliciti? Criminisne pœnitentiâ ducuntur? errorisne dolore vrgentur? Non equidem (inquit Abul. q. 7.) sed cum timerent temporalibus dispoliandos, & Dauidis armis victricibus atterendos, studuerunt anteuertere periculum, & demulcere victoris animum. *Sicut nunc pauci de seruis David preualuerunt contra totum Israël, ita credebant, quòd deinceps futurum esset, & quòd*

3. Reg. 13.
v. 19.

quòd David eos bellis conficeret, & destrueret omnia bona eorum; ideo voluerunt ipsi quasi gratis David suscipere. Prius admissum contemnebant erratum, quia, Absalone superstitere, eorum facultatibus non reebantur imminere periculum; modò præfagiunt supplicia, verentur Davidis arma. Ergo, vt sibi, diuitijsque consulant, de placando Rege decertant. O quot, dum periculo vrgentur, dum ægritudine anguntur, dum doloribus discruciantur, de conciliando sibi Numine cogitant, nec tam mouentur probitatis studio, quàm imminētis naufragij metu! Cùm vir Dei adolentes thura, anhelantibus exurendos flammis prædixisset, & prædictionem miraculis confirmasset, veterenosus quidam senex, qui summi sacerdotis dignitate fungebatur, à filijs, quæ acciderant, audiuit, & vt Prophetam falleret, inuolauit. *Fefellit eum, & reduxit secum.* 3. Reg. 13. v. 19. Cùm dicatur à filijs audiuisse, innuitur festiuitatibus tunc deesse. Hinc oritur quæstio: Cur non adfuerit festiuitati, & se committat itineri? Respondet Lira: Etsi idolum vti Deum coleret, senectutis prætextu defuisse, & religiosum laborem excusasse; ast sollicito studio contendisse, vt Prophetam seduceret, quia ab eo pendebat, à Rege in honore dignitatis conseruari, aut excludi. Liram audi: *Non fuerat in solemnitate impeditus nimia senectute.* Benè: sed si senectus nimia festiuitati, cultuique impediēbat interesse, quomodo senectus iter non impediuit arripere? Quia coniecit (inq̄ ut Hugo) ni prætexerit dolum, imminere eius facultatibus, & dignitati periculum; nam si Rex propheticis minis deterritus, demutaret sententiam, duram ipse subiret censuram, dum fallacia nudabatur, & religio vera colebatur; ast Prophetam fallendo, sibi promittebat, Regem, spretis minis, non demutaturum sententiam, sed errorem prosecutum, sibi que confirmaturum dignitatis præstantiam. Ergo inuolauit, senectute non impeditus, nec retardatus, Hugonem audi: *Iste pseudopropheta Princeps erat sacerdotum, & valde à Rege colebatur tamquam Diuinus, timens autem ne per sermonem viri Dei Rex à cultura idolorum recederet, & se tanquam maleficum interficeret, excogitauit, vt virum Dei deciperet, satis argute agens.* Prophetam fallens, existimauit irritam reddidisse prophetiam, & Principem antiquam profecutorum sententiam; ergo vt imminētis periculi protus anteuerteret contingentiam, arripuit celeriter viam. Itaque erat senex, vt exerceret sacrificuli ministerium, & senex non erat, vt sibi assereret sacerdotium. Profecutor hac in umbra plura videntur. Plures, vt labores muneris, aut status euadant, varias excusationes artificii calliditate colorant: virium defectum, occultum morbum, fatiscentem iam senectute animum queruntur, si verò lucro, aut palato inferendi opportunitas occurrat, restitutis viribus, iuuenescunt, & integra sanitate itinera adire, aut subite molestias alias nunquam effugiunt. Veterenosus senex festiuitatis laborem non poterat sustinere, & ambitionis alis potuit ad asserendam dignitatem volare.

§. XXIV.

Admissus semel error causa deseruiat resipiscētia, non cacissima pertinacia.

Innocentiæ vicinari videtur festinata correctio, & illi aliquomodo error proficit, qui resipi-

scit cautior, & sibi prouidet sollicitior. Satis sit semel errasse, vt vitetur scandalum, nec sit noui erroris infelix error augurium. *Non statim succidendus, ac subruendus est animus desperatione* (aiebat Tertul. de Pœni. cap. 7.) *Si secunde quis penitentia debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus penitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari.* Pudeat iterare periculum, non pudeat citò sollicitare remedium. Israëlita vanissimis spebus delusi, Dauidem expunxerant, Absalonem inauguratant. Res è sententia non cessit: ergo quos obæcarat oculos præsumpta felicitas, experta reluminauit aduersitas: & iam inter se contendant, qui citius imploret veniam, & retractauerit culpam: *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philistinorum, & nunc fugit de terra propter Absalom.* Hæc vox erat dolentium, & ad resipiscendum se mutuò hortantium. Prodest Lira: *Vsquequò filetis à recognitione culpa, & petitione veniæ? Non dubitabant veniam, si citò implorarent misericordiam.* Notauit Iosephus apud Glos. *Reuertentes ad semetipsos singuli mittebant per ciuitates cunctas Davidis beneficia commemorantes, & libertatem, quam eis, resistendo multis hostibus, præbuerat, edicentes, culpantesque semetipsos.* Admissa culpa non fuit vltioris culpa propheta, imò fuit, ne iterum laberentur, cautela. Certè prudentes de peccato peccatum damnant, dum exinceps casum deuitant; non vt alij, quibus casus alterius est erroris exordium, & contumaciæ principium. Ioab futura prædicens, & ad Leui, Simonemque deueniens, aiebat: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Gen. 49. v. 7. Non ait: *Maledictus furor, quia dolosus, sed quia pertinax, quasi ex eo delicto præuiderit pertinaciam emanaturam, & nouam culpam sobolem exortendam.* Aliquibus error affert salubrem erubescētia, & iterare formidant culpam; alijs verò errasse est pertinaciæ præfagium, & erroris repetendi infelix satis augurium. Opportunè Oleast. ad Mor. *Humanum est passionibus excitari, sed in eis pertinacem esse, extremum malum.* Qui humanus errauit, non persistat pertinacia induratus, sed resurgat salubri cautela munitus. En Israëlita errore confusi, non contendunt alium Regem consalutare, sed ad Dauidem redire.

Gen. 49.
v. 7.

T E X T V S.

V E R S. 10. Absalom autem, quem vnxi-
mus super nos, mortuus est in bello:
vsquequò filetis, & non reducitis Re-
gem?

§. XXV.

Consortis in eadem culpa lamentabilis casus ad resipiscendum instigat, & moram omnem condemnat.

Omniem prudentiam exuisse videtur, qui eadem culpa denigratus, & exitialem consortis casum intuitus, non recurrit citò ad securum, & salutare profugium, sed indurat pertinaciter animum; cùm eandem possit subire pœnam, qui similem admisit culpam: ergo diuinæ misericordie

diæ est oneri, qui non respicit à crimine. *Plerique* (aiebat Tertul. de Pœni. cap. 7.) *naufragio liberati, exinde repudium, & nauis, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant.* Qui socium eadem nauis vectum, elatis vndarum vorticibus spectauere submersum, Dei beneficium, ospitatem scilicet suam, depretiant, nisi ad tuta citò confugiant. Prudentibus aliena calamitas pro hortamento est, & dum se discrimini ereptos prudenter expendunt, iterum periclitari, refugiunt, formidant iterum Dei misericordiæ oneri esse, & bona certè sollicitudine sibi satagunt prouidere, ne similem stragem contingat illis subire. Israëlita Absalonis signa secuti, contra Dauidem in campum processerunt armati: initur prælium, & Absalonem telis spectauerunt transfossus. Ergo dum expendunt, eodem ipsos coniurationis crimine defœdatis, & occasionem euadendi hostilia tela assecutos, satagunt ad Dauidem redire, & admissam culpam celeriter pœnitentia delere. *Absalom, quem vniximus super nos, mortuus est in bello: vsquequò siletis, & non reducitis Regem?* Acti dicant: Si vidimus Absalonis stragem, quomodo quiescimus, & arripere pœnitentiam tardamus? quando ipsa Absalonis strages, Dei erga nos benignitatem exaggerat, & tarditatem relapsitæ condemnat. Innuuit Abul. q. 7. *Absalom mortuus est, ideò frustra est, quòd nos amplius repugnemus Dauid.* Magna, inquit, insipientia est, spectato Absalonis lamentabili casu, sententiam non demutare, nec ad clementiam confugere. Quid expectamus, qui Absalonis casum vidimus? Quid expectat, qui consortem criminis eodem in lecto vidit repentè corripit, & animam infelicem efflare? Qui socium suum vidit gladio transverberatum occumbere, nec pœnitentiæ tempus habere, quid immoratur, & periculosus moris irretitur? Vir Dei vitulorum cultoribus ardentis flammæ prædicat, vt sibi prouideant, ignemque euadant. *Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te, sacerdotes excelsum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendit.* 3. Reg. 13. v. 2. Vnus è sacerdotibus Dei virum artificiosa calliditate fefellit, & dum videtur delicata mensa perigrinum alere, ipso obsequio tentat occidere. Eadem in mensa delinquebant, & qui cibum administrabat, & qui sumebat. Dei Propheta à leone ob admissam culpam occiditur: *Inuenit eum leo in via, & occidit: & cum non ignoraret veterinosus sacerdos consortis inculpa casum, nullatenus vertit stylum iam morti proximus, se flammis asseruit obnoxium, & pœnis debitum: Profectò veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini.* Dignissimus profectò fuit senex iste, qui voracibus cineresceret flammis adustus, dum, conspecta consortis strage, perseueravit interritus. Vidit cruentos leonis vngues, & cum fas esset, carnificem fugere, non metuit accedere. O miserum! sunt qui, consortis inspecto supplicio, non horrent perseuerare peccato: sed timeant inextinguibilem flammam, qui depretiant diuinam misericordiam.

TEXTVS.

VERS. 11. & 12. Rex verò Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad redu-

endum Regem in domum suam? (sermo autem omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius) Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducitis Regem?

§. XXVI.

Qui præ alijs festinauit ad culpam, alios etiam ad impetrandam anteuertit veniam.

Laudabile est anhelò studio præ alijs festinare ad sibi elucrandam gratiam, qui alijs præcedere ad perpetrandam ambiuit culpam; non enim lentior esse debet ad salutem conatus, quàm ad morbum, extitisse constat adfectus: honestus ambitus est præexcellentiæ, quæ noscitur deseruire virtuti. Israëlita celeri gressu inuolarunt, vt Absalonis sequerentur vexilla, & inita cum Dauide rumperent fœdera: ergo modò Iudæ contribules præire satagunt ad Dauidi præstanda debite venerationis officia. *Rex Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad reduendum Regem in domum suam?* (sermo autem omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius.) Id est iam Israëlita per sequestres pacem postulauerunt, cum adhuc Iudæ tribus necerent moras, aut saltem non sollicitaret euitare moræ censuras. Quòd si inquiras, cur alia tribus Iudam præuenerint? respondebit Abul. q. 8. voluisse alios anteuere ad exhibendum venerationis obsequium, quia præcesserant ad perpetrandum coniurationis delictum. *Quasi dicat* (verba sunt Abul.) *iam undecim tribus Israël præuenerunt vos, mittendo nuntios.* Ipsa tribuum festina sollicitudo erat testimonium doloris, & veræ argumentum pœnitentis, nam si lentè pœnitentiæ occasionem arriperent, non vrgeri dolore ostenderent. Mulier Apostolos præcessit, vt Domini adiret sepulchrum. *Maria Magdalena venit manè, cum adhuc tenebra essent, ad monumentum.* Ioan. 20. v. 1. Fœmina quæ in secundis est, prima venit: quòd si inquiras causam, respondebit Chrysol. serm. 79. ordinem esse mysticum, non præposterum. *Non est hic præposterus ordo: sed mysticus.* Opus erat mulieri non solum quærere veniam, sed delore, quam infelicem in peccando quæsiuerat præcellentiam: mulier namque fuit, quæ aures serpentinis adulationibus præbuit, quæ virum blanditijs delinitum ad culpam traxit: ergo cum viro antecesserit ad ruinam, passa non est sequi, vt vitalem adiuerit sepulturam, ne videretur morosior ad quærendum antidotum, quæ celerior præcucurrerat ad hauriendum serpentinum venenum. Chrysologum audi. *Quæ prima cucurrit ad lapsum, præcedit ad sepulchrum, quæ præcessit ad mortem, fit resurrectionis nuntia, quæ fuit mortis interpres, & quæ viro porrexerat interitus tanti nuntium, viris ipsa porrigeret magna salutis auditum, vt compenset fidei nuntio, quòd perfidiæ ademittit auditu.* O quàm confusibile esset ad virtutem alios sequi, ad prauitatem præire! Ergo mulier ad Christum accelerauit gressum, noxiæ festinantia aboluit reatum, & Israëlita, dum Iudæos præcedit ad Dauidis obsequium, damnabilis prioritatis aboluit erratum.

§. XXVII.

§. XXVII.

Digna Magnasibus actio, temperare Principis iram, & reducere ad eius populum obedientiam.

INter populum, Principemque concordiam coallescere Diuina voluerunt, vt per Principis placabilem animum quies populorum proueniat optata, & per populi debitam obedientiam augeatur Principis gloria. Hoc est adeò sacrum, vt nulla debeat perturbatione violari, quando mutuo fœdere vtriusque partis utilitas constat augeri. Verùm aliquando varijs emergentibus causis, tranquillitas perturbatur, aut quia subiectus pendere tributum subiectionis recusat, aut quia Princeps exasperatus indignatione flammescat: & tunc ad spectabilem virum pertinet serenum tranquillitatis adducere, & procellam horrifonè tonantem depellere. *Amamus publicis actionibus* (aiebat Theod. 3. Var. 25.) *personas inserere, morum probitate conspicuas, vt per obsequia fidelium nobis crescat utilitatis augmentum.* Principi accrescit splendoris augmentum, si subiectus honestum subiectionis pendat tributum; & subiecto accrescit etiam optabile commodum, si potiatur tranquillitatis serenum: ergo conspicuus vir, dum periculosa componit dissidia, vtrique parti exoptanda præstat obsequia. Israëlita à fide descuerunt, euanidis spebus illecti, & Abfalonis signa secuti: illis vexatio intellectum dederat, sed prudentiæ redditus, adhuc criminis reatu detinebantur confusi. Quid tunc præcipui viri interuutores existunt, & desiderata concordia vtramque partem componunt. *Sermo omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius.* In Hebræo habetur: *Consilium totius Israël venit ad Regem.* Id est viri Consulares Principis iram placarunt, & populo subire tranquillum subiectionis iugum suaserunt. Ita Lira: *Consilium totius Israël venit ad Regem, quia per nuntios certos, & solemnnes significata fuerunt sibi ista.* Reipublicæ Proceres, venerabiles Prætextati inter populum, Regemque pacem sollicitarunt, & munus gloriosissimum peregerunt. Quid enim laudabilius, quàm odia extinguere? quàm dissidia componere? quàm omnium utilitati prospicere? Cùm tot mira Moyse patrasset, solum lego, ex eius vultu radios fulgentissimos, qui solares vincerent, promicuisse, cùm è fastigio Sinai descendit ad populum, & in tabulis atulit confederationis rescriptum. *Videntes Aaron, & filij Israël cornutam Moyse faciem, timuerunt propè accedere* Exod. 34. v. 30. Et quid est, quòd viam in profundo aperiens, quòd Israëliticum populum pascens, quòd crystallinos è durissima rupe latices eliciens, non resplendet? Quia inter Deum, & populum interuentor, Numinis ardentem restinxit iram, & populum edocuit saluberrimam obedientiam. *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quòd locutus fuerat aduersus populum suum.* Exod. 32. v. 14. Ergo dum stabilire adlaborat concordiam, dum populo penitentiam suadet, dum à Principe veniam humillima prece obtinet, & resplendentibus splendoribus nitet. Prodest Isidor. apud Glos. *Descendente Moyse cum tabulis, facies eius glorificata videtur.* Tabulæ, quæ fœderis erant testimonium, Moysem testabantur etiam reuerentia honorabili dignum, cùm & populum ad debitam reduxerit obsequiam, & iustam Principis placauerit iram.

Eman. de Naxtra in Reg. Tom. I V.

§. XXVIII.

Iuuat ad impetrandam facilius veniam, implorare per Magnates misericordiam.

Non sunt tales tenebræ noctis (aiebat Chrysol. serm. 3.) *quales illa sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum.* Quæ prius videbantur dulcia, mortifera inueniuntur sæpè venena, & iam mens confusibili rubore tardata, non audet ad impetrandam veniam accedere, quia veretur iustam indignationem incurrere: timet oculos cognitoris, etiam qui desiderio vrgetur salutis: ergo tunc oportet ad Magnates recurrere, & eorum grato Principi patrocínio veniam exorare. Sabini libertus ad Plinium domini sui amicissimum confugit, & quam exoptabat, veniam impetrauit. Nam licet Sabinus posset contemnere preces serui, non poterat spernere preces amici. *Libertus tuus* (scribit Plin. 9. Epist. 21.) *cui succensere te dixeras, venit ad me, aduolutusque pedibus meis, tamquam tuis hæsit.* Non audebat libertus rubore impeditus, domini conspectibus apparere, sed industrius nouit ad amicū eius confugere, & amici suffragijs facile affectus est veniam, qui flammescens extimuit iram, illi profuerunt aliena merita, quem admissa deterrebant delicta. Hac ergo industria Israëlita videntur vsi. Nam cùm Abfalonem secuti, bellum intulissent Dauidi, & accepta clade, & iram euadere, & veniam impetrare discuperent, ad consulares Proceres confugerunt, quorum patrocínio Princeps indulsit, & populus supplicium, quod imminebat, euasit. Itaque ad magnæ auctoritatis confugerunt viros, rati eorum precibus facilius iram Principis deliniendam, & veniam sibi impetrandam. *Sermo omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius.* In Hebræo legitur: *Consilium omnis Israël.* Id est viri Consulares auctoritate præcipui, & dignitatis infulis exornati extiterunt interuutores: & Dauid eorum precibus annuit, iramque continuit. Ita Lira: *Per nuntios certos, & solemnnes significata fuerunt sibi ista.* Res è sententia cessit: nam Dauid gauisus est, Procerum auctoritate quodammodo cogi ad reis indulgendum, & delictum condonandum. O quantum valent apud Deum suffragia Sanctorum! Qui ad eorum intercessionem se contulit, facilius veniam sibi impetrauit, quia gaudet Deus gratam vim pati, & veluti interuenientium auctoritate impediri. Seruus Centurioni pretiosus, cùm pudore suffunderetur ad Christum accedere non audebat, sed Centurionem præmisit, qui officijs Deum sibi obstrinxerat, & synagogam erexerat. *Accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Luc. 8. v. 5. Synagogam extruxerat, fide plures antecellebat, reuerenti accessu Dominum deliniuerat; ergo concessit interuentori, quod paralytico differret forsitan supplici. *Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: & sanatus est puer in illa hora.* Chrysologus, quo solet acumine, Serm. 5. ait, ipsum iudicem in salutis sollicitatorem mutasse, quasi nequireret Dominus pio Principi denegare, quod reuerenter adeò constabat expetere. Chrysologi verba sunt: *Afferre eum, & offerre tibi, pœna non sinit magnitudo, ne familiaris infirmitas publicè & dolori sit, & pudori.* Mouit Centurio iudicem ad talia, & tanta, dum perorat. Sic mouit iudicem, vt ad sanandum seruum cœli

Luc. 8. v. 5.

Qq

Dominus

Exod. 34. v. 30. *si faciem, timuerunt propè accedere*

v. 30.

Exod. 32. v. 14.

Dominus non recusauerit ire, & sumptuosis elo-
gijs Centurionis fidem, & commiserationem in-
ceperit dilaudare. Citò seruus, quem pudor à Do-
mini retrahebat conspectibus, obtinuit salutem,
& integram membrorum peruenit ad sanitatem.
S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 21. Domini, mone-
bat Altos, exemplum sequi, & indulgendi occa-
sionem fuisse nactus, delectari. Ambrosium ac-
cipe: *Aduertimus tempestiuus quoque intercessionibus
non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere.*
Gaius est David, vt reis condonaret delictum,
accessisse Proceres, quorum respiciendum non vi-
debatur suffragium.

§. XXIX.

*Si Reipublica Proceres virtutem sequantur, lau-
dabili ceteri adulari imitatione
admituntur.*

Sapienter protulit quidam: *Regis ad exemplum
Totus componitur orbis.* Nam subiectos pudet à
capite discordare, quia gestiunt imitatione blan-
diri. *A domesticis* (aiebat Theoda. 10. Var. 5.) *in-
choare volumus disciplinam, vt reliquos pudeat er-
rare, quando nostris co. noscitur excedendi licentiam
non præbere.* Vbi studuit Princeps, Proceres suos
ex lege viuere, ceteros quodammodo legibus
cogit parere; nam priuatus respuere quomodo
quiuerit disciplinam, si Proceres intueatur præ-
bere virtutum normam? David huius Philoso-
phiæ satis gnarus, Sadoc, & Abiathar elegit, vt
tribui Iudæ suaderent antiquam demutare senten-
tiam, & amplecti vtilem sibi concordiam. *Rex
verò David misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes,
dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicens: Cur
venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum
suam? Hinc oritur difficultas: Si David discipit,
omnes contribules ad eum consalutandum pro-
perare, cur solum maiores natu præcipit admo-
nere? Loquimini ad maiores natu Iuda.* Legatos
Sadoc, & Abiathar ad omnes mittat, nec enim
excusabunt legationem dum ad communem con-
stat spectare salutem. O vtilem nobis eruditio-
nem! Natu maiores, Reipublicæque Magnates
ambit reduci; quod si assequatur, non est dubium
reducendam Magnorum exemplo plebem. Nota-
uit Abul. q. 8. *Quia non poterant isti sacerdotes lo-
qui omnibus de tribu Iuda, sufficiebat, vt loquerentur
præcipuis illorum.* Ad Magnatum exempla, dubium
non erat ceteros componendos, & conforman-
dos: ergo sacerdotes Iuda tribus Proceres ad ob-
sequelam conentur trahere, vt, excusato labore,
omnem tribum possint adducere; nam plebs se-
quitur Magnatum vestigia, & imitatur exempla.
Centurioni cohortis Italicæ, quem religiosum,
Deumque timentem Scriptura dilaudat: *Religio-
sus, ac timens Deum:* apparet Angelus, iubetque
accersere Petrum, à quo vera informetur fide,
& abiurata respiciat idolorum plectibili religione:
paruit Centurio, misitque domesticos, & mili-
tem moratum, nec Martiali licentia abusum: *Vo-
cauit duos domesticos suos, & militem meruentem Do-
minum, ex his, qui illi parebant. Quibus cum nar-
rasset omnia, misit illos in Ioppen.* Act. 10. v. 7. Lira
acutè expendit militis eloquium domesticis ad
speciem notam inurere, & famam quodammo-
do denigrare. Cur missis de domesticis taceatur,
& militis virtus prodatur, quando silentium non
bonæ suspitionis occasionem videbatur præbere,

& domesticos denigrare? Quia iam seruos expo-
litos virtutibus retulerat (inquit Lira) cum Cen-
turionem Domini timore ornatum laudarat, lau-
detur miles, quia frequenter nesciunt morum cu-
stodire mensuram, qui Martem sequuntur, & ideò
oportuit huius referre modestiam: at cum Do-
mini iam Textus retulisset virtutem, seruorum
etiam promulgauerat probitatem, quando erat
consequens virtutibus domesticos inferuire, si do-
minum constabat virtutibus exornari. Liram au-
di: *De duobus domesticis non exprimitur hic, quòd
essent timentes Dominum, quia supra in principio
istius capituli erat expressum, quòd Cornelius erat ti-
mens Deum.* Miles non erat è domesticis, & ob id
eius virtutem asserere, videbatur necessarium, de
domesticis Principis religiosi videri potuit su-
perfluum: satis fuit Principis virtutem referre,
vt facillè conijceretur, domesticos probitati in-
feruire; nam ad domini exemplum seruus com-
ponitur, & frequenter plebs mores Procerum
imitatur.

§. XXX.

*Opus est aliquando munus suum sacerdotem ad-
monere, quia obliuioni contingit tradere.*

Sacerdotalis dignitas inter Deum, & homines
Shonorabilis nexus est, quia & populum de-
bet virtutibus expolire, & gratiam Numinis conciliare.
Tantò Diuinitati plus sacerdos debet,
quantò à cæteris maiora suscepisse cognoscit;
nam qui potitur sacerdotio, quid æquale repen-
dat Deo. Ipse ad placandum Dominum aris im-
molat sacrificium, ipse vitæ, & sermone à popu-
lo propulsare debet erratum. Ecce Aaron inter
Deum, & populum medius cœlestem restinxit
flammam, & populi tutatus est vitam. *Stans in-
ter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus est, & Num. 16.
plaga cessauit.* Num. 16. v. 48. Inter Deum, & ho-
mines medius composuit diffidia, & adduxit pa-
cis serena. *Virum venerabilem, sacerdotio clarum
(aiebat Theoda. 10. Var. 22.) doctrina laude con-
spicuum legationis nostræ ad pietatem vestram feci-
mus vota deferre. Confidimus enim in virtute diuina,
quòd & suis meritis vobis abundè placeat, & desi-
deria proba petitionis obtineat.* Sacerdos eligitur,
vt à Deo orationis efficacia exoptandam implo-
ret populo veniam, vt populum edoceat morum
custodire mensuram. Verùm etsi eiusmodi actio
sacerdotis sit munus, aliquando sordescit alijs
curis addictus, aut fugiendis actionibus occupa-
tus. Sadoc, & Abiathar sacerdotij luminibus co-
ruscabant, nec tamen adducere Iudæ tribum ad
David Christi imaginem contendebant: Ergo
eos David de munere admonuit, & quodammo-
do admonendo confudit: *Rex David misit ad
Sadoc, & Abiathar sacerdotes dicens: Loquimini ad
maiores natu Iuda dicens: Cur venitis nouissimi ad
reducendum Regem in domum suam? Ipso munere
compellebantur homines admonere, & ad ob-
sequelam Davidis trahere, & tamen sic muneris
videntur obliui, vt à Dauide fuerint admoniti:
Loquimini ad maiores natu Iuda.* Notauit Abul. q. 8.
*Quia isti duo non erant nunc cum David, sed man-
serant in Ierusalem (supra. 15.) misit alios nuntios
ad ipsos in Ierusalem, vt ipsi irent ad totam tribum
Iuda, & tractarent de reductione Regis.* Sacerdotes
Regi tenebantur adhærere, & populum ad debi-
tam Principi subiectionem adducere; verùm cu-
ria

ria degentes, muneris videbantur obliti, & negotijsfutilibus occupati: ergo opus fuit eos excitare, & ad explendum munus vrgeri: *Misit nuntios ad ipsos in Ierusalem, ut ipsi irent, & tractarent de reductione.* O miserum! Sacerdotes, Episcopi, Religiosi, curandis Dei gregibus designati, negotijs secularibus inueniuntur immerfi; & qui tenentur salubrem sæculi edocere contemptum, in curijs perniciosum sequuntur ambitum. Iob sacerdotes aliquos testatur inglorios, & veluti muneris prorsus oblitos: *Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat.* Iob. 12. v. 19. Greg. 11. Mor. cap. 9. ait, eos sacerdotes carpere, qui solum exambiunt sacerdotalis dignitatis gloriam, & obliuiscuntur, ad quam teneantur, de proximorum salute curam: *Cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus ante Dominum ructum ferunt, quid aliud, quam inglorij ducuntur:* O miserum! Plures ad sacerdotalem dignitatem ascendunt, vt commodius viuant, non vt muneris legem expleant; nullum illis de salute proximorum studium, nullum excitandi homines ad virtutes flagrans est desiderium; imò dignitatem ad temporalem gloriam detorquent vani, & otio indulgere solent inglorij: opus est muneris eis memoriam ingerere, & adhortationibus prouocare.

§. XXXI.

Peccatori nimio rubore confuso animus est addendus, & ad resipiscenti. m humaniter prolectandus.

Pericacissimus humanæ salutis hostis ipsam medelam conuertere satagit in ruinam: & cum, admissio peccato, pullularit confusio, sic rem exaggerat, & rubore confusum onerat, vt animus subruatur, & detestabilis erubescentiæ vinculis illigetur. *Non statim succidendus, ac subruendus est animus* (inquit Tertul. de Pœnit. cap. 7.) *desperatione, si secunda quis pœnitentiæ debitor fuerit. . . neminem pudeat.* De ipso pudore arma inimicus conflatur, & pœnitentiam differre, aut indefinenter anhelat vaferrimus oppugnare. Ergo opus est, dum peccator nimio pudore præpeditur, & confusibili verecundia oneratur, blandè ad resipiscentiæ prolectare, & veniam esse facilem persuadere. Iudæ tribus Dauidi naturæ vinculis artius coniuncta, & acceptis beneficijs præ cæteris obligata, à Dauide defecit, Absalomem secuta, & impia coniuratione fœdata. Verùm Dauid per sacerdotes sanctitate exornatos, & dignitate conspicuos, blandè contribules allexit, & benignè recipiendos promisit: *Rex Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iudæ, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam? Interrogatione moram non tam carpebat, quàm ad arripiendum iter humaniter prolectabat.* Quærent Interpretes: Cur Dauid erga Iudæ tribum studium peculiariter declararit, & per sacerdotes pacem obtulerit? Alij alias causas afferunt: sed Abul. q. 10. existimat post admissum crimen graui ad eò pudore confusos, & verecunda ad eò confusione illigatos, vt animum desponderint, & veluti de concordia desperati, corda obstinatâ pertinaciâ obdurarint. Ergo Dauid, quos verecundiâ oneratos vidit, blandiùs allexit, & veniam consequi, esse facillimum persuasit. Abulensem audi: *Quia ipsi erant cognati Dauid, & exaltauerat eos Dauid, propter quod debuissent ei fideliores esse; nunc autem coniurauerant*

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

contra eum cum Absalom, sicut cætera tribus, id eò recundebantur nimis redire ad Regem: ad tollendam autem hanc verecundiam Dauid misit eis nuntios. Cum perfidiæ crimen agnosceret, & se præ cæteris grauiori reatu obstrictos non ignorarent, domi latitabant, confusione deterriti, terrore confusi. Ergo vt sapientissimus medicus cum eis humanius egit, & ad spem meliorem adduxit, Superiores, Principesque edocens, oportere aliquando scelestiores blandiùs suscipere, & qua tardantur, clementer confusione depellere. Cum Apostolorum apices passionis turbine exagitati, à Domino recessissent, ne confusione nimia accedere non auderent, eos Dominus humanissima voce compellat, & ad mensam liberalis inuitat: *Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Ioan. 21. v. 5. Quos fas esset duro percutere supplicio, humano prolectat alloquio, & qui mererentur duris verbis carpi, ad mensam mirantur admitti. Si inquiras: Cur alibi recumbentium duritiam increpet: *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Marc. 16. v. 14. hinc verò blandiùs compellet? Respondebit Chrysol. serm. 78. voluisse humanitate deuincere, ne asperitate contingeret effugare: Petrus negationis rubore confundebatur, Ioannes cognato deserto afflictabatur, Thomas dubitatione angebatur: ergo quos vidit nimio timore percussos, & confusibili rubore oneratos humanè allexit, & animos trepidantibus indidit. *Ibi erat Petrus, qui negauerat: Thomas, qui dubitauerat: Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed pueros compellat vt timidos: & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam.* Forsan si deterreret confusos, animo caderent, & posse ad antiquam virtutis viam redire diffiderent, & accedere non auderent: ergo blandè Dominus attrahit, & facilem esse ad antiquam redire conuersationem ostendit. Discant hinc Confessarij, Superioresque quos post admissam culpam vident nimis trepidos, & confusione durissima exagitatos, blandè allicere, & ad virtutis semitam humanissimè reuocare.

§. XXXII.

Nulli parti debet esse suspectus, qui vramque ad concordiam reducere fuerit admissus.

Nihil est quod sic humanis negotijs expediat, quàm fixa animorum concordia: Corporis partes dum, accepto vulnere, à se inuicem diuiduntur, sæui dolores augentur: ast cum secum coeunt, & ad antiquam concordiam redeunt, dolor abscedit, & de vnione sanitas viget. *Nunc est potius* (aiebat Cassiodor. 10. Var. 23.) *quod regna coniungat, promissio fixa, & votiua concordia.* Ad hanc salutiferam pacem, fixamque concordiam sæpè inter se dissidijs decertantes venerunt, si interueniat, qui iurgia sapienter componat, & efficaci suauitate pacem vtrique parti suadeat. Verùm qui ad confœderandas partes probatur electus, ab omni debet esse suspitione remotus, nequit namque persistere æquabiliter medius, qui alteri partium creditur inclinatus. *Ostenditis vos diligere* (aiebat datus Cassiodorus) *quidquid ad iustitiam cognoscitur pertinere: quando per diuinam prudentiam omni suspitione deterfa, desiderabilis potest vnanimitas permanere.* Suspicio semper dabitur, ambigit sæpè, & dum existimat aliquid occultum latere, refugit sequestre audire. Hinc est, quòd Dauid, vt Iudæ tribu

Qq 2 addit

adduceret ad concordiam viros venerabiles, & sacerdotali dignitate conspicuos destinavit, ut, omni partialitatis suspicione deterfa, animorum firmiter stabiliretur concordia, & facilius confederationis appareret materia: *Rex David misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam?* Querunt Interpretes: Cur potius Sadoc, & Abiathar destinavit ad sollicitandam concordiam & pacem stabilendam? Respondentque, eiusmodi sacerdotes nec Iudæ tribui esse suspectos, nec Dauidi: in Ierusalem, dum certamina desudabant, manserunt muneri suo attendentes, & pacem inter desides exoptantes: Ergo præ cæteris ad tractandam concordiam inueniebantur apti, quia nulli parti suspecti. *Alia causa erat* (inquit Abul. q. 8.) *quare isti ibant, scilicet quia isti non fuerant partiales, vel saltem non se ostenderant, sed manserunt in Ierusalem custodiendo Arcam.* Et si causam Dauidis felicitari desiderarent, tamen Ierusalem remanentes, à se suspicionem deterferant, malueruntque videri Sacerdotes, non ostentantes esse partiales: ergo dum non habentur suspecti, ad concordandas partes probantur apti. Ionathas facile Saül cum Dauide in concordiam adduxit, & confederationem perfecit: *Placatus voce Ionathæ, iuravit: Viuit Dominus, quia non occidetur. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saül, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudius tertius.* 1. Reg. 19. v. 7. Vides Ionatham mediatoris officio functum, feliciter rem absoluisse, & concordiam inter Saül, & Dauidem firmasse, transi modò ad cap. 20. v. 32. videbique eandem causam sollicitantem, caruisse effectu, nec solùm non stabilisse concordiam, sed contra se succendisse Saülis iram: *Arripuit Saül lanceam, ut percuteret eum.* Si inquiras: Cur qui prius composuerat dissidia, modò non solùm incassum laborarit, sed indignationem Saülis contra se accenderit? Facilis quæstionis solutio est. Antea nulli parti erat suspectus, sed concordiam solùm desiderio ad speciem inflammatus, modò verò Saül pro Dauide stare Ionatham suspicatus est, & iam non solùm non audiuit, sed à se prorsus abiecit. *Numquid ignoro, quia diligis filium Isai?* Ac si dicat: Quomodo possum verbis tuis fidere, cum non ignorem te Dauidis esse partialem? Itaque facile ad concordiam dissidentes reduxit, dum nulli parti habebatur suspectus: at labor fuit irritus, dum Dauidi creditur inclinatus. *Hic describitur* (inquit Lira) *ipsius Saülis indignatio.* Hic Saül refertur ira succensus, ibi facile placatus; quia non potest dissidentes ad concordiam reducere, qui dignoscitur propensiori studio in partem alteram inclinari. Ergo dum Sadoc, & Abiathar ab omni suspitione habentur remoti, ad dissidia componenda probantur apti.

§. XXXIII.

Bene sonat audienti querela, dum ab amore constat exorta.

Dulces sunt, quæ contra amatos fulminantur querelæ, si eas non proferat amara iracundia indignatio, sed studiosa tenerrimæ dilectionis sollicitudo; nam cum querulum attestantur diligere, dilecto non poterunt displicere. Disertè Cicero. 1. epist. 1. *Non tam molestum mihi fuit accu-*

sari abs te officium meum, quam incundum requirere. Querebatur Ciceronis amicus, quòd erga eum amoris non tanta, ut ipse vellet, exhiberet indicia: ergo Cicero, qui amicitia ingenium optimè nouerat, gaudebat ab amico accusari, quia agnoscebat tenerè diligi. Dauid etiam cum contribules suos impensè amaret, blandas ad ipsos per Sadoc, & Abiathar querelas detulit. *Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam?* Non erat eiusmodi querela ab animo exasperato profecta, sed à contribulium amore exorta: nec timuit Dauid, de quibus sic querebatur, exasperandos, sed præsumpsit alliciendos. Dulcescebant accusatis querelæ, quia agnoscebant ab affectus teneritudine promanare, non à furore irritationis profluere. Audi Nostrum Sanct. *Quasi contribules suos videre cuperet, quorum desiderium ferre non posset, de illorum tarditate, ac cessatione queritur.* Ipsa de tarditate accusatio testabatur Dauidem ferre non posse ardentissimum desiderium, & eos videndi, alloquendique sollicitum satis studium: ergo contribules eiusmodi non exacerbantur querelis, sed amoris oblectabantur indicijs. Videas inter amantes non semel blanda iurgia, & facile componenda dissidia: vnus accusat alterum, minùs se affabilem præbuisse, officium exhibuisse tardiùs, respondisse amori lentiùs: hæ tamen querelæ accusatis non sunt ingrata, imò satis probantur iucundæ. Martha, quæ Domini flagrabat amore, venienti occurrit, & blandas de tarditate querelas defert. *Domine, si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus.* Ioan. 11. v. 21. Ac si dicat: Si accelerasses gressum, si fauoris promouisses studium, frater meus mortis non experiretur angustias, imò reciprocaret auras. His querelis pulsat affectum, interpellat charitatem, arguit amorem. Itaque dum se videt generosis affectibus quæri, non displicet Christo ad speciem accusari. *Sic dicentes* (aiebat Chrysolog. de Sororib. ser. 63.) *affectum pulsant, interpellant amorem, conueniunt charitatem.* Gaudebat charitas conueniri, quia constabat magni æstimari. Audi supra dictum Sanct. *Amoris eximij* (querela) *non vulgare existimatur argumentum; & qui bene de amoris natura sentiunt, huiusmodi accusationem adeò non ferunt molestè, ut etiam amant.* Eiusmodi querelæ generosi amoris sunt filia: ergo non exasperant, sed delectant. Dauidis contribules dum amatorijs querelis blandè feriuntur, ad redamandum efficaciter prouocantur.

§. XXXIV.

Diuini amoris erga homines est argumentum, missis prædicatoribus excitare, & peccatorum veniam offerre.

Durissima sorte amor diuinus constringitur, si quos tenerè constat diligere, causas cogatu amarissimas imputare. Hinc est, quòd fatagit modis omnibus per internuntios ad concordiam allicere, ne acerbam sibi pœnam cogatur inferre: prædicatorum lingua vtitur; & cum fas esset, à peccatoribus flebili planctu veniam sollicitari, ipse offensus rogat, ut amori constet blandiri. *Resinetis* (aiebat Cassiod. 10. Var. 22.) *sapientissimè Principem, & per legatos nostros, & per virum disertissimum Petrum, quem nuper ad nos vestra pietas destinauit, quo studio concordiam angusta serenitatis optemus. Et nunc iterum per illum virum sanctissimum eadem cre-*

dimus

1. Reg. 19.
v. 7.

Ioan. 11.
v. 21.

dimus repetenda, ut vera, atque affectuosa iudicetis, quae frequenter experita cognoscitis. Pacem siquidem sub omni sinceritate petimus. Deus per delegatos concionatores petit pacem: & cum tot certaminis habeat causas, mauult quid auctoritati detraxere, quam ab amoris sinceritate deficere. Iudaica tribus, ambitiosi Absalonis seducta blanditijs, à Dauide defecit, stultissima perduellis fouit consilia, & pro patricida ad Martialia se comparauit certamina, & tamen Dauid tot offensis exasperatus, tot immeritò iniurijs expetitus, sacerdotes delegat, qui suo nomine timorem depellant, & ad concordiam alliciant. Rex verò Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda. Cùm Christi imaginem Dauid gerat, ab ingratis per sacerdotes pacem exorat, & quasi ipsis offensis amoris flamma incanduerit uiuidior, concordiam ipse sollicitat studiosior. Notauit Abul. q. 10. Cùm ipsi essent magis peccantes in hoc, quam cetera tribus putarent, quod Dauid habebat eos magis exosos, quam reliquos, & forte non auderent redire ad ipsum, nisi ipse vocaret eos, & ob hoc misit eis verba blanda ad reuocandum eos. Per sacerdotes timorem expunxit, veniam obtulit, humanissimè allexit. Et quae peccatoribus excusationis est color, quando offensus rogat, & rogandus humanè inuitat? His auditis (aiebat Chrysol. ferm. 3.) adhuc moramur? adhuc non redimus ad patrem? Timeat, qui de industria trahit moras, qui praetexit morarum causas, ne Deus, qui sibi sua patientia videtur detrahare, si peccator induretur, iram veluti diu retentam effundat, morasque dura indignatione seuerus plectat. Nam, ut est eximia benignitatis indicium, per concionatores mone-re, ita seuerissima est argumentum indignationis, peccatores despiciere. Praecipit soli (aiebat Iob) & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Iob. 9. v. 7. Sol, qui radorum spiculis abigit tenebras, si non oritur, miserabilis nox producitur; & iam, qui lumine illustratus vitaret scandalum, deturpatus tenebris properat ad praecipitium. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 3. per solem praedicatorum intelligit, quorum luce & errorum ignorantia depellitur, & mentis oculus, ut sibi prouiderit illustratur. Gregorium audi: Praedicatorum sancti, ut sol nostris oculis sunt, cùm contemplationem nobis verae lucis aperiunt, & velut stella in tenebris lucent, cùm per actiuam vitam pro futuris necessitatibus nostris terrena disponunt. Adnequit post aliqua: Dum praedicatorum suos per silentium intra semetipsos retinuit, cecis iniquorum mentibus caeleste lumen abscondit. Dum praedicatio iniquis subtrahitur, poena grauissima infertur, quia ductrice luce priuati, & tenebrarum voluminibus dispereunt mersi. Iudae tribus tenero à Dauide amore diligitur, dum per sacerdotes, concionatoresque ad poenitentiam vocatur.

§. XXXV.

Sapè sanguinitatis nexu coniuncti ad exhibenda officia immorantur praeter ceteris tardi.

Qvos arctius natura coniunxit, & arcto cognationis vinculo copulauit, tenentur obsequia recipere, & mutuo officiorum vinculo vniri. Ipsae aues adsimiles diligere plus noscuntur, quia strictius dulcibus naturae vinculis illigantur. O quam indecorum est, obscuris affectibus dissidere, quos praeter ceteris congruebat vniri! Sic sunt enim similes (aiebat Cassiod. 10. var. 4.) quos

& gratia iunxit & parentela consociat. Sanguinis participatione plus vincuntur, qui ab eadem origine deriuantur. Quis credat animis dissidere, quos nouit gratis cognationis vinculis illigati? Verum sic tetro liuore, aut detestabili tadio degenerare solent à natura cognati, ut ab ipsis cognationis vinculis credas pullulare discordia, & flammantia conflare odia; quae extranei non denegant urbanitatis officia, affines detrectant, aut tardant. Dauidis iam victoris quae defecerant tribus, studio sollicito obedientiam offerre nitentur, & per legatos veniam supplices precabantur. Sermo omnis Israel peruenerat ad Regem in domo eius. Id est, per sequestres veniam postulant, & se Dauidi subdiderant; regiae tamen Iudae tribus Dauidi coniunctior in exhibendis officijs detinebatur morosior. Opus fuit per conspicuos viros allicere, & sigillatim admonitione compellere. Rex Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ab reducendum Regem in domum suam? Iustissimam tarditatis dedit querelam, quandoquidem uti sanguine coniunctior tribus ceteris praeter tenebatur ad sollicitandam gratiam. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos. Quae cognatione obstrictior tribus detinebatur ad obsequendum morosior; nam non raro affectu degenerare inueniuntur, qui originis titulis associantur. Iudaica tribus immoratur lentior, & ad exhibendum adorationis obsequium tardior, cùm Dauidi fuerit coniunctior. Nam ut vinum degenerat in acetum, ita cognatio solet degenerare in fastidium: & cùm extranei repetitis acclamationibus victori plaudant, cognati linguis tetricis obmurmurant. Prodest Abul. q. 10. Totus Israel miserat nuntios ad Dauid in domum suam, quod vellent reducere eum, & nondum miserant filij Iuda nuntios. Officia exhibere non detrectauere cetera tribus, & recusauit Iudae, quasi cognati felicitas esset illis & odiosior, & ingrator. Vbi virga Aaron transfuit in colubrum: Versa est in colubrum: Exod. 7. v. 10. Pharaonis magi incantationibus obarmantur, & eorum virgae in colubros conuertuntur: Versa sunt in dracones. Profectò versuta magorum rutescit astutia. Si queunt virgas in aquilas serpenti semper aduersas demutare, si possunt in carniuoras, & trucissimas feras vertere, cur maluerunt, deluso sensu oculorum, dracones armare, quam visos, aut leones contra colubrum in campum ducere? Quia saepe (inquit Philo lib. 1. de Vita Mos.) vinculis naturae coniuncti, durius inueniuntur aduersi: alia animalia forsitan minus auderent, at colubri in praercellentem colubrum similitudinis obliuati, acrius insurgebant liuore armati. Philonem audi: Multi dracones circa illum primum voluebantur sinuosis orbibus. Ipsam similitudinem, magi naturam ipsam contra draconem, qui primus assurgebat, armarunt, ut qui non dubitarent frequenter grauiori inuidia contra cognatum insurgere, qui putabantur naturae vinculis associati.

§. XXXVI.

Magna Principis gloria est victoriam trophaea reportare, & clementi in deuictos humanitate fulgere.

SI in Principe amico foedere consocientur Martialis vigor ad obtinendam victoriam, & clemens humanitas ad alleuandam detriumphatorum

torum miseriam immortalem procidunt famam. Eleganter Cassiod. 10. Var. 21. *Erigite vestra sapientia firmitatem, & hanc vobis palmam concordia specialiter vendicare. Ut sicut clementissimi Imperatoris fama in praelijs inclita dicitur, ita in pacis studio opinio vestra cunctorum admiratione laudetur.* Gloria est Principis, si inimicorum arma eius militauere trophæis, sed si pepercit subiectis, ipsam victoriam cumulatius adornat & duplicat sibi famam. Dauid ferè innumeros hostes Martiali certamine subiugauit, & pacem attritis obtulit. *Rex Dauid misit ac Sadoc & Abiathar sacerdotes dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam. Fratres mei vos, os meum, & caro mea. Si inquiras: Cur quos inuictè detriumphauit, humanè per internuntios allexit? Respondebit Lira, subiectis indulgisse, vt mirandus omnibus esset, & in aduersarios vigor inuictus, & in subiectos animus clementer humanus. Liram audi: Quia plus sibi fortè fecerant, quàm extranei, idè Dauid hoc aduertens, mandauit pro eis, vt venirent securè, quia paratus erat remittere.* In vtroque Dauid immortalis fuit dilaudandus præconio, dum prælio vicit audaciam, & dum victor timidis exhibuit clementiam: *Paratus erat remittere.* Principis sui ingenio blanditus, Ioab cum Absalonem telis confodisset, & eius vexilla sequentes prorsus atterere potuisset, impetum triumphatorum, buccina resonante, cohibuit, & fugientibus locum præbuit. *Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.* Supra. 18. v. 16. Minus hostes deuincens fecerat, ni deuictis parceret. Eximia gloria fuit, non solùm effuso sanguine aduersariorum rubere: sed etiam clementi lenitate radiare. In prælio vicit aduersarium, post prælium seipsum. Prodest N. Sanct. *Cum conseruare mallet quàm perdere viros Israëlitas, receptui cecinit.* Si alius esset, in detriumphatos ferociret, & feræ adinstar, vt spolijs ditesceret, dilaniaret. Verùm Ioab associauit cum victoria clementiam, & dum in prælio hostes trucidat inuictus, & post prælium parcat humanus, cumula treportatam victoriam, & sibi immortalem acquirit famam.

§. XXXVII.

Sic nonnulli tuentur semel decreta, vt non demutent, etsi rationi, & legi contraria.

OMnium confessione constat (scribit Philo de Temul.) bonum esse parere virtuti, atque etiam vitio: iam si accedat proteruitas, malum fit longè grauissimum, inobediens enim minus malus est, quàm contentiosus: quia prior tantum inissa negligit, posterior, data opera, nititur in contrarium. Cui in hæsit superbissima sui opinio, data opera, nititur, quæ semel statuit, defendere, et si constet rationi, & legibus contraire. Qui vt fragilis lapsus est, stimulantem conscientia, ad legis normam reducitur, & abstergere maculam contractam conatur; qui verò superbia insanit, sic opinioni suæ adhæret, vt inglorium existimet, sententiam retractare, & dura elegit pertinaciâ defendere. Iudæ tribus cæteris excellentior, & honoribus auctior, cum alijs defecit petulantis iuuenis speciosis decreta fallacijs, & inanibus prolectata promissis. Citò error apparuit; nam Absalonis signa secuti, magnis sunt cladibus castigati: cumque cæteræ tribus ipsa calamitate reluminatæ, per seque-

stres à Dauide pacem potierint, opus fuit nuntios sanctitate, doctrinâque conspicuos ad Iuda tribules, vt pacem admiserint, delegare. *Rex Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum Regem in domum suam? Sermo autem omnis Israël peruenerat ad Regem in domo eius.* Id est, cæteræ tribus per internuntios errorem confessæ, veniam deprecabantur satis studiosè: sola Iudæ tribus periculosas necitebat moras, nec delere prudenti retractatione admissas curabat culpas. Ob id opus fuit per legatos allicere, & ad concordiam salubrem omnibus prouocare. Quærent Interpretes: cût maiores natu Iuda strage edocti, non fuerint tribus cæteras imitati? respondentque existimasse inglorium, demutasse sententiam, & ob id in semel decretis stultissimam fuisse tuitos pertinaciam: non ignorabant errasse, malebant tamen, quàm retractare, in sententia antiqua persistere, necessariûmque fuit, ne prorsus disperirent, blandis precibus demulcere, & ad obsequendum Dauidi trahere. Ita Abul. q. 10. *Cum viri de tribu Iuda essent fortes, & animosi, cum semel recessissent à Dauide, cum non confiterentur se egisse iniustum, nunquam vellent redire ad eum, idè ipse incitauit eos, vt redirent.* Ne auctoritati suæ quid detraherent, tuebantur semel decreta, et si legi, & saluti contraria, eligentes stultissimam pertinaciam, potius quàm retractationis notam. Hoc vitium de se præsumptibus, & superbia inflatis cognatum est: nam licet clarissimè agnoscant admisisse errorem, malunt pertinaci studio defendere auctoritatem. Iethro, qui Obab etiam vocatur (vt placet Abulensi ad Num. 10. q. 35.) idolis sacrificabat, cognouit tamen Israëlitarum Deum verum esse: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos.* Exod. 18. v. 11. Moyses obnixis precibus eum rogat, vt se Dei populo adiungat, & quidquid optimum, præmij loco se daturum, firmissima fide asseuerat: *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: Veni nobiscum, vt beneficiamus tibi.* Num. 10. v. 29. Quid tunc? Non acquieuit, sed ad sua reuerti statuit. *Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum.* Philo lib. de Temul. expendebat, Obab agnouisse veritatem, & prosecutum fuisse admissum semel errorem: timuit, si demutarit sententiam; palam facere certissimam idololatriæ ignorantiam: ergo vt tueatur famam, semel admissam pertinaciter defendit sententiam. Philonem audi: *Proficiscere nobiscum, & bene tibi faciemus: reijcies enim damnosam opinionem, pro qua lucraberis veritatem, quæ nihil vilius.* Verùm iste, hoc quoque carmine nihil proficiente contra obstinationem, haudquaquam sequetur scientiam, properè ad suum inanem fastum recurrens. Profectus cum Hebræis damnosam cogebatur opinionem reijcere, & veritatem amplecti; verùm homo superbus, & vanus noluit, quam nouerat, veritatem colere, sed, quem admiserat, cæcum errorem defendere. Redeat Philo: *Cum ad ostentationem pietatis dicit: Nunc cognoui magnum esse Dominum præ dijs omnibus, suam ipse impietatem accusat.* Superbo fastu tuetur semel decretum, cum non ignoret, esse veritati contrarium. Sunt namque qui probro habent pœnitentiam, & eligunt pertinaciam. Ergo vt coniecit Dauid, contribules suos hoc morbo laborare, blandissimis verbis persuasit, vtilius esse, quàm cæca pertinaciâ laborare, ad Davidis signa redire.

§. XXXVIII.

Lentius ad virtutem solent accedere, quos originis, aut naturæ constat dotibus ceteros antecire.

Non facit nobilem (aiebat Sen. epist. 44.) atrium plenum fumosis imaginibus: nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. Nobilibus diligentius viuendum est, quia præclara proauorum stemmata edocent honestè viuendi normam, non laxiorem præbent appetitui licentiam. Verùm nescias, quo infortunio, origine, aut ingenio præclari, ad virtutem procedant lenti, quasi illis satis sit mirandis naturæ, aut excellentiæ dotibus refulgere, & supra ceteros eleuari. Cùm tribus omnes à Dauide defecissent, reliquæ per internuntios veniam postularunt, & se humiliter submiserunt. Viri verò Iuda eas necitebant moras, vt opus fuerit per internuntios allicere, & mellitis verbis vrgere. *Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducit is Regem?* Illud quare non tam accipio interrogatiuè, quàm, si liceat dicere, causatiuè. Ac si dicat Dauid: cùm regia vos profapia ad virtutem impellat, conuertitis in honestatis detrimentum, quod esse debuit auxiliũ: *Fratres mei vos:* & idèd nouissimi errorem reuocatis, & ad obsequelam venitis. Et quidem si rationis leges consulas, nobiliores ceteros laudandis tenentur actionibus antecire; si consuetudinem verò expendas, reperies fædis factis defædari, & ad honesta gressum lentissimè promouere. Notauit Abulens. q. 10. *Fratres mei vos: ista sunt verba persuasoria, scilicet cùm suis fratres mei, id est magis mihi coniuncti sanguine, quàm ceteri, debueratis prius venire, quàm alij.* Fas erat, coniunctiores officijs alijs præcedere, & tamen opus fuit, vt alios sequerentur, verbis blandissimis excitare, quasi de more sit, origine claris, ingenio celsis, pulchritudine eximijs, ad virtutem incedere lento gradu, imò vitiorum fædari excessu. Dum illa sæculis celebrata quadriga iuxta fluuium Chobar Prophetæ obijcitur, homo antecedit, leo sequitur, erinæ aquila, & bos extremus est loco, & numero: *Similitudo vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bonis à sinistris, facies aquila desuper ipsorum quatuor.* Ezechiel. 1. v. 10. Transi ad cap. 10. & reperies inuersum, & arcano mysterio ordinem demutatam: nam bos in Cherub vertitur, & primus est, & aquila quæ videbatur supra ceteros eminere, postremum locum inuenitur occupare. *Facies una facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquila.* Ezech. 10. v. 14. Si inquiras: Cur inuersus ordo, & cur aquila, quæ videbatur super ceteros volitare, inueniatur tardigradi bouis gressum tenere? Respondet Theodor. Sect. 3. primam illam visionem iuxta fluuium; hoc est sæculum, fuisse oculis Prophetæ obiectam, hanc verò secundam in templo repræsentatam. Theodoretum audi: *Arbitror, quia in templo hanc vidit visionem, idcirco præpositam vituli faciem vidisse.* In templo aquila inuenitur tardior, in sæculo ocior: vt hoc ænigmate depingatur, nobiliores, excellentioresque remplum lentè adire, ad deliciosas fluminis vndas celeriter inuolare. Iuxta fluuium Chobar con-

tendet homo de primatu, leo alijs non cedit, aquila ambibit supra ceteros extolli; ast in templo homo primus non est, nec aquila alas explicat, nec ad æthera librat: tardigradus etiam bos ceteris præcedet in templo: cetera præcellentiam ambibunt Babylonis in fluuio.

§. XXXIX.

Curet Superior, ne subiectus se præsumpsit odio habitum, aut de estimatione despectum.

Nihil est, quod potius subiectum, & Superiorem coniungat, quàm fixa, & votiuua concordia. Affabili mutuòque commercio stabilitur charitas, & omnis propulsatur contrariæ suspicionis temeritas. Citò accedimus opinioni, non coarguimus illam: vnde si subiecto insit opinio, & aliquibus indicijs colligat, à superiore non reëtis oculis aspici, bonus ordo turbabitur, & tranquillitas in dissidium periculosum vertetur. Superioris est errores corrigere, & errantem etiam dum corrigit, demulcere. Disertè Sen. lib. 1. de Ira c. 14. *Non est prudentis errantes odijse: alioquin ipse sibi odio erit.* Adnectit: *Corrigendus itaque est, qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & asperè: meliòrque tam sibi, quàm alijs faciendus non sine castigatione, sed sine ira: quis enim, cui medetur, irascitur?* Ægotus se medici permittit imperio, quia non dubitat de salutis studio, respueret prorsus medelam, si existimaret se non fortiri medicum, sed tyrannum: ergo superiori medici vices gerenti in primis curæ erit, ne subiectus minus se diligi, possit conijcere, & ad id omnes suspicionis causas sataget prouidenter repellere. Dauid Iudæ contribules blandissimis verbis ad concordiam allicit, & nulla se amaritudine erga eos teneri prudenter ostendit. *Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducit is Regem?* Quærunt Patres: Cur præcipuè contribulibus suis fuerit blanditus, & verbis humanissimis adulatus? nam cùm ipsi potioribus beneficijs obstricti, & naturæ vinculis consociati, plùs ceteris coniu-rando iura violarent, non videbantur clementer alloquendi, sed duro supercilio mulctandi: cur ergo Dauid eos blandè allicit, & vrbana humanitate ad antiquam concordiam cogit? an quia cognatorum peccata oculis affectione tinctis solent apparere leuiora? an quia Magnatum errores nulla, aut leni præstringuntur censura? Benè: sed Dauid hîc optimi Superioris exhibuit formam, & ceteris imitandam reliquit ideam. Ex Iuda prognatos arguebat conscientia, & Principi odiosos non irrationabilis suadere poterat coniectura. Ergo studio fuit Dauid animum erga eos beneuolum publicare, vt sic omnes contrariæ suspicionis coniecturas posset abscidere. Notauit N. Sanct. *Conciliare sibi voluit gentem illam, etsi quis esset, ex illorum animis metum detergere. Quasi contribules suos videre cuperet, quorum desiderium ferre non posset.* Ne suspicarentur, se haberi odio, expressit Rex, illorum se aduri vehementissimo desiderio; & dum suspicionis metum detergit, facilius ad concordiam, & tranquillitatem adducit. Consonat Abulens. quæst. 10. *Ponuntur ista verba blanda, vt intelligant viri Iuda quod Dauid non erat sibi exosus.* Nisi suspicio maleuolentiæ detegeretur, pax non stabiliretur: Ergo Superior se benignum suspiciosi exhibuit, & illorum animos serenauit. Cùm Ephraïtæ se quererentur despectos, & Superioris

Ezech. 1.
v. 10.

Ezech. 10.
v. 14.

perioris maleuolentia ad victoriæ gloriam non deuocatos, Gædeon magnam se de illis opinionem ostendit habere, & laudibus eximijs incipit commendare. *Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim vindemijs Abiezer?* Iud. 8. v. 2. Indignatione inflammatos, & iniquè suspiciosos blandis verbis composuit, & omnem iram expunxit. *Quod cum loquutus esset, requieuit spiritus eorum, quo tuebant contra eum.* Nunquam pax rediret, nisi se erga eos beneuolum, & studiosum ostenderet. *His sermonibus* (scribit Ioseph. 5. Antiq. c. 10.) *eorum mitigans iram, eos à præcipitio intestinæ seditionis eripuit.* Humanus, ciuillisque sopiuit quærelas, & intestinæ seditionis amouit causas. Ecce dum suspicantur à Superiore despectu perterritos tranquillè cum Superiore non possunt degere, & lites aggrediuntur ordiri. Discant Superiores eiusmodi suspiciones expungere, si volunt pace tranquillissima sibi subditos gubernare.

T E X T V S.

V E R S. 13. Et Amasa dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab.

§. XL.

Prudens cognati offensam remittit, & quid sibi ipsi debeat ad remittendum attendit.

S I vniuersos decet ab iniuria abstinere, quanto magis qui de sanguinis proximitate gloriatur, debent effugere? Vera est proximitas, quæ moribus probatur ornata, sæpè tamen à cognato, à quo prouenire debuit subsidium, promanasse agnoscitur detrimentum: sed tunc prudens non exaggerat, qua offendens cognationis teneatur lege, sed quo ipse consanguinitatis frænatur iure: excusat ultionis expetendæ solatium, vt exhibeat gloriosæ moderationis exemplum: seipsum attendit, & dum fœdum iudicat cognationis iura violari, eadem recusat culpa teneri; nam si in cognatum offensis exacerbatus insurgat, nequitiam duplicat, & suum actum ipse condemnat. Amasa Davidis nepos Absalonis partes fuerat secutus, de cognationis lege adaugens culpam, & plectibilem prodicionis incurrens contra consanguineum offensam. Grandi culpa erat supplicio digna; Verùm David non tam attendit, quid culpa cognati exigeret, sed quid ipsi cognationi deberet. Amasam os suum, carnemque esse expendit, vt sopiret iram, & admissi erroris offerret veniam: in seipso quæsiuit ad veniam titulum; quia quidquid in Amasa respiciebat, exacerbabat viuidius animum: *Nonne os meum, & caro mea es?* Ac si dicat: Et si quæ inter nos intercedit, consanguinitatem violaueris, ergo, cum cognatus sim, cognationis leges debeo custodire, non indignatione efferuescere. Notauit Lira: *Iste inter omnes plus peccauerat contra David, quia fuit Princeps exercitus Absalom (vt habetur supra 17.) cum tamen esset nepos David, & ideo ipsum specialiter nominauit.* Amasa de cognato factum transiit in hostem, imò in hostium ducem, sed David facilis obtulit veniam, ne ipse in sanguinem duplicaret iniuriam: Amasa, quia

cognatus, criminis adauxit reatum, sed David, quia cognatus, teneri se censuit ad remittendum delictum. O quoties Christus Dominus, ne iram effundat in peccatorem, in memoriam reuocat, se naturæ eiusdem esse participem! Ioseph germanis brachijs venditores complectens: *Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Egyptum.* Gen. 45. v. 4. Profecto his verbis non tam videtur territos ad meliorem spem adducere, quàm gelidi metus causas augere; nam si diuendere extraneum, erat grauissimo supplicio dignum, quo supplicio plecti debuit pro notho vendidisse germanum. Ergo Ioseph fraternitatis non recorderetur, si solari trepidantes adnititur. O vtilem nobis eruditionem! Fratres cum tenerentur fraternitatis lege Iosephi saluti consulere, violato iure, cogitauerunt diuendere, sed Ioseph, cum eodem iure constringeretur, maluit ignoscere. Si fratres naturam cauponati, & odio ferali adusti, vt seruum fratrem vendentes, contra naturam deliquerunt, Ioseph recordatus est esse fratrem, ne naturæ inferret iniuriam, si contra fratres armarit iram: in se quæsiuit, quo parceret, ne seipsum ultione laderet. Prodest Seleuc. Ora. 8. *Germanis labijs eos osculatur, qui dentibus inclementer lacerauerant.* Quia fratres tenebantur fratrem non vendere, & Ioseph, quia frater tenebatur ignoscere: ergo attendit, quid ipse sibi deberet, vt parceret, non quid inuidencia excogitaret, vt venderet.

§. XLI.

Sæpè Deus specialibus attrahit beneficijs grauioribus inquinatos peccatis.

E A est diuina misericordia, vt peccatores grauissimis deturpatos criminibus, specialibus beneficijs alliciat, non inflictis pœnis deterreat: mauult adducere ad pœnitentiam, quàm iustam exercere vindictam, & trepidos specialibus in spem erigit beneficijs, ne desperationis miseris absorbeantur naufragijs. *Solida laus est* (aitbat Casiodor. 11. Var. 22.) *regia largitatis, quoties conuenirent indultra iudicijs.* Laus regiæ benignitatis est, indulgere peccantibus, & exhibitis beneficijs in spes bonas erigere, quos conscientia trepida poterat obturbare. David speciali honore Amasam allicit, & ad magisterium militiae promouet. *Et Amasa dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Cum Amasa præ alijs deliquerit, Absalonis ducens exercitum, non videbatur humanitate diffluente eloquio demulcendus, sed rigidissima seueritate mulcendus; & tamen David ad dignitatis euehit fastigia, non inflictis verberibus punit errata. Ecqua huius benignitatis est ratio? Quia cum Amasa, inquit N. Sanctius, grauius deliquisset, & iura consanguinitatis violasset, graui pudore confusus, & metu vrgentissimo exanimatus, nec auderet veniam postulare, nec ad Principis conspectum redire. Ergo ne metu, pudorève Regis faciem fugeret, speciatim illum nominando honorauit, & ad exercitus principatum euexit. Audi N. Sanctium: *Quia Amasa Princeps fuerat in Absalonis exercitu, eaque de causa aut pudore, aut metu à congressu Regis deterreri poterat, ideo speciatim illum accersit, locumque in exercitu principem promittit.* Plus cæteris

Marc. 16.
v. 7.

cæteris coniuratis. Amasa deliquerat, contra Dauidem, ducens exercitum, & Martialem tendens in campum, sed ne sceleris gravitati succumberet, & animum penitus desponderet, beneficijs maluit elucrari, quàm desperatum deserere. Hanc etiam benignitatis formam Christus Dominus edocuit; nam cum victor ab inferis redijt, voluit eius gloriam Apostolis referri, & speciatim Petro denunciari: *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilaam.* Marc. 16. v. 7. Cum Petrus, qui cæteros dignitate antebat, Magistrum negasset, & culpæ enormitate præcederet, potius videbatur ab aliorum numero secludendus, quàm honore præcipuo nominandus, & tamen eius specialis fit mentio: *Et Petro:* Et cur peculiari honore, & mentione nobilitat, quem grauior culpa præ cæteris obscurabat? O Domini in homines amorem! Quem longius culpa proiecerat, benignitatis speciali favore attraxit, & novos animos indidit. Ne Petrus periculosius subiret timoris procella mersus naufragium, quàm ventorum acerrimis flatibus impetitus, fuerat expertus periculum, blandè allicit, & timorem pellit. Notauit Orig. in Cat. *Si hunc Angelus non nominatim exprimeret, qui Magistrum negauerat, venire inter Discipulos non auderet; vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.* Altum vulnus leni manu tractandum fuit, ne Petrus de salute diffidens, animum induraret, & morbi vires auget. Ergo Dominus speciali favore in spem erexit, & metum, quo ligabatur, expunxit, suis factis edocens, sæpè grauioribus culpis denigratos, speciali humanitate alliciendos, & benigniori alloquio elucrandos. Ecce Petrus *venire inter discipulos non auderet, quia Magistrum negauerat:* sed speciali favore erectus, cum Ioanne cucurrit, & prior Domini sepulchrum intrauit.

§. XLII.

Aliqui difficilis ingenij asperitate assequuntur quæ alijs vitulis non merentur.

Meritis, virtutibusque præmia debentur eximia, & mensura dantis venire debet de moribus accipientis. Sæpè verò bona politices difficilia ingenia satagit cicurare, vtque mansuefaciat, indebita beneficia largiri. Laudabilis industria est, eximiaque magisterij peritia, generalitatis pacem stabilire, & quod turbare quiret asperum ingenium sagaci humanitate frænare. *Nostra siquidem* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 3.) *opinionis inter est, vt quos ille benignissime tuitus est, nos etiam statuta constantia, copiosa beneficiorum vbertate pasceamus.* Copiosa debet beneficiorum vbertate moriger, & legibus attemperatus pasci: sed prudentiæ laus est, ingenio durum, & excitandis perturbationum turbinationibus inclinatum, beneficiorum frænis compescere, & mansuefacere. Dauid Amasæ, speciatim nominando, blanditur, & dignitatis promissione nobilitate conatur: *Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Cum tot Proceres nouis triumphis nobilitati, Amasæ electionem non condemnarint, imò Principis sui decretum honorabili reuerentia susceperint, videtur insolitum, & arcanum latere mysterium. Amasa, qui contra Dauidem militabat ambitiosa proteruitia, & stulta pertinacia videbatur potius deijciendus, *Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV:*

quàm eleuandus. Cur ergo Dauid ad dignitatis eleuauit honorem, quem proditio condemnabat, & audacia insolens à dignitatibus repellat? Quia vt prudens (respondet Caiet.) recuperare voluit sine contentionibus principatum, & Reipublicæ stabilire serenum: eumque hoc nequireret assequi, ni asperum, inquietumque Amasæ ingenium industriè cicuraret, & beneficijs reprimeret, maluit honore allicere, quàm indignatione irritare. Amasa coniurationem promouerat, timereque poterat Dauid, ne iterum nouis pacem machinarum artibus perturbaret: ergo Dauid emit largitate concordiam, beneficijs Reipublicæ pacem tranquillam: & Amasa dum pacis euerfor timetur, impertitis honoribus refrænatur. Audi Caietanum: *Rationi consentaneum est, vt Dauid de consensu ipsius Ioab promiserit Amasæ principatum exercitur, ad hoc, vt Amasa non impediret reditum tribus Iudæ ad Regem Dauidem.* Amasa discordiarum seminator, perturbationum auctor, confederationis euerfor pacem turbaret, nisi honoribus emerget: ergo dum timetur, exercitui præficitur, & obtinet ingenij asperitate, quod assequi posset excellenti virtute. Videas non semel in religiosorum cœtu, in Reip. consilio, in Procerum collegio nonnullos difficili ingenio præditos, & disseminandis semper litibus inclinatos, si fas est dicere, palpari, demulceri, honore attoni, quod non est adscribendum semper ignauæ timiditati, cum non semel sit prudentiæ artificium, & politices bonæ elogiū; nam cum negotiatio sit, aliquid amittere, vt maiora lucreis, desiderabilis pacis stabilitas suadet aspera, & turbulenta ingenia compescere, & beneficiorum dispendio tranquillitatem fulcire. Contra seipsum sententiam protulit ille, qui asperum suspicatus, pecuniam mutuantis ingenium, non studuit emollire adaucto lucro, & restituto talento, quandoquidem persuadebat prudentia, dilargito auro vitasse dissidia. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es, metis, vbi non seminasti & congregas, vbi non sparsisti; & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.* Mat. 25. v. 24. Dominus ignauum prudentissimè redarguit, & quam pro se attulerat, in ipsum causam retorfit: *Sciebas, quia meto vbi non semino, & congrego, vbi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepissem vti que quod meum est cum usura.* Oblata usura, serui commendaretur prudentiæ, quandoquidem asperum, durumque, quod suspicabatur ingenium, non erat asperis verbis exacerbandum, sed oblatis autionibus deliniendum. *Huius seruo contigit* (scribit Hierony. in Cat.) *vt ad pigritiam, & negligentiam superbia quoque crimen accederet.* Superbus contendere voluit cum duro, magni ducens non cedere, nec hanc alteri gloriam dare: ergo dum non excusat pugnam, damnat prudentiam, quandoquidem negotiatio erat, quid offerre, vt dissidia quiret vitare. Eo in casu consulebat prudentia ingenij asperitatem oblato lucro delinire, concordieque obstaculum remouere: & licet qui pecuniam dederat, assequeretur, quia asper, & intractabilis augmentum, vitaret ipse diffidium: ergo bona politices aliquid aspero ingenio debuit concedere, ne contingeret pacem turbari. Amasa dum timetur, præponitur, & honor gloriofis factis debitus aspero ingenio inuenitur dilargitus. Obtinuit Amasa ingenij asperitate, quod alij eximia non sunt assecuti virtute, sed Dauidis

Mat. 25.
v. 24.

prudencia enituit, dum ingenium difficile, vt flo-
reret tranquillitas, mansuefecit.

§. XLIII.

*Eximij amoris, & fidelitatis est testimonium
dignitatibus renuntiare, vt melius possis
Principis commodis inseruire.*

Plenissimum gaudium amantis est amato con-
quirere commoda, & promouere semper au-
gmenta. Qui ad propriam vtilitatem respexit,
amicitiam adulterauit; gaudet namque amor de-
trimenti probari, vt viuidius possit lucere. *Pru-
dentes viros* (aiebat Cassiod. 8. Var. 2.) *erigunt com-
moda predicta sodalium, si amicorum releuat sospiras
nuntiata, quanta exultatione suscipi debet omnium re-
ctorem feliciter prouenisse terrarum.* Si fideles amici
non semel dispendijs proprijs amicorum milita-
uerunt augmentis, ius exigit, fidelem seruum pro-
prio etiam dispendio vtilitatibus attendere do-
minantis. Cum, deuictis, attritisque hostibus,
adhuc fluctuaret Dauidis thronus, quia omnium
deuotus non concordabat affectus: Dauid Ama-
sæ, cuius verebatur ingenium, promisit exercitus
principatum: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat,
si non magister militia fueris coram me omni tempore
pro Ioab.* Hinc oritur quæstio: Cur scilicet Dauid
Amasæ Absalonis signa secutum ad militiæ ma-
gisterium euexerit, quando Ioab multis titulis de-
buit ad ampliotis dignitatis honorem efferri, non
quo fulgebat, priuari? Profecto Amasæ, si ha-
buisset, magisterio erat priuandus; Ioab, etsi non
haberet, ad principatum erat efferendus. Quomo-
do ergo dignum multat, indignumque honorat?
Quia is fuit Ioab, vt ipse Amasæ sollicitaret, & lu-
benter exueret, quam possederat dignitatem:
Amasæ, ni militiæ magisterium adiret, tranqui-
litem turbaret, ad magisterium elatus, pacem
fulciret. Ergo ad eum Ioab erat Dauidis amator, vt
dignitati renuntiat, vt commoda Principis adau-
geret. Caietanum accipe: *Rationi consentaneum
est, vt Dauid de consensu ipsius Ioab promiserit Ama-
sæ principatum exercitus; ad hoc, vt Amasæ non impe-
diret reditum tribus Iudæ ad Regem Dauid.* Tribum
Iudæ ad Regis subiectionem redire, Principis erat
commodum, & in militiæ principem electo Ama-
sæ, magnum auferebatur impedimentum: ergo
Ioab erga Principem, amorem, fidelitatemque
sæculis decantandam ostendit, dignitati renun-
tians, & Principis stabilitatem exoptans. *De con-
sensu ipsius Ioab promiserit Amasæ principatum exer-
citus.* Gloriosior, fideliorque apparuit Ioab, quàm
possidens, Amasæ dignitatem concedens. Quid
enim laude dignius, quàm tantis dignitatibus re-
nuntiare, vt melius possit Dauidis vtilitatibus
deseruire? Cum de Gigante accepto triumpho
nutantem Saülis coronam Dauid firmasset, cen-
suit Ionathas oportere militem ad eum strenuum
Saülis sequi vexilla: vtque facilius alliceret, de-
nudata purpura ornauit. *Spoliauit se Ionathas tu-
nica, qua erat indutus & dedit eam Dauid.* 1. Reg.
18. v. 4. Ipso in exordio iam cæcutit amor. Quid
enim opus erat, qua Ionathas induebatur, pur-
puram denudare, cum alia posset triumphatorem
vestire? O fidelitatis imitandum documentum!
Censuit Ionathas, tanto impenso honore, Dau-
idem fulciendæ Saülis coronæ necessarium, facilius
Marti adscribendum: ergo non dubitauit denudari
purpura, vt Principis firmaretur & corona. Huc vo-

co Chryostomum apud Glos. *Per illum vixit
Rex, ac principatum retinuit.* Dauidis valentia vi-
cit hostem, exemit à metu Principem: ergo Io-
nathas, vt plus Principi deseruiret, qua Dauid
resplenderet, purpuram denudauit. Et quidem fi-
delior resplenduit nudus, quàm splendenti pur-
puræ nigrore exornatus, vt etiam Ioab glorio-
rior, & fidelior resplenduit, dignitatem exuens,
quàm possidens.

§. XLIV.

*Plures recusant ad virtutis castra transire, quia
ab antiquo splendore verentur cadere.*

Sextius pulcherrimum mortalibus, quo ad
virtutem tenderent, iter monstrauit, & veluti
digito ostendit. Hanc tamen viam planissimam
quidem plures recusarunt, & periculosis obicibus
sibi asperam persuaserunt. Audi Sextium apud
Senec. epist. 78. sic clamantem: *Hæc itur ad astra,
hæc, secundum frugalitatem, hæc, secundum temperan-
tiam, hæc, secundum fortitudinem. Non sunt dii fasti-
diosi, non inuidi: admittunt, & ascendentibus manum
porrigunt.* Ascendentibus Deus manum porrigit,
& tricis expedit: verum plures ad astra timent
ascendere, quia tenebras suas non patiuntur ex-
cutere. *Debilitatem* (aiebat Senec. epist. 55.) *no-
bis indixere delicia: & quod diu noluimus, posse desu-
nimus.* Felicitas non solum inquieta, sed viscosa
est, inertes tenet, nec abire vinculis gratis illiga-
tis permittit. Plures vident, vbi sit posita solida
felicitas, sed ad illam peruenire non audent, quia
illos aut dignitatis fulgor, aut familiæ splen-
dor, aut delicati corporis amor tenet. Redeat Se-
neca epist. 21. *Cum proposuisti tibi illam securita-
tem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à
qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida, & ob-
scura cassurum.* Errore decepti fugienda amant,
exambienda detrectant plures, opusque est, eis
coloribus, & commodis virtutem vestire, quibus
constat à ratione diffitos oblectari. Amasæ à Da-
uid descuerat. Absalonis partes secutus, & exer-
citus præpositus, cumque Dauid nepotem ab er-
rore liberare discuperet, locum in exercitu prin-
cipem sub sacramento promisit: *Hæc faciat mihi
Deus, & hæc addat, si non magister militia fueris co-
ram me omni tempore pro Ioab.* Quærent Interpretes:
Cur magisterij militiæ honore allexerit, &
ad principatum transiturum fide inuiolanda affir-
marit? Nonne ad Dauidem verum Regem sequen-
dum satis erat & Absalonis strages, & tot cala-
mitatum illuies? ergo Amasæ sibi providebit, &
ad tutiora se conferet. Satis eum (inquit Abul.)
vrgebat aduersa fortuna, & admonitrix conscien-
tia: verum cum exercitus principatu fuisset vsus,
recusabat ab illa dignitate cadere, & ad Dauidis
castra transire: ergo non minorem dignitatem
ei Dauid promisit, & sic quodammodo ad ser-
uiendum vero Regi coëgit. Audi Abul. q. 14. *Ama-
sæ fuerat factus Princeps totius exercitus Absalom
(supra. 11.) Nunc autem rubor sibi esset descendere
de illo statu; ideo forte nollet venire ad Dauid, si
non maneret in illo statu: vt igitur veniret, promisit
ei ducatum militia.* Placebat virtus, sed retrahebat
status: ergo Dauid non minora, promisit commo-
da, vt ad eius sequeretur vexilla. Videbis scæminas
expolitorum adolescentium seruituti dicatas, quæ
licet stimulentur conscientia, splendenti tenen-
tur pompa, & ne exciderint ab eis commodis,
non

non audent renuntiare peccatis : agnoscunt , ubi sit posita vera felicitas , sed eas illigat splendens vanitas. Opus fuit offerre Amasæ non dissimilem statum , quia verebatur , si ad Dauidem transiret , in obscura casurum. Cùm Ieremias ad veram transire religionem , lunam colentibus persuaderet , opposuerunt , quâ fruebantur , pompam , & abundantiam : *Saturati sumus panibus , & bene nobis erat , malumque non vidimus. Ex eo autem tempore , quo cessauimus sacrificare reginæ cœli. & libare ei libamina , indigemus omnibus.* Ierem. 44. v. 17. Verum , etsi nescientes , dixerunt , malum scilicet se non vidisse ex die , quâ lunæ deseruierunt , quia non videbant cæci animæ periculum , sectati voluptatis fugax oblectamentum. Pensitabant secum fœminæ , ni lunæ seruirent , pretiosis carituras vestibus , delicatis non pascendas dapibus , auratis non vehendas curribus : ergo ne ab illa pompa , fatis animæ noxia , caderent , malebant deseruire crimini , quàm virtuti. Detinebat illas inanîs fulgor , volaticus splendor : & in obscurum se arbitrabantur casuras , si vitiorum desererent tenebras. Opportunè Glossa Moral. *Ad querendum bona fortuna sunt totali intenti : quæ bona sunt excellentia mundiales quantum ad superbos , diuitia temporales quantum ad cupidos & auaros , delicia carnales quantum ad gulosos , & luxuriosos.* Superbi deponere nolunt fastum , & idè quia cupiunt lucere , virtutis iter detrectauerunt intrare. O verum , & vsitatum !

§. XLV.

Sapè , dum spes inhiat ad votiua commoda , accepta non attendit officia.

Honorabile est , dignis præmijs obsequia accepta compensare , & seruientium merita gratificatione debita expendere. Verùm sæpè spes æquitatis peruertit iura , & denegatur meritis debitum , & à quo speratur , indebitum exhibetur officium , spes meritorum iura confundit , quia ad concupita semper studio anhelò contendit. *Vt vobis* (aiebat Cassiod. 8. Var. 4.) *beneuolentia nostra iam nunc integritas innotescat , iurisdictioni vobis fecimus religione promitti , quod & nostrum possu declarare propositum , & spem debeat munire cunctorum.* Ut sibi recens regnum adeunti subiecti paterent , nec aliqua regni exordia difficultate turbarent , Athalaricus sub sacramenti religione promisit , quod spes subiectorum aleret , vt ad præstandam subiectionis obedientiam impelleret : non tam curæ fuit seruitia præmiare , quàm suspectos votiuis promissionibus deuincire. Eandem regiminis formam videtur Dauid secutus , Amasæ militiæ magisterium promittens , & Ioab ad speciem merita non attendens. *Hæc mihi faciat Deus , & hæc addat , si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Profectò cùm Ioab militiæ gereret principatum , & attritis hostibus , firmasset regnum , non videbatur rationi consentaneum , adhuc calente victoria , eum principatu nudare , & Amasam rebellis ducem præficere. Cur ergo Dauid Ioab obliuiscitur merita , & Amasam ad dignitatis promouet culmina ? Quia sperabat (inquit Abul. q. 14.) quòd Amasa honoribus nobilitatus , Iudæ tribum ad eius obedientiam facile reduceret , & afferret. Itaque , vt votiua assequeretur vota , præmia obtulit præmatura. Abulensem audi : *Si ipse vellet suadere eis , quòd redi-*

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.

rent ad Dauid , faciliter obtineret , & si contrarium vellet , esset grauissimum ipsi Dauid reducere ad se Israëlitas : pro hoc ergo voluit eum placare , tradendo principatum exercitus. Ioab seruierat , ab Amasa Dauid sperabat ; ergo Amasam studuit obligare , præmijsque afficere. Sæpissimè admonui honestis factis depingi , quod constat ab æquitatis legibus deuiare. Dauidem non obscurauit ambitio- lum acquirendi studium , suis tamen factis vtile exhibuit componendis moribus documentum , dum , à quo sperat , blanditur , nec eius , à quo tanta acceperat , recordatur. Geroboan aureis figmentis solemnem aram extruxit , copiosa thura litauit , Deo , à quo regnum acceperat , aram non erexit , nec religiosi obsequijs coluit. *Ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel : Geroboan stante super altare , & thus iacente.* 3. Reg. 13. v. 1. Inquirunt Interpretes ; Cur thura Numini non obtulerit , & vitulo sacrificia dicarit , quando fas erat accepta beneficia grata adoratione fateri , & fas non erat , thura euertendis aris profundere ? respondentque vanis , stultisque spebus sibi suassisse vitulum firmandæ dignitati opem præstiturum. Ergo ubi sperauit , profudit : *Dixit Geroboan in corde suo : Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid , si ascenderit populus iste , vt faciat sacrificia in domo domini in Ierusalem.* 3. Reg. 12. v. 26. Quid tunc ? *Excogitato consilio , fecit duos vitulos aureos.* Stulto , insipientique consilio credidit , si vitulos diuinitate honoraret , posse regnum suffulcire , & discriminis timorem repellere. Ergo thura Numini , à quo dignitatem acceperat , non obtulit , & obtulit vitulo , à quo sperauit. Prodest Theod. q. 41. *Miser , & ter infelix iste , accepta potestate , aggressus est , eam habere humanis , & impijs artibus.* Satis erat impium , accepta à Domino beneficia iniurijs compensare , & ad vitulorum partem transire , satis stultum erat , nunquam à vitulis accipienda plectibili liberalitate gratificare. Is tamen mos hominibus est , vt iam accepta obliuioni tradiderint , & ad expectata omnibus artibus inhiarint.

§. XLVI.

Aptior videtur regimini aliquando culpa denigratus , quàm duro ingenio , & inflexibili prædius.

Qui dignitatis vtiliter occupauere fastigia , omnigena morum tenentur resplendere elegantia ; nec enim reus criminibus verebitur illigari , si cognitorem præsumpserit similibus infici. Verùm etsi sordibus defædatus , à causarum cognitione probaretur omnimodis excludendus , potiori iure ad proferenda edictalia decreta non debet admitti , qui dura pertinacia propriæ sententiæ agnoscitur adhærere. Nihil namque adèd est bono regimini oppositum , vt asperum , & inflexibile rectoris ingenium. Minus incommodat aliquali lapsu obscurari , quàm inflexibili obstinatione durefcere. *Humana mentis felix illa conditio est* (aiebat Cassiod. 7. Var. 26.) *quæ arbitrium prouectionis suæ intra terminum moderationis includit , & sic peragit dignitatis breuissimum spatium , vt vniuersis temporibus reddatur acceptus.* Quapropter interdum Iudices ad blanda descendite. Nequit esse regimini aptus , qui proprio iudicio nimis probatur addictus. Cùm Dauid ad militiæ magisterium vellet dignum designare ,

R r 2 delegit

delegit Amasam : *Hac faciat mihi Deus , & hæc addat. si non magister militia fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Cùm Ioab varijs ex causis David decreuerit amouere, ne dignitate vteretur, etsi nuper accepta de hostibus victoria celebri, plauderetur, quærent Interpretes : Cur Abisai non extulerit ad principatum , & Amasam promouerit ad militiæ magisterium , præcipue cùm Abisai multis certaminibus fuerit approbatus , & Amasa Absalonis signa secutus ? Nõne plus rationi consentaneum erat, Abisai bellica scientia, & felici fortuna clarum deligere, quàm Amasam coniurationis denigratum crimine ad fastigium dignitatis euehere ? cur ergo David ad speciem reiecit dignum , & culpis præficit denigratum ? Quia licet Amasa (inquit Abul.) aliquando fuerit coniurationis notâ scædatus , iam erat retractata sententia , virtutibus restitutus ; ast Abisai, etsi bellicis laboribus acquisiuerit famam, ingenij inflexibilem sortiebatur duritiã : ergo censuit David aptiorem esse regimini, in crimen aliquando prolapsum, quàm ingenio duro, & intractabili præditum. Abulensem audi. q. 15. *De Amasa certum est, quod peccauerat, sed non credebatur postea repugnaturus David. Malum autẽ ipsius Abisai consistebat in hoc, quod David putabat, eum nunquam sibi subiiciendum, eò quod erat sibi vir durus.* Promouendus erat aut Amasa crimine denigratus, aut Abisai propria in sententia proteruus : ergo vt generalitati prouideret, maluit David eligere prolapsum, quàm durum. Cùm Dominico gregi pastor præficiendus esset, Christus Dominus Petrum elegit, Thomam Dydimum non admisit. *Simon Ioannes diligis me plus his? Dixit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce agnos meos.* Ioan. 21. v. 15. Cùm Thomas graui senegationis crimine non obstrinxerit, & Petrus timori cesserit, non videbatur minùs aptus regimini Thomas, quàm Petrus. Cur ergo candidus grex vni commendatur, & alteri non committitur ? Fors quia Thomas firmè ad eò suæ sententiæ adhæsit, vt nullis argumentis demutatit : testabantur cæteri rediuuum Dominum, triumphatorẽque à sepulchro rediisse : & cùm fas esset tot venerandis testibus fidem dare, iudicio proprio maluit firmiter adhærere : *Non credam.* Ioan. 20. v. 25. Postea cœlesti gratia demutauit ingenium, modò verò cæteris veritatem oculis conspectam, manibus contrectatam attestantibus, suum tuebatur iudicium : *Non credam.* Ergo dominus, vt electionis formam præberet, non præfecit sententiam non demutantem, sed delegit Petrum, admissam culpam plangentem. Prodest Chrysol. ser. 84. *Resurgente Domino, tota mortis est mutata conditio, ab ipso Domini sacratissimo sepulchro lapis reuolutus est, lintamina resoluta sunt, & resurgentis ad gloriam mors fugit, vita redijt, caro amplius casum nescitura, surrexit : & cur tibi solus Thoma sola vulnera presentari ad indicium fidei nimis callidus explorator exoptulas ? Cùm tot resurrectionis argumenta, tot condiscipulorum testimonia sententiam cogere demutare, maluit Thomas semel decretis firmiter adhærere : ergo aptior erat regimini Petrus, etsi aliquando lapsu denigratus, quàm Thomas proprio dictamine fixus.*

Ioan. 21.
v. 15.

Ioan. 20.
v. 25.

T E X T V S.

V E R S. 14. Et inclinauit cor omnium virorum Iuda quasi viri vnus: miseruntque ad Regem, dicentes : Reuertere tu, & omnes serui tui.

§. X L V I I.

Qui admisit culpam, alios ad virtutem reducendo, satagat inaurare, & virtutibus arreire.

Laboriosum quidem (aiebat Cassiod. 7. Var. 26.) sed non est impossibile, iustitiam suadere mortalibus. Cunctorum sensibus Diuinitas rationis lumen infundit : vnde etsi plures iura nesciunt, legem tamen rationis agnoscunt ; & licet insanis obturbati appetitionibus, agantur ab æquitatis transuersi semita, conscientia tamen salubri, etsi molesta, informantur notitia. Laboriosum est, vt aiebat Cassiodorus, passionum febribus vstulatis, salubribus mederi consilijs ; sed de ipsa difficultate accrescit meritum, & ingens promanare agnoscitur lucrum. Qui alium ad æquitatis rediit semitam, quodammodo, quam ipse contraxerat, inaurat culpam ; & charitas vbi satagit agrotis mederi, probatur peccatorum multitudinem operire. Amasa Absalonis dux contra Dauid mouerat arma, & alios iniusta prouocarat ad prælia, agnouit tamen errorem suum, vtque scdam expugnet notam, studuit plurimos Dauidis iugo subijcere, & indefessam sollicitudinem adhibere. *Inclinauit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnus : miseruntque ad Regem dicentes : Reuertere tu, & omnes serui tui.* Qui suate Dauidis iugum è ceruice excusserant, iam Amasa persuasionibus cetuicem subdiderunt, & iugum non recusarunt. Ergo dum alios à culpis, & erroribus liberat, quam ipse admiserat, culpam inaurat, & quia dux extiterat ad coniurationis errorem, modò dux præficitur ad virtutem ; quos ad Absalonis vexilla traxerat, iam reducere ad Dauidis sequenda signa fidelissimus adlaborat. *Ecce effectus principatus promissæ Hamasa* (scribit Caiet.) *nam non dicitur : Et inclinauerunt sacerdotes, sed dicitur : Inclinauit proculdubio Amasa, cuius immediatè antè mentio facta est.* Pro pluribus sacerdotibus laborauit, vt trepidantes reduceret, & viam scandalis expeditam ostenderet : & dum sollicitat ad debitam Dauidi subiectionem afferre, quas ipse admiserat, constat notas criminis inaurare. Peccatores appetitionum fluctibus innatantes, testatur Tertullianus lib. de Baptism. cap. 1. piscium metaphora designari : *Nos pisciculi secundum Nostrum Iesum Christum in aqua nascimur.* Hinc nosces, cur Dominus firmo litore consistens Apostolis iusserit in turbulentos Tyberiadis fluctus rete iactare, & pisces è lutos vndis educere : *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Ioan. 21. v. 6. Vt quam ipsi, Magistro deserto, fugæ notam admiserant, acri metus tempestate concussi, possent delere, voluit è sinuosis cauernis pisces educere ; nam cùm extrahere è luto pisces, extrahendos è peccatorum scæcibus homines designaret, de aliena salute, Petrus negationis, Ioannes fugæ, Thomas incredulitatis maculam eluebant, & quam notam contraxerant, inaurabant. *Ibi erat Petrus* (inquit Chrysolog. ser. 78.)

Ioan. 21.
v. 6.

fer. 78.) qui negauerat; Thomas, qui dubitauerat; Ioannes, qui fugerat. Oportebat negationis, fugæ, dubietatis reos, sordes abstergere; notam expungere, & officijs exhibitis, quod deliquerant, compensare. Ergo Euangelicum sæculi fluctibus rete committant, & hominibus è lutoſis facibus extractis, Christi domini sequi vexilla suadeant, sic enim laudabili compensatione promereri poterunt Domini beneuolentiam, & obscuram inaurabunt criminis notam. Amasa dum alios reducit, coniurationis maculam tergit.

§. XLVIII.

Quæ videbantur ardua, Dei fauore inueniuntur sæpè facilia.

Illud nunc vidi (aciebat Senec. Epist. 86.) vitæ ex arbusculo suo annosam transferri. . . & vidi non tantum mense Februario positas, sed etiam Martio exacto, tenent & complexa sunt non suas vltimos. Annosa vitis videbatur proferendis fructibus denegata, & nihilominus periti agricolæ industria vltimis adiuncta proficit, & fructus saporatos compensando labori reddidit. Primo aspectu plurima magnis apparent difficultatibus implicata, sed propius accedenti, & prudenter tentanti iuueniri solent expedita. Arduum videbatur, omnem Iudæ tribum prudenti timore suspectam, & periculi suspitione timidam ad pacatam cum Dauide concordiam reducere, & animos trepidantes discernari; & tamen Amasa facile ad eò disposuit, ac si vitum vnum reduceret: *Inclinauit cor omnium virorum Iudæ quasi viri vnius: miseruntque ad Regem dicentes: Reuertere th, & omnes serui tui.* Expende illud quasi viri vnius, id est nullo negotio, difficultate nulla, quod desiderabatur, obtinuit, & feliciter rem absoluit. Notauit Abul. q. 15. *sicut modicum laborasset inclinando ad se cor viri vnius, ita modicum laborauit inclinando ad se corda omnium virorum Iudæ.* Arduum erat, tot inter se diuersa ingenia ad eandem sententiam trahere, & ad Dauidis obsequiam reducere: verum sagax industria, sollicita diligentia, comitas obsequiosa nullo labore perfecerunt, quod videbatur arduum, modis que implexum. Cruci affixum, inter iniquosque censum honorabili funere sepelire, aromatibus condere; operoso sepulchro includere inimicorum vetabat inuidia, & iudicis prohibere videbatur sententia: fas non erat, cruci affixorum pompatice tumulare cadauera, vt qui sordidam duxerant vitam, sepulturam etiam sortirentur inhonoram. Verum Ioseph nobilis Decurio cadauer Christi Domini audacter petijt, & conditum aromatibus insigni mausoleo nobilitauit. *Audacter introuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* Marc. 15. v. 43. Euangelista, vt rei arduum denotaret, audacter retulit introisse, & expressit sine difficultate impetrasse. Et quidem si res humano esset expenda iudicio, non solum audacia, sed id tentasse, plurimis videbatur dementia: quid enim à communi sensu alienius, quam præsumere licentiam impetrandam, vt è cruce depositum aromatibus condiretur cadauer, vt edictali sententia inter latrones suspensus honorabili funere, & pretioso sepulchro reconderetur sepultus? Idque adhuc aduersariorum æstuanter liuore, & calumnias timente iudice, & tamen Ioseph cœlesti pulsu motus, & interna luce impulsus difficultates deuorauit, & quod tentabat, obtinuit: *Donauit corpus Ioseph.* No-

tauit Theophil. in Cat. *Audet ausum laudabilem, non enim excogitauit, à diuitijs decidam, & expellat à Iudæis, si corpus peram eius, qui est blasphemus condemnatus.* Christum sepelire honorifice, magnis videbatur periculis obnoxium, & arduitatibus impeditum, veluti manufacta Iosephum retardabant diuitiarum amissio, à dignitate, & chara patriâ exulatio, inimicorum valida contradictio, & tamen dum laudabili audacia Christum aggreditur sibi acquirere, expertus est expedita omnia, & serena: non amisit aurum, nõ sustinuit exilium, non est passus honoris, aut salutis dispendium, imò immortalem acquisiuit pietatis famam, & in vtroque sæculo immarcescibile gloriâ. O quam nos à virtute retrahit versutus hostis puerilibus terculamentis, formidabilibus laruis, insuperabilibus ad speciem impeditis! nobis adnititur persuadere, si virtutem sequamur, ab omni lætitia expungendos, ad vitam miserabilem deuenturos, salute priuandos; & quod peius est, dolosis eius fallacijs credimus, & honestis votis facile excidimus. En Ioseph audet, & insuperabiles ad speciem difficultates euincit: quæ videbantur impedita, cœlesti auxilio apparuerunt plana.

§. XLIX.

Principis auctoritati fors quis obsistet, sed humanae urbanitati nullus non cedit.

In priuato humanitas, comitasque voluntatis alienæ blandum probatur illicium, in Principe efficax videtur incantamentum: potestati fors quis resistet, sed mellitis, urbanisque verbis nullus non cedit. Plus affabili humanitate assequitur aliquando, quam concupiuerat, plus quam tentarat. Abraham arduum existimauit, effætam parere, senem gignere, & pro magnificis promissionibus Ismaëlem viuere postulauit: *vinam Ismaël viuat coram te.* Gen. 17. v. 18. Postea hospites læto animo suscipit, peregrinos veluti ad mensam compellit, & urbanissime cogit. Quid tunc? Eius humanitate oblectati hospites, germanum filium promittunt, nec sterilitatem, nec senectutem impedimento futura asserunt: *Habebit filium Sara uxor tua.* Gen. 18. v. 10. Si Abraham Ismaëlis hospitate contentus est, cur hospites eius donis euincunt votum, & superant desiderium? Quia urbana comitas (inquit Philo de Nom. mut.) & generosa largitas plus, quam desiderabat, inuenit. Qui filium naturæ viribus non poterat procreare, urbanitate misericordiam meruit obtinere. Audi Philonem: *Vir urbanus nonne merito videatur precari, Ismaëlem viuere, si non possit adhuc satru suo procreare Isaacum? Quid ergo probus, & lenis Deus? Ei, qui vnum rogauerat, duo tradit: & ei, qui precatus fuerat, quod minus esset, maius concedit.* Urbanis hospitem excepit, generosus paruus, non tamen irremuneratum mansit officium; nam duplex accepit præmium. Quam supplex petebat diuturnam Ismaëli vitam, impetravit; & Isaacum, quem natura denegarat, obtinuit. Nam urbanitas, dum blandè deuincit corda, facile assequitur postulata: magna ciuilitatis, urbanitatisque vis est ad animos alliciendos, & incantamento nobili subiugandos. Contra Dauidem potentissimum Regem sua ipsius tribus Martialem procedit in campum, & periculosum commouet bellum. Verum quos antea sustinebat hostes, modò ad se traxit, imperioque volentes subiecit. *Inclinauit cor omnium virorum Iudæ*

Gen. 17.
v. 18.

Gen. 18.
v. 10.

Marc. 15.
v. 43.

R. 1 3 *quasi*

quasi viri unius : miseruntque ad Regem dicentes : Reuertere tu , & omnes serui tui. Inquire placet : Cur , qui potentissimo Regi obstitant , qui bello fracti , de pace non cogitabant , modò Regem proclamant ex promptissima deuotione ? *Inclinauit cor omnium virorum Iuda : Quia licet antea (scribit Abul.) imperaret potestate , adhuc subiecti excutere iugum ambierunt , & licet modò armis subegerit , ceruicem subdere animis detrectarunt : verum cum blandis eos verbis allexit : Fratres mei vos , os meum & carum ea : dulciter aded deuinxit corda , vt satis fuerit vnus Amasæ persuasio , vt Dauidis sequerentur vexilla , & antiqua demutauere vota. Abulèsem audi q. 15. Per ea qua misit dici viris Iuda per Sadoc , & Abiathar sacerdotes , inclinauit illos totaliter ad se , & dicitur : Quasi viri unius , id est quòd sicut quando vir vnus inclinatur ad vnã partem , totaliter inclinatur , & nihil de eo inclinatur ad aliam partem , ita fuit in viris Iuda. Non erant antea erga Dauidem aded propensi , vt eius non auersarentur potentia , non erant armis etiam subiugati , subiectionis aded studiosi , quia erant Principi corpora subiecta , non corda , modò verò corda erant humanitate incantata : ergo iam subiectionis non recusare iugum , imò Dauidis satagebant promouere semper imperium. Tantum valet comitas in Principe ad affectus sibi deuinciendos , & omnium animos gratis vinculis subiugandos. Filia Principis humanitate difflens , & dulcedine eloquium , coccineæ vittæ comparatur. Sicut vitta coccinea labia tua , & eloquium tuum dulce. Cant. 4. v. 3. Si inquiras , quid commune eloquio cum vitta , quando eloquium molliter effluit , & arctè vitta constringit ? Respondebit Gillibert. in Alleg. Thyl. in hoc ipso comparationis elegantiam consistere ; nam vt vitta coccinea grato colore oculis blanditur , etiam dum constringere comprobatur , etiam dulce , vrbaniq; eloquium vittæ coccineæ gerit vices ; nam constringit , & placet. Labio inflammatur etiam , & ligatur , ided vittæ comparatur. Vt vitta ligat , & splendet , ita Sponsa vrbana , & comes deuincit sibi animos , furatur affectus : Ita fuit in viris Iuda.*

T E X T V S.

V E R S. 15. Et reuersus est Rex , & venit vsque ad Iordanem , & omnis Iuda venit vsque in Galgalam , vt occurreret Regi , & traduceret eum Iordanem.

§. L.

Quem culpa à felicitate expulit , pœnitentia , & tolerantia restituit.

IN perniciem hominis deliciosa armatur voluptas : dulce bellum moribus ingerit pulchritudo , & dum oculus fucata incautè inuolat ad illicia , captiosa cadit in retia. Solida felicitas extra honestatis limites non viget , sed mentita voluptas fallit. Quæ à rectitudine exorbitant , nutant : nequibunt stare , quæ ad regulam non constructa , nec fundamentis solidis fabricata. Post inopiam (aiebat Ter tul. de Pœnit. c. 8.) pœnitentem libens suscipit , immolat vitulum præoptimum , conuiuio gaudium suum exornat. Adolescens Prodigus gaudio exulauit , dum fordidis se addixit ; ast vbi vulnus , quod intulerat hilaris infania , medicata est lachrymabilis pœnitentia , iugi conuiuio fruitur , &

cultiori stola exornatur. Culpa fœtulentis subiecerat porcis , pœnitentia prætulit seruis. Dauid etiam cum à throno pulsus exulauit , iam à Iuda lætis acclamationibus reducit , & regia sede locatur : *Omnis Iuda venit vsque in Galgalam , vt occurreret Regi , & traduceret eum Iordanem. Quærunt Patres : Cur tribus Iuda præ alijs Dauidem throno restituerit , & , traiectis Iordanis fluctibus , gaudia cumularit ? Nonne redeuntem amplior , lætiórque exciperet pompa , si maior tribuum occurreret circumstantia ? O attende , Iudam confessionem interpretari : quem ergo fallax voluptas è throno depulit , confessio restituit. Per Iudam , hoc est per veram confessionem , ad antiquam felicitatem redijt , qui per fallaces carnis delicias à vero gaudio exulauit. Notauit Glossa Moral. Significatur peccator verè pœnitens , & ad bonum remen vitæ suæ rediens. Patientia , pœnitentiæque restituit coronam , quam voluptas volatica ademerat : & Dauid , qui voluptati indulgens , fuerat deturbatus è throno , per confessionem iterum positus est regno. Per vias ad speciem floridas deuentum est ad lamenta , per asperas sensibus pœnitentiæ , patientiæque vias plena Dauid est ductus ad gaudia. Cum homo tyrannicis passionibus traditus , ingemisceret suppurata tristitia pressus , ad Dei inuitatur conspectum , & ad verum cordis gaudium : *Introire in conspectu eius in exultatione. Psal. 99. v. 1. Secum ad speciem Psal. 99. v. 1. tes pugnancia coniunxit , in Domini scilicet conspectu deuenire , & sollicito timore non concuti. Profectò in conspectu Domini Seraphin contremiscunt , & laudabili rubore faciem operiunt : quomodo ergo terreus intrepidè stabit , & exultans Dominicis præsentari oculis non timebit ? Iam Psaltes respondet , dum ait : *Introire portas eius in confessione. Confessio , quem culpa obstruxerat , introitum expedit , & quem culpa mœroris attulerat nubilum , gaudij vertit pœnitentia in serenum : quam excluderat lætitiã reatus , verè pœnitentis reuocat lætus. Innuit Chrysol. ferm. 6. Quando homo non sub peccato tristis ? quando non sub morte lugens ? quando non sub demonibus psallens ? quando sub idolis non tremens ? quando non sub vitijs suspectus ? quando non sub criminibus desperatus ? Adnectit : Sola est confessio , que nos fidei facit introire per ianuam. Quos à paradiseis delicijs criminis exclusit reatus , reuocauit , restituitque iterum doloris gemitus , & fructus suspiriorum fuit gaudium , si inanium gaudiorum existeret fructus lamentum. Iuda , hoc est confessio , Dauidem reducit ad thronum , si culpa triste amandauerat in exilium.***

T E X T V S.

V E R S. 16. Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurin , & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid , cum mille viris de Beiamin.

§. LI.

Qui ad delictum oculos non erubuit intrepidus , non refugiat , ad pœnitentiam plectibili rubore irretitus.

ÆQUITATI conuenit , vt qui non erubuit oculos ad crimena perpetranda , non erubescat ad abolenda.

abolenda. Verùm sæpè ad delictum intrepidus, inuenitur ad pœnitentiam damnabili verecundia impeditus. *Ita euenit* (aiebat Tert. de Pœni. c. 2.) *ut cum aliquid, vbi non oportet, adhibetur, illic, vbi oportet, negligatur.* Vbi non oportet, pro verecundia, ad scandalum adhibetur audacia, & vbi oportet audacia, damnabilis sufficitur verecundia. Non recufatur publicis offendere scandalis, & recufatur publicis satisfacere exemplis: retractio ambit secretum, perpetratio non metuit publicum. Hæc in parte Semei prudens exitit, & pœnitendi normam exhibuit, publicè in Dauidem maledicta congefserat, lapides, spectantibus plurimis, iecerat: ergo modò in omnium oculis est confessus admissam culpam, & poposcit deuotione humillima veniam: *Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Baburin, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid.* Occurrit, vt coram omnibus deleret pœnitentia offensam, quia coram multis perpetrauerat culpam. *Hic ponitur* (inquit Abul. q. 16.) *de obuiatione Semei, quomodo venit ad petendum veniam à Dauid.* Venit publicè, venit Iuda implorans patrociniū, venit honesta audacia, venit de Dauidis misericordia dignè præsumens, & effectus commendauit audaciam, & laudabiliter audendi pœnitentibus ostendit formam. Semei tot criminum impetrauit facilè veniam, vbi oculos non erubuit, sed deliquisse, publica, & vera delicti pœnitentia doluit. Magdalena acri dolore iccta, Pharisei domum ingreditur, & in conuiuatum conspectu anxia suspiria, & fragrantia effundit vnguenta. *Vt cognouit quod accubisset in domo Pharisei, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento ungebat.* Luc. 7. v. 37. Prudentiæ videbatur aduersari, in tot adstantium conspectibus sic dolere. *Vt cognouit* (inquit) *quod Iesus accubisset in domo Pharisei.* Et cur non expectet opportunitatem oculos declinandis, & solum Dominum ad eundem? Quia cum non erubuerit obscurare famæ nitorem (inquit Gregor. Nyl. in Cat.) vt inferiret scandalis: *Peccatrix est*: noluit præpediri verecundia, vt detergeret culpas lamentis. Audi Nysenum: *Indi nitatem suam ostendens, stabat post tergum deiectis luminibus, & effusa coma, pedes amplectens, lachrymisque eos perfundens, rebus tristem animum ostendebat, veniam implorans.* Cordis contritione implorabat veniam, amissam instaurabat publicis virtutibus famam, & quia præbuerat publica scandala, iam publica virtutum exhibebat exempla: vnde contigit citò absolui, quia passa non est, conuiuatum oculis impediri: *Vade in pace*: non exuberat antea publicum, ergo modò non quæsiuit ad pœnitendum secretum. Semei inuerecundus publicè commisit culpam, & iam laudabiliter audax publicitè petit veniam.

§. LII.

Qui graui deliquit crimine, ad petendam veniam anteuertat alios celeritate.

Innocentiæ quodammodo vicinatur festinata correctio: & intimo se manifestat vri dolere, qui morosa ad petendam veniam non graditur lentitudine, moras non patitur anxietatis vehementia, & qui moras patitur, doloris non virtutis acrimonia. Diserte Tertul. de Pœni. cap. 4.

Pœnitentiam ita inuade, ita amplectare, vt naufragus alicuius tabula fidem. Naufragium passus, auidè properantem alicuius tabulæ arripit occasionem, nec differt inani fiducia innixus amplecti salutem: ergo peccator se naufragium subijisse sciat, & euadendi occasionem non deserat. *Hæc te* (addit Tertul. *peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuina clementia protelabit. Rape occasionem inopine felicitatis.* Qui occasione labi non finit, sibi prouidere probatur; qui finit velle petire videtur. Semei deliquit satis impudèter, sed cum impetradi veniã, adesse opportunitatem, crederet, labi non finit, imò arripere festinauit: *Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Baburin, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid.* Excogitauit prudenter, oportere cæteros anteire, & Dauidem officiorum celeritate placare: nec spebus frustratus est; nam Dauid ei indultit, & veniam pœnitenti concessit: *Non morieris.* Ipsa trepidantis festinantia, ipsa impetrandi veniam sollicita cura, ipsa rapiendi occasionem studiosa diligentia Semei suffragabatur, & Dauidi ad indulgendum inclinabatur. Opportunè Lira: *Festinauit, vt apud Dauid inueniret misericordiam.* Paratam inuenit misericordiam, qui confiteri non distulit culpam: timuit exasperare lentitudine indignationem: sibi promisit de festinantia benignitatem. Leprosi dum exertis clamoribus à Christo Domino deprecantur medelam, assecuti sunt, sed tantisper distulit medicinam: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Luc. 17. v. 14. Leprosus alter (Matth. 8. v. 2.) citiùs est assecutus salutem: *Confestim mundata est lepra eius.* Hinc oritur quæstio: Cur erga decem indulgentia lentior, & erga leptosum alium Domini clementia propitior? Si fœda omnes infecit lepra, cur æquali non leuati sunt medicinã? Certè Textus ipse ad nostram eruditionem expressit, decem vocem, ait, letasse, sed à longè etiam stetit: *Steterunt à longè, & leuauerunt vocem*: alius vocem leuauit, & cæteros anteuertit: *Eccè leprosus veniens adorabat eum.* Non remoratus est gressum, non sustinuit interuallum: ergo dum citò accurrat, & citò curationem inuenit. Qui medicos accedere distulerunt, quodammodo salutis votum infamarunt; nam qui lentè quærit medicinam, ostendit non esse doloris vrgentissimam vehementiam. Audi Orig. ad Matt. 8. in Cat. de hoc leproso: *Deorsum currit.* A longè non stetit, lento gressu non accessit, sed celeri cursu inuolauit: *Deorsum currit.* Consonat ibi Chrylost. *Quasi iam praparratus descendenti occurrit.* In excubijs erat, vt raperet occasionem, cæteros anteuertit, vt assequeretur salutem. Ergo dum celeritas vitidius promit salutis desiderium, affert petenti suffragium: vt etiam Semei dum pro se habet celeritatis patrociniū, citò assequitur indulgentiæ remedium. *Festinauit. Non morieris.*

§. LIII.

Ad iustorum patrociniū se conferat, qui veniam consequi anhelat.

VT inimica est delicate videntium conuersatio, quia commendat vitium, aut imprimat, aut, nescientibus nobis, allinit. Ita prodest iustorum societas quia nostram nobis deformitatem ostendit, & ad honesta tacitè adurget. *Vtique* (aiebat Senec. Epist. 7.) *quò maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Vt populo

Luc. 7.
v. 37.Luc. 17.
v. 14.
Mar. 8.
v. 2.

populo incomptis moribus denigrato commiseri affert periculum, sic iustis associari, affert patrocinijs commodum, & periculorum exilium. Alienis virtutibus quodammodo protegitur, qui proprijs reatibus defœdatur. Cùm Semei Dauidem, detriumphatis iam hostibus, ad pristinam sedem cum plausu reuerti animaduertet, & quæ scelera commiserat, non ignoraret, ad tribus Iudæ patrocinijs se contulit, vt facilius veniam imploraret peccatis: *Descendit cum viris Iuda in occursum Regis David.* Viri Iuda Dauidi resplendebant vinculis naturæ coniuncti, & dignitate cæteris antelati. Ergo Semei prudenter viris Iuda occurrit associatus, vt Dauid ob patronos facilius indulserit delinitus. Nec spebus fraudatus est: nam Dauid ex se ad clementiam pronus, & tot Procerum patrocinijs reueritus, à pœna infligenda abstinuit, vitæque donauit: *Non morieris.* Tantum illi profuit iustorum patrocinijs, peccatum agnouit, & ad indulgendum contribulium precibus Regis animum inclinauit. Notauit Abul. q. 18. *Descendit cum illis ad hoc, quod intercederent pro illo apud Regem. Nam illi qui erant de hac tribu, erant cognati Regis, & condescenderet Rex precibus eorum. Vnde si non flecteretur Dauid precibus Semei, tribus Iuda tota oraret pro illo.* Si Dauid ad Semei preces obsunderet, opus erat tot sibi dilectorum supplicatione placari, & quod petebatur, concedere: ergo Semei eiusmodi exambiens patrocinijs, vtile nobis præbere agnoscitur documentum. Qui scelerum sibi conscius timet, ad iustorum consortium confugiat, & patrocinijs exambiat; nam Deus Sanctorum suspicit preces, eorumque meritis delinitus, aut continet iram, aut inferendam remittit pœnam. O quot ob perpetrata crimina inopinæ subirent mortis sententiam, ni impetrassent Sanctorum precibus vitam! Nam vt improborum societas grauissimum affert periculum, ita iustorum est validum profugium, & tutamentum. Duas video ficus sterilitate infœcundas: sed quæ inter vites plantata excisionis minis deterretur; non tamen iudiciali sententia radicibus extirpatur. *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Luc. 13. v. 7. Quæ viridantium foliorum pompa iter facientibus occurrebat, ariditate mulctata est: *Arfacta est continuo ficulnea.* Matth. 21. v. 19. Hinc oritur quæstio: Cur vna sterilitate mulctetur, & tempus alteri concedatur? Certè vtraque possessoris redundantibus folijs spem eluserat, culturam frustrarat, & tamen vni tempus ad fructus protudendos conceditur, & alteri denegatur. Et qua discriminis causa est? Fors quia alia secus viam sita, & nullo patrocinijs defensa: *Videns fici arborem vnam secus viam:* quæ singularis sententiam tulit, fœcundis associata vitibus iram euasit. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Habuit ficulnea pro se plantationis locum, habuit plantarum nitentium grata fœcunditate patrocinijs: nam ipsa vites vbertate dum possessori blanditur, ficulneæ sterilitas facilius dissimulatur. *Quisque nostrum* (aiebat Theop. in Cat. ad Luc. 13. *ficus est in vinea Dei, hoc est in Ecclesia plantata.* Inter iustos insertus sæpè sociorum meritis effugit pœnam, temporisque opportunum indulgetur spatium, vt admissam aboleuerit pœnitentia culpam. Dum Semei occurrit cum Iuda tribu, obtinet facile veniam, dum eius consortio viduatus, Salomonis sustinuit iram. Cùm nigros inter flammæ vortices pueros Angelus conseruaret illæsos, mirabentis Lot, vt asseruaret, è Sodomois extraxisse, & ac-

celerare gressum imperasse: *Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Gen. 19. v. 22. Cur inter igneos imbres non conseruetur Lothus illæsus, cum puer inter videntes crepantium flammæ vortices latetur intactus? O expende, non dixisse Angelum, se non posse Lothum inter ruentes flammæ globulos illæsum custodire, sed ignis iacula, illo ibi commorante, in scelestos vibrare: *Quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Et quare? Quia iusti societas iniustis erat profugium, & retardabat incendium. Certè Angelus quibat inter flammæ turbines conseruare Lot illæsum: sed vt nos edoceat, quàm sit iustorum societas utilis, ait, quousque Lothus discedat, non posse inferre supplicium: *Non potero facere quidquam, donec tu ingrediaris illuc.* Prodest Hugo Card. *Non potero facere quidquam, id est merita tua exigunt, vt non faciam, donec egrediaris.* Peccatores iustorum consortio defendebantur, & ob Lot merita Angeli retardabantur: vt notum fuerit, quàm profuit iustorum consortium, & amicorum Dei patrocinijs.

§. LIV.

Sæpè politici vt interna melius dissimulauerint odia, præ alijs exhibere adnituntur officia.

ADulterata politices schola mentiendi est. Qui interno odio æstare probatur, exhibitis officijs, obsequijs præstitis tegere cautus malevolentiam adnititur: à gestis discordat animus, & tegitur colorato mendacio affectus. Quem animatus plures oderunt, studiosius blandiuntur, & fallere fictis benevolentie argumentis conantur. Semei Dauidi triumphatori ad antiquos lares reuerenti, cæteris velociter occurrit, vtque plausus augeret pompam, è contribulibus secum attulit magnam frequentiam. *Festinavit autem Semei filius Gera filij Iemini de Baburim, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis David.* Quærentes Interpretes: Cur Semei præ alijs modò erga Dauidem extiterit officiosus, & eius adaugendæ gloriæ sollicitus? Respondentque voluisse, quod gerebat corde, odium dissimulare; & demutatam iam sententiam externa officiositate mentiri. Audi Abulensem, q. 17. *Doluit, quando reductus est Dauid, & voluerat quòd alius fuisset electus in Regem.* Adnectit: *Nunc putauit, quòd fortè Dauid flecteretur obsequijs, & ob hoc cum magno comitatu, scilicet cum mille viris iuit ad Iordanem ad recipiendum Dauid.* Si externis credas, censebis Semei desiderasse Regis reditum, ambijssèque, demutata sententia, triumphum, si introspicias interna, videbis virulentissimo inardescere odio, æstareque casus desiderio. Nam vti politicus, quò melius affectum tegeret, se cæteris ad victoriam celebrandam sollicitiorem officijs externis prodidit. Eadem Semei perseuefabat sententia, sed venerationis exhibebat indicia, vt melius sibi consuleret, & tutius falleret. Quis dubitat, dæmones cum Christo Domino immortales inimicitias gerere, & odia implacabilia pectoribus conseruare? Et tamen cùm dominus ad Gerasenorum regionem appulisset, non lentis gressibus, sed alios cursu anteuertens dæmon adoraturus occurrit: *Cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei Altissimi?* Marc. 5. v. 6. Chrysol. serm. Marc. 5. 17. ait, arripuisse cursum, vt fucato obsequio

odium

Luc. 13. v. 7.

Mar. 21. v. 19.

Gen. 19. v. 22.

Marc. 5. v. 6.

odium tegetet, pœnamque euaderet. Chrysologum audi: *Modò ut adulator, non ut deuotus, & obsequens hic adorat, euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimescens.* Ut quæreret sibi lucrum, aduentanti exhibebat inuitæ adorationis obsequiû, utque tegetet venenum, proferebat elogium: *Quid mihi, & tibi?* Hoc est dicere: *Vita auctor, quid tibi cum mortuis? Habitatore cœli, quid tibi cum sepulchris? Odor paradisi, quid tibi cum fetore?* Itaque alijs prior gloriola proferebat elogia, adaucta voce extollebat miranda facta, sed hoc totum erat politices artificium, & ad fallendum versutiæ inuentum. In cœlo æqualitatem cum Verbo temerarius præsumpsit: *Similis ero Altissimo.* Exambiuit præcipitare è pinaculo, tentauit à Domino adorari in deserto: verum cum res è sententia non cesserit, ad dolosam modò fallaciam confugit: & quem è throno animitus ardebat detrudere, mentiebatur extollere. *Sic iste decipit* (addit Chrysol. serm. 17.) *cum promittit . . . Nam & modò ut adulator, non ut deuotus, & obsequens hic adorat.* Adorat, ut fallat, currit, ut fallaciam tegat, & dum viuidius internè aduersatur, studiosius externè obsequitur.

§. LV.

Prodest ad vitandam criminis pœnam patronus iudici acceptus, & exhibitus officijs gratus.

Nihil vile, nihil cupidum indices decet (aiebat Cassiod. 12. Var. 2.) Nam si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua cupiditate sordescant, etiam dum illæsa iura custodiunt, aut famam infuscant, aut alicuius corruptelæ cæteris suspiciõnem ingenerant. Verum cum aliquando negocia occurrant, in quibus iudex possit sententiam temperare, imò, illæsa iustitia, pœnam restituere, iuuat tunc plurimum sortiti patronum, à quo iudex obsequijs inueniatur obstrictus, & beneuole assentiât inclinatus. Semei cum offensæ contra Dauid conscientia argueretur, & opus esset eius conspectibus præsentari, Sibam secum detulit; sperans de eius patrociniõ Regem facilius placandum, & erga criminis reum clementia vsurum. *Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid cum mille viris de Beniamin, & Siba puer de domo Dauid.* Sibam comitatus est, ut Dauidis iustam indignationem deliniret, & facilius veniam obtineret. Notauit Abul. q. 20. *Semei, qui erat valde reus apud Dauid voluit habere secum Sibam, quia ille erat acceptus Dauid propter munera, quæ obtulerat ei, dum fugeret à facie Absalom (supra 16.) & posset Siba orare pro Semei, si expediret.* Siba Dauidi aduersâ fortunâ vso, quod solaretur famem, obtulit alimenta opportunus, & generosus, & ob id erat triumphatori acceptus: ergo cum Semei scelerum vigeretur memoria, ad Sibam se contulit patrociniâ, & quidem spebus non est fraudatus, sed Principis clementiam expertus. *Et ait Rex Semei: Non morieris.* Tantum valet accepti patrociniû, & tantum, si iudex debitor, interuentoris suffragium. Dominus populi sceleribus irritatus, dignam decreuit pœnam infligere, & nullis se precibus sententiam assertit demutare. *Immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel, & Iob.* Ezechiel. 14. v. 14. Cum celebratorum se precibus non fle-

Ezechiel.
14. v. 14.

Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V,

ctendum testatur, ardentissimam indignationem manifestare videtur. Quærunt tamen Patres: Cur inter hos celebres viros non meminerit Abraham? Cur non direxit: Et si fuerint in medio eius Abraham, nam Abrahami repulsa clariùs indignationis manifestabat incendia? O vocale silentium! O præteritionis arcanum! Abraham olim famescenti ad speciem Iudici subsidia obtulerat, peregrinantem vrbanius excepit, umbra arboris festum recreauerat: *Tulit butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Gen. 18. v. 8. Ergo Gen. 18. v. 8. munera aliõ in statu Iudici dilargita, subsidia peregrino pauperi præstita ita intercessoris preces commendabant, ut si interuentor rogaret, Dominus ad speciem eius respicere preces nequiret. Noë domo non excepit peregrinum, non pauperat Daniel famelicum, Iob placida umbra non recreauerat fatigatum; Abraham verò opportunis officijs Iudicem tenebat obstrictum: ergo licet tres illi eximijs præluerent meritis, eorum precibus obsurderet flagrans ira: ast Abrahami, cui Iudex tanta debebat officia, efficacissima esset, ne fontes punirentur, tutela. Innuit aliquomodo Tertul. aduersus Prax. *Apud Abraham sub quercu refrigerauerit.* Abrahamus peregrinum excepit, famescentem ad speciem opipara mensa pavit, defesso placidam sub arbore requiem exhibuit: ergo intercessio, quæ recreato paupere, recepto humanissimè hospite nitebatur, ita Iudicem flecteret, ut sententiam derogaret. Hinc conijcies, quàm Virginis Matris efficaces sunt preces, quàm Sanctorum profint virtute procerum orationes: nam qui largitis muneribus Iudicem sibi obstrinxit, facilius cæteris impetrauit. Hinc est, quod Semei ambiuit Sibam consortium, quia Siba Dauidem muneribus tenebat obstrictum.

§. LVI.

Nullus sic pœnitentiã peractã fidat, ut Sanctorum patrociniû non ambiat.

Nullus inerti indulgere debet otio, ope excellentis patroni fretus: nullus patrociniû non quærere, pœnitentiæ dolore filius. Profectò vera pœnitentiã, quidquid inquinat culpa abradit, forasque pellit: huius doloris manifesta argumenta sunt mœrens animus, deturpatus lachrymarum vndis aspectus, demissus vultus. Pœnitentiã grato Deus vultu suscipit, & veniam, quam humiliter postulat, lubens concedit. *Dei in homines* (aiebat Seleuc. Or. 12.) *pro bliuio aspectus, accedentem suspicit pœnitentiã.* Pœnitenti Deo condoleat, & lachrymantem demulcet, verum cum nullus suæ pœnitentiæ vim calleat, & an legitima pro reatu solutione satisfecerit, nesciat, prudentia est, Deo familiarium patrociniû ambire, & de alienis meritis sperare: ut econtra: etsi quis optimum patronum sit nactus, non debet ignaui securitatem sibi spondere, sed ad profugia veræ pœnitentiæ inuolare. Cum Semei citissimè obtinuerit veniam: *Et ait Rex: Non morieris:* quærunt Interpretes: Cur tot criminum reus, tot pœnis obnoxius, tot reatibus illigatus absolutionem citò obtinuerit, pœnamque euaserit? Sed Textus dubio respondet, arripuisse pœnitentiæ veræ suffragium, & Sibam etiam patrociniû: *Semei autem filius Gera prostratus coram Rege, cum iam transisset Iordanem, dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem*

S s tem

tem. Non omisit pœnitentiam, ea tamen non sic est filius, vt Sibæ non sollicitarit tutelam, qua Regis sopiuerit iram. *Festinauit Semei, filius Gera, &c. & Siba puer de domo Saül.* Ad Sibæ confugit preces, sed non omisit amaræ pœnitentiæ dolores, recurrit ad lamenta, & quæsiuit patrocina. Audi Abul. q. 20. *Semei, qui erat valdè reus, apud Dauid voluit habere secum Sibam, quia ille erat acceptus Dauid.* Dum pœnitentiam, & Sibæ adiungit intercessionem, à Rege audit: *Non morieris.* Vt hinc discant peccatores arripere salubres pœnitentiæ squalores, & amicorum Dei sollicitare etiam preces. Nam qui patrono solum confidit, errat, & qui patrono destituitur, pœnæ aliquando veniam retardat. Iosephi fratres, quàm in eum culpam admiserant, deplorarant. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Gen. 42. v. 21. Nihilominus ad Israël patrociniū confugiunt, & eius nomine veniam petunt. *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum.* Gen. 50. v. 16. Fufis nomine parentis precibus proprias addiderunt: *Nos quoque oramus, vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hæc.* Ioseph timorem trepidantium depellit, & placido vultu annuit: *Nolite timere; ego pascam vos, & paruulos vestros: consolatusque est eos, & blandè ac leniter est locutus.* Si inquiras: Cur suis precibus parentis patroni preces adiunxerint, & patrociniò amaras lachrymas consotiarint? Respondebunt Patres, pœnitentibus exhibuisse formam, dum fufis non ita lachrymis fidunt, vt patronum non ambient, nec ita intercessore confidunt, vt lachrymas non adiungant. Prodest Oleast: hic ad Mor. *Docemur hic cum merita propria desunt, ad veniam obtinendam interponere merita eorum, qui rati sunt.* Gratus erat Ioseph patronus, gratus pœnitentium luctus: ergo cum accessit patrociniū pœnitentiæ associatum, & lamentum patrociniò suffultum, citò venia impetrata est: *Consolatus est eos, & blandè ac leniter est locutus.*

TEXTVS.

VERS. 17. Et Siba puer de domo Saül, & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo, & irrumpentes Iordanem, ante Regem transferunt vada.

§. LVII.

Paterfamilias non solum virtutem colat, sed familiam etiam instruat.

Fortunata est domus, vbi Princeps studet cœlesti Domino deseruire, & totam etiam familiam satagit morum politura radiare. Sæpè pater de filiorum excessibus sibi conciliat inuidiam, & de seruorum procacitate conquirat bono regimini notam. Non est felicitas consumata, ni contingat filios habere consimiles, & comptis moribus familiares. *Educantium* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 21.) *Felicior laus est de filiorum probitate laudari.* Siba egenti Dauid occurrens, officiosus subuenit: *Apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum Regis cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus.* Suprà 16. v. 1. laborem itineris opportuno subsidio tempera-

uit: verum contentus non est, domino deseruire, sed curauit etiam filios, & seruos ad Dauidis seruitutem afferre. *Siba puer de domo Saül, & quindecim filij eius, & viginti serui erant cum eo, & irrumpentes Iordanem, ante Regem transferunt vada.* Vt suam cumulare fortunam, filios attulit, seruos adduxit: parum illi visum est virtutibus emicare, si contingeret familiam vitijs sordere. Dicere potuit Dauid Sibæ, quòd datus iam parenti alteri Cassiodorus: *Habemus, vnde tibi, felix pater, præmium debeat referri, quæ & filiorum tuorum nobis animos obtulisti.* Dauidi non solum obtulit se, sed & filios, & seruos, quòd eius fortuna & esset cumulatio, & domus resplenderet nitidior. *Ista erat* (inquit Abul. q. 18.) *tota familia Sibæ.* Totam familiam ad Dauidis obsequium adduxit, ne degeneres filij, aut moribus obscuris infecti serui innubilarent rectoris famam, aut conquirent inuidiam. Videas aliquos parentes eximijs virtutibus exornatos, sed familiæ expoliendæ prorsòs oblitos. Filij amor nimis indulget, seruos ad morum reducere mensuram contemnit, dumque alienis peccat erroribus, nubilum inducit virtutibus. Philo lib. de Abrah. expendebat, plenam eius fuisse felicitatem, cum è familia nullus pietati nõ deseruiret, & præire alios satageret: nam cum peregrini mira specie decori, ei fuissent meridiè obiecti, accurrit ipse, vt que dignentur tantillum apud ipsū diuertere, humili adoratione deposcit. Angeli humanitate, vrbaniatèque hospitis oblectati, annuerunt, statimque Sara siliginèos panes conformat. Ipse allatum ex armento vitulum, puero tradit, qui festinanter condidit. *Fas subcinericeos panes: ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum.* Gen. 18. v. 6. Non solum familiæ princeps ad armentum tetendit, sed vxorem, seruūque in hospitium gratiam laborare iussit: nec enim eius felicitas perfecta esset, si vxor pietati non deseruiret, aut famulus à probis, honestisque actionibus deuiaret. Philonem audi: *Vxorem appellat: sine mora fac è tribus mensuris subcinericeos: ipse ad armentum contendit, & ablatum inde tenerum, optimumque vitulum tradit famulo. Mactat ille, & apparat celeriter.* Veluti cœlesti aura tota domus replebatur, & familia tota pietati dicabatur. Adnectit Philo: *Nemo ad humilitatis officia segnis est in sapientis familia: tam mulieres, quàm viri, tam serui, quàm ingenui promptè ministrant hospitibus.* Tota familia Principis secuta exemplum, humanissimum erga hospites exhibebat officium. Ergo Abraham plena felicitate fruebatur, dum nullus ex eius familia incomptis moribus deturpabatur. Sapientia regium sibi palatium erexit, columnis pretiosis, affabreque elaboratis suffulxit, vt temporum tacitos non sentiret adfultus: & licet domus de fabricæ elegantia, ac firmitudine miranda consurgeret, victimas immolauit, vt famam augetet. *Sapientia edificauit sibi domū, excidit columnas septē. Immolauit victimas suas.* Prouerb. 9. v. 1. Quæ ante immolationem domus, post immolationem iam arx fortissima. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem.* Si inquiras: Cur ad stabiliendam domum immolauerit victimas? & cur, immolatis victimis, inexpugnabilis arx exurgat? Respondebit Tert. victimas fuisse generosos sapientiæ filios: sic enim legit aduersus Gnost. c. 7. *Sophia ingulauit filios suos.* Dū filios virtutibus expolit, dum ancillas honestis ministris

Gen. 18.
v. 6.

Prouerb. 9.
v. 1.

rijs addicit, iam domus in munitissimam arcem transit, & hostis timer. Adnectit Tertullianus: *Bene enim filios suos iugulat. Super summos autem muros confixa dixit: eum quis secundum Esai. in hic clamat: Ego Dei sum: & hic vociferatur: In nomine Iacob: & alius inscribit: In nomine Israelis. O bonam matrem! Sapiens mater domus stabilem sibi fortunam promisit, non de pretiosa marmorum politura, sed familiae motum elegantia; vitali morte iugulauit filios, ut demortui vitij, virtutibus uiuerent, famamque sibi, & parentibus aeternarent. A sapientia discant, qui perennitatem gloriae honeste suspirant, nouerintque domus aeternitatem non consistere in diuitiarum copia, in distinctorum maculis iaspidum elegantia, sed in expolita virtutibus filiorum vita. Siba totam familiam adduxit, ut Dauidi inferiret, & felicitatem augeret.*

T E X T V S.

VERS. 18. 19. & 20. Transferunt vada, ut traducerent domum Regis, & facerent iuxta iussionem eius: Semei autem filius Gera prostratus coram Rege, cum iam transisset Iordanem, dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, nec memineris iniuriarum serui tui in die, qua egressus es, domine mi Rex, de Ierusalem, nec ponas, Rex in corde tuo: agnosco enim seruus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei Regis.

§. LVIII.

Pœnitentia abradit delicta, & innocentia vicinatur correctionis celeris diligentia.

QVI Deum grauissime offendit, reconciliari adhuc potest. Desiderat cœlestis clementia, fortiri indulgendi occasionem, & gratus extitit, qui ad eius clementiam fidens confugit. *Gratus in Dominum extiteris* (aiebat Tert. de Pœni. cap. 7. *si, quod tibi Dominus offert non recusaueris.* Exproptissimam Deus offert peccatoribus misericordiam, si veram amplexi sint pœnitentiam: adulatur honestè, qui bene de Domini clementia præsumit. Semei in Dauidem infaniuit, lapides contorsit, dieteria maledictionum congestit, procacissima lingua infanauit: & nihil ex his omisit, quæ impudens procacitas, & effrænis perpetrare potuit temeritas. Dauid, Deo immolata patientia, cum plausu ad pristinum statum redijt, & thronum recuperauit. Quid tunc Semei? Etsi eum animus, scelerum conscius argueret, bene de Principis clementia præsumpsit, & scelera passus, veniam sperauit. *Semei autem filius Gera prostratus coram Rege, cum iam transisset Iordanem, dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem. . . agnosco enim seruus tuus peccatum meum.* Quid tunc? E vestigio venia secuta est: *Et ait Rex Semei: Non morieris.* Confessio mortem depulit, saluti consuluit: & qui b tot scelera duro videbatur supercilio ferienus, pœnitentiæ suffragio, benigno vultu est admissus. Semei accelerauit gressum, ut fateretur peccatum; nam vicinatur innocentia festinata confessio, ut econtra: delictum aggrauat plectibilis, & morosa dilatio. Semei (inquit Caiet.) qui maledixerat Regi, festinauit ad petendam veniam. Gaudebat Dauid, recuperasse peccatorem, & sibi adiunxisse errantem. Audi Tertullianum de Pœni. cap. 4. *Omnibus delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spondit.* Pœnitentia purgandis mentibus præposita, verrit, & radit, & foras abijcit, quidquid inquinauit error, quidquid commisit ardor, quidquid deliquit furor: ergo dum pectoris domum mundat, gratum Domino obsequium præstat. Scelerum grauitas, iniuriarum acerbitas, maledicentis procacitas omnem venia spem videbantur præcidere, sed Semei, ut sibi consuleret, nouit ad confessionem criminis inuolare. Post inflicta iniquis supplicia, quæ extorserat delinquentium contumax pertinacia, Deus oblata venia ad respiscendum prouocat: *Hec dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget? & qui auersatus est, non reuertetur?* Ierem. Ierem. 8. 8. v. 4. Ac si dicat: Cur infelicem seligit mortem, qui pœnitens potest stabilire salutem? & quid ambigat de clementia, qui iudicem audit exhortantem ad effugienda supplicia? Profectò non comminaretur contumaci, ni paratus esset ignoscere pœnitenti: *Qui auersatus est, non reuertetur:* Notauit Tertul. de Pœni. cap. 8. *Dubium, si non & alibi hanc clementia sua profusionem demonstrasset. Non ait: Qui ceciderit, resurget, & qui auersatus fuerit, inuertetur? Ille est scilicet, qui misericordiam maruit, quam sacrificium. Latantur cœli, & qui illic Angeli pœnitentia hominis.* Pœnitens sibi conquirat remedium, Deo præstat officium, angelis gaudium: ergo peccator in spem debet erigi, cum de suo reditu solum dæmones agnouerit contristari. Ingens Siba Dauidi attulit gaudium, dum bene præsumpsit, & ad clementia festinauit profugium.

T E X T V S.

VERS. 21. & 22. Respondens verò Abisai filius Saruia, dixit: Numquid pro his verbis non occideretur Semei, quia maledixit Christo Domini. Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis, filij Saruia? cur efficimini mihi hodie in Sathan? ergo hodie interficietur vir in Israel? An ignoro hodie me factum Regem super Israel.

§. LIX.

Dei seruus facile factam sibi remittit offensam, cum inferre alteri animatus veretur iniuriam.

SUPERBIA errore facile inficitur, qui non vera humilitate fundatur; nam humilitas propria redundantiam æstimationis præscindit, & alios dignos veneratione præponit. Ex eadem radice diuersi, & saporatissimi promanant fructus, se scilicet parui pendere, & magni cæteros æstimare. Econtra turgidis, superbisque accidit: nam dum plus de se præsumunt, ad leuis offensusunculæ ultionem mirè exardescunt, & alijs intulisse iniuriam, despiciunt. *Nisi prius animi temperentur* (aiebat Cassiod. 7. Var. 23.) *in contemptum maximum nati-*

na felicitate profluunt. Animus humilitate fundatus semper probatur esse modestus, ut sui æstimatione imbutus, ad impatientiam semper est pronus. Dauid sacra erat delibutus vnctione: & licet Semei grauius in ipsum deliquerit, clementer pepercit: *Non morieris*. Abisai ægrè tulit clementiam, censuitque mortis inferendam statim pœnam. *Numquid pro his verbis non occideretur Semei, quia maledixit Christo Domini?* Abisai grauiissima censuit vltione castigandum maledictionis piaculum; Dauid se canem putabat mortuum, & cum facillè factam sibi indulgeret iniuriam, alteri inferre refugiebat offensam. Nam cum hostem nactus, posset vlcisci, maluit irreuerentiam etiam vitare: *Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* 1. Reg. 26. v. 9. Saulem Christum Domini reuerenter suspexit, & se Domini etiam Christum onerari maledictis patienter tulit, audaci Semei lingua exasperanti obtulit veniam: *Non morieris: & Abisai contra Saulem veluti magno supplicio dignam prohibuit iram*. Ecqua huius discriminis causa est? Quia humilitas, nescias quibus præstigijs cæcatur, & simul perspicacibus oculis inuictur: propriam dignitatem, ut tumeat, nescit, alienam, ut veneretur, agnoscit. Duæ facillè cæcitatibus in humilitate species concurrunt: in se non videt, quæ sunt, & in alijs videt etiam, quæ non sunt. Notauit Abul. q. 21. *Ex hoc quod Dauid erat vnctus in Regem iussu Dei, erat graue peccatum offendere ipsum. Sic patet ex verbis Dauid ad seruos suos... quando suadebant ei, quod occideret Saul. Peccatum in Saulem Dei vnctum existimauit grauiissimum, in se perpetratum non adeo magnum, quasi ipse reuerentia indignus, & Saul esset omni veneratione colendus: nam licet eadem utrobique ratio damnaret iniuriam, Dauidis humilitas contra se excusabat erratum, & peccare contra Saulem grauiissimum existimabat delictum. Vineæ operarij laboris mercedem accipientes, contra patremfamilias audaci impudentia obmurmurant, non tam dolentes amplio mercedem sibi non reddi, quam cæteris exæquari; nam superbia, vanaque gloria non solum in secundis esse non patitur, sed de æqualitate torquetur: *Accipientes murmurabant aduersus patremfamilias.* Mar. 20. v. 11. Prodest Hilar. in Cat. *Secundum insolentiam populi iam sub Moysè contumacis, hoc murmur operantium est.* Linguaciū audaciam blandè compefcuit, & pro se rationem attulit. *Amice, non facio tibi iniuriam.* Et cur alteri iniuriam vereatur irrogare, & sibi factam non adnitatur vlcisci? Quia humilitas alium animitus refugit exasperare, & in se commissa nescit ad vltionem expendere: obmurmurationis iniuriam blandissimis verbis repellit: *Amice: & referre asperis verbis audacem timet: Non facio tibi iniuriam.* O humilitatis ingenium! Alios honore existimat dignos, nec audet vel aspero verbo ferire, cum se veneratione arbitretur indignum, & vel iniurios adnitatur verbis mellitis placare. Huc voco Tertul. de Pat. cap. 12. *Nec sua requirit, sed offert sua, dum alteri profit, nec incitatur.* Patientiæ soror humilitas, non irritatur asperis, nec alium lacessit verbis, quia cæteros veneratione suspicit, se despectum merere credit. Ecce vineæ Dominus linguacem vocat amicum: *Amice: & nullum pungituum ore profert verbum, quia, edocet factis, alijs exhibere reuerentiam, & ferre patienter iniuriam.* O discamus à Domino humilita-*

tem! Linguacitate offensus non irritatur, & vel duriusculo audacem verbo referre veretur. Qui non fucuta, sed solida, veraque humilitate fundantur, facillè sibi factam, ut Dauid condonaerunt iniuriam, & alijs expaudent leuem etiam inferre offensam, quia ipsi sibi despicabiles videntur, & cæteros dignos veneratione arbitrantur.

§. LX.

Nonnulli semel conceptam nesciunt indignationem sopire, quantumuis agnouerint causas cessare.

SEpe infesta patrono reum damnat (aiebat Senec. lib. de Ira capit. 16.) etiamsi ingeratur oculis, veritas, amat, & tuetur errorem: coargui non vult, & in malè capris honestior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia. Ita, indignatioque ita aliquorum possidet tenaciter animum, ut etiam ad se traxerit intellectum. Mutantur rerum circumstantiæ, oculis ingeritur veritas, ira tamen non permittitur coargui, sed mavult pertinaciter profequi. Abisai contra Semei ardentem indignationem conceperat, & morte dignissimum reputauerat: *Dixit Abisai filius Saruia Regi: Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* Suprà. 16. v. 9. Digna videbatur Abisai indignatio, cum Semei & lapides iaceret, & in Dauidem maledicta congereret. Non multò post Semei conscientia argutus, & insaniam demiratus, Dauidi occurrit, & culpam passus, se ad eius pedes, clementiam exoraturus deiecit: *Agnosco seruus tuus peccatum meum.* Quid tunc? Abisai antiquam tuetur sententiam, & mortis suspirat multam: *Respondens verò Abisai filius Saruia dixit: Numquid pro his verbis non occideretur Semei?* Quærent Interpretes: cur è tot Dauidis seruis solus Abisai contra Semei indignatione flammescat, & eius mortem exambiat? Profectò iam Semei confessione expunxerat culpam, iam antiquam demutauerat insaniam, iam vsque ad terram deiectus, Dauidis implorabat clementiam, & tamen Abisai nec flectitur, nec mutatur. Olim (inquit Abul. q. 22.) contra Semei indignationem conceperat; & licet iam rerum alius fuerit status, Abisai persistebat eadem indignatione proteruus. Abulensem audi: *Accusauerat Semei super hoc, scilicet quod maledicebat Regi (sup. 16.) & nunc volebat continuare accusationem suam contra eum, scilicet, ut occideretur.* Nesciebat flecti, quia semel inceperat indignari, nec attendebat diuersum rerum statum, sed prosequabatur antiquum odium. Nam nonnulli, si semel contra aliquos conceperint iram, nullatenus demutare norunt sententiam. Ionas Niniuitis infensus euerfionem iubetur proclamare, Niniuitæ stylum vertunt, pœnitentiæ patrociniū adsumunt: & cum existimares Prophætæ animum deliniendum, inuenies iratum. *Iratus est.* Ioan. 4. v. 1. Deus decretum soluit, lugentibus parcit, & adhuc Ionas indignatione flammescit. Prophætæ blanditur Deus, & blanda interrogatione, ut sententiam demuter, nititur: *Putasne, bene irasceris tu?* Domino interroganti non respondit, sed ciues effugiens, ymbra culum sibi struxit, & animum indurauit. Iterum Dominus aggreditur delinire. *Putasne, bene irasceris tu super hedera?* & nihilominus Ionas non desinit indignatione fouere: *Bene irascor ego usque ad mortem.* Cum Deus ipse clementiæ sinum expanderit,

Ion. 4. v. 1.

panderit, decretumque soluerit, quærendum est: Cur Ionas non flectatur, nec demutetur? Forte arcanis nos factis erudit S. Scriptura, vt nouerimus, aliquando homines conceptæ semel iræ ita firmiter adhærere, vt nullis patiantur artibus deliniri. Audi Seleuc. Ora. 12. *Prophetam non despexit inclementia morbo tentatum.* Prosequebatur ira, mutata etiam indignationis causa; & quod satis erat ad promerendam à Numine veniam, satis non erat ad placandam hominis iram. Ecce Dauid Semei humilitate, confessioneque veniam offert delinitus: & adhuc Abisai perseverat antiqua indignatione succensus.

§. LXI.

Magnum affert periculum socius nimis iracundus, & prudentia moderamine non frenatus.

VT periculosum est vti insanientis consortio, quia etsi aliquando videatur mitescere, inopinè solet ad furorem exoculatum redire, ita iracundum in societatem admittere, inuenitur periculis plenum; nam aut cum ipso socio implacabiles lites gerit, aut in aperta pericula mittit. *Ira* (aiebat Theog. apud Stob. cap. 20.) *peior quandoque est insania.* Consonat Philem. ibi: *Insanimus omnes, cum irascimur.* Hinc est, quod Dauid hoc periculum est confessus, cum Abisai persuasionibus contra Semei vehementer est inflammatus: *Quid mihi, & vobis filij Saruia? Cur efficimini mihi hodie in Sathan? ergone hodie interficietur vir in Israël? Abisai vt contra Semei vitam defauret, monebat, & serenum animum perturbabat: ergo Dauid fassus est, ad nostram eruditionem, periculum, & scandalum: Cur efficimini mihi hodie in Sathan? Iracundum socium Sathan dixit: nam vt dæmon nobis pericula concinnat, occasiones lapsus adornat, suggestionibus irritat; ita iracundus comes affert nobis continua scandala, & detrimenta. Audi Abul. q. 22. *Abisai erat vir valde impatiens, & non potuit sustinere, quousque responderet Rex, sed cum videretur sibi irrationabile, quod iste Semei immunis dimitteretur à pœna, obiecit ei quod pro his verbis non deberet ei parci.* Ingenio iracundus ad sanguinem inhiabat, & eius instigatio Dauidi periculum afferebat: nam si à Semei ultionem expeteret, totus populus criminis etiam reus, vt sibi præcaueret, aufugeret, venia indulgens stabilliebat coronam, ultio inquietaret Rempublicam. Ergo iurè comitem iracundum Sathanæ comparauit, quia vrgeri periculoso stimulo suggestionis agnouit. Redeat Abul. q. 23. *Si istum puniuisset pro offensa, putauissent omnes alij, se puniendos, cum omnes peccauissent, & omnes fugerent, quod erat graue periculum ipsi Dauid.* De iracundo consortio grauissimum Dauidi oriebatur periculum, & euident adducebatur scandalum. Tantum nocet iracundi societas, & ad sanguinem hiantis improbitas. *Vir iracundus prouocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas.* Proverb. 15. v. 18. Iracundus socius dum excitat rixas, cogit socium certaminis adire periculum: & ingenio lenis de calore comitis inardescit, & sæpè cæcis difficultatibus ingemit inuolutus, & periculis magnis obnoxius. Nihil potius prudèti curandum est, quàm eiusmodi vitare consortia vti manifesta discriminata. *Prouocat rixas* (inquit Hugo) *id est contentiones, & lites: Iacob. 1. Ira viri instigat Dei non operatur.* O quot, iracundi socij*

consilij irritati, & excitatis contentionibus inuoluti, stragem sibi maturarunt, & diuitiarum, honoris, vitæque iacturam præter opinionem tulerunt! Abisai iracundus, dum Dauidem ad lites, & contentiones impellit, periculum non exiguum adducit.

§. LXII.

Vices demonis agit, qui proximi culpas exaggerat, & ad pœnas infligendas irritat.

DEcet quidem cunctos, natura similibus augmenta cogitare, aut pericula certè propellere. Quid homo euincat feras sæuitiâ, quando illæ contra sibi adsimiles naturalia non vertunt arma? Charitas ad alienos defectus honestè est cæca, quia aut ignorat, aut minuit, aut honestam excusationem præterdit. Dæmonis videtur mutasse ingenium, qui alterius culpam nititur aggravare, & ad ultionem inducere. *Cordi est* (aiebat Cassiod. 4. Var. 29.) *post primam culpam non statim desiderare vindictam.* Lenis patientia mauult, quàm inferre, dolorem pati. Vbi Dauid sensit Abisai Semei crimen exaggerare, & indignationem accendere, non tenuit dæmonem appellare. *Quid mihi, & vobis filij Saruia? Cur efficimini mihi hodie in Sathan? Nihil mirum, si eo tempore Abisai sibi fateretur esse molestum, sed mirandum, appellasse dæmonium, imò non solum dæmonium, sed inter dæmones dolositate præcipuum: Cur efficimini mihi hodie in Sathan? Inter execrandos dæmones Sathan execrabilior habetur, quia aduersari, & calumnias adstruere contra homines semper adnititur. Infelix elogium sortitur Abisai, Semei culpas exaggerans, & vt puniretur, desiderans: Nunquid pro his verbis occideretur Semei, quia maledixit Christo Domini? Non dixit: Maledixit Dauidi, sed Christo Domini: vt ex sacra vnctione exaggeraret erratum, & capitale sollicitaret etiam supplicium: ergo dum culpas aggravat, dum seuctè plecti sollicitat, videtur humanam naturam denudasse, & mores sathanicos induisse. Prodest Abul. q. 23. *Abisai efficiebatur Sathan, vel aduersarius ipsi Dauid, quia Dauid volebat remittere iniuriam, Abisai autem incitabat eum ad non remittendum.* Dum ingrauando culpam, dum exaggerando offensam, irritat Dauidis animum, dæmonis adimplet cumulissimè ministerium. Cœlestes spiritus Numini adstantes, eximias Iobi commendauere virtutes, retulerunt Auctori grates: adfuit etiam tunc gehennalis spiritus, & cum nequiret Iobi obscurare sanctitatem, liuore adustus, iniquam recurrit ad suspicionem. *Adfuit inter eos etiam Sathan.* Iob. 1. Iob. 1. v. 6. Quæ Iobi felicitas, sanctitâsque cœlites ad admirationem ciebat, egregiè dæmonem discruciat. Eius studium fuit, dolosæ calumniæ arietem contra innocentiam opponere, & felicitatem euertere. *Tange cuncta, quæ possidet, nisi benedixerit tibi.* Iob. 1. v. 11. Suspiciosus virulentam solatur Iob. 1. v. 11. inuidiam, & vanis coniecturis innixam incutere discupit notam. Audi ipsum Deum: *Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Iob. 2. v. 3. Ecce munus Sathanæ, intentionem Iob. 2. v. 3. damnare, falsis, & de industria architectatis suspicionibus innocentiam impetere, & infligi pœnam ambire. *Sathan* (inquit Hugo) *terrenos vituperat, ubi dixit: circuiui terram, & perambulauit eam; & gloriabatur de conculcatione eorum.* O diabolicum gaudium, aliena calamitate innutritum, & de*

alieno dolore exortum! Qui ergo huius demonis imitator, Sathanæ nomine iurè insignitur. Ergo dum Abisai Sem. i. expendit offensam, & Dauidem ad expetendam incitat multam, Sathanæ vices gerit, & Sathan audit.

§. LXIII.

Nunquam deest, qui ad virtutem prouum impediatur, & ad prauitatem exacuat.

Politici, palatinique potius sequuntur magnatibus blandientem politicem, quam laudabilem attenderint honestatem: cumque frequens sit ad voluptatum venena hiare, & salubria fastidire, certamen est, quis blandius fallat, & à recto actionum concentu abducatur. *Serui dominorum morbis inficiuntur* (aiebat Euryp. in Alc.) *seruo enim non fas est, verum dicere, quod hero fuerit incommodum.* Quod de seruis Eurypides, ad adulatores extendit, præcipue ad eos, qui Magnatum lateri adherent, & eorum sibi elucrari gratiam student. Nam cum conijciant, honesta non impensè amate, & appetitui consona ambire, ab illis retardant, & ad hæc frequenter proritant. Abisai Dauidem exacuit ad expetendam de Saül ultionem. *Dixit Abisai ad Dauid: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas; nunc ergo perfodiâ eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.* 1. Reg. 26. v. 8. Hic etiam ne Sem. i. veniam humiliter imploranti indulgeret Dauid, restitit, & in contrarium coloratas causas adduxit. *Respondens verò Abisai filius Saruia, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Sem. i. quia maledixit Christo Domini? Quærunt Interpretes: Cur alibi Dauidem exacuerit, & retardauerit alibi? respondētque, in utroque assentari Principi cupiuisse, dum exacuit ad vindictam, & dum retardat. Nam cum frequenter Summates non ita ardent, ut euanida, sectentur honesta, arbitratus est, morem Dauidi gerere, si ad Saülis ultionem proritarit, veniamque Sem. i. impedierit. Numquam ad vitia irritator deest. Audi Abul. q. 21. *Vidit Abisai flecti Dauid aliquantulum ad pietatem; & quod non haberet animum dure respondendi, dum loqueretur Sem. i.: ideo ipse respondit contra Sem. i. dicens: Numquid bonum est, quod pro his solis verbis non occidatur Sem. i.? Ad clementiam prouum retinuit, ad ultionem de Saüle expetendam acriter inflammavit: ut noueris, quam nostra thesis sit vera, scilicet frequenter esse, qui ad virtutem prouum impediatur, & ad prauitatem exacuat. Abraham de filio sacrificium oblaturus, à seruis se expediuit, & cum filio clium conscendit: *Dixit ad pueros suos: Expectate hic cum asino.* Gen. 22. v. 5. Expectare iubet, & teneris filij humeris ligna imponit. Quod si inquiras: cur seruos dimiserit, & filijs humeros prægrauarit, cum satis videretur arduum ipso in iuuentutis flore præbere iugulum, quin etiam per montis scrupulosa oneris patiatur tormentum? Respondebit Lira, timuisse, ne serui Isaacum à sacrificio retraherent, & multiplices rationes ad impediendum holocaustum adducerēt. Liram audi. *Timebat, ne impedirent eius obedientiam, si essent presentes.* Iuuenes plurima opponerent, quibus Isaac animus aut retractaret sententiam, aut tardior perueniret ad aram. Ergo prudentissimus Abrahamus à seruorum consortio seiunxit, cum sacrificandum aris deuouit. Vides seruos esse modò impedimento; transi ad Cap. 21. videbisque ancillæ filium ex relictis ad radices montis (ut**

Interpretibus placet) vnum ad ludos Isaac incitantem, & exacuentem: *Cum vidisset Sara filium Agur Egyptia ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius.* Gen. 21. v. 9. Alibi ancillæ filius eijcitur, quia ad ludum proritabat, alibi sistitur, quia Isaacum aris deuoueri retardat: blandiri arbitrabatur iuueni, si occasiones concinnaret ad ludum, ut etiam si impediuerit holocaustum. O quam est frequens fortiri socium, aut seruum, qui vitia commendet, & sollicita diligentia ab honestis retardet! Ismaël edocet ludere, religiosus aris impediret immolari: erat ad ludicra illicium, ad honesta impedimentum. Ismaëlem ex relictis fuisse vnum tradit Lira ad Gen. 22. *Isti fuerunt Ismaël, & Eliezer.*

T E X T V S.

V E R S. 23. Et ait Rex Sem. i.: Non morieris. Iurauitque ei.

§. LXIV.

Prudenter, vtiliterque Princeps adnititur stabiliri clementiâ, dum subiectorum corda videntur esse sollicita.

Nullum animal morosus est (aiebat Senec. de Clem. cap. 17.) *nullum maiore arte tractandum, quam homo, nulli magis parcendum.* Regenti luctandum est cum vitijs, sed leniter, sed clementer: sæpè namque vlcera recrudescunt aspera manu tractata, quæ, remedijs veluti adulantibus, ad sanitatem perueniunt fota. Verùm licet semper Princeps prudenti resplendere debeat clementia, tunc præcipue cum plurium corda varijs videntur timoribus æstare sollicita. *Dignitas est subiecti* (aiebat Cassiod. 8. Var. 4.) *affatus meruisse dominantis in ea præsertim causa, in qua omnium corda sic videntur esse sollicita, ut, si non agnoscant prosperum, credant semper aduersum.* Nescias, quid de se triste faciat præsumi, qui differt in regni exordio benigna exhibere. Dauid veluti denuò adibat regnum post longum à throno exilium: cumque Sem. i. scelerum conscius ad regiam confugisset clementiam, Abisai exacuebat Principis iram. Cæteri, qui in Dauidem etiam coniuratione deliquerant, solliciti erant, & quid de Sem. i. fieret, sollicito metu expectabant; verùm Dauid, ut thronum stabiliret; clementiæ sinum expandit, & Sem. i. facillimè indultit: *Ergone hodie interficietur vir in Israël? An ignoro hodie me factum Regem super Israël? Et ait Rex Sem. i.: Non morieris.* Vbi Sem. i. Regium promeruit alloquium, sperauit remittendum sibi peccatum, & Princeps cum benignum præbuit affatum, cæterorum sopiuit metum. *Dies hodiernus est* (inquit Caiet.) *tanquam dies creationis mea in Regem; oportet me agere tanquam nouum Regem, & obliuisci præteritorum.* Vtilissima, prudentissimaque erat politica, primordia regni non infamare, sed nutantia corda benignitate pellicere. Et quidem Dauid discrimini exposuisset regnum, si Abisai secutus fuisset consilium. Saül quos regni sui exordio expertus est, inurbanè se gessisset, puniri prohibuit, & se clementem ostendit: *Non occidetur quisquam in die hac.* 1. Reg. 11. v. 13. Plures non solum debitam recusauerant obedientiam, sed tetram armarant linguam; sed bene politicus maluit clementia regnum firmare, quam exordio imperij sauire

1. Reg. 26
v. 8.

Gen. 22.
v. 5.

1. Reg. 11.
v. 13.

scire: ergo sic omnium animos traxit clementia, ut respuerit nullus sequi clementis vexilla: *Perrexerit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino.* Ni experirentur clementem, formidarent imperium, & excuterent forte iugum; ast dum prudens sinistris coniecturis occurrit, regnum firmavit. Opportunè Lira. *Saül hoc fieri impediuit, ut à clementia regnare inciperet, offensas proprias remittendo.* Corda regni initio videbantur ambigua, sed traxit ad obsequendum clementia.

§. LXV.

Princeps maiestati detrahit, si alieno regatur impulsu, commendat si prudenti non reluctetur consilio.

Vtile est (aiebat Cassiod. 7. Var. 27.) unum semper eligere, cui reliqui debeant obedire. Si non vnus, sed plures sint Principes, qui edant mandata, dura subiectis efficitur obedientia. Debet princeps consiliarios sibi adhibere prudentia claros, & virtutibus expolitos, nec ad eò proprio iudicio fidere, ut respuat sanis dictaminibus adiunari. Ita se gerat, ut nec videatur alieno arbitrio impulsus, nec proprio nimis iudicio fesus. Cùm detriumphatis iam hostibus, Dauid regnum adiret: *An ignoro hodie me factum Regem super Israël? Abisai clementi Principi restitit, & in suam sententiam trahere voluit: Nunquid pro his verbis non occidetur Semei.* Dauid asperè tulit, & à se quodammodo abiecit: *Quid mihi, & vobis, filij Saruia? Cur asper fuerit erga Abisai, qui erga Semei ad eò humanus, rogat Abulensis, responderetque noluisse videri alieno impulsu gubernatus, & amici sententia prorsus subiectus. Et ait Rex Semei: Non morieris.* Abisai, ne reo exhiberet clementiam, sed dignam expeteret, procurabat vindictam, acriterque contendebat, vetum in regni exordio videri non debuit Princeps agere impulsus, sed prudenti dictamine gubernatus. Cateris formam præscripsit, se impellentem reiiciendo, & asperis verbis frænando: *Cur efficiamini mihi hodie in sathan? Ergone hodie interficietur vir in Israël? Achi dicat: Ego ratione ducor, aliena voluntate non impellor.* Ita Abul. q. 23. *Non permittitis me agere, quæ volo, sed in omnibus estis mihi obuij.* Si quæ volebat, non ageret, Princeps haberetur passiuus, potestate non præditus; ergo neglexit Abisai impetiosum consiliium, Principibus bonæ politiciæ exemplum præbens: *Non permittitis mihi agere, quæ volo.* Lapis, qui statuam percussit, ut Nabuchodonosor superbam insaniam castigaret, & stabilis Christi regni formam ostenderet, sine manibus refertur abscissus, & sine alieno impulsu directus: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam.* Dan. 2. v. 34. O quam erat prodigiosum, aurum, ut lutum haberi, argentum ferro exaquari! Vbi eadem culpa, pœnam non distinxit materia; & ne ambigendi nobis aliqua relinqueretur occasio, Propheta expressit, hoc totum esse mysterium: *Suscitauit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Bene: sed inquirendum est: Cur ad regni stabilitatem prædicendam dicatur lapis non alieno impulsu rotatus, aut arbitrio alieno contortus, sed sine manibus prorsus discissus: *sine manibus.* O expende, discrimen inter lapidem manibus iactatum, & sine manibus discissum: lapis manu proiectus, aliena vi impellitur, aliena voluntate

Dan. 2.
v. 34.

dirigitur, non iactatus impulsus ignorat, naturæ iura conseruat. Ergo Regis Regum regnum adumbrandum fuit proprijs factis stabilitum, non alienis impulsibus agitatum. Non videretur auspiciatum exordium, si lapis alieno dirigeretur prorsus arbitrio, & alterius manu; ast dum rationabili prudentia vititur, ad instar montis fundatur. Notauit opportunè Drogo Host. de sacram. &c. *Lapis est abscissus de monte sine manibus, & iactus est lapis, & percussit Goliath in fronte, & statuam in pedibus. Iste est iactus tuus longe à nobis.* Achi dicat: Lapis, qui euertit Gigantem, euertit impulsu alieno, qui statuam percussit, ignorauit manum, per seipsum rationabile inflixit supplicium: ergo iste iactus diuinus agnoscitur, non humanus: *Iste est iactus tuus Domine.* Profectò qui alienam semper voluntatem sequuntur, qui dictamine alterius mouentur, sunt veluti passiuæ Principes: imò Principum solum imagines. Ergo Dauid, ut impleret munus, Abisai impellentem non attendit, sed rationi solum paruit.

§. LXVI.

Decens est Principi sacramentum emittere, & erga suos beneuolentiam ostendere.

Quem animus scelerum conscius arguit, acri semper timore percellit; & quamuis rationabili Princeps clementia ignoscat, metus tamen reorum corda sollicitat: ergo tunc sapiens Princeps, ut trepidantium timorem depellat, veniam sacramento confirmat, nec detrahit auctoritati, qui iurat, ut suspecta consulerit anxietudini. Audi Athal. 2. Var. 4. *Ut vobis beneuolentia nostra iam nunc integritas innotescat, iurisdictioni vobis fecimus religionem promitti, quod & nostrum possit declarare propositum, & spem debeat munire cunctorum.* Indubium erat Athalarici promissum, sed ne locus sinistris daretur cogitationibus, voluit addere sacramentum. Quod & Dauid etiam fecit: nam cùm Semei grauissimis eius offensis irritasset patientiam, & ceteri ad Absalonem fratricidam transferre coniurati ambissent coronam, clementer indulgit, & ne Semei ambigeret, veniam sacramento firmavit: *Et ait Rex Semei: Non morieris, iurauitque ei.* Satis erat ad indubiam fidem regale promissum, sed nihilominus ad Semei, & populi sedandos timores, voluit addere iuramentum, & dum iurat, eximiam beneuolentiam ostendit. Notauit Abul. q. 25. *Ad hoc quod magis securaretur Semei de promissione Dauid, firmavit eam iuramento.* Fixa erat Regis promissio, sed ne Semei varijs iactatus sollicitudinibus fluctuaret, sacramentum emisit, & beneuolentiæ integritatem ostendit. Bencuoli excepti, humane tractati exploratores, Rahab futuræ incolumitatis funiculum fore testantur inuolabile testimonium: *Signum fuerit funiculus iste coccineus.* Ios. 2. v. 18. Illa verò etsi exploratores nouerit fide integra ornatos, virtutèque eximios, sacramentum exegit; ut quam pectore spem fouebat, firmaret: *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei.* Exploratores iuramentum emittunt, incolumitatemque offerunt: *Anima nostra sit pro vobis in mortem.* Cùm simplex veracis sermo iuramenti vim habeat, & ut aiebat Philo lib. de Decal. *Qui iurat, suspectus est de perfidia:* inquire: Cur non renuerint exploratores hanc datam fidei incurtere veluti notam, & suspicionis subire

Ios. 2. v. 18.

bire iniuriam : sed facilis solutio est : nam etsi Rahab de fide sibi data non ambigeret, parentes, cognatique anxio percellerantur timore, ne communi, imminentique disperirent strage. Ergo exploratores iuramentum emittunt, non tam in seruandæ fidei subsidium, quam in alienæ sollicitudinis leuamentum. *Nunc ergo iurate mihi* (inquit Interl.) *pactum facit pro salute sua, & suorum.* Ut ipsa, sui que certiori firmarentur, fiducia, voluit exploratores obligari sacramenti religione. Et exploratores dum non recusant emittere sacramentum, clarius beneuolentiæ exhibent testimonium.

§. LXVII.

Ra:ionabilis regnum stabilis clementia, feralis euertere solet sauitia.

Rationabilis clementia, dum sollicitum reatus sedat timorem, ad indulgentis allicit charitatem. Felicitatem clementi exoptant humanitate oblectati, qui odium fouerent, nimia rigiditate percussi. *Nec innocentia tantum* (aiebat Senec. de Cle. cap. 7.) *clementia succurrit, sed sapè virtuti: Sapè humanè clementerque habitus, ipsa humanitate ad meliora sectanda inuenitur impulsus, utque clementiam honorauerit, procedit cautiùs.* Efferum ingenium, quisque tanquam sauum, & truculentum animal effugit, ad humanum, & clementem Principem tanquam ad clarum, & beneficum sidus accurrit. Ob id etsi Abisai Dauidem ad ultionem protitauerit, Semai pepercit, & clementi humanitate regnum firmavit: *Et ait Rex Semei: Non morieris. Iurauitque ei.* Tunc se Regem est confessus, cum reis pepercit benignus: *An ignoro hodie me factum Regem super Israël? Acti dicat: Hodie regnum assurgit firmum, clementia, & humanitate fundatum, quod fors nutaret, humano sanguine aspersum, quia diffugerent omnes deterriti, si rei ingemiscerent, crudelibus supplicijs attriti.* Prodest Abul. q. 17. *Omnes de Israël peccauerant contra Dauid, & si forte vellet in eo petere ultionem, ita in omnibus alijs vellet, & omnes turbati fugerent à Dauid.* Nimia districtio fugaret, lenitas rationabilis ad subiectionem coëgit: ut nouerint Principes, regna sauitiâ conculsi, prudenti humanitate fulciti. Vidit Daniel lænam aquilæ alis instructam, procelloso de pelago proflire, & litore in hominem conuersam stare: *Quatuor bestia grandes ascende- bant de mari diuersa inter se: prima quasi læna, & alas habebat aquila: aspiciebam, donec avulsæ sunt alas eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Dan. 7. v. 3. Plura veniunt nobis examinanda: Cur scilicet animal idem marinis fluctibus nequeat consistere, & queat in litore vestigijs firmissimis permanere: & cur læna amiserit violentè alas, cum nullas experiatur postea violentias? Certè videbatur læna ferali sauitia tuta, & tamen refertur alis non sine dolore spoliata: *Avulsæ sunt alas eius.* O vtilem nobis doctrinam! Hoc primum animal, aiunt Interpretes, Nabuchodonosorem adumbrasse, & varios eius casus expressisse. Et quidem Nabucho dum ferinis imbutus moribus, & sauis denigratus delirijs sauijt, armavit hostes, qui auellere eius alas tentarunt, & è throno expellere satagerunt. Quis aded truculentam lænam ferret? Quis depellere non ambiret? Ast vbi feri-

num ingenium cum leni hominis commutauit, securo litore stetit, & procellofas maris tempestates euasit. Dum truculentum fortiebatur ingenium, acris ventorum flatibus concussus, & confusus rapidorum fluctuum voluminibus laborabat iactatus; ast vbi sauitiam deposuit, à suis quæsitus, pristinum splendorem recuperavit. Ad rem Hugo Card. *Quod ibi dicitur, conuenit Nabuchodonosor. . . super pedes quasi homo stetit, id est rursùm in pristinum statum restitutus est, & se non leonem, vel bouem, sed hominem esse didicit.* Vbi leoninam feritatem est imitatus, à regno etiam exulauit detrusus, vbi humanitatem didicit, à suis quæsitus, ad antiquam sedem redijt: ut hac, veluti imagine nobis ostenderit sacra Scriptura, quam noceat feralis amplificando regno sauitia, & quam prudens stabiliat clementia. Nabucho dum humanus firmo consistit litore, dum leo acri concutitur tempestate.

TEXTVS.

VER S. 24. Miphiboseth quoque filius Saül descendit in occursum Regis, illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque suas non lauerat à die, qua egressus fuerat Rex vsque ad diem reuersionis eius in pace.

§. LXVIII.

Sapè quod natura denegat, assequi industria artificiosa adlaborat.

Ouis in materia plurimum valet solers industria, siue colatur honestas, siue exambatur fugienda prauitas: sapè assequitur industria, quod natura denegarat. *Sapiens* (aiebat Senec. Epist. 71.) *vincit virtute fortunam.* Sapiens virtute fortunam vincit, ut etiam industrius arte. Sapè artificiose industria recurra robora diriguntur, & in meliorem formam aptantur. Iracundia leni patientia compefcitur, inopia temperantiæ moderamine lenigatur. Nihil est quod solers industria non vincat, aut emolliat. Miphiboseth Diuidi ad regnum cum plausu reuertenti non lento gressu occurrisse dicitur. *Miphiboseth quoque filius Saül descendit in occursum Regis.* Non modica difficultas premit: Nam si Miphiboseth, ut Dauidem antea comitaretur, pedum impediatur debilitate, si claudus effectus est: *Cecidit, & claudus effectus est.* 2. Reg. 4. v. 4. Quomodo potuit pedes obuiare, & celeriter reuertenti ad thronum occurrere? An quia antea infortunato nequibat accedere, cum iam felici quierit approximare? Dubio respondet Hugo Card. artificiosa vsum industria, ligneos adaptasse sibi pedes, quibus naturæ defectum reformauit, & versus Dauidem egressum explicuit. Hugonis verba sunt: *Fecerat sibi Miphiboseth ligneos pedes, secundum Hebræos, quibus pro naturalibus utebatur.* Natura progredi denegabat, industria tamen supplebat; cum illi collibitum erat ambulare, poterat; cum non placebat, nequibat, quasi pro arbitrio vires deficerent, aut inessent. Si Miphiboseth attendas, videbis natura ipsa retardatum, industriæ tamen ingenio vsque ad Principis præsentiam progressum. Certè Rabbiorum somnium, aut commentum doctrinæ deseruit, & ad noscendum, quantum industria valeat, conducit.

cit. Plures, qui olim in plebis numero, hodie in nobilium resplendent censu: & qui naturæ prærogatiuis nudi, iam dignitatibus exornati, & qui nuper inopes, opulenti; quia sagax, industriosaque solertia inuenit, quo fortunam vinceret, & ad meliorem statum reuocaret. Amphoram, quam iniectum pondus ad terram trahebat, mutuata milui ala in sublime extulit: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphora: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum.* Zachar. 5. v. 7. Amphora naturali, & adiecto pondere ad terram trahebatur, & nihilominus reluctantè natura, sursum eleuabatur: quòd si inquiras causã, respondebit Textus, in Icarì modum fœminas sibi mutuatas pennas adaptasse, quibus potuerunt non solum sublimia petere, sed etiam amphoram eleuare. *Qui inter cælum, & terram est* (inquit Greg. lib. 14. Mor. cap. 16.) *ima deserit.* Naturali grauitate amphora ad ima rueret, fœmina destituta alis nequibat efferri, verùm ea industriæ vis fuit, vt fœmina alata inuolarit, & secum grauitate contradicente, amphoram tulerit. Graue plumbum impediēbat, sed industria amphoram eleuabat: fœminæ deerat ad volatum penna, sed quæsierat industria: natura refragabatur, sed fortuna vincebatur, Miphiboseth carebat pedibus, ad incessum claudus, sed sibi pedes elaborauit industrius: *Fecerat sibi ligneos pedes, quibus pro naturalibus uteretur.*

Zachar. 5.
v. 7.

§. LXIX.

A dignitate expunctus lugetur vt mortuus.

Plus respirant aliqui de inani gloria, quàm leni aura: non tam viuunt, dum spiritum reciprocant, quàm dum alijs ad dignitatem euecti imperitant; vnde à dignitate deponi, est quodammodo sepulchro tradi. Vfus edocet, nihil horribilius Altis accidere, quàm munere, & culmine dignitatis priuari. *Videatur ambitio* (aiebat Senec. lib. I. de Ira cap. vlt.) *magni animi, non est contenta honoribus annuis, vno nomine occupare fastos vult; per omnem orbem titulos disponere.* Implacabili siti; insatiabili ardore laborat ambitus, & per omnem orbem titulos disponere gloriæ discupit appetitus. Intolerabili dolore cruciatur, quia fastigio deponitur, nec iam est superstes, vt viuat, sed vt proluxa morte acriores cruciatus sentiat. Itaque cætera mortuus, & sepultis annumerandus, sensu solum vitur, quo durius crucietur. Si frater, aut cognatus vita exciderit, vsus fert, atris cognatos vestiri, & habitu squalenti sordescere. Hinc est, quòd Miphiboseth nec barbam rotondit, nec vestes lauit, donec Dauid, deuictis hostibus, redijt. *Descendit in occursum Regis, illoris pedibus & insonsa barba, vestesque suas non lauerat à die, qua egressus fuerat Rex vsque ad diem reuersionis eius in pace.* Fas erat Dauidis calamitatem dolere, eius mensa altum, & plurimis beneficijs obstrictum, sed prudentiæ non videbatur consonum eiusmodi habitum assumere, qui mortuum aut indicaret, aut proderet: quomodo ergo Miphiboseth Dauid dolebat calamitatem, quo posset ornato lugere mortem? Quia tunc Dauid (inquit Abul.) è throno exulabat pulsus, & dignitate nudatus; ergo cum idem videatur dignitate nudari, & moti, Miphiboseth eum assumpsit ornatum, qui in-

Eman. de Naxera in Reg. Tom. IV.

dicaret defunctum. Audi Abulensem q. 26. *Omnia hac obseruant Hebrai tempore, quo sunt in planctu mortuorum. Nam nec vestes abluunt, nec pedes lauant, nec barbam rotundunt.* Quæ ad mortuorum delignabantur planctum, non imprudens induit Miphiboseth, eundem pro Dauide obseruans stitulum, ac si Dauid iam è vita excessisset, cum à dignitate exulasset. O Miphiboseth prudentiam! Nouerat apud sæculum plurimis acerbiorē dolorem afferre, dignitate multari, quàm vita fungi: ergo vbi à dignitate vidit expunctum, lugubri habitu planxit mortuum. *Extunc* (addit Abul.) *videbatur priuatus regno, & flebat eum Miphiboseth tanquam priuatum.* Eodem habitu lugebat à dignitate deturbatum, quo fletet demortuum, quasi idem sit mori, & à culmine deturbari. Ioseph altior, & fratrum adoratione excellentior, à fratribus diuenditur; & iam tunica in speciem cædis componitur. *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hadi tinxerunt.* Gen. 37. v. 31. Paternis oculis diuenditum representabant occisum. Si quæras: cur occisum asserant, quem in Ægyptum ductum sciebant? Respondebit aliquis, ingenue nobilique pro eodem esse vitam agere, & seruitutem subire: hinc tamen aliud latebat arcanum; nam cum manipulus Ioseph excellentior resplenderet, & regio throno micaret, fratres adnisi sunt throno priuari, & seruituti subijcere. Ergo non incongruè, quem iam à throno existimabant depulsum, ostendebant defcædare tunica mortuum, pro eodem habentes mori, & dignitate priuari. Audi Basilium ora. 8. *Pro notho puerum damnant seruitute. Imò in speciem cædis vestem compositam patrijs offerunt manibus.* Tunica testabatur sanguine defcædata iam mortuum, quasi non aliud sit à dignitate deponi, ac angustias mortis subire.

Gen. 37.
v. 31.

TEXTVS.

VERS. 25. & 26. Cùmque Ierusalem occurrisset Regi, dixit ei Rex: Quare non venisti mecum, Miphiboseth? & respondens ait: Domine mi Rex, seruus meus contempsit me, dixique ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum Rege: claudus enim sum seruus tuus.

§. LXX.

Sapè homines queruntur erga se omissa, quæ displicerent, si facta.

Sapè humana politices amore mentito queritur, de quibus reapse latatur, & sibi reprehendit non renuntiata, quæ ingererent molestiam scita. Cognatus cognato exprobrat occultasse morbum, non postulasse subsidium, cum affectet subueniendi occasionem nescire, quia molestum est ægroto, aut afflicto adesse: *Vt ille se castiget, quòd tardior in rogando fuerit* (scribit de Benefic. Senec. cap. 3.) *adiicias familiarem querelam: Irascor tibi, quòd scùm aliquod desiderasses, non olim scire me voluisti.* Alteri imputatur peccatum, quod est imputantis votum, & cum vrget occasio, affectatur ignorantia, elapsa verò, familiaris a speciem datur querela, quasi amicitia, aut obliga-

T t tioni

tioni facta fuerit silentio iniuria. Dauid aufugiens desiderabat nullum sibi adiungi, qui foret oneri, non leuamini; nam cum Chusai, amicitiae lege, fugientem decerneret comitari, comiter respuit, sibi que oneri fore dixit: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* supra. 15. v. 33. Ergo cum Miphiboseth, quia claudus, & onerosus, sibi fugienti discuperet non adiungi, nihilominus vilus est, quærit: *Quare non venisti mecum, Miphiboseth?* Quod secum non venerit, dat familiaritatem querelam; si venisset, quereretur attulisse claudicationis impedimento molestiam. Hic est enim hominum mos, ut sæpè querantur, & de querelarum occasione oblectentur. Opportunè Abul. q. 27. *Sic interdum homines petunt aliqua, quæ non desiderant, solum ut habeant introitum loquendi.* Præmiserat. *Dauid non desiderauerat secum ducere Miphiboseth in fuga de Ierusalem, sed dixit hoc, ut responderet aliquid Miphiboseth, & posset eum increpare Dauid.* Hoc dixit, ut videretur magnum Miphiboseth desiderium habere, cum re ipsa discuperet secum non ducere. Adeo Saüli molesta erat Dauidis præsentia, ut cauta amouere studuerit industria: *Amouit eum*

1. Reg. 18. v. 13. *Saül à se.* 1. Reg. 18. v. 13. Nihilominus cum genialem Kalendarum diem lauto celebraret conuiuio, questus est, quod gener se substraxerit, & adesse inter conuiuas refugerit: *Dixit Saül ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* 1. Reg. 20. v. 27. Inquit: Cur familiarem ad speciem querelam proferat, quando animitus non adesse festo desiderat? Dum proprio nomine non honorat, internum manifestat odium, & latentem prodit affectum, & tamen queritur, dum latatur. Ecqua huius est ratio? Quia licet Saüli locero esset molesta præsentia, affectabat, ne cognationis videretur oblitus, eius corde præsentia fouere vota: quod non venerit ad mensam, latatur, & quod non venerit etiam quaeritur; quia homines externis, urbanisque ceremonijs decipiunt, & affectum internum tegunt. *Non nominat eum* (inquit Hugo card.) *ex indignatione.* Itaque cum vel proferre nomen esset Saüli molestum, querebatur, quod non venerit ad conuiuium. Talis est humana versutia, & hominum versuta fallacia.

§. LXXI.

Sæpè serui, ne exiguum laborem subeant, dominis pericula treant.

Nihil certum de seruis potest diffiniri, quando constat diuersis moribus exornari. Prouerbum est: *Totidem esse hostes, quot seruos.* Sed etiam certum est, morigeros seruos esse humiles, sed fidos amicos. *Sibi quisque dat mores* (aiebat Senec. Epist. 47.) *ministra casus assignat.* Sæpè sub obscura terra latet aurum, ut etiam sæpè in vase aureo lethiferum propinatur venenum. Non inficiabor, ut plurimum seruos inerti studere otio, nec implendo ritè incumbere ministerio: non negabo attulisse aliquando dominis detrimenta, ut leuissima excusarint incommoda. Miphiboseth durè à Dauid arguitur, quia tot beneficijs obstrictus, secum non venerit, sed remanserit. *Dixitque ei Rex: Quare non venisti mecum, Miphiboseth?* Graui Miphiboseth Regis feritur supercilio, & aspero carpitur verbo. Si inquiras huius detrimenti causam, inuenies fuisse ignauium seruum, qui, ut sternendi asinum excusaret laborem, herum plectibilem fe-

cit incurrere tarditatem. Ecquis hoc ait? Certè ipse Miphiboseth: *Domine mi Rex, seruus meus contempfit me: dixitque ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens arborem cum Rege: claudus enim sum seruus tuus.* Exiguus erat labor sternere asinum, sed dum recusat seruus, in coniuati suspicionem venit dominus: grauem Miphiboseth censuram incurrit, quia famulus obedire citò contemnit. Notauit N. Sanct. *Domini sui præcepta contempfit, & in causa fuerat, ne officium illud obseruantia, & gratitudinis obiret.* Serui inertia grauissima domino attulit damna: & dum Siba differt implere mandata, domino iniuritur grauis nota. Pendunt aliquando ex minimis magna: & serui in exequendis mandatis culpabilis mora offerre solet non modica detrimenta, dum debita obseruantia differtur, aut obsequium tarditate minuitur. Ex iumentum stratione, aut non stratione pependit Miphiboseth haberi officiosum, aut carpi obseruantia debitæ oblitum. Facile erat seruis alternare exebias, & inimici impedire dolosas technas; verum dum malunt indulgere somno, occasionem porrigunt inimico: zizanijs aureas obscurans spicas, prouentum impedit, agricolæ laborem perdit; & leuis ad speciem seruorum ignauia hero, agrorumque attulit ingentissima detrimenta. Quanta præcesserunt grani sationem? Tellus laborioso aratro profcinditur, profundus recipiendis seminibus sulcus disponitur, filigineum granum deligitur: & cum cumulus assurgens & seruorum vigilias, & domini solaturus erat impensas, serui ignauiam perdidit otium, & inimicus hominis est affecutus damnable desiderium: *Cum dormirent homines, venit inimicus eius, & superfeminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Mat. 13. v. 25. Messium prouentus minuitur, dum seruus exebias non agere comprobatur: exiguo labore, nec zizania exurentur acribus flammis, nec copiosis fruges carerent augmentis; at dum seruus indulget inerti somno, occasio exhibetur inuido. Notauit August. in Cat. *Dicit: Cum dormirent homines; quia negligentius agerent.* Serui negligentia magna attulit hero incommoda: & ingentissima sæpè vitarentur incommoda, si seruus citius sibi exqueretur iniuncta. Miphiboseth de obseruantia arguitur, quia seruus obedire immoratur.

§. LXXII.

Non semel famuli dominos student fallere, ut peculium possint augere.

Multiformes in hoc sæculo tenduntur infidia, & ad augendum lucellum excogitantur fallacia. Nec solum hæc pestis inducitur ab extraneis, sed etiam à familiaribus, & domesticis. *Occasionem* (aiebat Senec. Epist. 47.) *nocendi captant.* Per serui, famulique manus pecunia expenditur, comparantur necessaria, & tractantur alia negotia. Qui sordido ingenio sunt, nocendi dominis occasionem arripiunt, & lentis rapinis peculium incrementare disponunt. Cum emptarum rerum pretium augetur, expensi auri summa duplicatur, & dum sensim, silentiosèque grassatur rapina, serui augetur, & domini minuitur substantia. Miphiboseth se queritur à seruo delusum, & ne obseruantia officium exhiberet Dauidi, asserit retardatum: *Domine mi Rex, seruus meus contempfit me: dixitque ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens arborem cum Rege: claudus enim sum seruus*

seruus tuus. Iuxta Hebræum habetur: *Decepit me.* Quærun Interpretes: Cur Siba dominum deceperit, & vnde habuerit quæ attulit: respondētque, omnia serui curæ commissa, & per eius manus expensa. Ergo ratus opportunam sibi occasionem adesse ineundi Davidis gratiam, si famelico, fugientique subueniret, è domini penu attulit dona, & sibi acquisiuit præmia: *Tua sint omnia, qua fuerunt Miphiboseth.* Omnia, quæ fuerant domini, erant Sibæ: & cum dominus premeretur inopia, Siba fruebatur ad copiosam satis alendam familiam diuitiarum abundantia. Audi Caiet. *Apparet hinc, quod Siba requisitus à Miphiboseth, dixerit, se iurum cum Miphiboseth ad Regem Dauidem, ut comes esset fugientis; & quod deceperit eum eundo ad Dauidem cum munusculis, imò contra Miphiboseth.* Dum dominum fallit, dum facultatibus eius ditescit, quo elucetur beneuolentiam Davidis, habet. Salomon 17. Prouerb. v. 2. aiebat: *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hereditatem dinidet.* Adnectit: *Fallax obtemperat labijs mendacibus.* Profectò sapiens seruus magni æstimandus, vt fallax, & dolosus fugiendus est. Sed (si liceat) sic Salomonis interpretarer sententiam, seruum scilicet astuta calliditate domini filijs dominati, & eorum facultatibus censum augere. *Fallax* (inquit Hugo) *id est simulator, hypocrita.* Sæpè seruus simulat integritatem, incorruptam mentitur fidem, & vt facilius possit ditescere, sedulitate in obsequendo adnititur fallere. Siba dominum fefellit, & cum ad eius diuitias inhiarit, sollicitam seruitutem promisit: ad speciem obtemperabat, sed mendacibus labijs fallebat, & dum studiosius, ad speciem affectabat substantiam domini custodire, ad propria adaugenda lucra probabatur expendere. De Miphiboseth facultatibus offert Dauidi ampla dona, & domino insidias speciosas obtendit sagax fallacia.

TEXTVS.

VERS. 27. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te Dominum meum Regem: tu autem domine mi Rex, sicut Angelus Dei es: fac quod placitum est tibi.

§. LXXIII.

Ingenuus ægrius dolet honore lædi, quàm facultatibus dispoliari.

IN hoc peruerso saculo (aiebat Zæno Veron.) contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidie: Solicitis excubijs est opus, quia diuersis calumniarum generibus viros laudabiles constat circumueniri, & mendaciorum tetrus nebulis obscurari; verùm licet factiosæ emerlerint causæ, minùs ingenuus dolet facultatibus dispoliari, quàm honoris splendorem imminui. Siba opportunam occasionem nactus, Dauid occurrit, & factiosus calumnijs obscurare dominum audeat: Dauid credulus, aut muneribus subornatus, fallaci Sibæ fidem adhibuit, & Miphiboseth doloso facultates concessit: *Et ait Rex: Vbi est filius domini tui? Responditque Siba Regi: Remansit in Ierusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israël domum patris mei.* *Et ait Rex Siba: Tua sint omnia, qua fuerunt Miphiboseth.* Suprà 16. v. 3. Vt nihil est occultum: *Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

Miphiboseth Regi cum plausu reuertenti occurrit, seque à seruo non solum conquestus est despectum, sed de regni etiam affectatione accusatum. *Seruus meus contempsit me: insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum Regem.* Cum non solum factiosus, iniquisque calumnijs accusauerit, sed substantiam tulerit, quærun Doctores: Cur de facultatum rapina tacuerit, & de accusatione ardentissimum dolorem manifestarit? *Accusauit me seruum tuum:* & cur non addat: *Me facultatibus denudauit, & inopem reddidit,* quando ab hominibus effugitur infausta paupertas, & ambitur copiosa diuitiarum facultas? Interpellat apud Regem versutum Sibam, non solum de obscura iniquè obseruantia, sed etiam de diuitiarum rapina. Profectò (inquit N. Sanct.) vtrumque ingentem dolorem Miphiboseth attulerat, sed accusatio mentiebatur proditorem, rapina efficiebat pauperem. Quod sæuius discruciauit, non erat paupertate premi; sed honorem obscurari; apud ingenuos namque pluris habetur illæsa honoris integritas, quàm ampla diuitiarum facultas. Audi N. Sanct. *Qui domini sui præcepta contempsit, & qui in causa fuerat, ne officium illud obseruantia, & gratitudinis obiret, idem dominum suum affectati imperij, & impietatis apud Regem accusauit.* Accusatione proditor infamabatur, diuitiarum dispoliatione inops premebatur: verùm ingenuus diuitiarum contempsit copiam, & totus fuit in asserendo illæsam honoris famam. Iacob à socero illusus, & multoties facultatibus dispoliatus, eximiam patientiam tulit, & ora laudabili silentio compressit: verùm cum ad sua reuertentem armorum copia insequeretur, iusta indignatione exarsit, querelas dedit. *Tumensque Iacob cum Iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem suppellectilem meam?* Gen. 31. v. 36. Oleaster ex Hebræo reddidit: *Et ira fuit ipsi Iacob.* Si inquiras: Cur modò non continuerit iram, qui lenem antea obseruarat patientiam? Respondebit Textus, de furto modò fuisse accusatum: *Furti me arguis.* Ergo cum de furto argui, honori afferret notam, qui patienter tulerat auferri substantiam, de temerato honore dat iustam querelam: honoris satagit notam expungere, qui didicerat rapinam patienter ferre. *Multum interest* (inquit Oleast.) *inter nudum, & iniquum esse.* Diuitijs dispoliari, erat infortunium, furis denigrari suspicionibus, erat inglorium: Iacob ergo plus doluit, quàm diuitijs dispoliari, honorem suspicionibus lædi. Nam ingenuus minus æstimat facultatem, pluris appretiat honorem; Miphiboseth tacuit de ablata substantia, & de illata honori conquestus est nota.

§. LXXIV.

Iudex, si versat a fuerit pecunia, contra largientem accusationem non audiet, aut auditam prorsus contemnet.

MVnera enormi fascino demutare probantur ingenia, & peruertere solent iura: acceptis muneribus in patronum iudex transibit, & contra dilargientem accusationem non audiet: imò qui æquaiustitiæ trutina expendere debuisset accusationis causam, exhibet interpellato tutelam. Iudex corruptus legem violat, iura confundit, reum absoluit, innocentem punit. Graui aded de crimine è Magnatibus vnus apud Senatum

Prouerb. 27. v. 2.

Gen. 31. v. 36.

accusatus est, iudices armatorum perierunt præsidium, ne reus crimen, quod aperte damnabant iura, tueretur potentiâ, verum pecunia versata est, & de manifesto crimine damnandus, ipsis legibus absolutus est reus. Audi Catulum apud Sen. Epist. 97. *Quid vos præsidium à nobis periebatis? an ne nummi à vobis eripientur.* Antequam pecuniâ corrupti, præsidium damnaturis videbatur necessarium, verum vbi pro reo allegauit aurum, solum erat iudicibus necessarium ad tuendum aurum præsidium: vti inculpatus exiit, qui reus intrauerat: & militum manus, quæ expecebatur ad capitis proferendam sententiam, iudicibus profuit ad custodiendam pecuniam. Siba factiosus calumnijs Miphiboseth apud Dauidem accusauit quasi debitæ obseruantia oblitum, & adire regnum audidum: verum, quia mendacium, si perspexeris, lucet, manifeste agnita est interpellati innoentia, & setui digno supplicio plectenda procax audacia. *Accusauit me seruum tuum ad te dominum meum Regem: tu autem, domine mi Rex, sicut Angelus Dei es: fac quod placitum est tibi.* Si inquitur: cur Dauid arbitrio commiserit iniuste interpellatus causam, & iudicalem contra Siba lege Talionis innixam decerni non postulauerit poenam? Respondebit Abulensis, timuisse, cui ampla Siba munera obtulerat, iudicem exasperare, & eius contra se indignationem accendere. Abulensem audi. q. 27. *volebat Miphiboseth accusare seruum suum Sibam ad poenam propter hoc, quæ egerat, sed non audebat directe, quia nesciebat, an displiceret Regi ista accusatio: & causa erat, quia Siba dederat munera Dauid, quando ibat in via (supra 16.) & putauit, quod ex hoc forte esset Dauid affectus ad Sibam, & non libenter audiret accusationem eius.* Vbi agnouit Miphiboseth interuenisse munera, ab accusatione abstinuit, non iam reum, sed iudicem extimescens, quasi idem esset reum accusare, & iudicis indignationem subire. O quoties despicitur, imò sugillatur accusatio contra reum, si iudex muneribus est corruptus, quia tunc rei inuenitur esse patronus! Thamar apud iudicem de crimine interpellatur: iudex seueram sententiam protulit, & iudiciali programme exurendam flammis decreuit: *Produce eam, ut comburatur.* Gen. 38. v. 24. Angusto eo in articulo iudici misit aureum anulum, & armillam. Quid tunc? Iam iudex conuertitur in patronum, iam retractat sententiam, & manifestam accusatæ testatur esse iustitiam. *Agnis muneribus, ait: Iustior me est.* Ante munera laudabilis erat interpellantium zelus, manifestus interpellatæ reatus, post munera verò accusatio respuebatur, & accusata laudabatur. Munera accusationem eneruarunt, & damnatam absoluerunt: *Iustior me est.* Antea Thamar merebatur incendia, sed postea militabant pro ipsa iura. *Inter gentes* (inquit oleast. ad Lit.) *ius dicebat.* Iudas inter gentes gerebat iudicis munus, sed aliud erat ius ante aurum, aliud post donum: rea, misso auro, pronuntiatur omnino iusta, ipsa ante aurum damnabatur criminis rea. Et qui tribunal inscenderat iudex seuerus, factus est in tribunali patronus: iam cessant incendia, iam Thamar absoluitur iusta, quia aurea miserat pro se dona. Iure ergo Miphiboseth, vbi agnouit exhibita dona, Sibæ timuit accusare delicta.

Gen. 38.
v. 24.

§. LXXV.

Ni exuat naturam, acceptis muneribus, equam non proferet iudex sententiam.

Quid Reipublicæ feliciter, quàm leges imperare, & nihil contra stabilita iura decerni? Iura sunt afflictorum certissima solatia, infirmorum auxilia, peccantium fræna, quæ, si custodiantur illæsa, felicitas florebit nullis adfultibus deturbanda. Sed proh dolor! Enorme auri fascinum aut eneruat leges, aut corrumpit non semel iudices. *Cur accipiendi vota sectemur?* (aiebat Cassiod. 12. Var. 2.) *Nullam gloriam recipit, qui diues vocatur: econtra omni laude decoratur, qui iustus edicitur. Desideremus potius, quod nos pretiosiores locupletibus faciat. Fascēs accipimus, ut graues esse debeamus: tribunalia conscendimus, ut morum gradibus euehamur.* Iudex, si cupidus, probatur & cæcus: cumque miraculum sit, cæcum, ni noui inferantur oculi, rerum qualitatem dispicere, & æquam de rebus, quæ lucem desiderant, sententiam ferre; ita miraculi adinstar erit, muneribus subornatum edicere consonam æquitati sententiam, ni in aliam demigrarit naturam. Cum Miphiboseth contra iniquum seruum, versutumque calumniatorem proferendam, fulminandamque expectaret sententiam, Dauidem angelum appellauit: *Tu autem domine mi Rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi.* Id est eris angelus, si decreueris à iustitia non recedere, & insolentiam calumniatoris punire. Inquirere iuuat: Cur angelum Dauidem appellet, quando sententiam æquitati consonam ambit? Estne Miphiboseth ex his, qui blandis assentationibus emunt gratiam, & gratis fallacijs euertere faciunt iustitiam? Dum appellat angelum, hominem negat. Ergo timeat de infauito, dum falso adulatur elogio. O vtilem nobi eruditionem? Nouerat Dauidem non modicè à Sibæ accepisse dona (vt constat ex cap. 16.) ergo præsumpsit, ni humanam naturam exuerit, iustam nullatenus prolaturum sententiam. Abul. audi. q. 27. *Tu attendes veritatem, & facies mihi iustitiam.* Vt faceret iustitiam, naturam in Dauid desiderabat angelicam, quasi copiosis obstrictam muneribus timeret humanam. Profectò qui recipit, citò fit diues, sed dum sectatur dona, contra stabilitas leges, contra iura æquissima sumit arma. Vt Assuerus contra pios, iustosque sententiam iniquam satis proferret, Aman ad auri confugit illusorias præstigijs, & munerum præstigiatrices fallacias. *Decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tue.* Esth. 3. v. 9. Inquirendum est: Cur, oblato auro, sollicitarit sententiam, qui sortiebatur Principis gratiam? O astutam versutiam! Amanus eueriti discupiebat iura, iniqua proferti decreta, ergo ad auri fascinum confugit, & sine auri auxilio consequi non sperauit. Promissis tentauit allicere, auro corrumpere; quod si assequatur, innocentiam premet, & corruptus iudex iniquam sententiam prodet. Et expende, Esther non tam hominem, quàm angelum, se vidisse testari, cum iustam expectat sententiam ferri: *Vidi te, domine, quasi angelum Dei.* Esth. 15. v. 16. Et cur vocas Dei angelum, quem esse hominem non ignoras? Quia si post tot, tantæque promissa humanum solum contemplaretur, violandam æquitatem vereretur; ast dum angelicum in tribunali induisse conspicit vultum: *Vidi*

Esth. 3. v. 9.

Esth. 15.
v. 16.

Vidi te, domine, quasi angelum Dei: æquum sperat decretum. Quod & accidit: nam homo post promissa iniqua edixit sententiam, & cum iustam tulit cõtra Amanum, vilis est angelicam induisse naturam. Audi Nostr. Sanct. Aliquid in eo diuino simile spectare videbatur. Certè angeli in eo speciem contemplantur. Amanum, qui aurum obtulerat, editali programmate condemnauit: ergo quid in eo diuinum reluxit: Aliquid diuino simile spectare videbatur: aliter namque ingemisceret innocentia; & insolens detriumpharet audacia.

§. LXXVI.

Modestus factiosam contra se repellit calumniam, nec iudicalem dabit contra calumniatorem querelam.

Pestilens homo contra bonos viros multiformes architectatur calumnias, & captiosas disponit technas. Gemit sæpè iustus multiplicibus oppressus mendacijs, sed solatur conscientia; intemerata secretis: quod si opus sit, calumniatorem modestè repellit, sed calumniatorem iudiciali interpellatione non accusabit. Susanna cum prodigiosam calumniatorum intemperantiam proderè posset, ora continuit, & à pudicitia patrono opem gemitibus implorauit: *Tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* Dan. 13. v. 43. Modestè innocentiam asseruit, senum petulantiam non prodidit. *Stabat Susanna* (verba sunt Veronensis serm. 9.) *in iudicio perditorum falsorum testium oppressa mendacijs, conscientia tamen bonis contenta secretis.* Eximia Susanna perfectione respandit; dum accusata tacet; dum accusatores non prodit. Hæc summa virtutis est; verum sæpè iustitia cultores, etsi calumniatores non redarguant, à se propellere calumnias sollicitudine curant. Siba; vt dominum suum spoliaret, confinxit mendacia, calumniarum contra veritatem opposuit machinamenta. Quid tunc? Miphiboseth iniquam calumniam certis argumentis depulit, calumniatorem verò legibus non impetiuit: *Accusauit me seruum tuum ad te dominum meum Regem.* Si iniquitas: Cur contentus fuerit; se ab iniqua accusatione purgare; nec tentauerit calumniatorem puniri, cum mendaciorum artificem, calumniatum auctorem Taliõnis pœnã condemnent iura? Respondet Abul. q. 17. vt virtutibus expoliti curasse, à se obscuram notam depellere, non crimina Sibæ ingrâuare: *Causam suam* (inquit) *fulciebat.* Suam causam fulciebat, sed iudicalem querelam contra calumniatorem non dabit. Est enim iustorum proprium, sibi obiectis satisfacere, & contra aduersarios lites non texere. Egregia Dauidis facta inuidiam torquebant, cumque nequiret virtutum gloriam minuere, adnitebatur calumnijs mendacibus obscurare. Asserebant æmuli, ambire regnum; fouere in Saulem odium; & dum Princeps aures præbet calumniatoribus patulas, in præcipites agitur iras. In campum exit deprædator iniustus, benemerenti auferre vitam conatur; verum, in quam, ipse fecerat, foueam incidit; & Dauid tot offensis impetitus, curatoris officium egit, & præciso clamydis frustulo, manifestè suam innocentiam comprobauit. *Quare audis verba hominum loquentium: Dauid querit malum aduersum te: ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea.* 1. Reg. 24. v. 10. Oculos requirebat testes, & recusabat sus-

pectas aures. Verum inquirendum venit: Cur solum dixerit audire loquentium verba, cum criminari posset dolosa concinnasse mendacia, non ait: Quare audis verba detrahentium, aut calumniantium, sed dicentium? Interpellet apud Regem detractores, mendaces, vt æquitatis decreto cogantur soluere, quam adnituntur ipsi pœnã inferre. O eximiam virtutem! Ex calumnijs resultabat sibi nota, innocentem accusare, erat grauissima culpa, & seuerò supplicio digna: sed Dauid sic se gessit, vt claris argumentis à se omnem depulerit notam, quin aduersariorum exaggerauerit culpã. Notauit Rabban. apud Glof. *In testimonium facti oram clamydis absceidit.* Adstipulatur Chrysost. Homil. de Dauid, & Saul: *Nunc mihi expecta philosophicam animi moderatorem.* Sic rem moderatus est, vt innocentiam suam argumentis euidentijs asseruerit, nec calumniatores apud Regem interpellarit. Miphiboseth etiam diluit calumniam, sed calumniatori infligi non postulauit decretam à iure pœnã.

§. LXXVII.

Subiectus laudabiliter cecus à superiore veneretur decreta, & æquitati reputez consona.

Multa à bonis subditis superior patitur, sed multa etiam à non bono superiore sustinere subiectus cogitur. Sæpè superior non vitur potestate, vt à subiecto periculum arceat, sed vt innocuum, & inualidum feriat. *Corruptum est* (ait ab Cassiodor. 7. Var. 42.) *beneficium nostrum, creuitque potius de medicina calamitas, dum ad alios usus potentium malignitate translati sunt, quam eos nostra remedia transtulerunt.* Modesto, prudentique præsuli subijci, commodum obsequentis est: verum de ipsa medicina crescit calamitas, & superior sibi placita, non rationi decernit consona; linguax tunc subditus indignationi obmurmurando medetur; sed denotus, modestusque laudabili cæcitate superiorem rationabilia delegisse arbitrat. Dauid munusculis delinitus, & artificiosis mendacijs falsus, Miphiboseth indecoram notam inobseruantia; debita intulit, Sibæ fallaciam, & fucatam dolo sitatem profusa liberalitate præmiauit; is tamen erat Miphiboseth, vt à superiore dispositum veluti ab angelo existimaret decretum. *Tu autem domine mi Rex, sicut angelus Dei es: fac quod placitum est tibi.* Ac si dicat: Cum angelus nequeat ab æquitate discedere, sed rationi consona semper inueniatur sancire: tu quoque quem adinstar angeli suspicio: quidquid decreueris, rationi erit consonum, etsi videatur amatum. Itaque Miphiboseth non arguebat sententiam vti flammescenti indignatione prolatam, sed laudabili animi candore à iudicio non perturbato existimabat profectam. Prodest Abul. q. 27. *Es sicut angelus Dei, qui non moueris ad iram parrem, nec ad aliam; idè quodcumque placuerit tibi facere, bonum erit.* Non veniebat in Miphiboseth mentem, Dauidem speciali erga Sibam affectu propensum, non censebat muneribus inclinatum, non fallaci relatione comotum, sed vt angelum suspiciebat, & æquabili semper procedere ratione putabat. Itaque venerabatur Miphiboseth à Dauidè decreta, quasi ab angelo fuissent sancita, suis factis subiectos edocens credere, superiorem nullo degeneri affectu obscuratum, sed ratione, & æquitate subnixum. Christi subditus à dæmone possessus,

Dan. 13.
v. 43.

1. Reg. 24.
v. 10.

Mat. 8.
v. 29.

adorationis obsequium exhibebat inuitus, & linguam contra gubernatorem exacuebat, internis stimulis inflammatus. *Ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Mat. 8. v. 29. Vide homines duplici passione diuisos, conditionis lege adorationem Superiori impendebant, sed quia ab eorum cordibus expellebat dæmones, murmurabant. O quàm duro vrgebantur tormento, dum nequibant subiectionis iugum excutere, & superioris facta insipienti calliditate audebant diiudicare! Difertè Chrysol. Serm. 16. *De tempore causatur nequitia sæculi indurata.* Nequitia vitium nolebat deserere, superiori cogebatur obseruantia cultum præstare: ergo de tempore causabantur, & superiori notam inurere adnitebantur. Inuiti exhibebant subiectionis reuerentiam, sed audacem armabant linguam: *Venisti ante tempus torquere nos.* Ad superioris pedes prosternebantur, & contra eius regimen obmurmurando, aliquod solatium quærere conabantur. Inde uotus prudenter à superiore decreta obmurmurat; deuotus etiam quæ prudentia non aded videntur consona, laudabiliter cæcus amplectitur, & honorat.

T E X T V S.

V E R S. 28. Nec enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia domino meo Regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ; quid ergo habeo iustæ querelæ, aut quid possum vltra vociferari ad Regem.

§. LXXVIII.

Iusti illam sibi amplectuntur pœnam, quia non recordantur merita, sed delicta.

Deuoti serui est exhibita obsequia magni non estimare, & si quæ commisit peccata, memoria tenacissima retinere: nullius se præmij arbitratur dignum, & pœnis recognoscit semper obnoxium. Hinc est, vt quidquid pœnale humili subiectione suscipiat, & suis peccatis grauius debitum supplicium credat. *De se arbitrabitur estimatum* (aiebat Cassiodor. 8. Var. 4.) *qui regium meretur alloquium.* Honorabili humilitate modestus, et si egregijs factis regium mereatur alloquium, de se arbitrabitur æstimatum, & debitum virtuti præmij, gratuitum existimat beneficium: dilargientis dignatione reputat sibi collatum, quidquid meritis probatur impensum. Miphiboseth gratias profundissima humilitate Dauidi egit, quia ab eo fuerit altus, cum ob maiorum culpas morti videretur obnoxius: *Nec enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia domino meo Regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ, quid ergo habeo iustæ querelæ?* Me, inquit, hereditate priuasti, sed in hoc ipso clementiam expertus sum, nam cum amaram mortis subire potuerim sententiam, contentus es minorate solum substantiam, & ob id debeo gratias reddere, non querelas. O animum generosum, & solum gratia seruire gnarum! Profecto Saül Miphiboseth auus grauissima Dauid dimexauit persecutione, sed Ionathas eius parens eximia dilexit charitate, Ionathas regalem stolam, vt Dauidem honoraret, nudauit: ergo cum eximia à parente in Dauidem collata beneficia iu-

rè exigent, in filio recompensari, non videbatur Miphiboseth morti obnoxius, nec facultatibus omnibus denudandus: quomodo ergo agit denudatus gratias, qui iustissimas potuisset dare querelas? Et ad hæc: Si Miphiboseth ob Dauidis exilium graui est dolore percussus, & lugubri habitu sordidatus: *Descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque suas non lauerat à die, qua egressus fuerat Rex.* Sententiã plecti, non erat gratificandum, sed æquitati iniurium censendum, & querelis ad speciem rationabilibus fugilandum, & tamen ob illatam mulctam se non habere iustam fatetur querelam, imò ob sua, suorùmque errata, grauiora mereri supplicia. O Miphiboseth perfectionem! Egregius virtutis alumnus intentissimis oculis aspiciebat delicta, & non videbat cæca humilitate merita: vnde quidquid erga se decernebatur asperum, reputabat lenissimum. Prodest Hugo: *Quasi dicat: Ego non merui, quod facias mihi aliquod bonum, sed potius malum.* Proprijs, parentisque eximij meritis exornatus, clementer, humanèque secum agi putabat, si mortis non damnaretur supplicio, sed diuitiarum solum castigaretur dispendio: mulcta ipsa humili videbatur clementia, & ob clementiam gratitudinis pendebat tributa. Videas econtrà grauissimis culpis denigratos, & semper querulos, quia inopiã laborant pressi, aut molesta infirmitate affliguntur vexati; & cum debuissent clementiam dilaudare, in factiosas probantur querelas effundi: non expendunt, quanta mereantur, sed solum quod laboribus affliguntur. Et quidem ni oculos tenebris immersos haberent, ipso in labore Dei benignitatem agnoscerent, quando quidem cum gehennalibus flammis potuisset addicere, contentus est temporalibus pœnis mulctare. Dauid populum recensendo, deliquit: leui se culpa obstrinxisse, communiter sentiunt Interpretes, nihilominus grauantissima peste punitus est: denuntiata pœnã, Dei misericordiam agnouit, & dilaudauit: *Melius est, vt incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quam in manus hominum.* Infra 24. v. 14. Nec solum est falsus diuinam misericordiam, sed admissam confessus culpam: *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi.* Pœnam à Deo inflictam testatur esse clementiam, & perpetratam mereri mortem fatetur culpam. *Veritatur, obsecro, manus tua contra me.* Rogabis quomodo seuerè ad speciem punitus, leni sibi videatur verberate castigatus? Sed quæsitæ facilis solutio est. Expendit Dauid ob admissam culpam grauiorem meruisse pœnam, & dum experitur leuiorem pœnam, agnouit misericordiam. Bene. Sed inquiramus: Cur ad leuandam pestilentiam tot merita non opposuerit? cur pro Dei honore dura iniuisse certamina, sustinuisse prælia, intrasse, non allegarit pericula? Minus prudens populos rededit in censum, sed laudabiliter intrepidus contra gigantem processit etiam in campum. Censu admisit culpam, sed etiam suscepit fidei, ac religionis tutelam: ergo quærat quod aded de religione benemerito nihil dissimuletur, imò leuis lapsus asperè corrigatur. O attende, quid dicat: *Iniquè egi.* Virtutis Summates obliuiscuntur merita, & admissa ingemiscunt semper errata: & dum æqua lance culpæ expendunt prauitatem, lenissimam censent adhibitam correctionem. Audi Theodor. apud Glos. *Digna sunt admiratione ipsa verba Regis: ignorans causam, suum peccatum vocauit, quod fuerat factum, & vt in suum genus iusta ferretur sententia, supplicauit.* Seueriore

1. Reg. 24.
v. 14.

se sententia dignum putauit, & latam vti misericordiam suscepit. Minus Dei prouidentiam peccatores abroderent, si, quanta perpetrarunt, expenderent; ast dum tenebris oppressi cæcutiunt, & inflicta flagella sentiunt, in ipsum Deum linguas armatas gerunt, & prouidentiam abrodunt.

§. LXXIX.

Humiles contra se perpetrata adnituntur excusare, & ruborem offendentis minuere.

Humilitas sibi sine fraude imponit; sine mendacio illudit, sine dolo decipit: in se semper inuenit causam, vt affligentis leuarit culpam. *Charitas* (aiebat Bern. apud Thylm. ad Matt. 11.) *verè dulcis, & suavis cibus. Caritas, quæ confessos alleuat, debiles roborat, multos lætificat.* Vera charitas humilitate fundatur, & humilitas vera charitate fulcitur: vnde humilis nullam sibi factam arbitratur iniuriam, & inferentis excusare cupit confusibilis ruboris molestiam. Dauid dum patulas calumniatori, adulatorique præbet aures, Miphiboseth præcipitâ sententiâ damnat, & possessis bonis dispoliat. Citò detectum est calumniatoris mendacium; sed Miphiboseth interpellat nullatenus seruum, imò se seueriori sententiâ testatur dignum: *Nequaquam fuit domus patris mei nisi morti obnoxia domino meo Regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ?* Putares excitaturum tragœdias, & in se inuenit ad seueriorem sententiam causas: se, ait, à Dauid beneficijs obstrictum, nec dolet immeritò facultatibus dispoliatum. Si inquiras: Cur Dauidis approbat decreta, cum offensus intuentur iniuriæ? Respondebit Abulensis, plus confusibili Dauidis rubore angi, & illata sibi offensa minus aduri. Abulensis verba q. 27. sunt: *Dauid erubuit de malo quod fecerat, scilicet quia indiscretè abstulerat possessiones Miphiboseth, non audita causâ eius.* Adnectit: *Quia de his Rex erubescere incepit excusare factum Regis, tanquam Dauid iustè potuisset auferre Miphiboseth omnia.* Vt Regis temperaret erubescensiam, vt alleuaret Dauidis notam, factus est se non solum dispoliatione dignum, sed etiam mortis obnoxium; nam verè humiles nunquam putant, se iniurijs affici, totique sunt in solando iniurijs, & in excusando peccato: Effræni impudentiâ, & impudentissimâ audaciâ, non solum laxa, sed amarissima Semcî contorquet contra Dauidem contuitia: cumque vnus è satellitibus expetere vindictam arderet, eius indignationem sopiuit, & maledicam linguam excusauit: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* Sup. 16. v. 11. Id est ego duriora mereri fateor, Semcî obsequitur. Ita Interl. *Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum domini; promerui enim.* Consonat Gregor. apud Glor. *Leue videbitur, quòd iniuriâ percutimur, dum conspicimus, quòd pœnas meruimus; sicque fit, vt contumelijs gratia magis, quàm irâ debeat.* Dauid dum à se considerabat commissa, à Semcî illata censebat leuia, nec effundendam contra iniuriam putabat iram, sed reddendam gratiam: *Sicque fit, vt contumelijs gratia magis, quàm irâ debeat.* Semcî excusabat impudentiam, quia à se perpetratam maiori pœna dignam agnouit culpam. Itaque dum humilis propriam expendit culpam, alleuat contuitiatoris offensam, nec de eo queritur, sed benignè secum agere, persuadere conatur.

§. LXXX.

Qui cœlesti epulo quotidie pascitur, eximia nitere perfectione tenetur.

Si præmiorum exempla nutriunt virtutes, si expoliunt alloquia Principis mores, quis dubitet ad virtutum summa teneri, cui cum Principe quotidie conceditur mandare? *Studij nostri est* (aiebat Princeps apud Cassiod. 2. Var. 16.) *remunerationem recto conferre proposito, & bonæ indolis viros ad instituta meliora fructu impensa benignitatis accendere. Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere.* Iustos viros impensa benignitate Dominus ad perfectiora quodammodo cogit ascendere, dum diuinis quotidie epulis voluit innutrire. Quis enim audeat iugi Principis conuiuio vti; & terrenis affectibus denigrari, quando ipsa mensa morum exigit resplendere elegantia? Miphiboseth factiosis calumnijs à seruulo vili impetitus, & dolosis artibus dispoliat, testatur se non posse contra seruum reclamare, nec ablata bona repetere: *Quid ergo habeo iustæ querelæ, aut quid possum ultra vociferari ad Regem?* Profectò factiosis calumnijs impeti, honore dispoliati, diuitijs exui, suadebant in calumniatorem insurgere; quomodò ergo ait, se non posse reclamare, nec terrena, quibus iniquè dispoliatus fuerat, ambire? Litigat contra fratrem frater, vt hæreditatem diuidat, & non litigauit dominus cum seruo, ne multiplici dolo eius bona ablata retineat? Attende, cur Miphiboseth ora comprimat, & cur repetere bona respuat? *Tu* (Regem alloquitur) *posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ.* Id est, si regio quotidie epulo pastus terrena ambirem, si cum iniurio, calumniatorèque decertarem, si nimis honori attenderem, querelâ, attentis legibus, non esset iuri contraria, sed post mensæ regalis accubitum videretur indigna: ergo non possum, inquit, reclamare, dum quotidie constat, regijs delicijs nutrirî. Prodest N. Sanct: *Concludit, sibi nefas esse, queri de Regis decreto, nec sibi ad clamandum reliquum esse spiritum, ac vocem.* Non habuit vocem ad reclamandum; quia regis quotidie affidebat mensæ ad vescendum, nefas putauit, si facultates generosè non despiceret, si iniurias non condonaret, si patienter quidquid molestum non ferret. O sequendam formam eis, qui quotidie sacro refectiuntur epulo; & adsunt cœlesti conuiuio! Nostris temporibus circa communionem quotidianam magna quæstio est: alij sentiunt, iustis quotidie accedendum; alij solum ab eximia perfectione relucentibus cœlesti epulum frequentandum. Ego sententiam non fero, sed quæstionem Confessarijs dirimendam relinquo; assero tamen Miphiboseth imitandam exhibuisse conuiujs formam, dum dispoliatus honore, diuitijs, famâ, non queritur, sed magna æquanimitate lucere admittit. Si ad synaxim sacram accedens, nihil humanum appetat, si se contemni contemnat, si infortunia virili animo, immobilique despiciat, frequenter accedat: qui verò polituræ vestium studiosus, qui honotis auidus, qui sæculi cupiditatibus irritus, non aded frequenter debet accedere, nec duci frequenti vsu, sed singulari profectu. Irreuerentiæ genus est ad regiam mensam sedere, nec nitore perfectionis micare. Quid frequenter accedenti cum sæculi pompis

Prouerb.
23. v. 1.

commune? quid cum vanitulis simile? quid cum deliciosis æquabile? Accedendi normam videtur Salamon præbuisse Prouerb. 23. v. 1. *Quando sederis (inquit) ut comedas cum Principe, diligenter attende, que apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibus eius, in quo est panis mendacij.* Septuaginta legunt: *si sederis cenare ad mensam potentis, sapienter intellige, que apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens quod oportet te talia preparare.* Teneri, ait ad simile exhibendum conuiuium, qui cum Principe sedet ad prandium. Et quidem in Eucharistia Dominus sensuum renuntiavit vsui, se totum immolauit, & crucifixi habitum retulit: expendat ergo qui accedit, an sensibus renuntiari, an in corpore suo Christi semper mortificationem retulerit, an se totum cælestibus prorsus addixerit, & si talem se possit Principi offerre, ad Principis mensam quotidie poterit manducare. Audi Hugon. Card. ad hunc locum: *Hoc non obseruauerunt Iudæi Exod. 19. qui dixerunt: Omnia, que præcepit nobis Dominus, faciemus, & postea adorauerunt vitulum.* Manna alti summâ virtutum debebant elegantia nitere, & vituli probabantur amore pollui. Vtrumque adiungere nitentur, cælesti manna vesci, & choreis, ac plestibilibus festiuitatibus oblectari. Alius honoris colit idolum, alius diuitiarum exambit cumulum, alius deliciarum oblectamentum: & cum eiusmodi fas sit, se reuerenter abstinere, aliorum exempla fatagunt imitari.

T E X T V S.

VER S. 29. Ait ergo ei Rex: Quid ultra loqueris? Fixum est, quod locutus sum; Tu, & Siba diuidite possessiones.

§. LXXXI.

Iudex magna sibi nouerit conquirere detrimenta, si alteri fauens, alterius corrumpat iura.

SOLUS dignus est inter alios sequenda decernere, qui timet æquitatis terminos transilire. *Facilis recti persuasor est,* (aiebat Cassiod. 1. Var. 4.) *innocens iudex, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.* Non decet esse iuris patronum, qui æquitati consonum non est prolaturus decretum. Pudendum iudici est ascendere tribunalia, ut corruperit legum iura. Quid litigantibus infelicius, quam ubi constat esse professionem iustitiæ, æquitatem contemni, & iudicem iudiciali programme, ut alteri possit complacere, alterius æquitatem despiciere? Dauid minus prudenti sententia Miphiboseth facultates adscripsit Sibæ: *Tua sint omnia, que fuerunt Miphiboseth.* Sup. 16. v. 4. Inaudita parte, sententiam tulerat; & licet postea calumniatoris fuerit manifesta impudentia, retractare noluit sancita. Contentus est Dauid temperare sententiam, sed ipso moderamini sibi inuidiam conquisiuit, & Miphiboseth iterum iustitiam violauit: *Tu, & Siba diuidite possessiones.* Miphiboseth ora compressit, & Siba facultatis dimidium tulit: verum cum Deus iustitiæ præuaricator non sit, diuisionem diuisione puniuit, & seruo Dauidis magnam regni partem concessit, ut iusta diuisione persolueret,

quod Dauid sententia præcipitata diuisit. *Recessit Israël a domo Dauid usque in presentem diem,* 3. Reg. 12. v. 19. Israëlitarum diuisionem, huius, de qua agimus, diuisionis pœnam fuisse, testatur Lira: *Iniuste concedens seruo suo medietatem hereditatis suæ, propter quod regnum eius fuit postea diuisum.* Ut Sibæ faueret, Miphiboseth dispoliauit; sed quia iniustam profert sententiam, iustissimam cogitur sustinere iacturam: ut vereantur iudices potestate, & diuitijs priuandos, si, ut alteri faueant, iniuriam alteri intulerint, & iura potestate violarint. Daniel, ut iudicibus formam præscriberet, apertum testatur librum, & ad iudicandum throno infedisit iudicium: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7. v. 10. Iudex, non iudicium, videbatur sedem occupaturus, & tamen non ait, tribunal infedisit iudicem, sed iudicium. Deinde si dierum antiquus memoriter tenet iura, cur proferantur librorum voluminibus exarata: ut tribunalibus, iudicibusque (inquit Lira) imitanda præscriberentur exempla, & præberetur sequenda forma. Iudex degeneri inclinari potest affectu; nescit affectum iudicium: ergo iudicium sedit, ut notum fuerit, subsellia adeuntes omni affectu denudandos, & solùm legibus dirigendos. Libris scripta prolata sunt, ut constaret iuxta scripta proferri decreta, non pro arbitrio confingi iura. Prodest Lira: *Libri aperti sunt, ut sententia iudicis appareat omnibus recta.* Consonat Hieron. apud Glos. *Iudicium sedit, id est verum.* Iudicium verum non potest flecti, iudex varijs potest passionibus denigrari. Ergo dicat Propheta, iudicium sedisse, apertos patuisse libros, ut omnibus constet, ab ab illo tribunali omnem degenerem exulare affectionem, & attendi ad proferendam sententiam legem. Et quidem si tribunal ascendat affectus, iustitia sustinebit violentiam, & iudex infelicem maturabit sibi fortunam.

§. LXXXII.

Iudex muneribus corruptus non solum reum absoluet, sed præmijs dignum censebit.

FELIX est iudex, si semper cum iure concordarit; felix sententia, si in decretis nihil æmulus corrigendum inueniat. Econtrâ infortunatus est, si more vestium sententiam diuendat, si muneribus corruptus iura sinistra interpretatione corrumpat: qui aurum accipit, voluntariam sibi cæcitatem asciscit; nescit æquitatem munerum sitis auara, ignorat leges sitis accipiendi plectenda. *Sit in nobis* (aiebat Prætextatus quidam 12. Var. 2.) *frons libera, ut aliorum possimus emendare peccata.* Nil venale, nil cupidum iudices decet, quia Republicæ, & litigantibus cupiditas semper nocet. Ut fontes metuant, præcedunt fascès, sed pro metu succedet procax audacia, si corrumpi nouerint iudices. Et quidem si versata fuerit pecunia, nullis reus pœnis inuenietur obnoxius, imò laudibus, & præmijs dignus. Siba factiosus calumnijs de ambitu dominum postulauerat, sed manifesta veritas arguit mendacium, & exigit contra mendacem supplicium: nihilominus etsi se oculis ingesserit veritas, apparuit Siba non solum absolute dignus, sed præmio remunerandus: *Tu, & Siba diuidite possessiones.* Cum Siba non præmio, sed suspensio fuerit dignus, quaerunt Patres, quomodo Dauid, dum fert de controuersia sententiam, diuisionem decernat iniquam?

3. Reg. 12.
v. 19.Dan. 7.
v. 10.

iniquam ? Respondentque (vt constat supra capit. 16.) muneribus iudicasse obcæcatum, & iniustum cæcitate protulisse decretum. Liram accipe : Postquam audiuit Miphiboseth se verè excusantem, vt patet per predicta, non retractauit dictum suum iniustum totaliter, sed seruum suum pessimum fecit æqualem domino, quem tamen debuisset suspendisse propter falsam accusationem domini sui de crimine læsæ maiestatis. De regni ambitu fuerat Miphiboseth dolosis calumnijs accusatus, sed re ad examen delata, clarè constitit impostura : cùmque puniri debuisset criminator merita talionis pœna, non solum iudicatus est absolute dignus, sed præmio remunerandus. In iuriam passus dimidijs facultatibus mulctatus est, & regis maiestatis obseruantissimus tulit immentam pœnam, cùm sortitus fuerit præmium, qui plectibilem texerat calumniam. Et quid huius discriminis causa fuit ? Dauidem à Siba accepisse munera ; nam officijs donisque obstrictus, Sibæ aurauit causam, & Miphiboseth cæcis oculis præteriuit iustitiam. Accepta munera fontem defuderunt ; innocentem damnarunt. O verum ! si iudex accipiat non solum ambiguus in causis, sed in præce, manifestis cæcutiet, & officiosum absoluet. Expertus munerum efficaciam, ipse Dauid in auarum dilaudat iudicem : *Munera super innocentem non accipit.* Psalm. 14. v. 5. Ac si dicat : Iudex innocentem absoluet, si munera à criminatore iniquo non acceperit : nam si donis, aut officijs fuerit obstrictus, sententiam iuri contrariam proferet corruptus, & cæcus. *Nullum munus accipit* (inquit Lathym. ad Psalm. 14.) *vt eos videat laderet, qui fontes sunt.* Et si alterius partis clarissimè innocentiã innotescat, de munerum præstigijs censere iudex innocentiam esse iniustitiam, & iniustitiam esse innocentiam.

§. LXXXIII.

Adulatio, detracti que gratis auribus excipitur, sed asserre grauissima detrimenta probatur.

AMicos, qui nihil sibi verbis indulgeant, comparato (monebat Iurypid. apud Stob. c. 14.) qui verò, vt complacent, & delectens te, verba faciunt, eos tanquam mals præ foribus excludito. obmurmuratio, nescio quam voluptatem audienti ingerat, adulatio etiam dum lædit, placet. Vnde qui detractorem audit, qui adulantem grato ore excipit, graue sibi detrimentum asciscit, nam dum se tam magnum, quam audit, credit, detractoribus aures etiam præbens, contra innocentem non semel furit. Tantalus parasitorum fallacijs blandissimis oblectatus, & intumuit, & periit. *Parasitorum genus inuenit* (verba sunt Eurypidis iam dati) *Ioue pugnariuis* (vt aiunt) *Tantalus : cùm autem arte non rectè uti sciret, intemperantem linguam habuit, deinde ingratiã : compulsus in sedem, qua fame ipsum cruciaret.* Tantalus dum detractores audit, Iouis potestatem despexit, & inire prælium proposuit : certaminis præmium fuit duram inedia sustinere, & ardentissima siti aduri. Quam breuem, detractores audiendo, cœperat voluptatem, soluit fame discutiatus, & fugientibus vndis semper anhelus. Ecce dum detractor demulcet aures, disseminat lites : fugienti Dauid Siba occurrit, & Miphiboseth detractio-nibus ferit : *Remansit in Ierusalem, dicens : Hodie Eman. de Naxera in Reg. Tom. I V.*

restituet mihi Dominus Israël regnum patris mei David. Dum aures Dauid detractori præbuit, indignationem pectoribus iniustam fouit, & sententiam iniquam tulit : *Tu, & Siba diuidire possessiones, male diuidens, sibi conciliauit inuidiã, & ingentem etiam regni tulit iacturam, nam in nepote regnum eius diuisum est* (vt constat ex 3. Reg. cap. 11. v. 31.) *Ecce oscindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* 3. Reg. 11. v. 31. Hanc ob iniustam diuisionem tulisse Dauid pœnam, testatur Lira, vt etiam decreuisse diuisionem Sibæ adulationibus delinitum, & contra innocentem iniquis detractio-nibus inflammatum ; vnde de primo ad vltimam detractio inflammavit iram, ira protulit sententiam, attulit sententia iacturam. Liram accipe : *Iniuste concedens seruo suo medietatem hereditatis suæ, propter quod regnum eius fuit postea diuisum tempore Roboan.* Adnectit : *Hic aduertendum quantum adulatoris, & detractores sunt periculosi Principibus.* Dum Siba obmurmurationis, detractio-nisque igniculis Dauidis animum inflamat, contra innocentem errandi occasionem præbet : & dum Dauid errat, falsa detractio-nis commotus, magna regni parte caret, iure punitus. O quantas homo, & quã cæcas euasisset calamitates, si Eua serpenti adulanti, detrahentique aures non præbisset ! ast dum existimat se cibo interdictam, ne diuinitate potiatur, & interdictum à non bona intentione profectum audet, & Numinis edictionem contemnit. Audi Basilium Sel. Orat. 31. *Excusso timore, pœnãque sublata, contra Deum bellum constat... non per amorem, inquit, sed per inuidiam arborẽ interdixit : priuauit esu, vt diuinitatis aditu prohibeat.* Eua detractori gratas aures præbens, & mendacij artificem auscultans vt curatorem, contra Deum bellum constat, & sibi, Adamoque ingentem calamitatem maturat. O si obsidisset ! ô si detractorem longè amandasset ! Detractio per aures se insinuans, cor audientis pestiferã fallaciã fecit tumere ; & tumor, dum Numinis refragatur mandatis, cæcis irretitur periculis. Studiosè fugiendum est à detractore, adulatorique ei, qui vult calamitates euadere, & tranquillam vitam ducere. Saül adultores contra Dauid inflammabant, & multiplicibus odium detractio-nibus innutiebant : Saül ex se malè affectus, & obmurmurationibus incitatus, contra innocentem procedit in campum, & inscius asciscit sibi periculum. Dauid osoris curam egit, & in quod se periculum iniecisset, præciso clamidis frustulo declarauit : *Quare audis verba hominum loquentium : Dauid querit malum aduersum te ? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca.* 1. Reg. 24. v. 10. Quasi dicat : Dum calumniatoribus aures præbes, contra me in campum prodis, & tibi periculum contra opinionem asciscis. Prodest Chrysostr. Hom. de Dauid & Saule : *Illi verbo calumniantur, at ego re ipsa me purgo, ipsi que factis depello crimen, te ipsum testem inuoco, qui meo beneficio hodie seruatus es.* Saül fidem calumniatoribus facit, sed dum fugiendis assentatoribus oblectatur, multis periculis irretitur : & dum putat persequi sibi aduersum, insequitur leuandis eius calamitatibus opportunum.

Psalm. 14. v. 5.

1. Reg. 24. v. 10.

§. LXXXIV.

*Sapè indices honori ducunt, malè decreta tueri,
etsi malè decreuisse nequuerint ignorare.*

Sapientis est mutare consilium, præcipuè si constet, æquitati, rationique aduersum; ea tamen est pertinax aliquorum præsumptio, ut semel decretum obstinatè malint defendere, quam confusibilem erroris notam subire: plus illis placeat cæca pertinacia, quam prudentissima pœnitentia. *Absorti sunt* (aiebat Psalt.) *iuncti petra indices eorum.* Psalm. 140. v. 6. Græci explicant: *Instar petrae*: quasi aliqui Iudices petrae imitentur constantiam, & quandam in semel decretis inflexibilem fortiantur duritiam: quod ipsi Psalti videtur accidisse. Nam cum decreuisset non iuri consonam inter Miphiboseth, & Sibam facultatum diuisionem, ut videretur errasse, maluit decretis tenaciter inhæsisse: *Fixum est, quod locutus sum: Tu, & Siba diuidite possessiones.* Et cur erit fixum, quod legibus prorsus inuenitur aduersum? Quia locutus sum, inquit, nam si demutem sententiam, erroris perferam notam: & fatius ducò, iustitiam lædi, quam decretum immutari. Prodest Hugo: *Præcipit sententiam.* Sententia cæca præcipitatione prolata pertinaciter mansit fixa; nam etsi agnouerit contra ius, falsque decreuisse, maluit tueri sententiam, quam erroris subite notam. Adstipulatur Abul. q. 29. *Quid ultra loqueris? fixum est, quod locutus sum, id est, inuile est tibi loqui, quod volueris, probando iustitiam causatua, quia etsi multa probes, non mutabo sententiam meam.* Adnectit Abul. *Hoc est contra indices, quibus dicitur: Non pudeat vos, errores vestros corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores.* Patebat error, sed vincebat damnabilis pudor: maluit David æquitati contrariam sententiam semel prolata tueri, quam illam legem seruare, & perijt Miphiboseth probata testimonijs manifestis iustitia, ut maneret fixa contra fas, iusque probata semel sententia. Profectò aut ex summo superbiæ tumore, aut ex cordis pusillitate oritur erratis insistere, cum plausibilior iudicis laus sit, retractare malè decreta, quam violare palam iura. Morti addixerat edictali programme Assuerus Hebræos innocuos, Amani falsis calumnijs inflammatus, & mendaciorum funiculis irretitus: verum ubi agnouit veritatem, non perstitit decretis, sed contrarijs se magnum ostentauit edictis: *Rex magnus Artaxerxes ab India &c. Nec putare deberis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate, & necessitate temporum, ut Reipublica pascit utilitas, ferre sententiam.* Esther. 16. v. 1. & 9. Expectabas rubore suffundendum, demutatâ sententiâ, & vides gloriæ ducere, errore agnito non persistere, sed decretum retractare: Mardochæum de Republica benemeritum morti addixerat, Amanum virtutis pestem euexerat, sed coloratis causis delusus, iniquis calumnijs falsus: ast agnita veritate, non tuetur errorem, sed Reipublicæ exambit utilitatem: & reuerà magnus debuit appellari: *Rex magnus*, qui maluit tueri iustitiam, quam in decretis semel damnandam prosequi pertinaciam. Notauit N. Sanct. *Communem in ferendis, abrogandisque decretis clausulam prætermittit.* Magnus erat, cum sententiam protulit contra Hebræos errore falsus, sed maior, cum sententiam derogauit, aperta veritate conuictus: sententiam corrigendo, attendit iuri,

Psalm. 140.
v. 6.

Esth. 16.
v. 1 & 9.

Reipublicæ attendit, imo & suæ etiam opinioni prouidit, quandoquidem confusibili obstinationi inhære esse inglorium, agnitam amplecti veritatem elogijs repetitis laudandum. Adnectit Sanct. *Nec existimandum est, etiamsi decretum promulgetur superiori contrarium, ab animi leuitate prouenisse, sed cum alius rerum status, & veritas se se prodant, quæ in calumniarum tenebris latebat.* Artaxerxes decretum superiori contrarium promulgans, se veritatis, æquitatisque studiosum ostendit, quandoquidem si obscuris veritatem mendaciorum caliginibus inuolutam non nouit, ubi depulsis calumniarum tenebris emerfit, reuerenter coluit, & sententiam demutauit.

§. LXXXV.

Alia vitia inueniuntur regna quassare, iniustitia probatur prorsus subruere.

Præui (aiebat Euryp. in Plist.) *feliciter age, es morbus sunt Reipublicæ.* Egrotat Reipublica nimio ornatus luxu, infirmatur sitibundo ditatum ambitu, cruento vltionis pretitu. Easmodi tamen morbi patiuntur medicinam, si æquitas mores componat, & efficacem applicet moribus corruptis medelam. Dum inuiolati stret iustitia, inconcussa vigent & regna; si ad exulauerit æquitas, iam non solum immediabilem patietur morbum, sed scelere sustinebit interitum: *Laboriosum quidem* (aiebat Princeps. 7. Var. 26.) *sed non est impossibile, iustitiam suadee mortalibus, quam ita cunctorum sensibus beneficium inuinitatis attribuit, ut & qui nesciunt iura, rationem veritatis agnoscant.* Diuinitatis beneficio cætera humana est supergressa natura, quia ratione prædita nequit ignorare, nihil fixum sine iustitia panere. Tolle iustitiam, & populos videbis ferum adinstar rapacitati studere, & voluptatibus deseruire. David suis oculis captus, honorandum Vriæ thorum violauit: Deus, qui suæ perspicaciæ præuaricator non est, digna decreuit supplicia, non tamen subruenda testatur imperia: *non reedet gladius de domo tua.* Sup. 12 v. 10. Verum cum iudex inquam profert sententiam, iam deturbadam prædicat Propheta mente illustrata coronæ: muneribus illectus innocuum dispoliat, calumniatorem præmiat: *Ait ergo Rex: Quid ultra loqueris? Fixum est, quod locutus sum: Tu, & Sibi diuidite possessiones.* Fixum perseverauit decretum, sed decreti firmitas regni erat manifesta calamitas. Iam scinditur, iam Davidis excutere è ceruicibus iugum conatur: decem regni partes Ieroboanum ad thronum euehunt, à Dauide resiliunt. *Ræssu Israël à domo David usque in presentem diem.* 3. Reg. 12. v. 19. Inquirendum venit: Cur culpa ad speciem leuis regni diuisione punita, cum adulterij, homicidijque ad speciem offensa non adeò asperè fuerit multata? Certè procreabile sacramentum violare, doloso gladio innocentem sanguinem fundere, videbatur regni priuatione plectendum, substantiam diuidi, coronæ non diuisione multandum, & tamen, ut Hebræis placet, delata è cælo vox iniustitiæ declarauit ad evertenda regna efficaciam, cum alia crimina non adeò validam fuerint sortita ad transferenda sceptræ energiam. Ita Abul. q. 31. *Quando David dixit: Tu, & Siba diuidite inter vos, audita est quedam vox de cælo: Roboan, & Geroboan regnum diuident.* Itaque si Hebræis creditur, cælestis vox regnum ob iniustitiam transtulit, & ex maiore

3. Reg. 12.
v. 19.